Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

In sacram Iosuae, Iudicum, Ruthae, Samuelis & Regum Historiam, mystica Messiae seruatoris mundi adumbratione refertam Martini Borrhai commentarius

https://hdl.handle.net/1874/429430

2

IN SACRAM IOsuæ, Iudicum, Ruthæ, Samuelis & Regum Hiſtoriam, myſtica Meſſiæ ſeruatoris mundi adumbratione refertam,

MARTINI BORRHAI COMmentarius.

PRAEFATIO eiuſdem, optimum ſacras literas interpretandi genus explicans.

Rerum & uerborum præcipuè memorabilium copioſus Index.



BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.



IN SACRAM IOSVAE, IVDICVM, RVTHAE, AC REGVM HISTORIAM, *ad pium Lectorem,*

MARTINI BORRHAI PRAEFATIO.



VVM in uniuersa sacra Scriptura CHRISTVS Dominus noster, & eius spõsa Ecclesia, atq; ex contraria parte utriusq; hostes, ad cõsiderandum nobis proponant̃, rectè uereq; iudicant, qui præclarè ab ijs sacras literas explicari dicũt, qui à capitib. & summa illa rerũ iam indicata, minimè auelli se patiunt̃: sed in hoc unum summa diligentia, studio atq; cura incumbunt, ut omnia ad amplificandum CHRISTVM, & ad Ecclesiæ extruendæ usum aduersariorum consilijs atq; studijs patefactis referant, dirigantq;. At uerò quoniam nõ uno modo Seruator mundi CHRISTVS in sacris literis describitur, accuratè diligenterq; uidendum fuerit, quàm uariè describatur, quotuplexq; eius docendi ratio tradatur, quo melius atq; tutius suscepta interpretandi prouincia obeatur. Triplex aũt Domini nostri IESV CHRISTI describendi uia in sacra Scriptura ostenditur: una tecta, altera mixta, tertia clarior & apertior. Moses tectius CHRISTVM describit, dũ eum nobis uarijs umbris tum ex personis, tum ex rebus mutuatis, adumbratum exhibet. In personis occurrũt Noa, Melchizedecus, Isaacus, Iacobus, Iosephus, sacerdos summus, & si quæ fuerunt aliæ ad figurandum Messiam aptæ personæ. In rebus, mare rubrum, cuius aqua Israel in Mosem ab Apostolo dicit̃ tinctus: manna cœleste, aqua ex petra expressa, & petra ipsa quæ erat CHRISTVS: serpens æneus, in solitudine erectus, nobis Christum serpentem, hoc est peccatum & maledictum redditum, adumbrans: ceremoniæ præterea uariæ, quæ in tot sacrificijs, cultuq; sacerdotij & tabernaculi uasis, mensa, candelabro, aris, propitiatorio & arca oraculari spectabantur. Quod si Christi & eius sponsæ Ecclesiæ hostes consideres, ut hi in Pharaone, in Amalechitis, Moabitis, & Ammonitis, in Idumæis, Amorræis & Chananæis, in Assyrijs, Babylonijs, Græcis & Romanis adũbrati sint, satis ex ipsa historia sacra & prophetis clarum est. In hostibus autem Messiæ, & eius sponsæ Ecclesiæ numerantur, peccatum, mors stipendium peccati, infernus, potestates tenebrarum, satan cum suis ministris, filius perditus, tyrannicq; orbis terrarum. Neque etiam promissiones quæ in Mose de Messia editæ legunt̃, omnino figuris & typis carent. ut est illa statim à primi hominis casu prodita, Ipsum conteret caput tuum: figuratè

guratè in capite, ſatanę ueteris ſerpentis & draconis capite, hoc eſt poteſtate indicata. Item illa, In ſemine tuo benedicent omnes gentes: tectè in ſemine, ipſo Chriſto, qui Iſaaci ſoboles futurus erat, ſignificato. ut eſt apud Apoſtolū: Et in ſemine tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem ſemen, IESVM Chriſtum eſſe, ſolū intelligebāt, in quorum animo fidei lumen lucebat. ſic aliquo modo occultū de Chriſto illud oraculum fuit: Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec ueniat Silo: nō proprio nomine ſoſpitatoris Meſsiæ indicato. Quē etiam nō ſuo, ſed prophetæ nomine Moſes in illa promiſsione appellat: Suſcitabit Dominus prophetam, &c. Cur autem id acciderit in adminiſtratione Moſaica, nemo miretur. Moſes enim non lucis, ſed umbrarum: non ſpiritus, ſed literæ: nō aperti, ſed uelati uultus adminiſter erat: ut Apoſtolus in altera quā ad Corinthios ſcripſit, epiſtola perſpicuè docet. Quod quomodo, ne ſuo ſpiritu & luce Moſæum munus uideamur priuare, accipiendum ſit, alio loco explicatum eſt. Tectam etiam & abditam Chriſti eiuſq; regni deſcriptionem, Iudicum & Regum hiſtoria cōtinet. Quàm figuratè enim ſub typis Iudicum, Ioſuæ, Othonielis, Ehudi, Baraci, Gedeonis, Iepthæ & Samſonis: & ſi reges ſpectes, per Dauidem, Salomonem, Ioſphatum, Ezechiam & Ioſuam Chriſtus ſuorum Iſraelitarum, hoc eſt Eccleſię, ex ſcriptis in libro uitę, deſcriptę iudex & rex figuratus ſit, facile licet ex prophetarum & noui fœderis in hanc myſticam narrationem importata luce cognoſcere. Porrò ſi prophetas ſpectemus, ea docendi Chriſtū ratio quæ altera erat, quam mixtam & temperatam nominauimus, oſtenditur. Etenim hi partim figuratè tectęq;, partim clarius & apertius Chriſtum eiuſq; regnum explicant. Adumbratæ deſcriptiones ſunt, ubi ſub nominibus Dauidis & Ezechiæ ille depingitur. Quales multæ à Ieſaia & alijs prophetis ad hiſtoriā ſui temporis alludentibus, myſticę conciones adhibentur, quas ordine enumerare opus minimè fuerit. Apertius de Chriſto oraculum apud eundem Ieſaiam affertur, ubi his uerbis de illo uaticinatur: Puer natus eſt nobis, cuius humeris principatus impoſitus eſt, qui nomine admirabilis cōſiliarius, Deus fortis, pater æternitatis, princeps pacis uocat. Simili appellatione in ſolum Meſsiam filium æternum Dei uiuentis congruente, apud Hieremiam nominatur: Et hoc nomen eius, quo uocabitur, Iehoua iuſticia noſtra. Quod ſi quis de eius ortu, de ſtatu crucis, de piaculari pro delictis mundi ſubita morte, & glorioſo de hoſtibus excitationis è mortuis beneficio reportato triumpho clarum uaticinium requirit: id apud eundem illum uatem capite quinquageſimotertio inueniet. Sed lōgè clariora apertioraq; in noui fœderis ſcriptura, de Chriſti natiuitate, cruce, morte, reſurrectione è mortuis, eiuſq; in cœleſtem gloriā translatione teſtimonia extant, quæ

tertij

tertij generis suprà memorati testimonia sunt, plena claritate & luce, ut à ministris lucis, spiritus & uitæ allata. De quo ministerio in hunc modū Apostolus loquit: Qui & idoneos fecit nos ministros noui Testamenti, nō literę, sed spiritus. Itaq; ut in explicando Mose, pro modo & mensura gratiæ Dei nobis cōcessę, post alios probos & doctos spiritu Christi interpretes operā dedimus, ut exumbris & tenebris Mosæis Christū Dominū nostrū in lucem proferremus, in illas ex prophetis & noui fœderis scriptura illustri importato illatoq; lumine: ita in hac mystica Iudicū & Regum narratione idē elaborauimus. Nā ut apud Mosem in sacerdotio, eiusq; legali cultu uariè sacerdos Christus prefiguratus fuit cum suo cœlesti sacerdotio, quo apud patrem fungitur, nostri patrocinium agens: ita in historia de Iudicib. & Regibus cōtexta, Christus Iesus uiuorum & mortuorum iudex, & rex regum, dominusq; uitæ & mortis, inferni & cœli, peccati & iusticię, non uno genere picturę & imaginis nobis adumbratur. Vt contrà aduersarij & hostes eius, atq; Ecclesię ab Israelitarū inimicis prefigurantur: ut id ex hac, quę in sacram hanc narrationem & rerum gestarum commemorationem paratur, enarratione liquidum fiet. Quapropter animaduersa hac triplici Domini nostri descriptione, facilè intelligitur, quod interpretandi sacras literas genus aptum atq; appositū sit, quęq; res in eo expendantur. Aptum nimirū genus esse, in quo sacra scriptura per scripturam exponitur: ut si Mosæ recondita de Christo Domino nostro testimonia explicanda sint, ea rectè explicari iudicabimus, si per clariores ex prophetis & nouo testamento depromptos locos ad fidei amplificantis nomen Christi & Ecclesiam extruentis normam explicentur: & eo modo explicentur, quo Dominus noster promissionem illam: Ipsum conteret caput tuum, explicauit: ubi à se satanam iudicatum, hoc est uictum & cōculcatum dicit, ut item explicauit serpentem illum æneum apud Ioannem, cum se ab illo figuratum indicat, in quem crucifixum omnes fide intuentes, maledictione peccati & mortis liberentur. ut præterea lustrales & expiatorias legis aquas interpretatus est, ab his ad cœlestes illas & diuinas aquas uerè & natura sua regenerantes Nicodemi animum subducens: Nisi quis (inquit) natus fuerit ex aqua & spiritu, &c. ut itē Apostolus in epistola ad Hebræos ueteris Testamenti sacrificia, aras, propitiatoriū, totiusq; templi cultum umbrarū inuolucris submotis interpretatur. Quod si qui eâdem uia ingredientes, quæ in Mose, in historia sacra, in prophetis mysteria sunt, aperiat: is uerum interpretem præstare existimabitur, eam laudem meritus, de qua unicus mysteriorū Dei interpres Christus meminit, ubi ait: Omnis scriba doctus ad regnū cœlorū similis est homini patrifamiliâs, qui depromit è thesauro suo noua

& uetera. Qui autem hoc ſtudent facere, quid aliud ſtudent, quàm ut Chriſtum IESVM ſeruatorem & eorũ qui Chriſto ut capite cõtinentur, ſalutem excuſsis ueteris fœderis umbris & typis pateſaciant? Veruntamen elaborandum hic eſt, ut ea norma in interpretando utamur, cuius Apoſtolus in priore ad Corinthios epiſtola meminit, ubi dicit ſpiritualia ſpiritualibus comparãda eſſe, & ſpiritualia ſpiritualiter dijudicãda. Quibus uerbis uoluit declarare, res diuinas & cœleſtes cum diuinis & cœleſtibus conferrei debere, ut umbræ & figuræ ex corporatis & aſpectabilibus rebus deſumptæ cum umbris & corporatis conferuntur. ut, exempli gratia: Si Moſaica ſacrificia tractanda ſint, conuenire, ut ea cum puerili & rudiore ætate pædagogię legis ſubiecta conferantur, cui myſtica & legali Dei placatione præſtiterint, quod ſacrificia ſpiritualia Iſraelitis, qui ex promiſsionis ſpiritu Iſraelitæ ſunt, uera placatione per ſanguinem IESV Chriſti præſtãt. Eodem iudicio in alijs Moſaicis figuris & umbris utendũ erit. Quod quum à nobis fit, umbris rerumq; cœleſtium imagini ac ſciagraphię ſuum tribuemus munus, ſuum item rebus ſpiritualib. & cœleſtibus per illa depictis. Quod eſt, ſpiritualia ſpiritualibus comparare, & ea ſpiritualiter dijudicare. Hæc iudicandi regula ut neglecta eſt à ſtulto illo paſtore, à Zacharia uate deſcripto, & hodie per Euangelium patefieri cœpto, tot & tanti errores in Eccleſiam contra noui fœderis rationem irrepſerunt. quod fœdus ſpiritus, non literæ, lucis, non umbrarum fœdus eſt. Hoc contempto, Moſaicæ feriarum, olei, ſalis, luſtraliũ aquarum, ararum, obſeruationis ueſtitus & ciborum ceremoniæ reuocatæ ſunt, ſpiritualib. rebus & cœleſtibus neglectis. Prætermitto errores alios, quos confuſionis terreſtrium & cœleſtium rerum mater Babylon in terrarũ orbe diſſeminauit: ut ſunt de ſacramentorum numero, ui & uſu, errores. Qui admiſsi non fuiſſent, ſi utriſq; & ſignis & rebus ſuum tribuere ſtuduiſſent: hoc eſt, ſi ſacramenta ſacramentorũ ritu, myſticaq; myſticè, & res cœleſtes ac ſpirituales cœleſti & ſpirituali ratione iudicaſſent. Eadem Apoſtoli norma prophetarum explicationi adhibenda erit, ut ubi utriſq; Iſraelitis & gentibus ſeparatim ſalus ſua ad augendam meritorum Chriſti gloriam promittitur, nos diuina oracula minimè confundentes, myſtica myſticè, & ſpiritualia ſpiritualiter exemplo Apoſtoli dijudicemus: qui in epiſtola ad Romanos, Iſraelitis ſecũdum carnem promiſſam ſalutem, cum gentium ſalute minimè commiſcet, ut neq; prophetæ commiſcent ac confundunt. Et Ioannes in ſua ſacra Apocalypſi diſtinctè Iſraeliticarum tribuum, quæ ex Antichriſti regno liberandæ ſint, mentionem facit. Neq; propterea, quia electorum, & eorum Iſraelitarum qui ex promiſsionis ſpiritu Iſraelitę ſunt, apud Deum ratio habetur: ideo Iſraelitę qui ex carne

tales

tales sunt, curæ Deo non erunt. Non enim pugnat, eosdem ex carne & spiritu Israelitas esse, ut maiores Israelitarũ, Prophetæ, Apostoli, & Christus ipse, qui natus Iudæus est, documento sunt. Itaq; quod Israelitis secundum carnem salus promittit, quoniam ea mystica ratione non caret, mysticè ipsa iudicanda fuerit: ut in uniuersum electorum salus spiritualiter dijudicatur. Quod ut intelligendum sit, suis locis excussis in ea gente typis & figuris, quas ab Abrahamo per interiecta tempora usq; ad CHRISTI Domini nostri glorioſum aduentum gerit atq; ostendit, demonstrabitur. Ex his quoq; patet, quibus rebus sacrarum literarum interpretes instructos esse conueniat. In his hæc numerantur: uis intelligendi eas res quę Mosaicis, prophetarũ & noui Testamenti libris continentur. Alterum est, sacræ Scripturæ locos cõferendi facultas, per quam liceat in obscuriores, ad eos illuminandos, clariores, tanquã omnia illustrantem lucem inferre. Hoc fit, cum Mosę mysteria per lumen quod in prophetis & nouo fœdere lucet, & abstrusa prophetarum oracula per Euangelij splendorem patefiunt. In quo splendore David clauis uersatur, qua arcana ueteris Testamẽti submoto uelo reseruduntur. In quibus arcanis cõsilium Dei de casu primi hominis, mysterium crucis casum consecutæ, legis Mosęæ uis & munus, & eius horribilis in Sina monte promulgatio, iusticiæ & uitæ per cœlestem Adamũ reparandæ uia, & uarię eius descriptiones & adumbrationes continentur. continetur item per sua spacia & interualla patefaciendi CHRISTI ratio, ut uidelicet primò per Apostolos Christus patefactus sit: & horum legatione perfecta, ut denuò his nouissimis temporibus per occasionem patefactionis aduersarij, se orbis terrarum nationib. manifestet, accensa Euangelij sacrosancti face, per cuius instauratam longè clarissimam prædicationem quæ Israelitis & gentibus prolixè & liberaliter promissa sunt, impleantur. Quæ an hactenus satana per filium perditum totum terrarum orbem seducente impleta sint, pij & docti sacris literis homines facile Antichristi temporibus animaduersis iudicabunt: in his inquã quæ iam memorata sunt exponendis, cõferendi iudicandiq; uis, qua inuoluta explicent, obscura illustrent, & occulta aperiãtur, uersatur. Vt autem hæc iudicandi explanãdiq; sacras literas facultas comparetur, cognoscere etiam qui bonum sacrarũ literarum interpretem se profitetur, debebit. Hanc autem ex sapientum mysteriorum CHRISTI dispensatorũ auscultatione, ex assidua sacrorum librorum lectione, ex frequenti locorum sacræ Scripturæ collatione, & ex indefinenti atque perpetua ad Deum patrem in filio cum pœnitentia coniuncta precatione, nemo dubitarit cõparari. Etenim communi lege sacrarum literarum explicatio eo modo cõtingit, quem nobis Apostolus his uerbis describit: Alios quidem

posuit Deus in Ecclesia primùm apostolos, deinde prophetas, ter tiò doctores, item ad Ephesios: Et idē dedit alios quidē apostolos, alios uerò prophetas, alios aūt euāgelistas, alios pastores ac docto res, ad instaurationē sanctorū in opus administrationis, in ædifica tionem corporis Christi. Is ordo dispēsationis opum cœlestiū Do mino probat, ut homines intelligant q̄ chari sint Deo, cui placeat per homines diuino spiritu afflatos diuitias suas communicare, sa pientiam, iusticiā, uitam, gloriam: ut hoc Dei beneficio inuitati, di scant inter se diuini amoris testimonium & significationem dare, dum alij docendi munere funguntur, cœlestes res docentes: alij au ditores gratos se præstant, beneficia CHRISTI in eius ministris de prædicantes, qui ex humano genere deligat quos apostolos, pro phetas, pastores & doctores in usum sanctorū sacro Spiritu suo for met, & auditorum interiores aures excitet, quæ cœlestem uocem prono & propenso animo audiant: & his nō contentus, etiam quę uoce percepta sunt, in literas referri curet, quibus lectorum animi ad ea intelligenda moueantur, quæ salutem afferāt atq; apportent. Vt sunt literarum monumenta, earum rerum notæ, quæ sermone enunciantur atq; explicātur. Hunc usum perpendens Apostolus, scripturam diuinitùs inspiratam dicit, ad nostri consolationem & salutem. Ad quem usum accedit, quòd illius tractatione locos etiā inter se in speciem dissentientes liceat componere: ut id experiunt, qui huiusmodi concordiæ opus, precationis spiritu adiuti molium tur. Is in cœlum penetrans ad thronum explanationis mysteriorū regni cœlorum, omnia fide prælucente impetrat, quæ ad illustran dum CHRISTVM, & ad ornandam sponsam eius precamur no bis tribui. Neq; etiam instrumenta & administræ causę desunt, qui bus sic præparatus interpres commodè ad sacras enarrandas lite ras utatur. In quibus numerantur, linguarum cognitio, Grammati ca, Dialectica, Rhetorica, Mathematica, Physica, & ea disciplina quæ domesticam & ciuilem prudentiam complectitur. Siquidem quantum ad linguas attinet, quam utilitatem, quæq; adiumenta ad sacram Scripturam interpretandam Hebręarum, Gręcarum & La tinarum literarū noticia afferat, Ecclesia hodie in hac restituta Euā gelij luce, cum optimis quibusq; literis, intelligit. Quo præsidio in terpretes qui superioribus seculis uixerunt, destituti, quantos erro res commiserint, res ipsa docet. Grammatica, quoniam simplicia & coniuncta uerba tractat, horum nisi uis & natura, aptéq; ea coniun gendi ratio cognita sit, sacrarum literarum sententiam nemo expo suerit. Dialectica interpreti ex eo probabitur, quòd is illa adiutus, de argumentis quæ cœlestis ille orator Spiritus sanctus adducit, melius certiusq; dijudicat: ut sunt argumenta quę ex genere, ex par tium enumeratione, ex coniunctis, ex antecedentibus & cōsequen

tibus,

tibus,ex repugnantibus & contrarijs, ex cauſis & effectis, ex comparatione parium,minorum & maiorum,& ex alijs quos Dialecti ca inſtruit,locis deprompta. Quę quoniam paſsim occurrunt in ſacris literis, & alio loco ſunt indicata, nihil arbitror referre ea de re exempla adducere. Occurrunt item interdum captioſæ concluſiones, quibus hypocritæ & aduerſarij ueritatis utuntur, quas facilè interpres diſſerendi artis peritus diſſoluerit. Qualis eſt captio illa, quam aduerſus Eliam uatem Achabus rex eo elenchorum loco,unde id quod cauſa non eſt pro cauſa affertur, ſtruxit, cum falſò concluderet,tantorum malorum in quę Iſraelitę incidiſſent,Eliam cauſam & autorem eſſe,quod ipſo uaticinante ac prophetante tantę calamitates accidiſſent. Accedit ad Dialecticæ utilitatem,quod nonnunquam excurrendum eſt interpreti in tractationem locorum cõmunium : qui qua ratione & uia tractentur, una Dialectica monſtrauerit.Etenim hęc inueniendi,iudicandíq; res inuentas,rectè uereq; ars eſſe traditur. Rhetoricæ,quę altera ex parte Dialecticæ reſpondet, uſus quis & quãtus in explicandis ſacris cõcionibus cernatur, norunt qui in illis exponendis uerſantur. Occurrunt porrò ſæpe rerum & perſonarum exornationes & uituperationes : occurrunt deliberationes,hortationes & dehortationes: occurrũt poſtremò accuſationes & defenſiones.In quibus exponendis niſi ſingulorum horum trium generum dicendi cognitos locos habeas, locos nimirum honeſtorum & turpium,utilium & inutilium, iuris & æquitatis,graues in ſacris literis cauſas enodare minimè poſsis. Prætereo tot & tam uaria tum uerborum tum ſententiarum lumina atq; ornamenta,quę pręſertim in prophetarũ concionibus explicanda interpreti offeruntur. Prætereo item orationis tenuis,grandis & medij generis exempla,quæ nobis in diuinis literis exhibentur.Hiſtorica oratio,quę rerum geſtarum narrationem continet, aptè ab interprete explicabitur, qui uerborum & rerum rationem compertam habeat:in uerbis animaduertens facilem, perſpicuã,tractamq; dictionem : in rebus,locorum & temporum ordinem , quo quæq; loco & tempore geſta ſint:ſi item conſilia rerum geſtarũ,& earum euentũ non ignorauerit. Mathematicas diſciplinas,ut ſunt Arithmetica,Geometria,Muſica,Aſtronomia,& huic ſubiecta Geographia, materia in quibus uerſantur, & uſus ipſe ſacrarum literarum doctori cõmendabit. Etenim is ex Arithmetica, quæ unitatis Deũ omnium originem referentis:quæ binarij,primò in multitudinem diſſentientem ab unitate,abſcedentis:quę ternarij,ut qui menſura omnium ſit,diuinæ naturæ cõgruentis:quę quaternarij, perpetui naturæ fontis,& diuinitate nominis Dei nobilis : quæ quinarij, ex binario primo numero & ternario primo impari cõflati & , centri ſphæræ ex denario confectę:quæ ſenarij,primi perfecti numeri,&

inde ſex diebus Dei abſoluto opificio clari: quæ ſeptenarij, quieti conſecrati numeri: quæ præterea octonarij, primi cubici numeri: quæ nouenarij, impariter imparis multitudini congruentis: quę denarij, numerorũ ſummam continentis: & quę demum cæterorũ numerorũ in ſacris literis celebratorũ ratio, ortus, proportio & natura ſit, ex hac numerandi diſciplina addiſcet. Muſica, carmina quę apud Moſem, Dauidem & reliquos uates extant, nobis declarabit. Geometria, interpretis animum in admirabilis ſex diebus elaborati à diuina Sapientia operis cõtemplationem, terrę magnitudinem & ambitum, aquæ, aeris & orbium quibus planetę feruntur, ſpacia & interualla dimetiens, adducit. Non parũ item momenti afferet ad Moſæ tabernaculi, & templi Salomonij, & uaſorum quæ in eo repoſita fuerunt, formam & figuram cognoſcendam. Aſtronomia cõuerſionem, ortum & obitum ſiderum, eorumq; ſignificationem, atq; temporum uices ad ſolis & lunę curſum temperatas, quarũ frequens in ſacris literis fit mentio, demõſtrat: ut etiam defectionis ſolis & lunæ non raro illę meminerunt. Taceo Pleiadũ, Orionis, Arcturi, & nonnullarum aliarũ ſtellarum nomina, quæ ad celebrandũ opificis mundi nomen cõmemorantur. Geographia mundi cardines, & pręcipuas terrę partes, gẽtesq; in ea habitãtes & in ſacra ſcriptura ſæpe nominatas, nobis explanat: ut ſunt Aſſyrij, Babylonij, Medi, Perſæ, Græci & Romani. Quæ gentes quatuor mundi imperia conſtituerunt, profanis & ſacris hiſtorijs nobilitata. Sed prę cipuè Phyſica in rerũ obſcuritate illuſtranda uerſans, ornabit ſacrę ſcripturæ profeſſorem. Huic enim cum ſex dierum opus à Moſe enarratum, explicandũ erit, ut animum in mundi initiorũ & elementorum, atq; in rerũ ex illis cõflatarum cõtemplationem circũferat, neceſſe fuerit: terrę, aquę, aeris nobis circumfuſi, ignisq; ſitum atq; naturam, exhisq; concretorũ metallorum, ſtirpium, animantiũ originem, uires, atq; eorum uaria genera conſiderabit. & quoniã Moſaica lex, quę ceremonias continet, ex operibus quę Moſes in libro de Origine mũdi deſcribit, compoſita eſt, niſi quis ſanè illorũ naturam animaduerſam tenet, cœleſtes res, quas diuina ſapientia illis adumbrare uoluit, minimè explicabit. Accedit huc, quòd ſimilitudines, uarięq; translationes crebrò in ſacra Scriptura occurrũt, quas interpres expers rerum in natura inuolutarum, ex quibus illę mutuantur, non enodabit. Igitur per hanc rerũ uniuerſitatem animus illi circumducendus erit, qui optimum interpretandi ſacras literas genus ſequi. Neq; etiã eum domeſticæ & ciuilis rationis atq; prudentiæ imperitum eſſe conueniet. Harum altera mariti & uxoris, parentum & liberorũ, domini & ſeruorũ ſocietate: altera eorum communitate quæ inter ciues coaleſcit, continet. Vtramq; ſocietatem cũ Moſes & reliqua Scriptura tractet, neutrius tractatio, quæ

suo loco fiat, negligi debet. Nam ut coniuges inter se degant, ut liberos educent, ut domini erga seruos se gerant, quaq; fide serui dominos suos colant, in sacris literis extãt doctrinę & admonitiones. Non commemoro, quales in domestica disciplina, in societate mariti & uxoris typi, ad Christi & sponsæ eius Ecclesię cõiunctionem repręsentandã prę formentẽ. Prętermitto liberã liberorũ, & seruorũ seruilẽ cõditionem: altera liberorũ Dei uera libertas, altera seruorũ qui peccati, mortis et legis seruituti subiecti sunt, misera & obnoxia cõditio significat. de utraq; ut frequẽter in sacris literis fiat mentio, non est obscurum. Quæ aũt rerumpub. origo, quæ genera, quæq; aliarum in alias cõmutatio, quisq; earũ exitus sit, cùm primis scire pręstat. Nam nobis in sacris literis triplex ciuitatis proponit ratio, regnum, optimates, resp. totidemq; à laudata ciuitate abscessus, Tyrannis, paucorũ imperium, & uulgi. Vt horũ singulorũ generum in Israelitica rep. reperta sint exempla, suis locis ostendetur. Itaq; interpretem sacrarum literarum, aliquam rerum ciuilium, si modò Mosem & historiã Iudicũ atq; Regum nõ malè interpretari uelit, necesse fuerit habere. Vt in ipsis regnis, & præsertim in ciuitate Israelitica, cœlestis regni quod Christus in suos Israelitas, hoc est in scriptos in cœlo ciues administrat, imago appareat, documẽto sunt tot cœlestis ciuitatis Hierosolymę insignes descriptiones: quas melius intelligent & exponent, quibus regnorũ & ciuitatũ cõstitutio, leges & iura nota fuerint. Sed ante omnia bonus mysteriorũ Euangelij dispensator, CHRISTI cognitione prędituũ animũ in sacrę Scripturæ expositionem reliquis in instrumentis habitis, importabit. Christus enim Dominus noster, unus legis, prophetarũ & Euangelij, & uniuersitatis huius finis est. In quem quoniam, ut in scopum omnia quæ diuinitùs patefacta sunt, collimant, ad eius gloriã amplificandã, & Ecclesiã extruendã omnia ut referant, operã fidelis oraculorũ Dei interpres dabit. Quod si fecerit, labor eius & copiosum ijs quibus operã suã impẽdit, fructũ, quẽ grati & memores percipiãt, afferet: & in futuro seculo pręmiũ ab eo feret amplũ, cuius in hoc seculo amplitudinẽ illustrare studuit. Nam is sacri sui Spiritus munera, quę in suorum ministrorũ pectore reposuit, ut ea dispensando prosint multis, uana irritaq; excidere nõ feret: & qua est ęquitate, cuiq; pro factis suis rependet. Hunc enim pater in solio maiestatis suæ collocatũ, præsentis & futuri seculi, uiuorum & mortuorum iudicem designauit, qui de improbis pro ipsorum improbitate & perfidia pœnas expetat, & proborum fidem & benefacta præmijs exornet. Cui sit gloria & honor in æternum, Amen.

ERRATA, IN QVIBVS PRIOR NVMERVS PAginam, posterior uersum significat.

3.18. *Nisi quis natus*
7.5. זנח
15.45. *fiunt*
16.25. *incrementis*
24.31. *ad defendendos suos*
26.32. *tulit*
37.43. *uidet nos. dele, uideo uos*
38.25. *arbitro* 39. *post uerbum regnat, addendum: In alteris lex solum*
43.14. *pro eis, lege sibi*
43.32. *post humano, legatur reguntur*
47.32. ראדרדר
53.17. חשלימוח
54.49 עד חגריעבר
58.14. *labin*
60.11. בישר פרת
77.2. *leg. decimooctauo*
77.7. *Hinnom*
83.15. *leg. cui duplex*
83.24. *quæ, pro qui*
84.43. *Bethauen*
87.7. *posteris, pro nostris*
87.49. *Tyrum*
92.4. *precibus*
104.41. *Cæsarea*
117.37. *Charran*
118.4. *dele, ut uidetur*
118.9. *dele, Niniuen*
133.49. *consolatione*
136.25. *corrupta*
147.7. *dele, contigisse*
454.37. עמלק
160.36. ברק
195.7. *Madianitam*
213.21. *dispensetur*
215.35. *dele Rutha*
218.33. *lege post tibi, relinquit*
222.19. *lege* רחעליתיחר
227.41. *donum, pro bonum*
233.1. בישפט 36. *indicato*
236.30. בעבון
240.17. בישחח
243.17. *prætexunt*
247 50. יתרים
249.1. *positum lege*
253. *post Iosua, lege tempore*
254.43. עולם
259.22. ירנתר על צדר
265.8. *fœdere cum Deo iuncto*
166.28. בישנב
267.10. *pro &, lege ut*
280.29. *sic lege, quale hominum genus solet esse: deleto sequenti quale*
281.1. חבריר. *item 51 factis, deleto &*
288.22 *aream*
289.21. *dele ad, et lege &*
289.22. *commodè*
292.50. *carens*
294.18. *nati*
300.39. *monte*
301.37. *uenditans*
312.23. *&, pro ad*
314.8. *libratæ*
315.9. *id, pro ad*
323.22 בריבים
316.27. *sententiæ dele*
318.29. *contrarium*
326.4. *lege, regij sacerdotij*
330.9. *dele Dei*
331.44. *essent item. 5 ditione*
337.16. *dele* אשר
344.7. *præmoneri*
348.30. יברך
348.48. *dele pro*
350.14. דאש
352.27. בישבחין
368.18. יגתן *lege*
368.26. *qui, pro quo*
368.50. *dele à*
380.50. *post Iuda, lege cernitur, & sequens cernitur dele*
386.14. *animaduertendi*
402.5. חימים
411.20. בחין
423.30. *ferente*
423.35. *coniunctum*
424.19. *ducta*
424.25. ארם
426.15. בסא
431.36. *litetur*
432.13. ישראל
442.23. צדיקים
455.43. *Extolli*
505.20. *lege, ita is*
515.12. *Gessuris*
515.51. על בוית
519.50. *Iudææ tribus ciuitas clara Amos uate. cætera dele*
523.49. *uenditantes*
551.6. *inimici, pro improbi*
559.26 דרשים
559.42. בשלימין
565.19. בן
569.6. *lege arx, pro uox*
569.34 בישגב
569.49. בישגבי
570.4. *dele enim*
604.45. *Bethaba*
609.1. איש
642.4. *immolandam*
643.37. שיבל
648.5. *dele non*
675.50. *pro namq; lege neq;*
689.44. *lege, ut ab electis*
695.52. דבק
718.51. *dele ad*
726.49. סמוח
728.31. *itaq;*
752.9. *an à Phoca hi bestiæ ex terra natæ et sibi imperium in sponsam Christi uendicantis, anni*
763.6. *dele non*
767.44. *concessio*
769.22. *leniter*
775.5. *erant*
775.31. *& prophetas*
794.2. *dele neq;*
817.35. *superbe*
818.11. ית
831.18. *pulmentum*
837.14. *lege pro esse, sint,*
849.12. *Archangeli*
855.26. *lege, quam Apostolus*
855.30. *pœnitentiam*

FINIS.

IN IOSVAM, MARTINI BORRHAI COMMENTARIVS.

IN CAP. PRIMVM.



T FACTVM est post mortem Mosæ.) Mose legislatore & eius uario munere explicato, Iosua iam explicandus occurrit: qui cur Mosæ succedat, ratio obscura non est. Promissa fuerat longè retrò seculis ipsi Abrahamo Chananæa, quam soboles eius occuparet. At eam cum Mosæ diuidere Israelitis non liceret, cuius officiũ fuisset, populo ex Aegypto educto legem in Sina monte horrendis modis tradere, & eum in uasta Arabum solitudine ad præscriptũ tempus circunducere: uisum est Deo, alium ducem suauem & amabilem ducem iam sessis ex diuturna peregrinatione designare, cuius ductu populus promissam olim hæreditatem deletis impijs gentibus adiret. Is autem dux Iosua est, & genere & nomine gratiosus. Genere quidem, qui ex specioſi Iosephi, speciosæ Rahelis filij, familia genitus legatur: nomine uerò, quod statim auditum & lectum ex ipsis literis salutis spem ostendebat, & numinis diuini præsentiam indicabat. Contrà Moses habuit, quem ex Leuitico genere in reliquas tribus ob Leui facinus dispergendo natum, & nomen ab eo quòd exactus fuisset, inuenisse, ex sacris literis intelligimus. Qua in re quanta mysteria recõdita sint, facilè ijs animaduertere licet, qui Mosem cũ Christo, hoc est legem literæ, iræ & condemnationis administram, cum gratia & ueritate: Chananæam in edito loco sitam, cum cœlesti hæreditate: hostes Amorræos Israeliticis armis deuictos, cum sanctorum hostibus spiritualibus: Israelitasq;, qui ex carne sunt Israelitæ, cum ijs quos Messiæ spiritus uetos, hoc est spirituales & cœlestes Israelitas generat, cõferre norũt. Nam ut uetus ille Iosua, mortuo iam Mose, Iordanẽ transit, hostium regna subuertit, terram uictori populo per urbes, uiculos, montes, ualles, flumina, torrẽtes, maria distribuit: ita nouus & cœlestis noster Iosua Iesus Christus, per aquam & sanguinem, ut est apud Ioannem, ueniens, hostes sæuos peccatum, mortem, mundum, & principem mundi Satanam cum suis ministris disperdit, supernam hæreditatem ueris Israelitis omnium uictoribus diuidit. In lectione igitur huius libri duo perpẽdenda fuerint. Vnum est, ipsa historia ac rerum gestarum narratio, quæ uerbis cõstat & rebus. in uerbis facilis ac fluens dictio cernitur: in rebus, locorum & temporum ordo, quo quæq; loco & tempore gesta sint: consilia item, et eorum causæ cum ipsis euentis considerantur. Alterũ uerò, quod hic animaduertitur, res sunt, quæ in regno nostri sospitatoris contingunt, & in huius historiæ personis & rebus adumbrãtur. De singulis ordine inter interpretandũ ex ipso scripto.

Post mortem Mosæ.) Qui quoniã centum & uiginti annorum fuit, cum moreretur, tertiam partẽ ætatis suæ, hoc est, quadraginta annos imperium gessit: reliqua parte ætatis partim in Aegypto, partim in Arabia apud Iethronem socerũ, sacerdotem Madianitarum transacta: quadraginta quidem annos apud socerum, reliquos uerò quadraginta in aula Pharaonis uersatus est. De qua supputatione suprà in Exodo, & in Actis Apostolicis uideris. Leguntur hic, non antea cœpisse duce Iosua hæreditatẽ suam adire Israelitæ, quam Moses mortuus fuisset. Arcanum consilium explicat Apostolus his uerbis: An ignoratis fratres (sciẽtibus enim legem loquor) quòd lex tantisper dominetur homini, quoad ea uixerit. Huc pertinet illud, Lex & prophetæ usq; ad Ioannẽ: usq; ad tempus uidelicet, quo Christus seruator missus est, legem et prophetas implens: ut Iosua misso iam mortuo Mose, promissa diuina de hæreditate mystica adsignanda, impleta ac præstita leguntur.

Vt loqueretur Dominus.) Sunt qui statim ab obitu Mosæ, locutum cum Iosua Dominum dicunt: alij aliter, qui post triginta dies quibus luxere Mosem. hæc uerba Iosuæ Dominũ fecisse uolunt. Addunt nonnulli, tempore uehementioris luctus, oracula & respõsa silere. pro exemplo afferunt Iacobum, de quo in Genesi, & Eliseum. Quod quomodo uerum sit, ea iudicent pij.

Ministrũ Mosæ.) Sic de eo in Exodo: Et Iosua minister eius. Si nostrum Iosuã spectes, occurrit illud: Factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret.

Surge & transi.) Hortatio suis locis deli-

berationis cõstans, de quibus ordine סרם strenuè ac expeditè aliquid aggrediendi uox est. Asyndetum Hebræum סרם עברו celeritatem indicat.

Iordanem.) Fluuium pœnitentiæ, ad renouationem sacratum, ut legimus apud Matthæum: Tunc egressa est ad illum Hierosolyma, & tota Iudæa, totaq; regio undiq; finitima Iordani, & baptizabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata sua. Itaq; submoto uelo, ut Israelitis non licuit cernere hæreditatem suam, nisi transito Iordane: ita Israelitis qui ex spiritu Israelitæ sunt, fas non est suam hæreditatem obtinere, in cœlis repositã, nisi per cœlestis Iordanis aquas traijciant. de quo apud Ioannem his uerbis: Et ostendit mihi purum fluuium aquæ uiuæ, splendidum tanquam chrystallum, procedentem de sede Dei & agni. Qui fluuius ad regnum Dei aperientes aditũ aquas continet. de quibus noster Iosua his uerbis: Nisi quis fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei.

Tu.) Tanquã dux. De nostro Iosua Micheas uates: Ascendit enim pandẽs iter ante eos, & trãsibit rex eorũ ante eos, & Dominus in capite eorũ.

Et populus.) tuo imperio subiectus, quem regas ex oraculis meis, ac diuinis responsis, nõ humanis decretis.

Quam ego dabo.) Confirmatio, à promissis diuinis, quæ indicant regnorum mundi uicissitudinẽ pendêre ex arbitrio Dei, non humana uoluntate ac nutu. Vt Daniel his uerbis cõfirmat ad Nabuchodonosorem: Donec scias, quòd dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunq; uoluerit, det illud.

Omnem locum quem calcauerit.) Transito Iordane, sub duce Iosua, angusta Chananæa in hæreditatem cedit Israelitis: duce nostro Iosua, hæreditas amplissima cedet. de qua Petrus, Cœlos nouos & terram nouam, in quibus iusticia inhabitat.

Sicut locutus sum Mosæ.) A' constantia promissorum.

A' deserto Sine.) Termino terræ sacræ meridiano. Explicantur fines Chananææ.

Et Líbano.) fine Septentrionali. Mons est omnium quos Syria habet altissimus, ut medijs aroribus fidus sit niuibus, unde fortasse nomen ab albore niuium adeptus est, ut apud Latinos Alpes.

Et fluuium magnum Euphratem.) Orientalem limitem. Is in Armenia ortus, per Mesopotamiam fluens, in Persicum sinum labitur.

Vsq; ad mare magnũ.) Mediterraneum, quod cæterorum terræ sacræ marium respectu magnũ dicitur, ut sunt ים מלח & ים כנרת. Diuina igitur prouidentia, ut sua cuique genti terra quam inhabitet, tributa est: ita etiam sui termini assignati sunt, quibus quæq; suam ditionem tueatur, ut sunt flumina, maria, montes, solitudines.

Nullus poterit uobis resistere.) Tectis meo præsidio, qui præibo uobis, ut suprà legitur: Dominus ergo Deus tuus præiens tibi, ipse debebit hostes tuos. A' facili cõsolatio.

Vitæ tuæ.) Nam quæ res aduersæ acciderint Israelitis ab obitu Iosuæ, Iudicum liber indicat, Iosua ipso euenturas calamitates prædicente his uerbis: Citò igitur uelociter excitabitur in uos ira Domini, & auferemini ab hac terra optima quam tradidit uobis.

Sicut fui cum Mose.) moderans meo spiritu cõsilia eius, & res gerẽdas. Promissio necessaria gesturo tam difficilem principatum, & in populum tam rebellem. De nostro Iosua uates: Et impositus est principatus humeris eius, in cuius manu uoluntas Domini dirigetur.

Non dimittam te.) Loci suasorij indicãt, unius Dei nutu & ope res feliciter geri.

Confortare.) meo spiritu confirmatus, esto fortis & infracto animo aduersus hostes tuos. De fortitudine nostri sospitatoris uates: Et requiescet super eũ spiritus fortitudinis, contentione animi opus esse, præsertim duci adferendos labores, & res aduersas. Nam ut balistæ lapidum, & reliqua tormenta telorum eo grauiores emissiones habent, quo sunt contenta atq; adducta uehementius, ita animi sunt diuino spiritu confirmati.

Tu enim sorte diuides.) Nemo alius, neq; tale aliquid obstabit tibi, quo minus terram diuidas populo tuo, quale obstitit Mosi. Non tuum aliquod uitium, non populi contumacia, non potentissimi reges, non terra à montibus, uallibus, lacubus, urbibus, in colis fortissimis munita.

Vt custodias & facias omnem legem.) Quam obibis meo spiritu ornatus, de quo suprà: Iosua uerò filius Nunis repletus est spiritu sapientiæ. Coniungit studium legis diuinæ cum rebus prosperè gerendis, quas sine illo non liceat cõficere. Vt autem fatalis fuit successus, quem habuerat Iosua in occupãda Chananæa: ita cõfatale studium legis fuit, in quo uersaretur præeunte spiritu Dei, quo in eum usum præditus tam antea fuerat. De studio suo perficiendæ uoluntatis patris, apud Ioannem Messias cœlestis Iosua: Non quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui me misit. Ad eam perficiendã conceptus è spiritu, & natus ex uirgine fuit. E' spiritu inquam conceptus, de quo

quo Iesaiat: Et requiescet super eũ spiritus Domini. At uerò de discrimine Iosuæ & Christi seruatoris ab ortu, nominibus, muneribus, spiritu, unctio monuerit.

Non declines ab ea.) Ad humana consilia & decreta: quorum tenebræ uiam, in quam feliciter ingrediare, non monstrauerint: legis diuinæ lux monstrauerit, ut sequitur.

Vt intelligas cuncta quæ agis.) Hebræus: Vt prudẽter te geras, quocũq; perrexeris. Interpretes pro תשכיל uertũt תצליח, Vt prospere res geras. Prudentia enim duce res fœliciter aguntur, imprudentia infeliciter. Similiter paraphrastes, יבריך דתצליח. Græci, ut noster, pro הלך proficiscendi uerbo πορεύσῃ reddunt. Locus memorabilis, luce legis diuinæ prælucente prudentiam res prosperè gerendi formari: non prælucente uerò, imprudentiam ac stultitiam omnia perdentem. Locus exemplis illustrandus est.

Non recedat ab ore tuo.) Magistratus munus esse, celebrare Deum ex legis diuinæ præscripto: & populum in officio suo, quod lex præscribit, retinere. Nam magistratus minister legis, & animata lex habetur. Duo ergo debet expensa habere magistratus: unum, ut cõsideret quo munere fungatur: alterum, ut cogitet se id munus à Deo habere, qui natura Dominus sit, cum principes precariò Domini sint, quos Deus Dominus omnium de dignitate facilè deijciat.

Sed meditaberis.) Animo & ore tractãdam legem Dei. Nã הגיון cogitatio est, & meditatio, quæ animo per fidem pertentatur, ac uoluitur, ut patet ex illo רחגיון לבי. Hinc illud prophetæ mutuatũ: Et in lege eius meditatur dies, noctesq;.

Vt custodias & facias.) Ad amplificandam gloriam Dei, qui finis intelligentiæ legis, & eius obitionis est. Quam re hæc considerãda sunt: legislator, ij quibus traditur lex, cognitio legis per lucem fidei, opera ac facta, demum beneficiorum usus, qui in amplificando Deo & benemerendo de altero atq; in ipsis præmijs cernitur.

Tunc diriges animam.) Ἀ commodo. Hebræus תצליח, id est, prosperè iter tuũ facies. In itinere consilia, studia, facta notantur: omnia feliciter, quæcunq; aggrediere, cuenient tibi, persequenti legem Dei per spiritum diuinum. Sic etiam in citato Psalmo uates: רבל אשר יעשה יצליח. Contrà habent impij.

Confortare.) Repetuntur loci hortationis confirmandi causa.

Noli metuere.) De malo, quod tibi pernicem afferat: qui tempore hoc bellico, auxilio & ope, cui nemo resistat, tectus sis, ut sequitur.

Quoniam tecũ est Dominus.) Qui & uelit & possit te iuuare, cuius uim ac robur hostes sustinere nequeãt. Quæ præsidia securos & fidentes efficiunt, cum uidelicet aut hostibus nostris uires lædendi nos deesse: aut si non desunt, amicos tamen nobis esse, quorum præsidijs ac openiti aduersus inimicos nostros liceat, intelligimus. Coniungitur hic locus facultatis cum uoluntate.

Præcepitq; Iosua.) Monitus sic oraculo Dei, sine quo diuinum ducem nihil agere fas erat. Nam suprà legitur in Numeris, ut Iosuæ mandatum sit, quomodo omnia ex sententia Eleazaris sacerdotis, ut Deum consuluerit, agat. Ne, ut nonnulli arbitrantur, hoc ad Israelitas mandatum Iosuæ, humanum, non diuinum fuisse, statuamus.

Præparate nobis cibaria.) Præter Mãnam, de reliquo quoq; cõmeatu cura geritur. Nã Manna non prius desiit deplui, quàm cœptũ est terræ sacræ frugibus uesci, ut infrà ex capite quinto patet: ne quis unà cum Mose expirasse Mannam putet.

Quoniam post diem tertium.) Dicas, septem dies numerari ab hoc Iosuæ mandato, usq; ad transitum Iordanis: quatuor nimirum, ut minimum, dies quibus missi exploratores redierũt in castra: & deinde tres dies, quibus motis castris uersati sunt ad ripam Iordanis, antequam hunc traijcerent. Sacra historia non semper in narrando ordinem rerum gestarũ seruat. Itaq; intelligẽdum erit hic, iam reuersis exploratoribus præcepisse Iosuam Israelitis, ut in tertium diem essent parati. Huius anticipationis exempla multa occurrunt in sacris literis, de quibus in superioribus libris meminimus.

Rubenitis quoq; & Gaditis.) Videris in Numeris.

Vxores uestræ.) Vt ad arma & bella ineptæ, & genitæ quæ domi liberos & rem familiarem curent, res foris gerendas uiris permittãt. Quòd & Græcus uates indicat:

Ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα, τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε.

Et filij uestri.) ætatem militarem nondum nacti.

Ante fratres uestros.) Iosuam quidem diuidere hæreditatem: sed armatis & inter se per charitatem mutuam operam nauãtibus, uelum deponendum.

Requiem dederit.) Hæc opponitur exilio Aegyptio, peregrinationi Arabiæ, tot bellis cum infestis gentibus gestis. Mystica ratio, pijs manifesta.

Qui contradixerit ori tuo.) De nostro Iosua legitur illud: Si non crediderit is quòd ego sum, moriemini in peccatis uestris.

IN CAPVT II.

DE Sethim.) Locus in cãpestribus Moabitarum, apud montem Peorem, ubi populus fornicatus est, cum mulieribus Moabitici generis.

Duos uiros.) Bonos, qui pleni fide infrà denunciant: Tradidit Dominus omnem terrã in manus nostras. Moses duodecim miserat, Iosua duos.

Exploratores.) Qui mœnia, portas urbis, situm, arma, cæteráq; hostium per ocium inspicerent, pro more bellico: qui à Iosua diuina, non humana ratione obseruatus est. Humana ratio omnia tentat uiribus suis, diuina diuino robore & cõsilio. Alterã fides, & Dei oracula: alteram humana prudentia regit. unde altera sæpe fallitur, altera nunquam: ut exempla docent, de quibus mox.

Vrbemq; Hiericho.) A' Iordane stadijs sexaginta distantem, atq; palmetis balsamoq; nobilem. Deinde ut instaurata fuit posteris temporibus, illustris reddita est miraculo Helisæi uatis, à quo illius fons saluber et innoxius factus est, qui antea pestifer fuerat. Accedit ad laudem eius, quod Christus Dominus noster in ea Zachæi publicani hospitio usus est, ut Iosuæ temporibus duo exploratores apud Raabam meretricem diuertere diuino consilio dedignati non sunt. ut uerũ fieret quod sospitator noster dicit: Amẽ dico uobis, publicani & meretrices anteuertent uos in regno Dei. Itaq; sequitur:

Ingressi sunt domum meretricis.) Vt Chananæa terra obscœna libidine perdita fuit, ueluti ex Leuitico licet scire. Sunt qui זונה uertunt cauponariæ. Meretrix placuit Græcis, qui uertũt πόρνης. placuit etiam Apostolo, qui sic dicit: Per fidem Raab meretrix non perijt. Demum etiam mysterio redemptionis improborũ, uox meretrix ualde accommodata est. Notum enim est pijs, qui cũ Thamare, Raaba, Bathsheba, Dauide, meretricibus & adulteris seruentur, & ad quos liberandos mittantur Apostoli exploratores potentiæ principis mũdi, & eorum quos is peccati, mortis, & portarum mortis & inferni ministros habet. Huc pertinet illud seruatoris Christi: Nõ ueni ad uocandos iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Refert quoq; hic expendere, quales fœminæ recenseantur in Christi genealogia, apud Euangelistã. Cæterùm fieri potest, ut hæc Raaba & caponaria & meretrix fuerit. Ad mysterium etiam facit nomen רחב, quod latum est, ac amplum, Ecclesia enim ex gentibus profanis, tanquam oleastro, Israelitis oliuæ inserenda, quàm ampla sit, instituti, etc.

Abscondit.) Instructa diuino spiritu, quo impulsu hoc confessa infrà legitur: Dominus enim Deus uester, ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum.

Nescio, quòd abierunt.) Mentiri nec licuit Raabæ? cum ita odio habeat Deus mendacia, ut uates dicat: Perdet omnes qui loquuntur mendacium. Duplex est mendacium: unum, quod nocendi causa, innocenti dicitur: alterum, quod nullo lædendi animo probos, sed eos liberandi de ui improborum studio profertur. illud semper detestatur Deus, hoc tolerat in bene affectis erga gloriam suam & pios: & uenia non solum non careret, sed præmio etiam ob studium bene merendi de innocentibus, ornatur. Sunt igitur & pijs suæ artes, sui doli: sed boni, nõ mali. Dicas, cur potius Raaba mendaciũ dicendo hostes Israelitas, quàm ciues suos & regem iuuare uoluit, quibus tamen natura docet fauendum esse, & patriam amandã? ut ille dicit:

ἀλλ' ἀνάγκαως ἔχει
πατρίδ' ὁρᾶν ἅπαντες.

Factum hoc Raabæ non ratione humana, sed diuina, ad impiam gentem excindendã, & ad Israelitas amplificandos editũ est. Quod decretũ Dei ineuitabile cum cognosceret Raaba, maluit tempori, id est, diuinæ sententiæ parêre, quàm contra hanc necessitatem frustra fidem erga regem & ciues suos seruare. sic enim infrà ait: Noui quòd Dominus tradiderit uobis terram.

In solarium domus suæ.) Tecta plana erant in usu illis gentibus, in quibus inambulare aut uersari licebat: atq; hæc cum idonea essent rebus exiccandis, legitur hic lini stipulas in eis repositas fuisse, quibus Raaba hospites texerit.

Noui, quòd Dominus tradiderit uobis.) Oratio Raabæ ad exploratores, laudem Dei continens, & hortationem de se redimendã. sed unde nouit traditam terram suorum Israelitis? de argumentis in ipsa scriptione.

Etenim irruit in nos terror uester.) A' signo. Quos terra optima, & tot beneficia Dei non impulerunt ad Dei amorem, immanes calamitas impulit ad metũ: ut quem amare recusassent, ab eo pauore & terrore sint perturbati. Sic uerum est, quod uates dicit: Non est pax impijs, dicit Dominus. Impletur ergo hic, quod per Mosem antea prædictum fuerat: Terrorem uestri, & metum

metum incutiet Dominus omni terræ, quam calcaturi estis. Omnia igitur per fidem cognoscimus hic in Deum autorem referenda esse, pacem, bella, metum, fiduciam, uitam, mortem, regna, regnorumq; mutationes, & omnium in hac rerum natura uicissitudinem. Fortissimis Chananeæ gentibus hic Israelitæ terrori esse dicuntur, quæ ipsi populo Dei, & cæteris nationibus terrori fuerant. Tantam mutationem inclinatione temporum, sub diuinis decretis efficiente.

Et planxerunt.) Metaphora in uerbo נמסו, a cera ad ignem liquescente sumpta. Quorum animi antea ferrei fuissent, iam ceræ modo emolliti traduntur. Ex Raaba muliere igitur discũt exploratores ea, ob quæ exploranda missi à Iosua fuerant.

Audiuimus quòd siccauerit.) Ab exemplis, quæ in dicendo inductionis uim obtinẽt. Cæteras finitimas nobis gentes, Deus propter uos miserè ob flagitia puniuit: Aegyptios, Amalechitas, Amorræos, Ammonitas. Itaque nec nobis parcet, ad summum fastigium scelerum progressis, & olim diuina sententia ad exitium damnatis. Exempla quæ hic affert, ad terrorem excitandum magnam uim habuerunt. Nam recentia erant, & uicina. Pericula enim quæ propè sunt, & impendêre uidentur, metui solent: remota non item, quæ minus formidolosa sunt. Hinc apud uatem Græcum ille de urbis suæ, quòd proximus esset, interitu sic metuere fingitur:

—ὤρσεν γὰρ πόλις ἥδε κατ' ἄκρης
πίρσεσθαι, ἢ γὰρ ὄλωλας ἐπίσκοπος, ὅς τε μὴν αὖτλῳ ῥίσκόν.—

Nec remansit.) לא קמה. Non cõstitisse uigorem animi, sed omnem concidisse. Tropus notus, ut etiam contrarius in אל יפרל לב, uis metus exprimitur, qui ablato uigore animi, omnia languore & tremore membra implet. Hinc Latinus uates,

—Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidus coit formidine sanguis.

Dominus enim Deus uester.) uobis fauens, nobis infestus.

Ipse est Deus.) Non alius, non dij nostri, & cæterarum profanarum gentium.

In cœlo sursum.) Huic Deo omnia parêre cœlestia, terrestria, & inferna. Præclara cõfessio Dei, in gentili fœmina Raaba hic editur. Verũ ergo est, quod dicit Apostolus: Deus non est acceptor personarum, sed in omni gente, qui timet ipsum, acceptus est illi. Remoto uelo, in Amorræis inuenti sunt ueri Israelitæ, ex fide soboles Abrahami: in Israelitis uerò Amorræi, per perfidiã proles Chanaanis. Hæc de Deo professio, qui cuncta regat sapienter, qui impios perdat, & iustos seruet, cuiusq; potẽtiæ nemo reluctetur, ut inscripta est in omnium animis, ita etiã gentiles uates eam confirmarunt. Sic enim de Deo poeta Latinus:

—O' qui res hominumq; Deûmq;
Aeternis regis imperijs, et fulmine terres. Item:

—Hominum sator atq; deorum.

Quod ex Græco uate expressum est:

— πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

At uerò aliter hæc sententia in piorum animis sentitur, aliter in impiorum. Exemplo est hic Raaba, & impij Amorræi. Hi ueritatem per iniustitiã detinebãt in animis suis: illa per iustitiã, quæ fidei Apostolo etiam teste erat. Qualis autem fides fuerit in Raaba, puerilis ætas, in quã spiritus timoris uulgò, non adoptionis cadebat, satis declarat. Hic igitur clarè ostenditur, ante prædicatum & cognitum Euangelium de Messia, antecedere in electis ex gratia electionis quandam diuini spiritus uim, qua illi de potentia, sapientia & bonitate Dei bene sentiant, eiq; se occultò instinctu credant. Atq; hanc uim sacræ literæ metum Dei ac timorem uocant, & principium sapientiæ faciunt, ut in quo semina fidei de Messia contineantur. At de hac re aliâs. Cæterùm præclara sentẽtia Raabæ de Deo hæc continet. Primò, numen diuinum esse, à quo cuncta naturam, uitam, & motum accipiant. Tale enim sonat יהוה. Hinc illud Apostoli: Per ipsum enim sumus, uiuimus, & mouemur. Deinde hoc numen diuinum esse Deum Israelitarum, hoc est, piorum, sacra sua oracula colentium, non impiorum. Qua in confessione Raaba & bonitatem & iustitiam Dei commendat: bonitatem quidem, quam erga electos suos declarat: iustitiã uerò, quã in sui fœderis hostes exerceat, de eis, cum scelerũ mensuram implerint, pœnas repetens. Vt hanc ipsam Dei iustitiam Raaba hic comprobat, allatis de extinctis hostibus exemplis. Demum potentiam & sapientiam Dei celebrat, cum omnia ab hoc sapienter in cœlo & in terra administrari dicit: & ei ita supera & infera parêre, eiusq; ex nutu atq; arbitrio pẽdere, ut nihil sit in hac rerũ uniuersitate, quod imperio eius possit resistere. Confitetur enim, Deum supernè in cœlis uersari, & infernè in terra, omnia quàm longè lateq; mundus patet, summa sapientia regere atque gubernare. Quæ omnium sanctorum de Deo testificatio est. Sic apud uatem Iesaiam de amplitudine prouidentiæ suæ Deus: Cœlum sedes mea, terra scabellum pedum meorum. Item: Quæcũq; Deus uult, facit

in cœlo & in terra. Et cum hæc Raaba Deo tribueret, & in eo agnosceret iam imminere tempus disperdendi Chananæas gentes fatale, in hũc qui sequitur modum petitionem instruit.

Per Dominum.) Nõ per deos uanos gentis meæ: per Dominum, inquam, qui tanta in Aegypto, in mari rubro, in solitudine, in perdendis regibus Amorræorum ostenta pro uobis edidit. Hunc ego Dominum inter impias gentes uobiscum colo: per hunc, non per alium, ut iuretis, uolo. Exemplũ datum fidei in muliere gentili: quæ, quam salutem illi pararit, mox intelligemus.

Vt quomodo misericordiam feci.) Ab æquo. Nam natura docet, gratos nos in eos debere esse, qui de nobis benemeriti sunt. Et hospitalitatis ius per ingratitudinem uiolandum non esse, ut etiam ille apud Vatem docet:

ὄφρά τις ἐξέγνωι τὸν ὀφιγόνων ἀνθρώπων
ξεινοδόκον κακὰ ῥέξω.—

Cum domo patris mei.) Pietatis in parentes, fratres, sorores, & reliquam familiam, exemplum.

Detisq; mihi uerum signum.) Certũ signum sibi exhiberi postulat, quo admoniti exploratores, liberent ab interitu se & familiam suam. De quo signo paulo pòst.

Demisit ergo eos per funem.) Iam iuramento sibi obstrictos, prouidẽtia diuina, quæ nec mulieris industriam, nec loci commoditatem neglexit. Nam ut salus sacri populi fatalis fuit, ita & ea quæ ad eam perficiendam conferebant, con fatalia fuerant. Nihil igitur temerè, casúq; fieri existimare debemus. Eadem prouidentia Dei, apostolus Paulus Damasci sub noctẽ sporta per murum demissus fuit, ut euaderet insidias Iudæorum: Deo neq; noctis, neq; muri, neq; sportæ, neq; fratrum industriæ occasionẽ aspernante: ut hic nec prudentis mulieris consilium, de quo sequitur, aspernatus est.

Ad montana coascendite.) de uia, à uia regia, & ab hominibus teri non solita. Sacri exploratores in montanis seruantur, profana Hierichunte in imo posita pereunte. Huc pertinet admonitio Domini: Et qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Mundi persecutoris pericula qui fugient, expendant illud Apostoli: Superna quærite, ubi Christus est, ad dexteram Dei sedens.

Innoxij erimus.) A iuramẽto liberi, eoq; non tenebimur: neq; si seruatum minus fuerit, id fraudi nobis fore. Tale sonat בסיים משבעתך. Cauent probi exploratores occasionem perfidiæ, ne sacrum nomen Dei, per quod iuratum fuerat, magno opprobrio gentis Israeliticæ uioletur, cum etiam profanæ gentes periurium impunitum nõ relinqui à Deo iudicent. Veluti monet apud Græcum uatem, Græcorum ille rex:

ὃ γὰρ ὠμὸν ψεύσεσι πατὴρ ζεὺς ἔσετ' ἀῤῥωγος.

Item:

αὐθρώπε τίννυσθον, ὅ τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

Signum non fuerit.) Exponitur signum quod postulauit Raaba. Satis firmum & certum signum, si rem adumbratã spectes. Rubor enim coci, quem salutarem ruborem nobis designet, declarat sanguis Christi, uindex & assertor piorum. Sic in Aegyptio exitu postes & superliminaria coccineo cruore agni aspersa, Israelitas seruarunt, Aegyptiorum primogenitis perditis. Hoc salutare coccinum est, de quo illud: Lauit nos à peccatis nostris sanguine suo. Itaq; coccinum coccino purgatur. Nam & coccino peccatum comparatur, ut est apud Prophetam: Si fuerint peccata uestra ut coccinum. Sed id mirum non sit. Legimus enim de hoc coccineo fune: Peccatum factus est. Is ergo funiculus coccineus unicum illud est sacrũ signũ, quo ut in Hierichunte perdita omnibus flagitijs Raaba, cum familia sua ab interitu uindicata est: ita Ecclesia, cũ sobole sua in mundo hoc corrupto omnibus uitijs, seruatur suo coccino, ne cum eo & principe eius Satana disperdatur. Cæterùm תקוה, est de significatione תר, funiculum sonat, quem hic ex filis coccineis contextum fuisse indicatur. Videtur funiculus fuisse, quo demissi fuerũt exploratores de fenestra: ut eodem fune dicatur Raaba conseruata, quo illi ex periculo euaserunt.

Congregaueris in domum tuam.) Quid id sit, declarat Ecclesia, extra quam nulla spectatur salus in hoc mundo. Eódem referenda arca Noæ.

Tradidit nobis omnem terram.) Secus exploratores, quos Moses miserat, denunciarant: Hunc populum adoriri non possumus, quia fortior nobis est. Consilium Dei in tempora referendum est. Legimus suprà in Genesi: Nondum impleta est iniquitas Amorræorum. quam hic impletam cognoscimus. Deinde certæ sunt uices deiectionis populi sacri, et eius amplificandi, in tabulis decretorum Dei scriptæ. Quas quia seruari oportuit, alia responsa exploratorum, quos Iosua: alia eorum quos Moses misit, fuere: ut etiam alia ratio Iosuæ, alia Mosæ fuit: alia temporum Mosæ, alia temporum Iosuæ.

IN CAPVT III.

PEr tres dies.) De quibus suprà: Quoniã post tertium diem transibitis Iordanem. An tea

rea igitur de Sethim loco uicino Iordani missi fuerant exploratores, quàm Iosua relicto cãpo Moabitico his tribus diebus expletis, Iordanem ex mãdato Dei traiecit. Describitur transitus admirabilis, in quo hæc expendenda ordine fuerint, Iosuæ status, & munus Israelitarum, & eorum consecrationis ratio, arcæ & sacerdotum qui eam portarunt notatio. Quod de sicco alueo, & per eum transitu, de duodecim lapidibus ex alueo selectis Dei consilium. De singulis ordine.

Arcam fœderis.) In qua fœderis liber positus erat. Deuteronomium inquam. fœderis diuini leges continens, quem librum Moses iussus fuit in arca reponere: ut suprà in Deuteronomio, his uerbis ostenditur: Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei uestri. Quæ arca, quã non ueteris fœderis lege, sed noui insignem arcã propitiatorio Christo tectã repræsentet, declarãt prophetæ & noui fœderis scripta.

Domini Dei uestri.) ad arcam oracula rem præsentis.

Et sacerdotes.) fœderis expositores, & placatores Dei uestri erga uos. Inde igitur delecti sunt, qui arcam humeris suis impositam portarent. Quod quid sit, norunt, quibus cœtus sanctorum cura demandata est. Leguntur hic arcam portasse sacerdotes, in qua hæc tria posita fuerunt, legis uolumen, manna, & uirga, quæ floruerat, Aaronis. Quæ quid significent, & quorum administratio ut ad sacerdotes pertineat, nihil interierit admonere. Deposito uelo, de arca quam portant sacri oraculorum noui fœderis ministri, occurrit illud: Incumbens mihi quotidiana cura omnium Ecclesiarum. et de manna, quam cum arca ferunt illi ijdẽ, Manna ipsa cœlestis: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. De cuius portando nomine, in Actis: Vt portet nomen meum coram gentibus, et regibus, & filijs Israel. De uirga uerò Aaronis, hoc est, regio & sacerdotali sceptro, cœlestis Aaronis Christi, ut hoc in arca, hoc est, Ecclesia electorum repositum sit, declarat Petrus: Vos autem genus electum, regale sacerdotium.

Et sequamini.) Arcam tegente propitiatorio, uobis tanquam duce præeunte. De nostro propiatorio præcedente sanctorum Ecclesiam in medijs afflictionibus, ipsum de se, his uerbis: Si quis uult ad me uenire, tollat crucẽ suam, & sequatur me. quod est hic, arcam quam portẽt sacerdotes, per Iordanem sequi Israelitas.

Sitq; inter uos & arcam.) Ob maiestatem Dei præsentis ad arcam oracularem, ad quam non liceat Israelitas propius accedere: dum sunt in mortificatione carnis, quam transitus Iordanis significat. Hinc illud submota figura Apostoli: Quis me liberabit à corpore hoc, morti & peccatis obnoxio, ut esse posim cũ Christo? Item: Cernimus hic per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quod spacium inter nos, in hoc mundo uersantes, & Deum ipsum, duûm millium cubitorum interuallum significare, doctis spiritu Dei hominibus uidetur.

Sanctificamini.) Per continentiam & precationem, ad tantum miraculum spectandum uos componentes, & sublatis sarcinis ad transitũ præparantes. Nõ enim profanorum hominũ transitus Iordanis est, sed sacrorum. de quo mox. Nã hic mysterium pœnitentiæ, hoc est, mortificationis ueteris hominis, & innouationis noui, ad sanctitatem agitur.

Et ait ad sacerdotes.) Interpretes monẽt, tribus locis à sacerdotibus portatam arcam. Primò, in transitu Iordanis: deinde, in circuitu Hierichuntis: tertiò, cum fugisset Dauid Absalonem. Vbi sic legitur secũdo Regum cap. 15. Portarunt ergo Sadocus & Abiathar arcã Dei Hierosolymã. Sed etiam quarta uice leguntur sacerdotes arcam tulisse, cum eam de ciuitate Dauidis in templum, à Salomone recens ædificatum, transferrent. Hæc est arcæ & sacræ terræ dignitas, & splendor Sionis montis, ut tantum munus non alij quàm sacerdotes Dei obeant, cæteris non admissis. Reducto uelo, ueritas nota est.

Hodie incipiam exaltare te.) Te duce diuisurus aquas Iordanis magno ostento, ut antea aquas maris rubri, diuisi coram Mose, ut augustus habeare ab Israelitis tuo imperio subiectis. sicut infrà legitur: In die illa magnum fecit Dominus Iosuam coram omnibus Israelitis, ut metuerẽt eum, sicut metuerãt Mosem. hoc est: Eam autoritatem & fidẽ ei tribuerẽt, quã imperatoria dignitas requirit. De nostro Iosua Apostolus ad Philippenses his uerbis: Quapropter Deus illũ in summã extulit sublimitatẽ, & donauit illi nomẽ, quod est supra omnia nomina. Est igitur גדל augustũ & amplũ reddere. Amplitudo ad Imperatorem, cui populus paret, pertinet, quæ est potẽtiæ & maiestatis abũdãtia. Cæteri imperatores humana ratiõe ampli reddũtur, Iosua diuina. Et si nostrũ spectes, occurrit amplitudo & splẽdor imperij, de quo is ipse cũ traiecisset p alueũ sui Iordanis: Mihi data est potestas omnis cœli & terræ. in qua potestate cerni tur maiestas, de qua Vates: Qui collocasti דרך, id est, dignitatẽ ac amplitudinẽ tuã supra cœlos, confecto uidelicet crucis stadio, ut idem Vates

in eo,

in eode Psalmo: Paulo minorem feciſti eum angelis, gloria & ſplendore coronaſti eum. Figura igitur in Ioſua, hic cernitur: res ipſa, in Chriſto ſeruatore.

Cum ingreſsi fueritis partẽ aquæ.) Similiter Græci נזד uertũt, ὑδὶ μόρους τοῦ ὕδατος τοῦ. Qui expendunt id quod infrà legitur: Stabant in ſicco alueo, in medio Iordanis. In medium Iordanem progreſſos ſacerdotes: & ibi cõſtitiſſe, dum totus tranſiret populus. Alij נזד, de altera ripa, qua exibatur, interpretantur: & ibi ſacerdotes cum arca intra Iordanem manſiſſe, donec traijcerent Iſraelitæ.

Accedite huc..) ad arcam fœderis, diuinarum concionum ſtationem.

Verbum Dei ueſtri.) Orationem plenã conſolationis, qua opus habebant in tanto ſuſcipiẽdo opere.

Deus uiuus.) perenni & immortali uita, à quo omnia uitam accipiunt in Meſsia. In hac uita cernuntur, quibus Deus excellit: iuſticia, bonitas, ſapientia, ueritas. Facilium loci exponuntur in ſcripto.

Et diſperdet.) Iam ſcelerum Amorræorũ menſura impleta, ubi tria expenduntur: unum, cõſtãtia oraculorum Dei, quib. nihil decedat, quæq; mutari nequeant: alterum, iuſticia eſt, qua impij cum improbitatis menſuram impleuerint, plectũtur: tertium, bonitas & ueritas, quæ erga iuſtos declaratur, in eorum conſeruatione & uindicatione, ab iniuria flagitioſorum hominum. Itaq; Deus ἐκδικος uocatur, qui pro ſua æquitate, ſuum cuique præmium aut ſupplicium, certa iudicij ſui lege, quæ neq; fallatur, neq; uitetur, diſtribuat. Vnde is etiam ἀδροδόκα dictus. Cæterùm nominat hic ordine ſeptem gentes, iam olim exitio in Chanaane deſtinatas: Maledictus Chanaan.

Ecce arca fœderis.) Quã delegi, in qua uerſarer ad uos tuendos, & ad omnem infeſtã uobis uim propulſandam: qui dominatum in omnia habeo, in reges ac principes terræ: in maria, flumina, aerem, ignem, & in reliqua. Neq; id mirum cuiquam uideatur. Iure enim quiſq; eorum dominus eſt quæ ipſe fecit. Iam uerò quæ in mari, in terra, in cœlo ſunt, Deo opifice fiunt, & rectore. de quo uates: Qui fecit cœlum & terrã. Locus is ad confirmandos animos ſpe, de tranſeundo Iordane, & uincendis hoſtibus, offertur: qui prophetis eſt uſitatus.

Aquæ quæ inferiores ſunt, decurrent.) Narratur miraculoſa exiccatio aluei Iordanis. Huius aquas ſupernè defluentes conſtitiſſe, mole una inſtar muri. Infernas decurriſſe in mar ſalſum, atq; ita medium alueũ diuina ratione exciſum, latum tranſitũ præbuiſſe Iſraelitis. Idem accidit mari rubro à Domino, niſi quòd hoc utraq; parte muri modo conſtitiſſe legitur: eo maris, non fluminis naturam tenente. Ex hoc ſigno intelligimus, omnia in hoc mundo Dei prouidentia eò ſpectare, ut iuſtos ſeruent, iniuſtos perdant. Exemplo eſt diluuium, incendium Sodomæ & Gomorræ: mare rubrum, delens Pharaonẽ cum ſuo exercitu, & ſeruans Iſraelitas: & hic Iordanis tranſitum permiſit Iſraelitis, præeunte arca Dei, qui alios abſorpturus fuiſſet. Tanto diſcrimine dirimũtur pij ab impijs, filij Dei ab alienis. At diſcrimen hoc, non natura, ſed liberalis beneuolentia fœderis diuini efficit, ut hic legimus: Ecce arca fœderis Domini omnis terræ, &c.

Igitur ingreſſus eſt populus.) Cum paruulis & iumentis ſuis, promiſſis Dei iam perfidẽ animatus, contra iudiciũ naturæ. Vt antè eadẽ fide confirmatus, mare rubrum tranſierat. Vt habet Apoſtolus: Per fidem tranſierunt rubrũ mare.

Iordanis autem ripas.) Vt ſolent flumina niuibus in montibus liqueſcentibus augeſcere, magnisq; nutrimentis creſcere. Documento eſt Euphrates, Ganges, Nilus: & in Germania noſtra, Rhenus atq; Danubius. In menſe autem Martio traieciſſe Iordanem, infrà ſcribitur, quo tempore meſsis hordeaceæ fieri in Palæſtina cõſueuit, ut alijs locis indicatum. Hinc is menſis uocatur menſis nouarum frugum. In Paralipomenum libris legimus, ut Iordanis auctus fuerit aquis, in Martio menſe Gaditis illum tranſeuntibus, opitulatũ Damuidi. Amplificatur miraculũ, quòd dicitur, eo tempore exiccatus alueus Iordanis, quo is abundauit aquis, & pleno alueo fluxit.

Et ſteterunt aquæ.) Contra naturã fluuiorum: ſed non contra uoluntatẽ eius qui fluuios & omnem hanc rerum uniuerſitatem, ut cõditor, in poteſtate ſua habet. De quo illud: Deus qui poſsidet cœlum & terram.

In mare ſolitudinis.) de more exonerantibus ſe fluminibus in maria. Varia ſunt nomina huius lacus. Aſphaltite, à bitumine quod gignit: mare ſalſum: mare ſolitudinis, à ſolitudine uicina Arabum. Is lacus, terminus Sacræ terræ orientalis eſt. Num. 34. Cæterùm de ſitu, magnitudine, & memorabilibus huius maris, ex hiſtorijs aliàs.

Omnisq; populus per arentem alueum tranſibat.) Baptiſatus in Iordane, ut antea in mari rubro, & in nube, in Moſem baptiſatus fuerat. Submoto uelo, qui tranſitus per aquas,

quas, patefaciat ueris Israelitis aditum ad cœlestem hæreditatem, satis pijs notum. In aqua nota ntur duo. alterum, purgatio est: alterum, tribulatio & afflictio. ut est apud uatem: Et assumpsit me ex aquis multis. item: Transiuimus per ignem & aquam. Sic habet regeneratio, in qua eadem illa cernuntur: mundatio, & crux uaria. De mundatione, quæ aquis spiritualibus constat, legimus illud: Lauamini, mũdi estote. item: Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion. sed per quas aquas? Sequitur in eodẽ Propheta: In spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Aquis uidelicet baptismi, de quibus Ioannes: Ipse uos baptizabit spiritu & igni. De afflictionibus autem, quas affert regeneratio his aquis constans, & transitus per eas, satis admonet mortificatio ueteris hominis: quæ quas molestias afferat, norunt qui partẽ in regeneratione habent. Hinc Dominus noster baptismi aliquoties nomine, calamitates & crucem accipit: Baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini. At quoniam uincuntur afflictiones per fidem sanctorum, ut hæ nõ solum non impediant aditum ad supernam hæreditatem, sed eum etiam patefaciant, iuxta illud: Beati qui persecutionem patiuntur. item: Beati qui lugent. Legitur hic, Israelitis aquas cessisse, & per siccum alueum eis iter ad Chananæam patuisse. Itaq; ad figurandam liberationem Ecclesiæ ex afflictionum aquis, legimus Noe arcam ex aquis euasisse, & Israelitas ex maris rubri aquis emersisse, & hic eosdem illos Iordanem integros transijsse.

Accincti.) Parati, ad nutum uidelicet, & arbitrium Dei, præsentis ad arcam. Legitur, omnes Israelitas traiecisse Iordanem. quid hoc ipsum sit, declarat noster Iosua his uerbis: Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit.

IN CAPVT IIII.

Duodecim uiros.) In hoc loco explicando, uirorũ duodecim lapides ex alueo Iordanis extrahentium, lapidumq; ipsorum ratio considerandæ fuerit, & ea ad mysterium quod patefaciunt prophetæ, & noui fœderis scripta accõmodãda. Hi lapides nobis, submota figura, lapides illos, ex quib. cœlestis ciuitas extructa est, repræsentãt, de quibus Petrus his uerbis: Ipsi quoq; uelut uiui lapides ædificemini domus spiritualis. quorum numerus duodenario numero per mentionem gemmarum à Ioanne concluditur. De quibus etiã Iesaias: Sternam per ordinẽ lapides tuos. sed quos lapides? Subijcit inibi idem uates: Vniuersos filios tuos doctos à Domino. Itaq; lapides ex aquis, quæ sanctis notæ sunt, ministerio doctrinæ per duodecim Apostolos extracti, quoniam æternum sunt monumentum mirifici operis regenerationis, quæ transitu suo per aquas conficitur, dicuntur hic certa figura duodecim lapides, à duodecim uiris ex sicco alueo Iordanis selecti, qui tam admirabilis ostenti monumentum ad posteros forent. Nec mirum, lapides in eum usum destinatos fuisse, ut in quibus grauitas omnia obterens, duricies, firmitas cernatur temporis iniuriam uincens. Talis est petra illa, fundamentum ædificij spiritualis, & lapis ille angularis, de quo Vates: Lapis quem reprobauerunt, factus est in caput anguli. Tales sunt uiui illi lapides in angulari illo lapide ferruminati, quos nulla uis consumit, de quibus uates: In æternũ conseruabuntur. Ad arcanam significationem referenda fuerit huc ratio generationis lapidum, in qua hæc spectantur: Locus, materia, causa efficiens, quæ solaris lucis uis est, genitalem halitum excitans in locis ipsis ad lapidum genituram aptis. quæ de re in Physicis.

Steterunt pedes sacerdotũ.) cum arca. Submoto typo, occurrit illud ex uate: Quàm speciosi sunt pedes Euangelium pacis denuncian tium. Ad quos pedes qui lapides parentur, admirãda Dei opera celebrantes, docet Petrus his uerbis: Vt uirtutes prædicetis illius, qui è tenebris uos uocauit in admirabilem suam lucem.

Quos ponetis.) התחתם uerbum, in quo quies notatur, nequaquam oscitanter hic prætereundum.

In humeris uestris.) Quos lapides duodecim noui fœderis ministri, de Ecclesia electorum selecti, portent super humeros suos, ex suis aquis extractos, dum requiem in promissa hæreditate consequantur, ministerium ac munus ipsorum satis docet.

Vt sit in signum inter uos.) ut par est, publica beneficia publicis monumentis ad gratulandum consignari.

Alios quoq; duodecim lapides.) Hi lapides, quos repræsentent lapides de redemptionis opere in medijs afflictionum huius mundi aquis testificantes, declarat illud: In mũdo afflictionem habetis, bono animo sitis, ego uici mundum.

Et sunt ibi usq; in præsentẽ diem.) Referunt interpretes ad tempus scriptoris, quem alij Iosuam, alij unum aliquem prophetarum, alij Esdram uolunt fuisse.

Donec omnia complerentur.) quæ de lapidibus transferendis, & transitu populi mandata fuerant.

Et dixerat ei Moses.) De transeũdo Iordane.

dane. Sunt qui referunt ad ea, quæ legitur Moſes in Deuteronomio mandaſſe Ioſuæ de lapidibus erigendis in Hebale monte, à Iordanis traiectu. At uerò quam rectè ſentiant, licet cognoſcere ex ipſo ſcripto.

Feſtinauitq; populus.) Tranſitus enim erat horribilis, propter oſtentum: & magna uis hominum quæ traijceret, aderat, uicmaq; hæreditas ad feſtinandum incitabat. Sic enim natura comparatum eſt, ut quo quiſq; propius abeſt à fine expectato, eo magis properet ad eum aſſequendũ. Certa figura admonet nos Iſraelitarum feſtinatio, ut nos quoq; in noſtri Iordanis tranſitu moram non faciamus: ſed in eo baptiʒati, deponendo ueterem hominem, & induendo nouum, ad propoſitam nobis in cœlis hæreditatem, plenis greſſibus contendamus, expendentes illud Chriſti: Nemo qui manu ſua admota aratro reſpexerit à tergo, aptus eſt regno Dei.

Pergebant ante populum.) Vt tranſiſſent Iordanem: aut præteribãt populum, ei præituri, iam tranſito Iordane.

Armati præcedebant.) Implentes uaticinium Iacobi, de quo Gen. 49. & quæ de Gadinis prædixerat Moſes cap. 33. Quæ militaris ac bellica laus remanſit in hac tribu, etiam poſteris temporibus. de qua in libro Paralipomenon priore, cap. 12. his uerbis: Viri fortiſſimi, & rei militaris pertiſſimi, tenentes clypeum & haſtam, facies eorum quaſi facies leonis, & ueloces ſicut capreæ in montibus. Armati hic dicuntur præceſiſſe, ſed qui Domino duce uicerint, ut infrà legimus, cap. 23. ſic confitentem Ioſuam: Vosq; cernitis omnia quæ fecerit Dominus Deus ueſter, cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro uobis ipſe pugnauerit.

In die iſto magnificauit.) Ioſua duce exiccato alueo Iordanis, cuius oſtenti hic bipartitus uſus cernitur: unus, quo Ioſua dux auguſtus redditus eſt: alter, quo amplitudo potentiæ diuinæ apud cunctas gentes inclaruit. de quo mox infrà: Qui eſt finis ille & extremum omnium præſtantium operum Dei, ut is celebris fiat in toto terrarum orbe.

Vt timerent eum.) Requiri in magiſtratu dignitatem, hoc eſt, dignam honore autoritatem. Intelligunt & profani uates regũ, à Deo ſuã dignitatem confirmari, quo à ſubditis metuantur. Sic Græcus ille uates reges διοτρεφεῖς appellat, & eorum ſplendorem ac poteſtatem à Deo proficiſci dicit:

σκηπτοῦχοι βασιλεῖς, ὥς τε ζεὺς κῦδος ἐδωκεν.

Sicut timuerunt Moſem.) De quo metu, quem ſciſſum mare rubrum intulerat, in Exodo his uerbis: Et uiderunt Aegyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitq; populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moſi ſeruo eius. Hanc autem ſuam autoritatẽ tuentur duces, ſi legem obeant Dei, ut ſuprà legitur: Non recedat uolumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die & nocte. Tunc enim proſperũ reddes iter tuum.

Aſcendite de Iordane.) Sacerdotes primi deſcendunt in profundum Iordanis, & ultimi aſcendunt, ſe pro periculo populi & primi & ultimi opponentes. Reuocanda hypotheſis ad theſin, hoc eſt, ad locum communem.

Populus autem aſcendit de Iordane.) Reſpicitur altitudo ripæ, & Iordanis profundum, atq; terræ ſacræ ſublimitas. Deponendum uelum.

Decimo die menſis primi.) expleta iam quadraginta annorum peregrinatione. Hinc ſupputant interpretes, Moſem ſeptimo die Februarij, qui Adar dicitur, anni quadrageſimi, obiiſſe. Hic enim legi, decimo die menſis primi, qui eſt בניסן, hoc eſt, Martius, aſcendiſſe populũ de Iordane. à quo tranſitu ſi tres dies (de quibus ſuprà in hunc modum: Præparate commeatum, quoniã expletis tribus diebus, tranſibitis Iordanem) & triginta dies quibus luxere Moſen, retro ſupputaueris, in ſeptimum Februarij diem anni quadrageſimi incidere obitũ Moſæ. Volũt enim, nõ prius iuſſum Ioſuam, ut Iordanem traijceret, quàm tempus lamentationis eſſet finitum. In quam ſententiam uidetur inclinare Ioſephus libro quinto Iudaicarum antiquitatum. Nam tradit, Moſe mortuo, quem uitæ in Februario defunctũ dicit, & luctus tempore expleto, à Ioſua præceptum populo, ut ſe ad tranſeundum Iordanem pararet.

In Galgalis.) De loco infrà. Clarus is eſt prima caſtrametatione à tranſitu Iordanis, & repetita circumciſione, de qua mox. Illuſtris item Peſa, quòd in illo loco primùm ingreſſi in Chananæã Iſraelitæ celebrarũt: nec non & clarus tabernaculum Moſaico, quod cum arca longo tempore Silunte, quæ eſt in Galgalis, ſedem ſuam tenuit. In quo etiam loco Saulus primus Iſraelitarum rex creatus eſt.

In mari rubro.) De quo opere Vates: Intterrupit mare, & perduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi in utre. Vnde nata eſt hæc ſententia apud eundem Vatem: Omnia quæcunq; uult Deus, facit in cœlo,

cœlo, terra, & mari. Quam ob sententiam declaratam tot signis, non habent gentes ullæ quòd dicant, ignoratum sibi esse numen Dei, quod Israelitæ colũt, & suos deos uanitate carere, ut sequitur.

Vt discant omnes terrarum populi.) per ingenitas in ipsorũ animis notiones de Deo, & excitatas tantis ostentis, quæ Deus pro suis ad amplificandum nomen suum exhibet: ut sic patefactus, iustè uideatur de sceleratis pœnas sumere, dũ hoc modo manifestata potentia & iustitia diuina, non solum meliores non redduntur, sed etiam deteriores per contumaciam euadunt. Sic periere diluuio rebelles, temporibus Noæ. Sodomitæ & Gomorræi, tempore Loti & Abrahami. Aegyptij cognito Israelitarum Deo per tot edita signa, in mari rubro temporibus Mosæ. Eadem ratione mox perditi commemorabuntur Amorræi & Chananæ gentes. Idem iudicium manet omnes terrarũ populos, cum potentissimum Dei numen, quod colunt sancti, tot præclaris operibus patefactum, nõ solum non reuerentur, sed etiam damnant: & eos quos Deus amanter amplectitur, atrociter persequuntur.

Fortissimam manum Dei.) suo bono, si hunc sanctè colant, redeuntes ad meliorem frugem: malo uerò, si aspernẽtur, falsum cultum deorum alienorum persequentes

Et uos timeatis.) religiosè colatis ex præscripta uobis lege: ad eum cultum uobis Israelitis, ex tot gentibus selectis ac segregatis. Est enim יִרְאָה, hoc est, metus, hic cultus diuinus Dei oraculis præscriptus.

IN CAPVT V.

COr eorum.) præ metu, quem afferebat conscientia scelerum, uicina pericula, & potentia Dei, fauentis Israelitis, cuius uim cognouerant ex Iordane exiccato. Itaq; suprà: Vt intelligant omnes terrarum populi fortissimam Dei manum, &c. Audiuerunt & antea, Israelitas transisse mare rubrum: sed tantum eo transitu perculsi non fuerunt, quantum hoc Iordanis. Is enim uicinior erat, ille remotior: in altero nondũ fatale excidiũ impiæ gentis aderat, in altero aderat impiorum ceruicibus, impleta mensura improbitatis, imminens, conscientiam pauore exagitante, & præsente periculo metum horribilem incutiente: dum diuina iustitia tarditatem uindictæ, magnitudine pœnæ compensare statuisset. Quo exemplo admoniti impij intelligere debent, sibi securitatem suã in rebus prosperis perniciem afferre, ut res aduersæ pijs salutem apportant. Is enim non dormit, ut eos in periculis deserat: illis expergiscitur, ad perdendum. Stat enim illud: Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israelem. De impijs uerò: Vidi impium exaltatum ut cedrum Libani, &c. Vt exemplo hic sunt Chananæi.

Spiritus.) uigor animorum: hoc est, omnis deliberandi & consilij capiendi uis ac facultas, qualis abesse solet metu perculsis. Itaque Græci pro יִרְאָה, uerterunt φρόνησις.

Filiorum Israel.) Quos contrà animabat fauor Dei, eius oracula, signa edita, hostiũ pauor.

Eo tempore.) Iam uersantibus, transito Iordane, in Galgale.

Cultros lapideos.) Similiter Græci, μαχαίρας πετρίνας. Interpretes cæteri Paraphrastem secuti, cultros acutos interpretantur. צוּר, petram ac saxum propriè notat. Quæ significatio mysterio circumcisionis ueræ conuenit. De petra enim legimus: Petra autem erat Christus. cuius spiritus, ut præputia animorum amputet, sentiunt ij, qui partem in hæreditate cœlesti habent.

Et circumcide secundo.) Priore cœpta fieri solenniter ab Abrahamo, hac altera à Iosua: quæ quam circumcisionem repræsentarit, declarat circũcisio à nostro Iosua, qui Christus est, facta: quæ spiritus, non literæ circuncisio est. Sunt qui hanc alteram circumcisionem conferunt cum ea, quam dicunt confectam eo tempore, quo percussis primogenitis Aegyptijs, Israelitæ iam Pesah erãt comesturi. At de ista amputatione præputiorum, neq; ulla mentio in sacris fit literis, neq; tum susceptam illam ueri ſimile est: uix in ea nocte spacio ad fermentandum panem dato, tantopere ut exirent urgentibus Aegyptijs.

In colle præputiorum.) Videtur spectari forma eius partis, in qua præputia præciduntur, quæ collis modo intumescens eminet. Cæteri de loco Gilgale accipiunt, quem quidam à præputijs in orbem recisis nomen duxisse uolunt.

Vniuersi bellatores.) Qui uiginti annos, aut amplius, nati erant.

Mortui sunt.) Exceptis Leuitis.

Qui natus est in deserto per quadraginta annos.) Qui circumcisi erant, perierunt: non circumcisi uerò, non periere, sed seruati alteri huic circumcisioni, quam conficeret Iosua. Quæ res documento est, quid sacra signa per se possint: & quàm omnis uis salutis in ea re consistat, quæ symbolis significatur. Nec caret arcana ratione primò quòd qui ex Aegypto egressi sunt uiri militares, in deserto omnes obierunt, ad mortem, non ad uitam circuncisi: deinde, qui seruandi erant, & ingressuri in promissam hæreditatem,

non à Mose, sed à Iosua fuerint circumcisi. Consilium huius rei intelligent, qui ueterem hominem cum nouo, Mosem cum Christo, peregrinationem huius mundi, cum quiete noui mundi comparare norunt.

Qui audierunt uocem Domini.) Vt usus sit Deus hac inobedientia, & ad quã rem, notandũ. De eo aliâs. Quî homo in cœlestibus Israelitis regno Dei fruatur, quî non item in hoc exilio, indicat illud Apostoli: Caro & sanguis hæreditatem Dei non accipient. Quare ut in baptismo alter homo in mortem tingitur aqua, alter in uitã: ita idem in circumcisione, quæ ex altera parte respondet baptismo, accidit. De uetere homine legitur: De terra sumptus es, & in terram conuertêre. De nouo uerò: Nostra conuersatio in cœlis.

Horũ filij in locũ successerunt.) Quibus Deus præstaret ad liberandam fidem, quæ de promissa hæreditate maioribus promisisset.

A Iosua.) Non à Mose, iræ, nõ gratiæ: mortis, non uitæ ministro.

In uia.) in qua subinde locus mutandus erat, nõ ex ipsorũ, sed Dei in nube præeuntis arbitrio.

Opprobrium Aegypti.) Præputium cum gererent Aegyptij, profani habiti sunt, ut omnes cæteræ non circumcisæ gentes. Sic de Philistæo: Philistæus iste incircumcisus. Itaq; de more præputium in sacris literis חרפה, id est, opprobrium appellatur. Sicut legitur in Genesi cap. 34. בחרבת חיא לנו. Atqui submoto uelo, ueritas opprobrij cernitur in præputio. de quo propheta: Omnes Israelitæ incircumcisi sunt corde. Cæterùm quid præputium, deq; ratione circumcisionis illius, alio loco.

Et fecerunt Phase.) iam resecto præputio. Nostro Pesa nefas quoq; est uesci, præputium animorum gerentibus. Legitur enim apud Apostolum: Nam & pascha nostrum, pro nobis immolatus Christus. itaq; festum celebremus, non in fermento ueteri, nec in fermento malitiæ & uersutiæ, sed in panibus fermento carentibus: hoc est, synceritate & ueritate. Quod est, animos gerere præputio, prauarum affectionum carentes. Cæterùm quæ in Pesa considerentur, ea de re in Exodo, & in Numeris. Dei curam singularem licet hic agnoscere, quã gesserit pro Israelitis, quod neque ociũ quo in celebrando Pesa Israelitæ usi sunt, neq; uulnera resectis præputijs facta, hostes impulerunt, ut Israelitas per tantam occasionem adorirentur. Sed quid facerent, quos semel ad exitiũ pauor corripuisset, per eum, in cuius potestate regum corda posita sunt?

De frugibus terræ.) Superioris anni. Tale עבור, esse uolũt interpretes, quòd sint anno שעבר, id est, qui præterierit, natæ. Fruges uerò uertentis anni תבוא uocari, quòd sint anni שתבוא. Die igitur altero Pesa uetere frumento usi sunt, quia nouo nõ licebat uesci, priusquã decimo sexto Martij עמר, id est, messis primitiarũ manipulum Deo sacrassent. Is autem decimus sextus dies, alter azymalium dies erat. de quo uide ris in Leuitico.

Die altero.) Decimoquinto Martij, quo etiam die Israelitæ egressi fuerant ex Aegypto.

Defecit manna.) ut non amplius necessaria ad uictum. De mannæ natura, collectione, usu, aliâs.

Cum autem esset Iosua.) Confirmatur de nouo Iosua, iam hostes aggressurus. In qua confirmatione uiri à Domino missi, gladius strictus, dominatus, locus, & pedes Iosuæ nudati, expendendi fuerint.

Virum stantem.) non iacentem, neq; sedentem, qui iam accinctus esset bello: ut sequitur. Is uir bellum cum hostibus suis gesturus, stare dicitur: in throno, cum sententiam fert, sedere. ut est apud Danielem: Aspiciebam, & throni positi, & antiquus dierum sedit. Item Iesaias uidit hunc sedentem in solio sublimi. Similiter Amos uidit Dominum, non sedentem, sed stantem: uti iam ultionem sumpturum de rebellibus.

Euaginatum tenentem gladium.) ad defendendos, & excindẽdos hostes. Is gladius alio loco ex ore illius utraq; parte acutus exire dicitur: & idem oculos flammeos, pedes tanquã in camino ardentes, faciem lucentem instar solis habere legitur.

Noster es, an aduersariorum.) Fortis uiri percunctatio, qua responsum, de quo sequitur, armato expressit.

Sed sum princeps.) non unus ex ijs gentijs, qui priuatis sunt destinati, sed qui toti genti ac regno: nec cuiuis genti, sed sacræ. ut sequitur.

Exercitus Domini.) Israelitici, qui in terris Dei exercitus est: ut Genij, cœlestis exercitus in cœlis. Quæ magna gloria & dignitas sanctorum est, uocari exercitum eos Dei, & habere ducem non terrenum, sed cœlestem. Qui si ministerium spectes, is angelus Michael est, de quo apud Danielem, מיכאל שרכם. sin eum cui etiam principatus cœlestes subditi sunt, Christus erit, uerus ille exercitus sacri dux, in cuius fœmore scriptum est: Rex regum, & Dominus dominãtium. Cuius ductu, qui est heri & hodie, Aegyptij ira

ptij in mari delentur, Amalechitæ in solitudine uincuntur, Hiericho cadit, Amorræi euertuntur, hæreditas ab Israelitis occupatur, Babylon excinditur. Qui est ille bellicosus, de quo in carmine Moses: Dominus uir bellicosus est.

Et nunc.) tempore salutari à Deo decreto: ut sunt certa apud eum crucis & gloriæ, mortis & uitæ designata tempora.

Venio.) ad præstanda promissa. nam Messias is est, in quo, & per quem, ut Apostolus dicit, omnes promissiones Dei sunt etiam & amen. Consolationis plena uox.

Cecidit Iosua.) Honoris causa, ut sequitur.

Adorans.) Christo diuinum honorem, qualis Deo debetur, tribuens: & Genio, ut ministro Christi, qualis genio nomine eius, à quo mittitur, cõpetit. Quo enim honore dignus sit is, quem hic adorauit Iosua, declarant genij ipsi dicentes apud Ioannem: Dignus est agnus qui occisus est, accipere uirtutem, & diuitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, etc.

Quid Dominus meus.) Meritæ submissio, ut eum quem adorasset, Dominũ cui subesset, agnosceret: & se seruum, qui illi in omnibus parêret. Dominum inquam eum agnosceret, de quo Dauid cecinit: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam.

Solue inquam calceamentum.) Notatur ueteris hominis affectuum exuitio, qui in pedibus notantur. Vt eorum ab hoc eodem qui hic lotus est, non habet opus nisi ut lauet pedes. hoc est, abstergat ueteris naturæ fœdas affectiones ac cupiditates: quibus animus, ut corpus pedibus, fertur, ac agitatur. hinc uates: Penè moti sunt pedes mei. hoc est, animus perturbatione à recta uia depulsus. Sunt igitur & ueteris hominis, quæ hic iubentur exui, ut audiatur sermo Domini, & noui quibus induatur, calceamenta. de quibus illud: Et calceati pedibus, ut parati sitis ad Euangelium pacis. In exutis calceis, cessio de iure suo: in indutis, usurpatio iuris, ac retẽtio indicatur, ut ex libro Ruth planum est. Qui igitur præsente Deo, de pedibus calceos deponunt, se de iure ueteris hominis cedere, & in ius nouæ uitæ, hoc est diuinæ, quæ percipiendo Dei uerbo apta sit, transire declarant. de quo illud: Qui ex Deo sunt, uerbum eius audiunt. (sacer.

Sanctus est.) sermone & præsentia mea

IN CAPVT VI.

Hiericho autem clausa erat.) Narratur admiranda Hierichuntis expugnatio. In qua hæc ordine annotanda fuerint: Circuitio sex dierum: Septimi diei clangor buccinarum, per sacerdotes editus: Ruina Hierichuntis, & quæ ex anathemate sacrata sint Deo: atq; ut demũ parsum sit Raabæ, & eius familiæ.

Nullus egredi audebat, aut ingredi.) præ metu. de quo Raaba ad exploratores: Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum. Item: Dissolutum est cor eorum.

Dixitq; Dominus.) Specie uiri apparẽs.

Ad Iosuam.) iam discalceatum, & aptum redditũ, qui audiret tam miranda secum loquentẽ.

Ecce dedi in manus tuas.) ut sciat Hiericho, & eius rex cum fortibus suis uiris, meã esse sapientiam & fortitudinem, me mutare tempora & ætates, transferre regna, atq; constituere.

Circuite urbem.) more militari, quo in obsidione corona expugnandæ urbes cinguntur, ne qua parte obsessis exitus ad elabendum pateat. Circuitur & mundana Hiericho sexies: & septima uice, quieti & regno sanctorum destinata, sono tubarum sacerdotalium corruit. Qui numeri senarius & septenarius sanctis noti sunt. Notatur totum tempus his numeris, quo ciuitas Satanæ mũdus expugnatur, regno dato Israelitis.

Et cuncti bellatores.) Non pueri, non mulieres imbelles. In destruenda Hierichunte nostra, qui uiri bellicosi, & quib. armis tecti, quodq; genus bellorum cernatur, notum ijs, qui huic militiæ nomen dederunt, duce Iosua, qui de se dicit: Ego uici mundum. item Apostolus: Quod erat cõtrariũ uobis, intulit de mũdo, affigens illud cruci, & exuens principatus & potestates, traduxit liberè triũphans eos in ligno crucis. quæ hic designãtur his uerbis: Tradidi in manus tuas regẽ, & omnes fortes uiros eius. De armis autem, quib. uincitur mundus ab ijs qui sub signis ducis Christi militant, Ioannes in epistola sua: Hæc est uictoria quæ uicit mundum, fides uestra. Et de genere belli apostolus Paulus ad Ephesios: Quoniam non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarũ huius seculi, aduersus spirituales astutias in cœlestibus.

Septimo die sacerdotes.) Modus expugnãdæ Hierichuntis. Expugnatur nõ armis, sed clangore buccinarum. Nostra Hiericho corruit clangore tubarum. de quo uates: In omnem terrã exiuit sonus eorum. Item Zacharias: Et Dominus Deus in tuba canet. Sed per quos sacerdotes? Per sacerdotes, quos Iosua noster mittit ad munitiones mundi huius demoliendas: Ite in mundum uni

uersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Vsurpatur hic septenarius in annis, mensib. & diebus: qui in rebus ipsis, ut in uacatione ab operibus, in sacrificijs, & in uniuerso cultu Dei, celebris & sacer numerus habetur.

Non clamabitis.) Victoriam reportantibus sanctis in spe & silentio. ut est apud uatem: Si quiescatis, salui eritis: in silentio, & in spe erit fortitudo uestra.

Et buccinis.) Sacerdotes. Quare Paraphrastes רבחנא.

Quarum usus est in Iubilæo.) יובל. Interpretantur איל ים, id est, arietinas tubas, ex arietum cornibus confectas. Similiter Paraphrastes, שו׳ פריא דקרן. Nostri interpretis expositio mysterio apta est: ijs tubis euersa Hierichũte, libertatem tributam Israelitis in sacra terra, quib. in Iubili anno rerum omnium restitutio & libertas restituitur. de qua restitutiõe uideris in Leuit.

Præcedent arcã fœderis.) ad eam præsente diuinitate: quam ut ducem, præiens tubarum clangor, magna consolatione Israelitarum, & terrore hostium, indicabat. Sic sonus buccinæ Euangelicæ Christum uictorem mundi, & eius principis, præsentem denunciat. Hunc clangorem incipit hodie persentiscere Antichristus cum suis, suo malo: pij, suo bono. Alteris enim exitium, alteris salutem clangor is affert.

Cumq; sonuerit.) De duplici clangore tubarum, uideris in Num. cap. 10. de tota item earũ ratione, materia, numero, generibus, usu.

Vociferamini.) תריע, iubilantium uictorum uox est, & triumphantium: à clade affectis hostibus, uerbo, ut apparet, ducto.

Et armatus populus.) In quo præibant ex mandato Mosæ Rubenenses, Manassenses, & Gadini.

Vulgus aũt reliquum.) מאסת. Chaldæus de tribu Dania interpretatur, quæ solita est exercitum claudere. Sic enim legitur de ea, אסת לבל מחנות.

Sitq; ciuitas hæc anathema.) Auro, argento, ære, & ferro, Deo in usum tabernaculi consecratis: reliquis ad internecionem deletis. Vtrumq; enim notat חרם, & Deo sacratũ in nullos humanos usus conuertendum, & ad interitum deuotum. Sed de uerbo alias.

Sola Rahab meretrix.) ut staretur pacto, seruata fide. de qua suprà: Vt gratiam mihi tribuatis, & ueritatẽ. Gratia autem hic tributa est, obseruata remuneratione ac memoria officiorum. de qua in textu: Abscondit enim nuncios, Fides uerò seruata, ubi data est opera, ne quid aliter quàm pactum esset, fieret. Duo igitur hic memorabilia spectantur. unum, est exemplum spectatæ fidei Israelitarum, & gratitudinis, qui in referenda gratia putarunt imitandos agros fertiles, qui multo plus afferunt, quàm acceperunt: alterum, exemplum prouidentiæ diuinæ, quæ in medijs periculis, cum omnis spes salutis abest, suos, quos charos habet, seruat. Sic Noa in diluuio, Lothus in Sodomitarum incẽdio, Moses in aquis, Raaba hic in excidio Hierichuntis seruata dicitur. Vnde nata hæc communis sententia apud Vatem, pijs animo peruoluenda in maximis rerum angustijs ac difficultatibus: Exaudit pauperes Dominus. Quæ consolatio in hac ruina mundi, quæ immanet pijs, necessaria est: quam Hierichuntis & Babylonis excidij umbra prætulit. Instare aũt tempus, quo Antichristi regnum in magnis angustijs corruat, Euangelij æterni clangore, omnes pij & cupiunt, & expectant. Demum expenditur hic, Deum personarum ratione posthabita, pariter gentium & Israelitarum Deum esse: & in Christo neq; Semum, neq; Iaphetum, neq; Chananæum, hoc est, nec liberum, nec seruum, nec marem, nec fœminam, sed nouam naturã ab omni externa personæ obseruatione liberam ualere. Exemplo hic Raaba & alij.

Vos autem cauete.) Hebræus habet, abstinendum esse Israelitis à rebus deuotis, ne his per auariciam ablatis, se & castra Israelitarum diris obnoxia reddunt: ut fecisse Achan legitur.

Quicquid aũt auri & argenti.) Homines & iumenta pereunt. Preciosa uerò quæ habẽt impij, ignem ferentia, ut aurum, argentum, ferrũ, æs, thesauris Dei inferuntur. Similia suprà de Aegyptiorum & Madianitarum præda legũtur. Verum fiat illud: Et quæ habent, auferentur ab eis. Suprà legitur, Raabam cum omnibus suis facultatibus, quas domi habuit, seruatam: hic uerò, impios deletos, preciosam eorum supellectilem reseruatam in usum sanctuarij. Seruant igitur non solum sancti sua, sed eis etiam impiorum dona in usum sacrum cedunt.

Ab infante usq; ad senem.) Cur, quibus natura tribuendam misericordiã docet, Deus misericordiam denegat? Num' ne insontes pueros una cum sontibus parentibus trucidare diuina æquitas sustinet? quæ præcipit alicubi, parentum delicta liberos luere nõ debere? Aliter iudicat Deus, qui legi subiectus non est: aliter nos, qui legi subditi sumus. Nostro iudicio insontes pueri habentur, diuino non item, quos noxæ nativæ damnat conce-

conceptus & partus, ut Vates conqueritur: In peccatis concepit me mater mea. Iudices terreni immo centiam non ab animo æstimant, sed à factis: quæ si scelere aperto carẽt, à capitali pœna abstinent: & liberis hoc modo insontibus parcẽt, cum parentes facinorosos capite plectunt. In nostrum igitur iudicium inquiritur, quod fallax est, & lege qua regatur eget: in iudicium Dei nõ inquiritur, quod semper iustum est. Itaq; cum impiorũ infantes perdit, piorum interdũ seruat, interdum perdit, nouit ipse rationem, cur ita cum utrisq; agat, animos & futuros euentus ponderans: quos nos cum ignoramus, de præsentibus factis sententiam ferimus, animos et futuros exitus iudicio Dei relinquentes. Præterea ut figulo ius est uasa sua fingere & refingere, & eis subinde mutatis aliam atq; aliam formam inducere, aut penitus frangere, & noua facere: idem ius Deo fictori operum suorum est. nobis non item, quã operum à Deo conditorum ut autores non sumus, ita precariam eorum dispensatio nem, non legitimum dominatum, quem in illa ex nutu & libidine nostra geramus, obtinemus. Quod ergo hic ad internicionem pariter uiros & fœminas, matronas & uirgines, infantes & senes, Israelitæ perdunt, nulli nec sexui nec ætati parcentes, non suo iudicio id faciunt: sed Dei, qui lege caret, cũ ipse summa lex sit, & norma certa omniũ quæ rectè fieri debeant in cœlo & in terra: ex cuius sententia, misericordia, iusticia, crudelitas, iniustitia, & cæteræ affectiones æstimantur, nõ ex nostro iudicio. Exemplo est Saulus: qui cum peperciſſet Amalechitarum iumentis, rebellionis crimine notatus est, misericordia pro crudelitate ei ascripta: & Israelitæ furti crimine liberati, cum Aegyptios hospites suos facultatibus spoliassent. Rectè igitur ueteres Deum æternam & fatalem legem appellarunt, cui omnia in cœlo & in terra parẽre conueniat, nihil repugnare: ad quam omnia nostra consilia, studia, actiones, tanquam ad infallibilem regulam dirigere, nihil ab ea discrepare oporteat. Pronus quidem est Deus tueri opera quæ fecit, qui dicitur apud Vatem seruare homines & iumenta: sed ita, ut si contrà faciat, non minus iustè perdere dicatur, quàm clementer agere cum seruat: qui misereſcere dicitur, quorum uult: & non misereſcere, quorum nõ uult. Atq; usuuenit, ut inclementiam præsentis seculi, futuri clementia excipiat. ad quod reijcitur cum noxa absoluendi electos, & condemnandi repudiatos, iudiciũ sub patefaciendo Christo exercendum. Quod iudiciũ liberũ cum est ab omni personarũ obseruatione, in eo neq; gentis, neq; ætatis, neq; sexus, neq; temporis, neq; ullorũ mũdi elementorũ habetur ratio.

Et producite eam.) Raaba ex Hierichunte, ut seruetur inter Israelitas, educitur. Depone uelum: Sic hodie in ruina Babylonis seruandi, iubentur quoq; exire ex illa, apud Ioannem: Exite populus meus ex illa.

Ingressiq; iuuenes.) In sacris literis ministros ac seruos appellari נערים, non est insolens. Sic suprà Iosua נער dicitur. Sicut etiam apud Latinos pueri, serui appellantur.

Et extra castra.) dum sacris Israelitarum initiarẽtur, maribus de familia Raabæ circumcisis: Circumcisione quidem fauorem non conciliante diuinum, sed diuini fœderis notam gerente, antecedente omnia externa signa beneuolentia Dei. Vt de Abrahamo, Iacobo, Raaba hic, Iethrone, Cyro, Naamane Syro, Niniuitis, & alijs constat.

Fecit Iosua uiuere.) Non solum eos seruans, sed etiam suppeditans necessaria ad uictum, & ad cultum uitæ. Quod uolunt interpretes hic esse תהיה. Hanc sententiam confirmat Iosephus primo Iudaicarum antiquitatum libro, his uerbis: Λοιπὸν δὲ αὐτῷ σῴζειν ἀγροῖς, οἰκίᾳ δὲ τιμᾶς ἔσχε καὶ ἀπάσης.

Et habitauit in medio Israel.) Adumbratur uocatio gentium, quæ illa meretrix Raaba sunt, cum idolis aureis, argenteis, ligneis, lapideis uanis dijs meretricatæ: nunc meretricatu deposito, cum Raaba Deum Israelitarum colunt, ex Israelitis, tanquam ex naturali oliua, cum oleaster sint, succũ doctrinæ cœlestis ad uerã & æternã uitã tuendã sumentes. Israelitis enim credita sunt oracula Dei: ex Israelitis natus Messias sospitator, qui et Apostolos nobis dederũt, nuncios illos sacros, qui Raabã, hoc est gentiũ ecclesiã ex profana Hierichũte Euangelij doctrina ad societatẽ & consuetudinẽ sanctorum formandã educerẽt.

In illo tempore imprecatus est Iosua.) Iuramento deuouet æterno exitio Hierichũtem. Is status est impiorum, & principis eorum satanæ. De quorum interitu Iosua noster his uerbis: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quem ignis figura certa exhibuit nobis, quo Hiericho impiorum ciuitas conflagrauit.

Maledictus uir.) Diras imprecatur instauratori Hierichuntis. Metuant igitur sibi principes orbis terrarum, falsi prophetæ spiritualis Hierichuntis reparatores: qui ut sint perituri, indicat illud Ioannis de pseudoprophetis: Viui conjecti sunt in stagnum ignis, ardens sulphure.

Coram Domino.) quamlibet coram hominibus

minibus beatus censeatur. Vt est iudicium mundi contrarium iudicio Dei. Intueamur nostra tempora, & præterita à condito mundo.

In primogenito suo fundamẽta ponet.) Sed perdendo una cũ minimo natu, qui portas ponet. Impleta est hæc execratio in Hiele, de quo in libris Regum in hunc modum legitur: In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Hiericho, in Abirã primogenito suo fundauit eam, & in Hebub nouissimo suo posuit portas eius, iuxta uerbum Domini, quod locutus fuerat per Iosuam filium Nun.

Fuit Dominus cum Iosua.) Confirmato spiritu uiri, qui stans cum gladio stricto apparuit. Nam is apud Ioannem dicitur sedere super uictorem equum album, & nomen tenere fidelis, ueracis, iustiq; iudicis, atq; bellicosi ducis. Paraphrastes igitur יהוה מיימרא דיי בסעדיה.

Et nomen eius uulgatum est in omni terra.) De nostro Iosua apud Apostolum: Quapropter Deus illum in summam extulit sublimitatem, & donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, &c. Quod nomen illustre redditur apud inferos, & superos, & terrestres: dum portas inferorum frangit, cœlum aperit, suis cœlestẽ & æternam uitam tribuit, mundi regna dissipat, suum regnum confirmat, potestatem in omnia gloriosæ excitationis è mortuis ui adeptus.

IN CAPVT VII.

Filij autem Israel præuaricati sunt.) Exemplum horrendi iudicij, quo Achan sacrilegij damnatus est, exponitur. Primò igitur narratur, ut commissum sit facinus: deinde, ratio deprehensi facinoris. Postremò, sententia ipsa in facinus lata. De uerbo מעל, uideris in Numeris cap. 5. Dicũtur hic Israelitæ delinquere, uno Achane delinquente: unius delicto, totam ciuitatem scedante: ut unus aliquis næuus corpus uniuersum, propter communionem quam habent inter se membra cum corpore, fœdat atq; commaculat. Quæ communicatio efficit, ut sicut cum unus peccat, tota ciuitas peccasse dicitur: ita etiam interdum unius noxam respub. luat. ueluti hic accidisse in Achanis sacrilegio, ut sequitur, uidemus.

Cõtra filios Israel.) Peccat Achã, & plectuntur Israelitæ: idq; diuino, non humano iudicio, quo deprehensi sontes, & conuicti criminis puniuntur, non item noxa carentes. Aliter igitur Deus iudicat, aliter homines iudices. qua de re etiam suprà. Homines in iudicando certam legem propositam habent, ex qua iudicent: Deus legi nõ subditus, uariè iudicium suum exercet, & id iustè, qui hunc titulũ habeat: Deus iustus iudex. Interdum enim manifesta flagitia, manifestis pœnis punit. Vt exemplo est diluuium, incendiũ Sodomæ & Gomorræ, regnorum mundi propter scelera euersiones. Interdũ uerò in aperta flagitia in hoc mundo non manifestè animaduertit, sed occultè, dum sceleratos cæcitate, conscientiæ terroribus, ut sibi sint carnificina, horrendoq; legis iudicio uexat. ut exemplo est Cain. Nõnunquã occulta delicta palàm mulctat: ut quũ unà cum sontibus, etiã eos qui insontes in mundo habentur, punit. Exemplo hic Israelitæ sunt, puniti propter sacrilegiũ Achanis, cuius illi affines ac participes non fuerant. Quos igitur neq; Iosua, neq; ullus iustus iudex puniturus fuisset, Deus puniuit, non unã ob causam. Primò quidem, ut cognoscatur, neminem coram illo ipso insontem sic haberi, ut si quouis modo de eo pœnam sumpserit, iustè minus egisse, argui possit: cuius nimirũ uniuersæ, ut Vates canit, uiæ ueritas sint, & æquitas. Deinde, ut nos in metu retineamur, dum hoc modo Deus tam seuerè agere intelligitur: & magistratus in tempore studeat de sceleratis pœnas petere, ne eorum impunita flagitia totã remp. publica clade inuoluant. Tum ut impij discant, sibi ab horrẽdo Dei iudicio, quòd quidem in mundo hoc ne ijs quidem qui iusti habentur, parcat, formidandum esse. Postremò, ut planũ fiat, Dei consilia & iudicia occulta esse, & diuersa ab humanis. in his spectari præsentes casus, in illis etiam futuros. homines iudices puniendo præsentem pœnã noxiorũ expendere: Deum in puniẽdo sæpe futura eorũ quos hic punit, bona prouidere, dum quos hic miserè occidit, in altero seculo ijs uitã æternã donat: & quib. in hoc mundo benefacit, in altero eos funditùs perdit. In quo suo iudicio, nec omnes Chananæi hic interfecti, damnandi fuerint: nec omnes Israelitæ seruati, ab æterna Dei ira absoluendi. Meritò igitur in hoc negocio exclamare nobis licet cũ Apostolo: O quàm imperscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius? Falso igitur ab hypocritis huius mundi colligitur, Deo charos non esse, qui in hoc seculo calamitatibus afficiuntur, ut pugnent afflictiones cũ Dei fauore: ut contrà nõ efficitur, Deo charos esse, quibus in hoc mũdo res prosperè eueniũt. Itaq; neq; calamitates pugnarint cũ probitate, neque res prosperæ cum improbitate. In cuius rei iudicatione falluntur sapientes & hypocritæ huius mundi, cum amicis Iobi.

Cõtra Hai.) De hac urbe uideris in Genesi: inter quam ad orientem spectantem, & Bethel quæ occidenti imminebat, Abraham tabernacula suaſi-

ſua fixiſſe legitur, cum ex Chaldæa in Chananæam terrã uenisset. Qui locus illustris est ara, quã in eo idem Abrahamus extruxit, ut ei ibi apparuisset Deus. de qua ara his uerbis in Geneſi: Aedificauit quoq; ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius. Est & altera Ai, sed in Amonitarum regno, de qua apud Hieremiam שערת עי. ideo nostra hæc he העי signatur.

Iuxta Bethanen.) Alij duas huius nominis faciunt: alteram quæ eadem cum Bethele sit, alteram uicinam. Et Bethanen alij per anticipationem ab idolo, quod Ieroboamus in Bethele extruxit, appellatam uolunt: alij ab idolis, quæ in ea Chananæi coluerunt. Bethelem uerò nomen inuenisse ab ipso Iacobo, quòd ibi ei apparuisset Deus, cum antea Luza uocata esset, ut in Geneſi legere licet.

Sed duo uel tria millia.) Locus admonet, hostes contemnendos temerè non esse, sui fiducia, Dei posthabita. Atq; hac securitate Deus usus est ad puniendum sacrilegium Achan: ut nihil temerè ac casu, si diuinam curam spectes, accidere intelligamus.

Vsq; ad Sabarim.) Locus sic appellatus à fractis Israelitis. Itaq; et Græci ἕως σωϐίρων.

Pertimuitq; cor populi.) fracta eius confidentia, ad maioris roboris animi experimentum à Domino accipiendum.

Adinstar aquæ liquefactũ est.) Deo robur subtrahente. Hoc enim præsente, animi ad res aduersas saxei reddũtur: absente uerò, instar ceræ molles, & aquæ modo diffluentes. Scita similitudo ab aquis, quæ natura quouis uento mobiles sunt, sumpta. Suprà lapides ex aquis extracti traduntur: hic Israelitæ, quos lapides illi repræsentarunt, aquæ modo fluxisse leguntur. Atq; si naturam & originem lapidum spectes, mirum id non fuerit. Nam ut lapides ortum suum ducunt ex aquis, ita in aquas facilè conuertuntur. Quod norunt ij uerum esse, qui præparato certa ratione in eum usum liquore, lapides, gemmas, metalla, quæuis firmissima in humorem commutant.

Ioſuæ uerò scidit uestimenta sua.) Fidelis ducis exemplum. Gestus is lugentiũ erat, & ægrè ferentium miseros casus cum opprobrio Dei coniunctos. Similia in Moſe, Dauide, in Ezechia, & alijs exempla cernuntur.

Et pronus cecidit.) corã eo, cuius in excelso habitãtis ἐφάπτου ὑψίστου καὶ μεγίστου agnoscitur. Hoc igitur habitu diuina maiestas, & homo ab ortu suo, quàm abiectæ sortis sit, declaratur. de quo illud: Ex terra es, item: Quid est homo, quòd memor es eius? Contrà Dominus, hoc est, alter cœlestis homo habet, coram quo hic in pedes adorabundus Ioſua cadit.

Miseruntq; puluerem.) Quæ miseriæ acceptæq; ignominiæ nota erat. Quàm contempta enim res sit puluis, indicat illud: Et gloriam meam in puluerẽ deducat. Mos aspergendi puluerem capiti, etiam apud cæteras gentes fuit. Sic enim poeta Græcus, ducem quendam suum inducit conspergentem caput puluere, in luctu mortis socij sui:

ἀμφοτέρῃσι δὲ χόρσιν ἐλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
χεύατο λαπτομένῃσιν.—

Ad uesperam.) pro consuetudine lamentantium. Sic de Dauide in libris Regum: Apprehendens autem Dauid uestimenta sua, scidit, omnesq; qui cum eo erant, planxerunt & fleuerunt, & ieiunauerunt usq; ad uesperam, super Saulo & super Ionathane filio eius, & super populo Domini, eo quòd corruissent gladio.

Et dixit Ioſuæ.) Oratio Ioſuæ munita locis æquitatis diuinæ, qua commonefacit Deum fidei & dignitatis nominis sui.

Quid uoluisti trajicere populum istum.) tuæ uoluntati parentem, suæ cedentem, quem tu confirmasti iam sæpe seruandum, non misere perdendum.

Vt traderes nos in manus Amorræi.) Cõtrà quam promisisti: Et scietis quòd Dominus Deus uiuens in medio uestri Chananæum & Ethæum, Euæum, &c. Vehemens tentatio fidei, à contrario, quàm qui ex promisso expectabatur, euentu nata. In qua re Deus perpetuam consuetudinem suam sequitur, qua non prius præstat quæ recepit, quàm omnia contraria experiamur. Vt fides nostra rebus aduersis confirmetur, exploreturq;, tanquam aurum igni, & in ueteri homine diuini fœderis sale ignauia, inersq; securitas deteratur. Hæc sunt stratagemata fidei sanctorũ, contra fidem fidere, & contra spem sperare.

Vtinam ut cœpimus.) Grauis querela tio, quæ uideatur tum cum promisis, tum cum mãdato Dei pugnare: Surge, & transi Iordanem istum, tu & populus tecum. Hoc erat mandatum, promissum uerò: Quam ego dabo filijs Israel. Sed quid faciemus hic Ioſuæ? Luctantis & certantis fidei cum infidelitate hæc expostulatio in Ioſuæ fuit, non desperantis de fide & potentia Dei. in cinerib. enim tam grauis tentationis sublucentes ignuculi fidei ad uictoriam in hoc stratagemate pertenderunt. Nam non quid non posset, aut non uellet facere Deus, sed quàm grauiter miser popu-

lus laboraret in hac sua querimonia & luctu, Iosua spectauit: qui amplificans dignitatem Dei, hæc quæ consequuntur in oratione sua inijcit.

Mi Domine.) Hæc blanda appellatio fidei est, & gloriam Dei, & salutem populi sollicitè cogitantis. דבר deprecantium uox.

Quid dicam.) tam uarijs occurrentib. mihi ad perpendendum, iam tuis promissis, iam populi contumacia: modò hostium fortitudine, & terra ad debellandum difficili, interim ijs, quæ tu antea quoq; solitus es agere in populo hoc, in deserto misere circumducto, dubitatione graui non carente motu, hanc suam postulationem colorat.

Audient Chananæi.) obliti ostentorũ, quæ antea in Aegypto, in mari rubro, in deserto, & iam in Iordane exiccato, & Hierichunte euersa, horribili modo à te edita sunt: ut est bonarũ rerum facilis obliuio, malarum diuturna memoria.

Et delebunt nomen nostrum.) quod cõiunctũ cum tuo est, fœderis lege. Itaq; sequitur:

Et quid facies magno nomini tuo?) quod nostro nomine deleto, quoq; delebitur. Dicent enim hostes, te tam potentem non fuisse, qui nos liberares, & ipsos uinceres: quæ nominis tui turpis erit commaculatio. Maximã uim in expostulando hæc argumentatio habet, ut quæ nitatur fide & potentia Dei. Victoria igitur potitur hæc oratio apud eum qui uerax est, & fallere pacta sua nequit: & maior, quàm qui dignitatem suã & amplitudinem deserat. Hæc sunt uictoriæ arma, quibus sancti omnia uincunt, hostes, mũdum, & sua ratione etiam Deum ipsum. Hoc uictoriæ exemplum nobis hodie propositum esse debet. sed quæ hic adhibentur arma? fides ipsa. de qua Ioannes: Hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides uestra. quare sequitur.

Surge.) Exauditur Iosua, qui humi prostratus suas preces fundebat. Non exauditur, qui dicit: Ascendam in cœlum. de quo Iesaias, in oraculo in Babylonium edito.

Peccauit Israel.) Narratio ex genere iudiciali, qua causa cædis Israelitarum, quæ crimen direpti anathematis erat, à Domino ipso & accusatore & iudice exponitur. Atq; ab eo expiandi sceleris ratio ostenditur.

Pactum meum.) legem meam, quæ fœderis conditiones continet. ut patet ex Exodo. Præceperat autem hic Deus, de anathematis nihil surripiendum.

Et mentiti sunt.) putante Achane, se etiam fallere Deum posse. Itaq; infra: Da gloriam Domino Deo Israelis, Grauis sceleris exaggeratio, in qua unà cum sacrilegio, fallendi eum, quẽ nihil fallit, nihil latet, studium, hoc est, mendacium, quod socium cum furtis coniunctum esse, criminoso obijcitur ab eo accusatore, de quo uates: Ne intres cum seruo tuo in iudicium.

Nec poterit populus stare.) Grauitas noxæ ostenditur, quæ primò efficit, ut uno delinquente totus populus culpam luat: deinde, ut uincant alieni, qui uinci debebant: & uincantur, quos uicere conueniebat: uictoriam apportante iniustis, iniustitia eorum, in quibus uicium & labem pro puri fœderis iure ferre nequit is, de quo uates: Quoniam tu Deus es, qui non oblectaris improbitate. At uerò aliter delinquunt, & uincunt hostes Israelitarum: aliter delinquunt, & uincuntur Israelitæ amici Dei. hi, ut misericordiam consequantur purgato ac lustrato crimine, & tandem qui uicti fuerant, uincant: illi, ut uincentes uincantur, & in noxa maneant exitio deuoti. Vt exemplo est Ai, de qua mox. Hæc est consolatio sancto rum cadentium, ut resurgant, omnia indubitata uictoria superantes per eum qui suprà dicit: Ecce dedi in manus tuas Hierichunta & regem eius, omnesq; fortes uiros. & infrà, lustrato iam sacrilegio: Ne timeas, neq; formides.

Non ero ultrà uobiscum.) ut rebellibus, & fœderis uiolatoribus.

Donec conteratis eum.) Locus de usu supplicij, de quo paulo pòst.

Qui huius sceleris reus est.) Significãtius in Hebræo, qui sacrilegium commisit חרם dicitur. Vt Latinè, sceleratus scelus dicitur.

Sanctifica.) Lustrandi uerbũ huc congruit. Nam populus, quem impiarat Achanis facinus, de hoc supplicio sumpto lustratus dicitur. Includitur autem in eodem præparatio ac consecratio, quæ preces, continentiam, ieiunia continebat, quibus præparatio ad lustrandum peragebatur.

Dominus Deus Israel.) ex fœdere. Sic se uocat, cum iratus accusatorem & iudicem agit. Quæ summa electorum consolatio est, cum quibus in casu, in morte & inferno uersatur, ex rebus deploratis exitum lætum expediens. Tantũ ualet, Deum Israelitarum Deum esse. Contraria in Chananæis cernuntur.

Sors inuenerit.) Hebræus, Et tribus quã deprehenderit Dominus. Obscurior paulo locus est. Quid enim sit deprehendisse tribum, aut quomodo deprehenderit Dominus tribũ, & in ea sortem, planè scriptum non ostendit. Interpretes alij tradunt, sacram arcã præteriisse Israelitas, & tribum sacrilegio notatã miraculo quodam ita retentam,

tam, ut longius nõ progrederetur. atq; addunt, ante Vrim & Thumim, atq; lapides pectorali insertos, cum duodecim tribus starent, eam noxæ damnatam fuisse, cuius gemma, cum duodecim essent, hebesceret. Inuẽtum autem, Iehudæ lapillum caligasse. Alij sorte à Iosua iacta, quam Deus direxerit, deprehensum crimen dicunt. Atque id esse quod hic legimus: Et tribus, quam deprehenderit Dominus. Sors Iosepho placuit: qui habet, κατὰ φυλὴν ἐκλήρει. Quem noster interpres sequitur. Nominantur hic tribus, familiæ, domus: ut in ciuitate, uici, uiciniæ, domus ac familia, & in his patres, matresq; familiâs, ex quibus tanquam ex primordijs ciuitates & resp. coalescunt.

Comburetur igni.) Iudicis Dei sententia in sontem. Igni damnatur reus ab eo iudice, cuius thronus igneus dicitur: et in cuius dextera lex ignea, in quam deliquerat facinorosus, uersatur. ut supra legitur: Et in dextra eius lex ignea.

Cum omni substantia sua.) In Heb. וְכָל אֲשֶׁר לוֹ etiam liberi comprehenduntur, de quibus infrà: Filios quoq; & filius eius, &c.

Inuenta est familia Zaræ.) Posteris temporibus inclyta facta Dauide & Christo, qui mysterio noto in familia sua meretrices, sacrilegos, adulteros & adulteras non recusauit.

Inuenit Achan, filium Charmi.) Verum igitur est illud Salomonis, de sorte: Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino gubernantur. Verum item, quod Dominus dixit: Nihil occultũ, quod non patefiat. Homines uoluit & potuit fallere Achan: sed Deum iudicem, cuius ὄμμα, ut ille ait, πάντ' ἐφορᾷ ἔστ, fallere non potuit. de quo Vates: Deus iudex iustus. Metuamus igitur huius numẽ, qui ut præmijs ornat iustos, ita pœnis suo tempore afficit iniustos, etiam cum securi de malis, læta omnia sibi promittunt.

Fili mi, da gloriam Domino.) confitendo crimen tuum: quod qui celare se posse putant, maxima eum gloriæ parte spoliant, arbitrantes Deum non omnia intueri: ut illi faciunt, uerum sacrilegium committentes, de quibus uates: Non uideo uos. Vt contrà honorem scientiæ rerum omnium Deo tribuunt, qui cum Dauide confitentur: Quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades? Quæ sententia etiam pro fanis uatibus celebratur. Sic Græcus ille uates, Deum oculos longè lateq; intentos, quos nihil lateat atq; fugiat, habere dicit, cum eum uocat ὀφθαλμὸν πάντα. & Tragicus:

— ὃς μέγας ἐν οὐρανῷ

Ἐνὸς ὅσ' ἐφορᾷ πάντα.

Iosua igitur cum uideret à Deo indicatũ sontem, hortatur hunc ad confessionem criminis in eo iudicij statu, qui assumptio dicitur, his uerbis: Habe honorem suum Deo, & confitere coram eo, confitere atq; indica mihi quid feceris, ne abscondito. Qua in re duo spectauit sapiẽs iudex Iosua. unũ, gloriã & amplitudinẽ Dei, cui referret liberã ab Israelita delicti confessionem fieri, qui ab ipso reus esset iudicatus. alterum, salus sceleris cõperti fuit, qui si non potuit præsentem in hoc seculo pœnam effugere, in altero tamen eum æternum suppliciũ effugisse pij interpretes putant. Atq; id esse, quod infrà legitur: Quia turbasti nos, exturbat te in die hac. non dicit, in eo tempore, quo iudex de omnium factis sententiam dicet. Secus rem habere de Caino, quẽ in hoc seculo inter profugos in terra damnatum, in altero ueniam nullam consecutum, qui & scelus celasset corã Domino, & eius deprehensus maiorem noxam putasset suam, quàm misericordiam Dei. De hoc igitur legis hanc Dei sententiam latam: Maledictus esto. Qua sententia & serpens Satan damnatus fuerat. Legitur hic, á sonte confessionem factam coram Deo, sed Iosua sequestre ac arbitrio. Deponendum uelum.

Verè ego peccaui Domino.) Liberalis confessionis de peccato exemplum, dignũ Israelita. Qui in Deum deliquerat secretò, publico malo, palàm confitetur delictum publico bono. Sed quo quæstore extorta est confessio hæc? conscientia quæstore, in qua iudicium eius, qui facinus indicarat, uigebat. At hoc aliter in Cainis, aliter in Abelibus, aliter in Dauide, aliter in Saulo, aliter in Iuda, aliter in Petro, & hic in Achane sese ostendit. Nam in alteris testimonium delictorum cum odio Dei, in alteris commendatio iusticiæ diuinæ cum spe ueniæ, confessionem scelerum concit. In alteris lex cum fide coniuncta regnat.

Pallium coccineum.) Ordine commorat sacrilegij partes: pallium Babylonicum, argentum, aurum. Quæ Hierichuntis spolia erant non priuatis commoditatibus destinanda, sed Deo in tabernaculi publicum usum consecranda. Quarum rerum quæ arcanæ notæ hic designẽtur, norunt ij, qui intelligunt impiorũ munera sibi à Deo tributa, ingenium, artes, eloquentiã, opes, nõ prius prodesse pijs, quàm Deo publicè sint sacrata: ablata uerò, & ex spolijs in priuatum usum conuersa, perniciem afferre. Priuatus autem usus in augendis opibus, in tuenda dignitate, & nostri nominis claritate illustranda, posthabito tabernaculi, hoc est Ecclesiæ ornandæ, & amplificandi Dei

in tabernaculo uersantis, studio cernitur.

Et concupiscens abstuli.) Tria ordine in hac gradatione confitetur, se uidisse, expetiuisse, abstulisse. oculis, ut nunciys uanarum rerum. cõtra illud: Auerte oculos, ne uideant uanitatem. cõcupiscentia, ut scelerum magistra & autore, contra legem hanc, Ne concupiscito, abusus est. sacrilegium, quo malam cupiditatem declarauit, addit contra mandatum illud: Ne furator.

Et abscondi.) non abscondendum, sed palam in thesauris Dei reponendum.

Humo operui.) He in התחתית, refertur ad אררת, id est, ad palium hoc contectum auru & argentum. Sic & inter mundi huius spolia palium suum Babylonicum reperias, quo hypocritæ optimarum quarunq; rerum abusum tegunt, iactãtes hanc sententiam, Omnia laudem mereri, quæ bona, ut dicunt, fiunt intentione.

Proieceruntq; ante Dominũ.) ante arcam fœderis.

Et duxerunt eos in uallem.) Verbum וירעלו indicat, interiectum fuisse montem inter castra & uallem. Similiter legitur alio quodã loco וירד חסלע.

Et auream regulam.) Hic legitur aurũ & argentũ ab Israelita ablata, & in ignẽ cõiecta. Madianitarum igitur & Hierichuntis aurum & argentum, in tabernaculi usum conuertuntur: Israelitarum rebellium, in ignem conijciũtur. Quadere in Deuteronomio quædam annotata.

Filios quoq;, & filias eius.) Sic iussus à Domino, cui sui iudicij ratio constat. de quo sup.

Boues & asinos.) Domini clade iure possessionis ad illos quoq; pertinente, de quo loco alias.

In die hac.) Supplicia de sontibus per iudices sumpta cerni in hac uita, iudicium futuri seculi huc non pertinere. Itaq; sunt qui in hoc seculo grauib. torquentur pœnis, & in futuro supplicio non liberantur: ut Cainus, Iudas, horumq; similes. Sunt qui in hoc seculo omnia læta & prospera habent, impunè peccantes: in altero, omnia aduersa: ut diues ille epulo. de quo in Parab. Christus. Sunt demum, qui affecti supplicio capitali in hoc seculo, in altero mortem uita commutant: ut latro ille exemplo est, de quo Dominus: ut etiam Achan hic, ut multi uolunt. Dices, sed cur Deus huic cum culpa non etiam remisit pœnam? si Achan ex scriptis in libro uitæ fuit, remisit ei quoq; pœnam, sed supplicij æterni. de quo Dominus noster: Ite uos maledicti in ignem æternum. Temporarium autem supplicium non remisit: partim, ut admonerentur cæteri Israelitæ, ne similia scelera admitterent: partim, ut occulto crimine de tecto, & eo punito, intelligerent Deum falli non posse, & communi clade tentari sacrilegia. Demum, ut notum fieret, Deum non ita culpam condonare suis, ut res aduersas nullas patiantur: sed ut affecti in hoc seculo calamitatibus, persentiãt, quæ momenta & pondera sint futuræ gloriæ: peccato gratiæ, calamitatibus gloriæ aditum aperientibus. atq; experiantur quid illud sit: Omnia deseruire in bonum ijs, quos ad salutem destinauit Dominus: peccatũ, afflictiones, mortẽ, infernũ. Hinc illud: Beati qui lugent, &c. Itaq; pœnæ, quibus afficiuntur electi in hoc seculo, magis sunt remedia habendæ, quàm supplicia & pœnæ.

Lapidauitq; eam omnis.) Iussus est cremari igni, sententia Dei. cur igitur hic lapidatus legitur? alij dicunt, Deum de igni intellexisse. de quo illud: Ite in ignem æternum. At si ita res habet, quid igitur facient illi? Hac die conturbabit te Deus. & quæ causa est, ut tam malè interpretentur, Achame cõfessionem hanc edente? Verè ergo peccauit in Dominum Israelitarum: & deinde, si supplicium ignis Deus in alterum seculum reiecit, cur igitur legitur in scripto crematus Achan cum tota familia sua? Sunt alij qui dicunt, iniecere lapidatum illum, furore quodam populi, & deinde in ualle combustum. si ita esset, reprehensus sanè fuisset de furore populus, qui de sua sententia, non Dei, supplicium reo intentasset. Nonnulli statuunt, quia Sabbatho, quo dicunt Hierichũtem captam, abstulerit de deuotis Deo spolijs Achãr: partim eum lapidatum, ut uiolatorem Sabbathi: partim crematum, ut sacrilegum. Sed quid hi facient, si dicatur, septimũ illum diem nõ septimanæ, sed obsidionis clangorisq; tubarũ diem fuisse? Verisimile uidetur, ut textus habet, crematum Achan cum suis: deinde eius cineres, ut tam memorabilis rei ad posteros monumentum extaret, obruatos aceruo lapidum. Atque hoc esse hic, Achanum lapidatum.

Igne consumpta sunt.) Sed aliter corpora humana, & pecorum: aliter aurum & argentum, igni tentata: his conflatis, illis absumptis. In Israelitis, id est, electis uitiosis, omnia igni lustrantur: sed aliter quæ ignem ferũt purgatorem, aliter illum non ferentia: ut aliter caro cum cõcupiscentia, quã ignis, qui à Iosua Messia adhibetur, absumit: aliter interior ille homo, auri & argenti modò ignem lustratorem tolerans. de quo illud: Sed interior homo renouatur in dies singulos.

Et

Et auersus est furor Domini.) Sed nõ à Chananæis, horũ uitia non lustrantur & expiãtur: his exitio, illis saluti, quam per uarias tentationes conficiant, destinatis. Itaq; sequitur de Ai excidio, & Israelitarum uictoria, narratio.

Appellatumq; est nomen loci illius uallis Achor.) etiam Oseæ prophetæ mẽtione celebris, de qua ualle his uerbis: Et uallem Achor ad aperiendam spem. Vbi ad historiam, de qua hic, Vates alluſit in hanc sententiã: Sicut uallis Achor, post conseruationem Israelitarum facta est uallis spei, in qua pœna de sacrilegis sumpta, spes de recuperanda salute affulsit: ita calamitates conuertendas in res prosperas Iacobæis. Oseæ similiter Iesaias: Et erit uallis Achor in cubile armentorum populo meo.

IN CAPVT VIII.

NE timeas.) terrorem excipit consolatio, & calamitates res prosperæ. Hæc est uicissitudo in mysterio crucis à Deo, erga selectos è mundo Israelitas præuisa. Contraria in casibus impiorum cernuntur, quorum res secundas consequuntur res aduersæ. exemplo regna à Cainis extructa ante diluuium. exemplo Niniuæ, Babylon. exemplo hic Ai est, quæ uincẽs uincitur. Vt contrà Israelitæ uicti uincũt. & qui fugerãt, ipsos persequentes uictores superant, eius præsidio salti, qui dicit:

Ecce tradidi in manum.) pro potentia mea, quæ insuperabilis & meluctabilis est. Victoriam à Deo proficiscẽi. Metuant igitur sibi impij Dei hostes, & suspectas habeant res prosperas suas, exemplo Ai admoniti: & animaduertant illud de sanctis, Beati lugentes. Quæ sententia diuina, ut uera est: sic ex contrariorum comparatione uera quoq; illa fuerit de impiorum lætitia sententia, Miseri gaudentes. Quam sententiam, scelératorum miseri casus omnibus seculis confirmant: & eam mox Babylonis, nobilis orbis terrarũ scorti, ità iubilantis interitus, quàm uera sit, declarabit.

Faciesq; urbi Hai.) Ea euersa funditùs, nec posteris temporibus reparata legitur.

Prædam uerò.) Contra quàm accidit in Hierichuntis euersione. Opes Ai uobis cessuras, non reponendas in ærario tabernaculi.

Pone insidias urbi.) Consilium bellicũ, sed à Deo datum. Duabus igitur rebus conficiuntur bella, consilijs & armis. sed in hoc felicissima Israelitarum bella iudicantur, quòd diuino & consilio & fortitudine geruntur. Dicas fortasse insidias iustas non esse, quæ fraude & dolo non careant, & pugnent cum hac sacrata naturæ lege: Quod tibi nõ uis fieri, alteri ne feceris. Responsio facilis est partito bello: si bellum iniustũ est, artes quoq; eius, neq; in aperta pugna, neq; in insidijs tẽtatæ iustæ fuerint. sin iustum, insidiæ quidem cõtra promissum & pactum instructæ iniustæ sunt, fides enim hostibus etiam iniustissimis bellis seruanda fuerit. extra pacta uerò, uerum fuerit illud Vatis: Dolus, an uirtus, quis in hoste requirat? Nam ut lege nulla tenentur hostes sua arcana prodere, ac patefacere hostibus suis: ita in tempore insidias struere nefas non fuerit, ut à prouidentia bellica præscriptas. Si quis enim iustum bellum susceperit, nihil interest ad iusticiam, utrum aperto marte uincat, an insidijs. Sunt ergo artes, ac doli mali, sunt item boni & iusti. quales etiam in suis militibus & prælijs commendat cœlestis Iosua Christus, cum serpentinam prudentiam, qua nihil astutius, his uerbis commendat: Estote prudentes, sicut serpentes. Quod obijcitur de lege naturali, id ita quidem uerum fore, alteri non faciendũ quod tibi fieri nolis, si mala ne contingant tibi, rectè uelis. Hostis autem cum iniquè, ne sibi quicquam mali eueniat ab altero cupiuerit, cui ut omnia aduersa eueniant, laborat, eadem lege uitiosum se declarat, qua alterum reprehendit.

Fugiemus.) Nam bellica prudentia etiam fugæ artes tenet. Sicut uates Græcus suũ ducem μύσωρα φόβοιο nominat.

Iosua autem nocte illa.) curam militarem gerens. Et interest ducis noctu uigilare, cæteris dormientibus. Sic Græcus ille uates, suum regem insomnem noctem agere fingit:

ἀλλ' ὄτε δὴ πάντεσσι μεμονότα πωλέεται λαῶν
ὕπνος ἔχει γλυκύπορος, πολλὰ φρέσιν ὁρμαίνοντα.

In medio populi.) ad animandũ, qui metu consternatus fuerat. quod ducis præcipuũ munus est: ex cuius prudentia, consilijs, fortitudine, exercitus pendet fœlicitas. Hinc prudenter quidam dixit, formidabiliorem esse ceruorum exercitum duce leone, quàm leonum duce ceruo.

Contra desertum.) Omittit interpres לִמְרָגֵעַ, quæ uocula indicat certo tempore à rege destinato, eruptionem in Israelitas factam. Nihil omittunt hostes, quod putent ad uictoriam facere: qui celeritatem, occasionem, uim militum, locorum commoditates spectant. præcipuam tamen consilij partem ademit eis confidentia, quam pepererat uictoria recens parta: quòd neglecta insidiarum inspectione, præcipites in hostes, relicta etiam urbe post se aperta, irruerunt. Dirigente hanc insolentiam hostilem prouidentia diuina, ad

salutem suorum Israelitarum, quos fuga seruauit, quæ antea ipsis cladem attulerat, & hostibus uictoriam: cõtraria in hoc strategemate hic cernuntur euenisse. Sequitur igitur,

Ignorans, quòd post tergum latêrent insidiæ) Dei cõsilio, quod nulla humana prudentia uincere potuit, structæ. Vt intelligerẽt utriq; quid illud sit: Dominus, qui Messias est אישׁ מלחמה. Ab hoc igitur perito artis militaris Imperatore timeant sibi hostes Israelitarũ, hoc est, sanctorum hoc tempore. Tenet enim is & fugæ, & standi in acie artes. Et cùm maximè simulat fugam, tum præcipuè sciant hostes, illum eis perniciosum fore. Exempla clara eduntur, & edentur his extremis temporibus.

Cesserunt loco.) Similiter Græci, κατὰ ἀνεχώρησιν. Hebræũ uerbũ uehementius quiddam sonat וינגעו, in fuga suorum cædem Israelitis simulatam, quo magis ex urbe Ai hostes ad persequendum elicerent. Vafri stratagematis exemplum, sed quod sit per eum editum, de quo uates: Qui doces manus meas ad prælium.

Per solitudinis uiam.) Interpretibus מדבר, hic est locus מרעה, hoc est, locus pascuus, sic appellatus, quòd pastores in eo pecora ducant. id enim sonat רבר, à quo etiam deserta pascuis destinata nomen duxisse uidentur. Græci, ut noster, ἔρημα.

Leua clypeum.) Omnia militaria obeuntur munera, struuntur insidiæ, paratur fuga insidiosa, euocantur hostes, datur signum militare: sed omnia hæc diuino consilio, non humano. Legitur enim hic: Dixit Dominus ad Iosua, Leua clypeũ, &c. alij, hastã. Apparet, in summa hasta clypeũ pro signo defixum fuisse. Sanctitas populi declaratur, in quo omnia Dei, non humana ratione ac consilio gerantur: quo etiam certa illis uictoria paratur.

Regẽ quoq; Ai.) indignum habitum, qui fortiter gladio periret: contrà quàm accidit illius subditis, qui gladio pereuntes, probrosam crucem effugerunt. Non igitur in hoc Dei iudicio Vatis gentilis uersus locum inuenit:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Nam in hoc prælio rex turpi supplicio affectus est, subditis honestè in acie morientibus.

Iosua autem non contraxit manũ.) armatam precibus, ut olim fecerat Moses, uincens Amalechum. Cuius igitur Iosuæ typum præferat, pijs notum.

Regem quoq; eius suspendit in patibulo.) Horrendæ cladis exemplum. Vrbs incenditur, gladius promiscuè in omnes sæuit, parcitur in senes & in pueros, in uiros & mulieres, peccora prædæ fiũt. Rex tandem uiuus captus, in crucem adigitur, ignominiosæ mortis genere mulctatus. Quàm probrosum supplicium patibuli fuerit, declarat illud: Maledictus qui pendet in cruce. In cruce & Christus rex suspensus, maledicti nomen adeptus est. de quo Apostolus: Execratus factus est. Sed longè aliter maledictus rex Ai in Chanaane, maledictus Canaan, adactus in crucẽ est: aliter rex Christus. ille, ut cum suis periret, sua culpa: is aliena, quam præstaret, ad suos seruandos. Itaq; cruce sua pereunt impij: Christus uerò suos ab interitu uindicans, non solum nõ periit, sed nomen adipiscitur, quod est supra omne nomẽ. In patibulo triumphat de illo uerè maledictorũ principe, de quo his uerbis Apostolus: Et illud sustulit è medio affixum cruci, expoliatosq; principatus ac potestates ostentauit, palàm triumphans per semetipsum.

Vsq; ad uesperam.) ex sententia legis, de qua Deuter. 21.

Proiecerunt in ipso introitu ciuitatis.) in porta, in qua rex Ai iudicia sua exercens, superbè regnauerat, lapidibus obrutus iacuit, simul cum rege potestate regia prostrata. Sic reducto uelo, Christus Iosua de principe mundi triumphans, & hunc ipsum & portas ciuitatis eius euertit. De principe quidem legitur: Et princeps mundi iam iudicatus est. De portis uerò: Et portæ inferorum non præualebunt. Portis abeodem illo Iosua ciuitatis cœlestis extructis, de quibus Ioannes: Ostendit mihi sanctam ciuitatem, habentem portas duodecim. Grati igitur sint ciues huius ciuitatis, Domino, qui hostilis ciuitatis portis euersis, & rege eius prostrato, fores æternæ ciuitatis, in quam nihil ingreditur quod eam inquinet, extruat: & eas ijs qui in libro uitæ, hoc est, in ipso agno scripti sunt, aperiat.

Tunc ædificauit Iosua altare.) Interpretes Hebræi præpostero ordine hoc factũ recẽseri aiũt, more sacræ historiæ, in qua non seruetur ordo temporum. Nam hanc aram statim מוקדם ומאוחר erectam fuisse ex lapidibus, de Iordanis alueo exportatis in Gilgala, ut Iordanem ex mandato Mosæ traiecissent, de quo Deuteronom. 27. Ex quo loco primò perspicuum est, non prius excelsa, in quibus colerent extructis aris Deum, prohibita fuisse, quàm Dei cultus ædificato templo Hierosolymam translatus fuisset. nam in Hebale monte hæc ara Mosæ iussu erecta fuit. Secundò manifestum fit, hos duos montes, Hebalem & Gariz-

mum,

mum, uicinos Galgali fuisse, ut hic ex Iosua patet. Sunt autem hæc ordine in hac ara expendenda, primò structura eius ex lapidibus, & qualitas lapidum: deinde lapidum, & in illis inscriptæ legis ratio: postremò aræ usus, & significatio. de qua in Exodo.

De lapidibus impolitis.) שלמות, integros sonat. Interpres respicit illud quod in Exodo legitur, ubi pro שלמות, legitur גזית, id est politus. Politos per industriam humanam fero lapides non esse adhibendos ad aram, quos hic integros appellat, de quibus nihil decisum sit. Deposito typo, occurrit ara Christus, cuius corpus lapidibus illis uiuis, de quibus suprà mentio facta est. sed rudibus ac impolitis constat: quibus polien dis nulla humana ars adhibita sit. quos nimirũ solũ diuina cura, non prudentia humana, neq; durũ & intractabile, & bellis idoneum ferrum, sed agnus ille paci natus perpolire, amabili suo & leni spiritu debeat: qua de causa etiam in templi Salomonis ædificatione reiectum fuit ferrum.

Et obtulit super holocausta Domino.) In quib. quæ spectentur, in Leuitico explicatũ. adonea fuerunt holocausta Israelitis iam Iordanem transmissis, & professis nouam uitam per igneum spiritum ueri holocausti. de quo illud: Baptizabit uos spiritu & igni.

Pacificas uictimas.) de superato Iordane, & prospero ingressu in promissam hæreditatem gratias agentes. De usu & generibus & significatione שלמים, aliâs.

Et scripsit super lapides.) In uiuis lapidibus à Iosua Christo lex scribitur, de qua Ieremias: Dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Qui ipse adoptionis spiritus est, per quẽ clamant cœlestes lapides, Abba pater. Deuteronomium similiter Græci pro משנה δευτερονόμιον.

Media pars eorum.) De ordine, quẽ tribus in statione sua, quem item locum sacerdotes cum arca tenuere, deq; formula bene maleq; precandi, uideris in Deuteronomio.

Et primum quidem benedixit populo.) sacerdotibus pronunciantibus primò: Benedictus uir qui non fecerit sculptile. Iussisse Mosen, ut primo fœlicia precarentur: deinde, dira imprecarentur, suprà legimus.

Post hæc legit omnia uerba.) scripta capite 28 Deuteronomij.

IN CAPVT IX.

COngregati sunt pariter.) Obfirmati animo, Pharaonis exẽplo, aduersus sententiam illam Dei dudum latam, & iam patefactam euersa Hierichunte & Ai: Delebo gentes Chananæas. Sic enim ferebat fatalis illorum interitus, cum quo uerbi Dei cõtemptus, fiducia uanæ potentiæ, mala consilia ut confatalia coniuncta erant. Sicut cum Gibeonitarum, de quibus mox, salute, Dei ueneratio, et fides in eius uerbũ, præclaraq; cõsilia copulata cernũtur: in eandem Dei prouidentem præscientiam pariter exitu ipso & rebus conferentibus, ad exitum cadentibus. Cum igitur delendi essent impij reges certo & immutabili proposito Dei: hi neq; uoluntatem diuinam de tradenda Israelitis terra, neq; ostenta in Aegypto, in mari rubro, in Iordane, in euersa Hierichunte edita, curæ habuerunt.

Vna sententia.) Indicatur hac mystica historia, ut Chananæi reges in Iosuam concordibus animis conspirarunt: ita communi consensu impios conspirare aduersus pios, & eorum Imperatorem Christum cœlestem Iosuam. de qua conspiratione propheta, mysticam hanc conspirationem explicans: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Quod bellum nascitur ex dissimilitudine illa, de qua Apostolus: Quæ cõcordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli.

At qui habitabant in Gabaon.) Exemplum uafri consilij, sed ad præsens utilis, & ad salutem necessarij.

Audientes cuncta.) Audierũt & cæteri Chananæi, sed dissimili auditu. Gibeonitarũ aures diuinus spiritus percellebat, cæterorum Satanæ spiritus ad bella & cædes incitabat. Alteri porrò ex Deo erant, alteri non item. de his dicitur, Non potestis credere: de illis, Qui ex Deo est, uerba Dei audit. In uerbis autem tum oracula, tum præclara facinora & ostenta à Deo edita, comprehenduntur.

Callidè cogitantes.) sed ad hunc dolum diuina prouidentia instructi, qui ei neq; probrosus, neq; Israelitis exitialis, & Gibeonitis utilis esset. Gibeonitas autem fuisse Deo curæ, & hoc eorum uafrum consilium illi non displicuisse, documento est, quòd fœdus cum eis ab Israelitis initum, à Deo reprehensum nõ sit. cui illi tam chari fuere, ut propter iniuriam, qua affecti posteris temporibus fuerant à Saulo, Deus Israelitas triũ annorum fame afflixerit, ut patet ex libris Regũ: neq; prius legitur remississe annonæ caritas, quam ultio de Saulo esset sumpta. Accedit huc, quòd Gibeonitarum etiam sequentibus temporibus fides

in

in templum Dei declarata fuit, ut licet uidere ex Nehemia. Nathineos, quasi traditos templo, cuius curam gererent, appellatos uolunt. Ex hoc igitur perspicuum est, subducto mysticæ maledictionis & benedictionis uelamine, semper inuentos in Chanaane benedictos, & in Semo atq; Iapheto maledictos. Vt exẽplo sunt Israelitæ ex Semo, & Gibeonitæ ex Chanaane prognati. Quod mysteriũ pijs diligenter perpendendũ fuerit, ad cauendũ temerariũ iudicium de alieno seruo. De quo etiam aliâs. Cæterùm quod legitur hic, Sed & callidè agentes etiam ipsi: uolũt nonnulli interpretes, Gibeonitas uoluisse hic dolo dolũ pensare, quo olim Simeon & Leui Sichem filium Hemoris, ex Heuæo geniti interemerunt, de quo dolo in Gen. 34. Sed quàm longè sit petita hæc sententia, lectores satis uorum. Verisimile est, Gibeonitas tantis malis imminentibus cogitasse, non quomodo astu astum, & arte artem luderent, sed ut quacũq; honesta ratione & consilio salutem suam & opes tuerentur. Vbi legitur in Hebræo ערמית, Paraphrastes חבמא habet, quod sapientiam sonat, cum Hebræa uox uafriciem significet: indicat, uafriciem quandam laudatã esse, quandam uitiosam. Veteratorum, qui malos dolos ad nocendũ cõcinnãt, uafricies detestabilis est: in ijs uerò de quibus Dominus, Estote prudentes sicut serpentes, laudabilis. Græcis πανουργία, hoc est, improba uersuties ac calliditas, placuit.

Cibaria.) Heb. ויצטרו, id est, legatos nomine gentis suæ se uenisse, præ se tulerũt. Nostro interpreti similiter Paraphrastes ראיהרורי, ר pro ר, propter similitudinem lecto.

Saccos ueteres.) Quid uetustas hæc in saccis, uestibus, calceis, utribus, pannis notet in ijs qui in populi sacri fœdus, profani cũ essent, uenturi erant, non obscurum pijs: satis, lineas mysterij ostendisse, ad quod deumbrandum diuina sapientia dolis his usa est: ut etiam peccatis sanctorum, & afflictionibus ad arcana regni sui abutitur.

De terra longinqua.) Oratio ex genere deliberatiuo, locis æquitatis instructa. Meminerunt autem terræ longinquæ, qui scirent Chananæas terras, exitio destinatas, & Israelitis adsignandas. Vt infrà fatentur: Nunciatum est nobis seruis tuis, quòd promisisset Dominus Deus tuus Mosi seruo tuo, ut traderet uobis omnem terram, & disperderet cunctos habitatores eius. His ergo admoniti, ad pacem animum flectunt supplices, qui bello aduersus immutabile decretum Dei tueri se minimè posse intelligerent.

Ad eos.) Hebræus indicat Hiuæos fuisse Gibeonitas. Habet enim אל תחרי. Vt autem à Chanaane ortum suum duxerint Hiuæi, uideris in Genesi. Infrà capite decimo, Gabaon metropolis Hiuæorum uocatur.

Et non possimus fœdus inire.) ex lege hac: Percuties eos ad internicionem, fœdus cum eis ne ferito. Sed dicat aliquis, supràin Genesi Chanaanem non exitio deputatum, sed seruituti: Et Chanaan erit seruus eorum. Et alio loco יהיו לך למס ועבדיך. Sicut etiã legitur Salomon reliquum populum ex Amorræis, Ethæis, Pherezæis, Hiuæis, & Iebusæis tributariũ et seruituti obnoxiũ feciſse. Rectè quidem, sed qui dedissent fidem, accepto seruitutis iugo idololatriã se relicturos, & imperatum tributum soluturos. Vbi igitur in Deuteronomio legitur, Dei decreto Chananæos exitio destinatos, cum quibus Israelitæ nullum fœdus ferirent: intelligitur decretum Dei, de ijs qui spretis conditionibus pacis, idololatriam suam persequerentur, & tributum reiecta seruitute recusarent pendere contra illam Dei sententiam: Chanaan erit seruus eorum. ut detractasse hic reges Chananæi leguntur. Sed interrogas, Si ita res habet, quod igitur fuit discrimen inter exteras gentes & Chananæas? De hoc discrimine uideris in Deuteronomio. Exteræ gentes deuictæ non funditùs delebantur: parcebatur mulieribus, & infantibus, his belli iuræ seruituti addictis. Chananæi autem, si se non dederent, pariter in omnes, dum interirẽt, sæuiebat gladius, neq; maribus, neq; fœminis, neq; pueris, neq; senibus parcens. Cur autem tanta seueritate Deus in Chananæas gentes usus sit, remotiorem causam si spectes, occurrit sententia illa: Maledictus Chanaã, item: Deus cui uult, miseretur: quem autem uult, indurat. Sin autem uicinam causam, quæ sententiam iam expositam comitatur, consideres: gentis ex uitioso parente natæ improbitas occurrit, & terræ oraculis diuinis sacrandæ sanctitas, quæ ne uitijs sui ueteris populi pollueretur, tam seuerè Chananæos tractari diuina iustitia uoluit. de qua ratione his uerbis Moses in Deuteronomio: Ne fortè doceant nos facere cuncta detestanda scelera. Huius rei memores Gibeonitæ, hũc in modum respondent.

De terra longinqua.) Repetunt deliberationis locos, occurrendi Iosuæ gratia.

Serui tui sumus.) Demissio hæc ad fauorem conciliandum multum ualuit. Natura enim fauemus ijs qui se coram nobis deijciunt, ut contrà superbis infesti sumus. Spectarunt igitur in populi, quem Deus amaret, principe Iosua, animum æqui-

æquitatis amantẽ, qui sciret præclari Imperatoris esse parcere subiectis, ut ille ait, et debellare superbos. Profitentes igitur se seruos Israelitarum, duo perpendebant. unum est, propositum Dei de Chanaane, Seruus eorum erit: alterũ, satius esse seruitutis leges accipere, cedendo decrèto immutabili Dei, quàm salutem omnem perdere. alterũ fidei, alterum prudentiæ, quam fides moderabatur, opus erat. ideo sequitur:

Nomine Dei tui.) non deorũ alienorũ. Alius æquitatis locus, qui multũ momenti habuit apud sanctum ducem. Quæ igitur professio nominis Dei seruauit Raabam, eadem ut seruaret Gibeonitas par fuit: Deo nimirum nullam personarum habente rationem, ut est apud Petrum: Nũc scio, quòd in quauis gente, quæ timet Deum, acceptus est illi. Qualis autem in Gibeonitis & Raba fides fuerit, & qualis in omnibus insit, qui timent Deum, ante acceptum spiritum adoptionis, & quid sit spiritus adoptionis, quæq; eius uis atq; natura, & unde oriatur, et quorum proprius sit, & in quæ tempora publica eius dispensatio cadat, non est huius loci hæc disputatio.

Audiuimus enim famam potentiæ eius.) Hanc potentiam hic Gibeonitæ extollũt, de sua desperantes. Contrà faciunt reges, qui sua freti, diuinam contemnunt. Hi igitur cum sua potentia pereunt: illi humano præsidio diffidentes, seruantur. Exemplũ igitur præbent Gibeonitæ, sententiæ Dei manifestæ non solum repugnandam nõ esse, sed omnia etiã nostra ei subijcienda, fugienda impiorum consilia, se Dei potentiæ non submittentium, suam efferentium.

De cibarijs eorum.) ut cognoscerent de uetustate, uel ut initum fœdus, sicut nonulli uolunt, confirmarent. Post inita fœdera, ut conuiuia adhiberi solita sint, indicãt quæ in Gen. 31. de Labanis & Iacobi conuiuio, à percusso inter ipsos fœdere, celebrato, leguntur.

Et os Domini non interrogauerunt.) cum haberent sacerdotẽ Eleazarũ, cum Vrim & Thamim. Qui ut mandatum acceperit de consulendo Deo in causis magnis & difficilibus, in Num. cap. 27. traditur. Os Hebraico more, pro oracuło. Sic Paraphrastes: & inter rogare os, pro consulere, ac oracułum de rebus agendis, aut omittendis petere. Sed cur hic de neglecto oracuło acrius non reprehendũtur? Quod omnino Gibeonitis statuisset Deus benefacere, qui suam potentiam agnoscerent, & fidem uerbo haberent. Deus igitur & imprudentia Israelitarum, & dolis Gibeonitarum, ad amplificandam gloriam suam uti cum uellet, neq; in illos de non consulto oracułο grauius animaduertit, neque in his uafrum consilium atq; dolos iniquius tulit. Vt de perspicuum fit, pro malis dolis haberi, quos Deus oderit, qui in dictis aut in factis struuntur, nocendi alteri, & gloriam Dei imminuendi studio. Talis aũt Gibeonitarum dolus non fuit. Itaq; Deus neq; ne iniretur fœdus cũ Gibeonitis prohibuit, neq; iam initum rescindi iussit: & etiã consultus fœdere suo illos minimè excluſurus fuisset, ut nec Raabam exclusit.

Et quòd iurassent ei príncipes.) Dicat aliquis, hoc fœdus seruari non oportuisse, idq; propter duas causas: Vna est, quòd dolis esset expressum ab Israelitis, qui ita iniuerint fœdus cum Gibeonitis, si Chananæi non essent: Altera, quòd pugnauerit cum lege Dei, Fœdus cũ eis ne ferito. Mali doli impediunt iuramentum, pugnantes cum uerbo Dei, non boni. Quod uerò ad legem de fœdere attinet, quos illa attingat, & ad quos pertineat, suprà indicatum. Exemplo igitur seruati fœderis, quamuis dolo id extortũ esset ab Israelitis, admonemur, sanctè seruandũ esse, quicquid iuratum fuerit à nobis in nomine Dei: modo quod iurauimus, non dissentiat à uerbo Dei. neq; iuramenta irrita fieri propterea, quòd dolo decepti iurauimus. Si doli tales fuerint, qui neq; de gloria Dei quicquam detrahant, neq; ijs qui iurauerint pernicioſi habeantur, & ijs quibus iuratum est salutem afferunt. Tale autem uafrum Gibeonitarum consiliũ fuit. Siue igitur Deũ, siue Israelitas, siue Gibeonitas spectemus, fœdus istud rumpere minimè licuit. Quod enim ad Gibeonitas attinet, hi uenerant postulatum fœdus, nõ nomine uanorum deorum, sed Domini Dei, quem profitebantur Israelitæ. cuius cultum cum præ se ferrẽt uelle persequi, causa nulla fuit, cur minus eis seruaretur initum fœdus. Malè nimirum Dei nomine audituro inter prophanas gentes, quem gens coleret fœderum uiolatrix: & Israelitis nomen immanis populi obtenturis, à quorum consuetudine omnes deberent abhorrere, qui neq; clementiæ in subiectos & ultro se dedentes rationem tenerent, neq; in promissis & conuentis fidem & constantiam custodirent. Postremò uerò, si Deus consideratur, poterat sanctus uir Iosua scire, Deum proniorem ad misericordiam esse, quàm ad iram: qui mortẽ peccatorum non cuperet, qua perirent, sed potius pœnitentiam ad uitam, qua seruarentur. In horum autem numero Gibeonitæ fuere, ut indicat eorum confessio.

In nomine Dei.) Religioſi & prudentes

uiri perpenderunt legem: Nomen Dei in uanum ne usurpato.

Murmurauit igitur omne uulgus.) Vt imperitum consiliorum Dei, & quacunq; leui de causa irritabile aduersus duces ac principes suos, ut quod affectibus ducatur, non consilio & iudicio.

Contingere.) לגעת. Paraphrastes, לאנוקא.

Si peierauerimus.) qui intelligerẽt male dictioni se esse obnoxios, periuros ex formula maledictionis, de qua Deut. 27. & 28. unde Vates: Maledictio egreditur, & ueniet in domum furis, & in domũ iurantis falso, & cõmorabitur in medio domus eius, & cõsumet eam, ligna & lapides eius. Quo aũt Deus supplicio afficiat uiolãtes fœdera ac iuramenta, in Saulo & posteris eius cognoscere licet. Nam Saulus cum Gibeonitas euertere uellet, & quosdam interemisset, qui existimaret fœdus, quod dolo exortũ fuisset, seruãdum non esse, Deus eam iniuriam trium annorum fame, & occisis Sauli septem filijs ultus est.

Ligna cędant.) Non omnino impunè tulerunt dolos suos Gibeonitæ, sed pœna affecti sunt ob illos, quæ congruebat sententiæ illi: Et Chanaan erit seruus eorum. Itaq; iuramentum seruatum est propter publicam honestatem & uerbum Domini, & de uafricie sumpta pœna, quæ genti Chananeæ conueniret ad seruitutem semel deputatæ. Reuocata hypothesi ad thesim, qualis nascatur locus communis, non obscurum.

Vt in usus uniuersæ multitudinis.) dum hæc nondum occupata terra, militaret sub signis Iosuæ. Nam hac per sortem, ut diuisa est, assignata cuiq; tribui sua portione, Gibeonitæ calones & lixæ tabernaculi facti sunt, ubicunq; istud uersaretur. Sicut etiã in Galgale, Silunte, Noba, & Gibeone, atq; in templo Salomonis fecisse leguntur. Itaq; Iosua hic: Et non deficiet de stirpe uestra ligna cædens, aquasq; comportans in domum Dei mei.

Cur nos decipere fraude uoluistis.) Accusatio Gibeonitarum de fraude, quã colorat uehementi seueráq; interrogatione.

Itaq; sub maledictione eritis.) Sanctus uir spectauit diuinæ sententiæ iam olim latæ uim: Maledictus Chanaan. Non autem maledictio accipitur hic, de qua Dominus: Discedite uos maledicti, &c. sed maledictio, quæ in seruili cõditione cernitur. Nam Gibeonitarum fides, & eorum usus in tabernaculo & beneuolentia in illos Dei, ut ueræ execrationi obnoxij non fuerint, satis manifestè docent. At uerò de duplici maledictione, mystica & uera, temporaria & æterna, aliàs.

Qui responderunt.) Responsio Gibeonitarum, qua ad confessionem facti declinant, per deprecationem ueniam doli precantes.

Quod promisisset Dominus Deus.) cuius decreto non possemus resistere. צוה pro statuere, ac decernere in loco. Agnoscunt fidem & constantiam Dei.

Timuimus ergo ualde.) Necessitudinis loco in deprecando uruntur.

Nunc autem in manu tua sumus.) Miserationem commouent, seruitutem offerentes, non detrectantes.

Et altaris Domini.) euersis aris deorum suorum, quæ erat conditio fœderis. De quibus subuertendis Israelitæ etiam ipsi legem acceperant, de qua in Deuteronomio his uerbis: Aras eorum subuertite, statuas confringite, lucosq; succidite, sculptilia comburite.

IN CAPVT X.

QVæ cum audisset Adonizedech rex.) Commune regum Hierosolymæ nomen, מלכי צדק, aut צדנ: ut Aegyptiorum regum Pharao.

Et essent fœderati.) בקר בם Hebræa locutio indicat commune ciuitatis Israeliticæ ius, quo donati sint Gibeonitæ.

Timuit ualde.) sed non citra spem: quod declarat præsens illius deliberatio, quæ nulla susciperetur, nisi spes aliqua affulgeat pericula propulsandi. Loci enim consiliorum sunt, utile, facile, οἰκεῖον, hoc est, id quod fieri possit. Legitur hic quidem metuisse, sed qui ex metu iudicij diuini deterior, non melior sit redditus. contrà accidit Gibeonitis: his suus metus salutaris, illi exitialis fuit. Discrimen ex personis petendum, de quo sæpe. Spectantur aũt in personis, electio Dei, reprobatio, fides, infidelitas, & si quæ sunt huiusmodi.

Vrbs enim magna Gabaõ.) Quo magis eius ad Israelitas defectio hostibus terrori fuit, causa terroris exponitur.

Et una ciuitatum regalium.) Hebræus non indicat Gibeonitas regem habuisse, sed eorum ciuitatem parem regalibus urbibus magnitudine, opulentia & splendore floruisse. Legitur enim באחת ערי המלכה. Vnde intelligitur, qualis Gibeonitarum potestas fuerit: non regiam quidem, sed popularem remp. fuisse. Qua de causa ad prudentia consilia, quæ caperent, aptiores fuerunt, quàm ij qui unius dominatu regebantur.

Quam-

Quantus enim in tyrannorum imperio fastus, libido & insolentia insit, satis perspicuum ex omnium gentium historijs. Itaq; de tyrannorum superbia sequitur.

Vt expugnemus Gabaon.) Locus de sorte sanctorũ: in hos & in omnes qui illis ipsis cõiuncti sunt, ab impijs infestos animos geri. Hic tamen legitur Amorræos Gibeonitis infensiores fuisse, quàm Israelitis: quòd eorum qui uel gente, uel genere, uel quacunq; societate inter se coniuncti sunt, grauiores sint inimicitiæ. Vt indicat sententia illa peruulgata: Fratrum graues inimicitiæ. Arbitrãtur, qui hoc modo copulati sunt, conuenire, ut mutuis beneficijs societatem suam tueãtur, potius q̃ malefectis dirimant. Deliberationis igitur suæ rex Adonizedechus rationem reddẽs, sic dicit: השלימהי את הרשרע, id est, quòd pacem fecerit cum Iosua, cum capitali uidelicet hoste gentis nostræ, à quibus decuisset uicinos & communem patriam defendi armis, non hostibus perfidè prodi.

Congregati igitur, ascenderunt.) confisi opibus, potentia, & uiribus suis, quarum fiducia perditi sunt. Maledictus enim, qui ponit carnem brachium suum.

Ab auxilio seruorum tuorum.) quos æquum sit à dominis suis seruari.

Qui habitant in montanis.) Australis regionis.

Ascenditq; Iosua.) fretus non potentia sua, sed eius qui sic consolatus est: Ne metuito.

Repente.) Ad terrorẽ incutiendum inexpectata aggressione. ut contrà, præuisa mala minus perturbãt. Iosua dux peritus rei militaris, cũ consolatione Dei coniunxit ipsam occasionẽ, arma, fortes milites, industriã militarẽ. Simili occasione usus est Abrahamus, qui quoq; nocte in hostes legitur irruisse, Gen. 14. Eodem modo ad terrendos Aegyptios Deus nocte illorũ primogenita interemit. Nox igitur deputata est exitio hostium Israelitarum, hoc est, electorum: ut dies, saluti sanctorum. Nec id mirum. alteri enim filij diei, hoc est, lucis sunt, in qua seruentur: alteri filij noctis, hoc est, tenebrarũ, in quibus pereant. Itaq; apud Euangelistã de iudicio, quo cœlestis Iosua impios damnabit, sic legimus: Dico uobis, in nocte illa erunt duo in lecto uno: unus assumetur, & alter relinquetur.

Sic conturbauit eos.) Præcessit de subita & inopinata aggressione, quam perturbatio & confusio in hostili exercitu animis loco motis secuta sit.

Dominus.) qui promiserat: Ne timeto. Victoria igitur Israelitarum hac ratione cõstat. Deus primò promittit uictoriam, dicens: Ne timeas eos, in manus enim tuas tradidi illos. deinde hostili agressione, quam Deus prosperè per suorum militum fidem gubernat, hostes conturbãtur: tum quod proximum est, cædũtur, deinde in fugã uertuntur. nec hac contentus Deus, in fugientes grandine cœlesti grassatur: & duo illustria lumina, sol atq; luna, tantisper nouo miraculo, & inaudito, in cœlo stant, lucem suam prorogantia, dum hostes funditùs pereant. Postremò, ne ulla spes hostibus supersit, capti reges misero supplicio afficiũtur, munitæ urbes capiuntur & uastantur, & qui in eas euaserant interficiuntur. Hæc sunt stratagemata, quæ à Domino pro suis & per suos, in impios eduntur, de quibus ordine ex ipso scripto.

Lapides magnos.) Grando cœlestis armatur in impios Amorræos, qui & antea in Aegyptios armatus fuerat. Seruiũt omnia in Genesi descripta opera, Dei iudicio, ad perdendos sceleratos, grando, ignis, aqua, terra dehiscens, feræ, atque sol ipse & luna, sidera in usum humani generis & cæterorum animantium condita. Quod ad grandinem attinet, perpensa eius origine & natura, mystica ratio obscura nõ erit. Vt nec in luce solis & lunæ durante tantisper, dum semel destinati ad exitium Chananæi pereant, & Israelitæ seruentur. Nam utriusq; luminaris abdita significatio, ex Genesi nota est.

De cœlo.) de ea parte aeris, quæ nubium, pluuiarum, grandinum, fulminum, & cæterarum affectionum, quæ ex uapore è terra sublato fiunt, sedes est: de quo uapore in Genesi.

Tunc locutus est Iosue Domino.) gratias de uictoria agens. Sic Paraphrastes בבן שבח.

Sol contra Gabaon.) Precatio Iosuæ, qua precatur fieri, quæ naturæ semel instituto ordine solita nunquam sunt fieri. Sed qua ui fretus tanta petit? Fidei ui, cui omnia subiecta sunt: cœlũ, terra, maria, infernus, & Deus etiam ipse, qui fide uinci cupit à suis, per uictoriã & sibi gloriosam, & sanctis salutarem. à qua etiam uictoria Iacob ישראל, hoc est, uictor dei appellatus est, cũ Deum, q promissa sua nullo modo uelit uiolare, uinceret. Itaq; hic legitur, לשמע יי בקול איש. Cæterũ uerbũ דום, morari est hic, ac quiescere. Similiter apud Samuelem דמו הר עגיע גר, tropo sumpto à silentio. Græci σιάω. In precatione mandat soli, ut stet in Gibeon. Apparet ergo, summum, hoc est, meridianum cœlum, solem tum

tenuisse, cum has funderet preces.

Et luna in ualle Aialon.) In quam uenerant, cum occubuisset sol: ubi ut cœpit fulgere luna, orauit Iosua, ut hæc quoq; lumen præbens gradum sisteret, donec plena de Amorræis sumeretur ultio. Fuga igitur, quæ cœperat in Gibeone Beniamini assignata, durauit usque in Aialonem Daniæ tribus.

Steteruntq; sol & luna.) statam certamq; suã conuersionem relinquentes, donec uindicta peteretur de hostibus. Vnde intelligitur, omnia in mundo hoc aspectabili seruire saluti sanctorum, & exitio impiorum. Solem lucere, & lunam, tantisper dum uincant Israelitæ, & uincantur hostes, ut hic legitur: Et stetit luna, donec ulciscereturse gens de inimicis suis. Vtrũq; igitur sidus perniciosam inimicis lucem ostendit. Submota umbra, occurrunt duo lumina illa, in aspectum hunc non cadentia: alterum solis, quod lux illa est quæ de se dicit: Ego sum lux mundi uera: alterum lunæ, quod lumen illud humanæ intelligentiæ lumen est, de quo Apostolus his uerbis, Propterea quòd de Deo cognosci potest manifestum est illis. per nocturnum hoc conscientiæ lumen, de quo ille idem: Simul attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, &c. Vtrunq; istud lumen infestum & exitiale est impijs, & salutare sanctis Israelitis sub hoste Christo, de repudiatis pœnas positis thronis expetente, & liberante electos suos.

In libro iustorum.) Interpretes accipiũt de libro legis Mosaicæ, qui hic dicatur liber הישר, hoc est, recti & æqui, quod lex doceat. Nã in illo libro, de ostẽtis, quæ editurus sit Deus propter Israelitas suos, inueniri promissa. Huius sententiæ est Paraphr. רעל ספרא דאורייתא.

Non fuit antea & postea.) Amplificatio ostenti פני דאחרי: noto tropo, temporis notam habent.

Obediente Domino uoci hominis.) precationem eo exaudiente. Similiter Paraphrastes pro קול habet צלות. Locus de ui orationis sanctorum, cui se Deus cum creaturis suis subijcit, ut citius inuertatur natura rerum, quàm fidei orantium à Deo non satis fiat. Habebat Iosua promissum de quinq; uincendis regibus, de quibus cum uictoriam interdiu obtinere non posset, & nox prælium dirimens hostibus tutum in munita loca aditum aperiret, coguntur sol stare, & luna, dum inimici pereant, et sanctus exercitus uincat. Eodem modo mutata natura, mare rubrum instar muri stetit, ut orante Mose promissa Dei implerẽtur, Israelitis facta: & durissima petra liquorem, quo potarentur Israelitæ, fudit. Proximum de Iordane retrogresso exemplum non affero. Tantam item portenta edunt, ut intelligant sancti, quæ constantia sit promissorum Dei: & quantam uim sanctorum oratio, quam fides mundo & eius elementis imperando instruit, habeat: & quis demũ crucis & afflictionum, quas Deus immittit, usus sit ad corroborandã fidem. Coniuncta igitur hæc sunt, promissio Dei, afflictio, fides, & rerum quæ fide & spe præsumuntur impetratio. Vt præsens historia docet, & innumera alia exempla.

Reuersusq; est Iosua.) Anticipatio, ordine narrationis rerum gestarum pro more non anxiè seruato: ut declarat repetitio eorundem uerborum in fine facta, Reuersus est cum omni Israel ad castra in Galgala.

Fugerant quinq; reges.) Sed frustra, qui exitio destinati essent ab eo, de quo uates: Dominus reprobat consilia principum, consilium autem eius in æternum permanet.

Et se absconderant in spelunca.) sed sibi perniciali. Locus communis est, impijs omnia sua præsidia conuerti in exitium. Hoc est, neminẽ posse effugere iudicium Dei. Impij reges in spelũca defossa in terra spem suam reponunt, & pereunt: pij uerò in cœlo, seruantur, in quo norint habitare illum, de quo Vates: Qui habitat in cœlis, irridebit eos. & Amos: Non erit eis fuga, & qui fugerit ex eis, non seruabitur: si descenderit usq; in infernum, manus mea educet eum.

Verba Maceda.) quæ postea Iudæ tribui assignata est.

Voluite saxa ingentia.) Submoto uelo, ut nostro Iosua cum hostibus suis pugnante, Satã, Antichristus, prophetæ falsi clausi detineantur in spelunca, hoc est, in abyssso signato, ac clauso saxo, qui Christus est, claues abyssi & cœli tenẽs, declarat Iohannes his uerbis: Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus ac Satanas, & ligauit eum, & misit eum in abyssum, & clausit eum, & signauit super illum, &c.

Vos autem nolite stare.) In qua pugna nunquam, dum uictoria comparetur, cessante, ueritas cernatur, pijs satis notum. Hic Iosua standũ non esse admonet. Apostolus contrà dicit: State igitur lumbis circũcinctis baltheo per ueritatem. Alter prohibet, ne ignaui à persequendis hostib. in fugam cõuersis Israelitæ gradum sistant: alter, ut ingruentibus hostibus in acie fortiter dimicantes consistamus, pedem præ metu non referentes.

Vt extremos quosque.) Tropum in זנבתם

ובחם rectè interpres: hoc est, extremam agminis partẽ carpite. Metaphora à cauda sumpta.

Sani & integri numero.) Contentione illustratur uictoria. Suprà enim legitur de hostibus: Et usq; ad internicionem penè consumptis.

Mutire ausus est.) Figuratè notatur deiectio hostium in רלא חרץ לשנו.

Aperite os speluncæ.) Exponitur horrendum quinq; regum iudiciũ: in quo & historia mystica, & res notis mysticis adumbratæ, considerandæ fuerint.

Ite & ponite super colla regum illorum.) qui superbè freti potentia sua, sese Deo opponere, & duci eius Iosuæ ausi sunt: iam de regiæ amplitudinis sede deturbati, pedibus Israelitarum calcandi subijciuntur. Vera igitur est sententia illa uatis: Oculos superborũ deijcit, item: Detraxit potentes de sedib. & euexit humiles. In regum Amorræorum calcatione umbra cernitur, ueritas in calcatione de qua Apostolus: Deus autem pacis conteret Satanam sub pedes uestros. Et suprà in Genesi, sed tectius, de serpentis capite cõculcando à sobole Euæ: Et ipsum conteret caput tuum. Qui serpens ut damnatus fuit, qui humi serperet: sic Satanas humi pedibus sanctorum, duce Iosua Christo, proculcandus traditur.

Noli timere.) Signum calcationis accommodat ad usum confirmandi animos Israelitarum. Hortatio digna Iosua. sed longè præstantior nostri Iosuæ Christi sospitatoris, his uerbis ad suos Israelitas consolatio facta: Nolite timere pusille grex, quia complacitum est patri uestro, dare uobis regnum.

Vsq; ad uesperam.) ut lex Deuteronom. 21. tradita docet. Cadauer non sepultum inquinat terram Israelitarum. ideo suprà regi Ai, & hic quinq; regibus datur sepultura. Similiter Gogo & Magogo concedendam fore præmonuit Ezechiel: Et sepelient eos Israel, ut mundent terram septem mensibus. De qua mundatione terræ sacræ sepultis mortuis, Moses in loco suprà citato, his uerbis: Ne permaneto cadauer in cruce, ne cõtamines terram, quæ nimirum insignis, Deo inhabitatore, non mortuorum, sed uiuentium terra sit.

Sicut fecerat regi Hiericho.) qui neq; uiuus captus, neq; suspensus legitur.

Fecitq; regi Maceda.) Omnes hæ urbes, Maceda, Lachis, Lebna, Eglon, Nebron, Dabir, Gaza, Gosea, & reliqua quæ memorantur oppida, Iudæ cesserunt, de quo mox infrà.

Gozen.) Duplex igitur Gozen, altera Aegyptia, altera terræ sacræ.

IN CAPVT XI.

QVæ cum audisset Iabin, rex Asor.) Vnà cum uictorijs Israelitarum, crescit numerus hostiũ. pro regib. enim deuictis, qui iam commemorati sunt. plures alij potentiores ab Oriente, Aquilone & Occasu, qui Israelitis infesta arma inferant, excitantur. Vt hac ratione Deus & suam potentiam declararet, & sacri populi fidem rebus aduersis exploratam, ad iustũ robur, præstitis promissis, adduceret. Quod enim ad cõsiliũ Dei attinet, legimus infrà: Domini enim sentẽtia fuerat, ut indurarẽtur corda eorũ, & pugnarent contra Israel, & caderent. Cæterùm Asor hæc, de qua inscripto Iabis regis, regia sedes fuit, à Iosua primò uastata: deinde Naphthaliæ tribui sorte tributa, posteris temporibus à Thegatphalassare direpta est. Sunt & aliæ duæ in tribu Iudæ eiusdem nominis, quarum altera interdum חצרון appellata, uideris infrà cap. 15.

Ad regem Semeron.) Duplex legitur שמרון: altera in tribu Zabulonia, de qua infrà cap. 19. altera, in tribu Ephraim, inter Galilæam & Iudæam sita, quam posteris temporib. ab Amri Israelitarum rege conditam, produnt Regum libri.

Achsaph.) Infrà, Asaphta ut tribus Aseris terminus facta sit, legitur.

Ad reges quoq; Aquilonis.) Superiore uictoria reguli ad meridianam oram habitantes, deuicti leguntur: hic bellum atrox infertur à cæteris totius Chananeæ regibus, Orientem, Occidentem & Aquilonem tenentibus, quorum cæcum furorem declarat oraculorum Dei & populi tot ostentis, uictorijs & rebus fœliciter gestis inclyti contemptus. Conuocantur autem à Iabino, ut qui principem inter reges illos locum obtineret, sicut infrà legitur: Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. De lacu Naphthaliæ tribus celebri aliàs, ad quem campus iacet multis urbibus clarus

Dor.) Quæ cessit Manassensi tribui. Videris infrà cap. 17. Ampla olim ciuitas, iam deserta. Hanc, fertur ætate Machabæorum Antiochus rex obsedisse, 120 millium peditum, 8 millium equitum exercitu.

Ad radices Hermon.) Duo huius nominis montes traduntur: alter altissimus, qui trans Iordanem Panaadi imminet, Libanorum montiũ pars: alter minor cis Iordanem, non procul à Gelboa Palestinæ mõte, Sauli morte celebri. Quam sententiam uidetur confirmare Psal. 42. Duali numero והרמנים meminit. De minore Hermone

nonnulli intelligunt hic fieri mentionem. Nam מיצפה, terra in qua hic mons esse dicitur, Iudeæ annumeratur. Qui locus ille est, ut uolũt interpretes, in quo postea soliti sunt Israelitæ pro rerum natarum conuenire: propterea quòd is memorabilis factus esset tam præclara, tot & tam potentium hostium uictoria, ut hic legitur: Populus multus nimis, sicut arena quæ est in littore maris. Verisimile etiam est, in hoc loco extructam fuisse aram à Iosua, ut tãtæ uictoriæ extaret ad posteros monumentum, ad quam Israelitæ ad fundendas preces, si quando bellum aut aliæ calamitates imminerent, congregarentur. Sic enim scribitur in libro Iudicum: Congregati sunt ad Dominum in מיצפה. item primo Samuelis libro: Et conuocauit Samuel populum ad Dominũ in מיצפה. Aut si ita uidebitur, statuentur duæ huius nominis urbes fuisse: altera in Iudæa, altera ad Hermonem Libanorum partem.

Sicut arena maris.) ὑποβολικῶς declaratur hostium uis, quo magnitudo uictoriæ maior eluceat. Quò pertinet quoq; mentio equorum, & militarium curruũ. Iosephus ait, in exercitu trecentum millia armatorum militum, decem millia equitum, & duo millia curruum fuisse.

Ad aquas Merom.) Paludem interpretantur, quam Iordanis efficiat. Iosephus, ad Berothum ciuitatem Galilææ superioris castra posuisse dicit.

Dixitq; Dominus ad Iosue.) Indicatur in hoc loco, & hostes sua potentia insolentes factos, & Israelitas nonnihil deiectos: ut egerint hac consolatione, Ne timeas eos. Inde intelligitur, neq; hostibus suam fortitudinem & robur prodesse, neq; Israelitis animi demissionem & metũ tempore periculorum obesse. Alteri enim, cum sua fortitudine pereunt: alteri, in metu & infirmitate uincunt per eum qui his uerbis consolatur, Ne metuito. Illi enim confisi robori suo, experiuntur illud Vatis: Fallax equus ad salutem. hi desperantes de sua fortitudine, sapientia, potentia, sentiunt quid illud sit: Ne glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur, fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & noſse me: quia ego sum Dominus qui facio misericordiam, iudicium, & iusticiam in terra. Itaq; sequitur:

Equos eorum subneruabis.) hostes Israelitarum cum omnibus præsidijs suis, curribus, equis, urbibus pereunt.

Subitò.) ut solent repentino atq; inexpecto interitu in media securitate impij interire. Sic Caina soboles diluuio, Sodomitæ igni cœlesti, Pharao in mari rubro perijt. Stat enim illud: Cũ dixerint pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus.

Tradiditq; illos Dominus.) ex promisso.

Vsq; ad Sidonem magnam.) Clarissima urbs Phœniciæ, terminus terræ sacræ ab angulo Occidentali Aquilonari. Ad eam enim usq; Asseris tribus pertinuit.

Et aquas Masserephot.) מישרפת מים, sic appellatas uolunt ab ardore solis. Salinas ergo ibi fuisse putant. Vnde Paraphrastes habet הרתי ימא. Græci pro proprio nomine loci relinquunt, ὡς ἐως μασρεφωθ μαϊμ.

Campumq; Maspha.) prostratos hostes ad Aquilonem, ad Austrum & ad Orientem usq;. De loco מיצפה paulo suprà.

Fecitq; sicut ei præceperat Dominus.) quæ Dei sententia Iosuam equos, currus, urbes, homines uastantem, & ad internicionem perdentem crudelitatis crimine liberauit, Deũq; non sæuum iudicem declarauit, ut qui de sontibus expetat pœnas, & insontib. benefaciat, sicut Psalmus canit: Deus iudex iustus. Nequaquam igitur hæc de Amorræorũ horrenda cæde narratio inutilis est & ociosa, sed utilis & necessaria. Nã cõmendat nobis iusticiam diuinam, quæ sceleratis sua crimina impunè esse nõ sinat: unde ciuilis quoque magistratus & ius gentium de sceleratis puniendis, & bellis gerendis confirmatur. Deinde declarat Dei bonitatem, qui ut bonis locus sit honestè uiuendi, malos de terra tollat. Tertiò confirmat fidem sanctorum, cum uident præstari promissa de delendis impijs. Vt hic Israelitæ de euersis Chananæis promissa Dei, quæ multis retro seculis Abrahamo fecerat, impleta senserunt: Semini tuo dabo terram hanc. Nam quamuis uictoria regum Chananæorum, & ipsa terra Chananæa, ad nos nihil pertineat: exemplum tamen seruati fœderis, et impletæ promissionis ad nos pertinet, dum admonemur promissis diuinis nihil esse firmius atq; constantius, neq; quòd differuntur, & tot machinis ab hostibus oppugnantur, propterea minus præstanda fore. sed eorum impletionem per fidem expectandam esse, non festinandum per infidelitatem. Postremò utilis est hæc mystica historia de excisis Amorræis per Iosuam, ad admonendum de uictoria, quam noster Iosua Christus Dominus noster de suis Ammorræis, hoc est Satana, mundo & Antichristo, filio Satanæ, reportat, ut sancti promissa illa cœlesti hæreditate cum pace

&

& quiete tandem fruantur. Hoc non perpendentes nonnulli, iniquius de Deo sentiẽtes, ueteris fœderis Deum crudelem appellarunt. Legimus hic, Iosuam ex sententia Dei prælium confecisse, quæres laudem sancto uiro peperit, crudelitatis uitio liberauit. Contrà uerò Saulus in reprehensionem iniustæ clementiæ incurrit, regno spoliatus, quod Agagum regem Amalechitarum nõ interemisset. Eadem sententia damnatus rex Israelitarum, qui Benadabũ Syriæ regem seruasset: Quia dimisisti uirum morte dignũ, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Quapropter pietatis fuerit, occidere, perdere, uastare, cũ Deus iusserit: impietatis, parcere. Stat enim sentẽtia illa Hieremiæ uatis: Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter: & deuotus, qui prohibet gladium à sanguine. Itaq; ad laudẽ Iosuæ legitur hic: Fecitq; sicut præceperat ei Dominus.

Equos eorum subneruauit.) Pecora & iumenta in usum Israelitarum reseruantur, nõ item equi. Neq; id mirum. Præceptum de non augendis equis à Mose acceperant, & Pharaonem cum equis & curribus suis in mari rubro absorptum uiderunt. Neq; ignorabãt illud: Hi in equis & curribus, nos uerò in nomine Domini. Iumenta igitur cætera & pecora ad uictum reseruarũt: equos, superbũ & militare animal (ut Latinus poeta dicit: Bello armantur equi) eneruarunt.

Et percussit omnes animas.) Infrà: Cãctis hominibus interfectis. Nam ex iumentis prædam fecerunt, ut in scripto legitur.

Vnam tantum Hasor.) metropolim & caput regni, cuius rex autor fuerat suscepti aduersus Israelitas belli.

Cæpit itaq; Iosua omnem terram.) quantum tum satis esset habitationi Israelitarum. Multas enim ciuitates non occupatas à Iosua, scriptum hic indicat.

Mõtemq; Israel.) sic appellatũ, quòd ad eum olim Iacobus patriarcha habitauit. Vel ut alij uolunt, de montib. terræ sacræ generatim exponitur: ut sunt Libani, Carmeli, Thabor, Samariæ mons. qui Israel montes dicuntur, quòd posteà cesserint Israelitis: sicut infrà montes, quos ad Austrum reges tenuerunt, montes Iudæ uocantur.

Et partem montis.) Paraphrastes טוראפלגא, id est, נחלק שחיה. Sunt qui montem illum חלק, id est glabrum, hoc est, uacuum arboribus interpretantur. Huiusmodi enim sonat חלק interdum: ut licet cernere in illo de Iacobo, איש חלק.

Vsq; ad Baal Gad.) Paraphrastes, בעל pro בירשר. Alijs proprium nomen loci, ut Græcis ἕως βαάλγαδ: quos sequitur uetus interpres. Duos extremos terminos significat terræ sacræ, Australem & Aquilonarem: à montibus Australibus, in quibus Bersabee, usq; ad Aquilonares mõtes, qui Libani sunt, in quibus Dan sita est, occupatam terram à Iosua.

Multo tempore pugnauit Iosue.) Quot uerò annis, infrà indicabitur cap. 14.

Et pugnarent.) cæci furore. Hanc cæcitatis & obfirmationis uim, Latinus etiam uates expressit:

Instamus tamen immemores, cæciq; furore.

Et caderent.) Duæ igitur causæ obfirmationis fuere. Vna, ut scelerum suorũ luerẽt pœnas, peccata peccatis diuina iusticia ad interitũ impiorum puniente. Fuerant enim antea Chananæi tyrannide, promiscua libidine, luxu perditi: ad hæc scelera traditi in peruersam mentem, addiderunt oraculorum & sacri Dei populi contemptionem, ut iusto Dei iudicio perirent, qui seruari nollent: ut hic legitur, Et caderent. Accommoda ad præsentia tempora. Altera causa interitus fuit, ut oraculis Dei satis fieret, de quibus his uerbis: Sicut præceperat Dominus Mosæ. Atq; hi sunt fatales regnorum mundi exitus, Dei consilio constituti, quos etiam gentium prophetæ non ignorarunt:

Venit summa dies, & ineluctabile tempus
Dardaniæ. —

Sed ut rem altius repetamus. Sic Antichristus longo iam tempore in loco sancto grassans pro libidine, his nouissimis temporibus suæ obfirmationis causas habet, ut funditùs suo tempore in albo decretorum Dei designato, cum suis ministris intereat, propter peccata, de quibus Ioannes his uerbis: Quoniam peruenerũt peccata usq; ad cœlum, & recordatus est Deus iniquitatum eius.

Et interfecit Enachim.) Qui antè metũ attulerãt exploratoribus à Mose de deserto Pharane missis: hic fortiter interfecti leguntur. Sic enim in Numeris scribitur: Ibi uidimus monstra quædam filiorum Enach, de genere gigantũ: quibus comparati, quasi locustæ uidebamur. Huc respicientes gentiles uates, suos gigantes sic depingunt: Monstrum horrendum, informe, ingens. Qua de causa interdum נפילים, ab opprimendi alios tyrannide: & interdum אמרים, à metu & terrore, quem afferunt, appellantur. Memorantur igitur gigantes deleti, ut intelligatur, à sanctis tãdem etiam fortissima mundi uinci, per Iosuã suum, qui de se dicit: Ego uici mundum.

De montanis Hebron.) Sic etiam Latinus

nus uates, gigantes suos in montibus uersari fingit: Infandi Cyclopes & altis montibus errant. Vbi Homerum, Græcum uatem, imitatus est: χήρσιν ὀρεσκώοισιν. —

Absq; ciuitatibus Gaza.) hæ urbes Palestinæ, non Iosuæ temporibus, sed postea, partim iudicum, partim regũ temporib. sunt captæ.

A' prælijs.) Quæ quies à bellis sit futura, obtinente omnia Iosua Christo, declarat illud uatis: Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercitabuntur ad prælium.

IN CAPVT XII.

HI sunt reges.) Summatim regũ ab Israelitis uictorũ nomina perstringuntur, quo & uictoriæ Israelitarum & contumaciæ impiorũ in posteros exẽpla extent. In tabulis igitur sacræ historiæ, & piorũ & impiorũ nomina consignantur: sed q̃ dissimili ratione id fiat, aliàs indicatum.

Ad torrentem Iaboc.) Clarum Iacobi cum angelo Dei, quæ ad illum fluuium commissa est, lucta.

A' torrente Harnon.) Australis limes est, de quo uideris in Numeris.

Vsq; ad Hermon.) Aquilonaris terminus, pars Libani montis. Hi sunt duo generales termini regnorum Seonis & Oggi regum.

Quæ respicit solitudinem.) Arabum.

Qui habitabat in Hesebon.) Clarissima Arabiæ urbs, quam cæpit Seõ Ammorræus à Moabitis, ut in Numeris patet. Apud Salomonem uiuarijs clara est, quibus ille dilectæ suæ oculos comparat. Rubenensis tribus, Septentrionalis terminus facta est. Describitur hic regio Seonis regis. Inspiciẽdæ sunt tabulæ, longitudo ab Arnone, usq; ad montana Galaadi, diuisa flumine Iaboco. Latitudo uerò usq; ad mare Cinerethum, quod & Galilæum appellatur. Inter utrumq; igitur mare, Mortuum, & Cinerethum, procurrit ditio Seonis.

Phasga.) iugum montium Abarim, in quod iussus est Moses ascendere, iam moriturus. Ab austro igitur hunc montem regnum Seonis habuit, à meridie aũt Bethiesimoth, & radices montis Pysga, cum uillis & urbibus, quæ regio cessit postea Rubenensi tribui & Gadinæ.

Terminus Og regis.) Describitur terra Oggi. De cuius regno, ut occupatum sit ab Israelitis, uideris in Num. Hoc cessit Manassensium dimidiæ tribui.

De reliquijs Raphaim.) sic enim in Deuteronomio legitur: Solus quippe Og rex Basam resliterat de stirpe gigantum, quos in Astarotho, loco gigantũ nobili, Genesis liber indicat delectos.

In monte Hermon.) qui ut trinominis fuerit, in Deuteronomio indicatũ: Syrius, Senir, Hermon. Septentrionalis igitur terminus regni Oggi, Hermon fuit: australis, montis Galaadi finis ditionis Seonis regis.

IN CAPVT XIII.

HOmo senex.) Seruato rerum gestarũ ordine, ut deuictis hostibus occupata terra tributim distributa sit, exponitur. Ad diuidendam aũt terrã Iosua dux iam senex, ad tantum munus ætate quoq; suum autoritatis põdus addente, deligitur. Quoto autẽ senectutis suæ anno Iosua, quem constat centum & decem annos natum obijsse, terram diuiserit, scriptum nõ indicat. In hac igitur narratione hæc perpendenda fuerint: Hæredes, hæreditas ipsa diuidenda, diuidendi ratio, & is per quem iussa est illa diuidi: postremò, ut mysticæ lineæ ad ea quæ in hac diuisione adumbrantur, seruata illa Apostoli regula: Dijudicanda corporata corporatè, & spiritualia spiritualiter accommodentur, uidendum. Nam ut Iosua non solũ rebus gestis, sed etiam nomine nobis Iesum Messiam repræsentãs, per singulas urbes, uiculos, montes, flumina, torrentes atq; confinia, cœlestis hæreditatis regnum describat, non est obscurũ. quæ cum non humana ratione, sed diuino consilio sanctis assignetur, iubetur hic Iosua terram uictori populo, non suffragio, sed sorte partiri, quam Deus regit.

Terraq; latissima.) Hebræus indicat, terram nondum tempore Iosuæ totam occupatã, sed multam eius partem relictam hostibus ad inhabitandum. Cuius rei causæ in Exodo & in Iudicum libro exponuntur.

Omnis uidelicet Galilæa Philistijm.) גלילות terminos aut regiones hic notat. Itaq; Paraphrastes בלהתרמיא. Notatur, Palestinam ab Israelitis, Iosua uiuente, occupatam non fuisse.

A' fluuio turbido.) Communi interpretum sententia שיחור Nilus est, fortasse sic appellatus à crasso obscuroq; luto, quod ille secum ducit: notæ enim significationis est שחר. Et Nilus oblimatus dicitur fluere. huius enim fluminis eodem nomine liber Paralipomenon meminit, בישיהור מיצרים. Nam Nilus ab angulo דרמי ערבו, id est, ab angulo australi Occidentali terræ sacræ uicinus est. Intelligitur ergo ex hoc loco, à Iosua nõ omnem Australẽ limitem occupatum fuisse, sed eam solum partem, quæ à Zine solitudine, ubi mons חלק, de quo supra in

Seir usq; pertingit. Sunt qui שיחור nõ de Nilo interpretantur, sed de riuulo quodam ex Nilo orto, qui ab occasu terminans Iudæam in mare mediterraneum, non procul ab ostijs Nili exonerat: alij Sichor fluuium interpretantur, cuius ostia apud Rhinocurum esse dicunt.

Gazeos.) Antiquitate & potentia celebris urbs. Nonnulli autores Gazam appellatam uolunt, quòd Cambyses suscipiens profectionem cõtra Aegyptios, in hac urbe thesauros, quos gazas per sæ uocant, deposuisset. Falsa est hæc nominis urbis istius ratio. Antiquior est enim multis annis expeditione Cambysis עזה, quæ à Græcis addita aspiratione Gaza dicta est. Itaq; Stephanus ait, illam à Syris Azam appellari. Hac posteris tẽporibus ab Alexandro magno uastata: altera, in Gazæo portu, cuius meminit Strabo, extructa est, stadijs propè uiginti à uetere distans.

Azotios.) ab אשדוד urbe, quæ modicè inflexis literis, ab exteris Azotus appellata est, inter Ascalonem & Ioppem, antiquissimam urbem, sita. Hanc gigantibus, qui in illa remanserunt, claram fuisse, suprà dicitur.

Ascalonitas.) Quorum urbs Ascalon maritima, Azoto ad Austrum adiacet. Hæc Iudæ assignata est. sed ut ab hac tribu primò capta fuit, mox deinde defecit, ut in libro Iudicum ostenditur. Clara uaticinijs urbs prophetarũ, Hieremiæ, Amos, Zophoniæ. Est in historijs, hanc urbẽ dedisse excellentes philosophos & rhetores.

Gethæos.) quorum urbs גת clara hospitio Dauidis, qui Saulum fugiens ad Achim tum illius regem confugisse, in libris Regum traditur. Vt gigantes aluerit, declarat Golias Gethæus, à Dauide interfectus. Vrbs rebellis semper fuit Israelitarum imperio. Primò enim Daniæ tribui assignata, non prius expugnata legitur, quàm Dauid cœpisset regnare: & postea, ut rebellasset, à Roboamo Salomonis filio restituta scribitur, quam postea Ozias Amaziæ filius iterum destruxit. Hæc huius urbis fuere fata. Falluntur, qui prius Anthedonem appellatam uolunt. deinde Geth, Nam, ut iam inde ab initio dicta fuerit גת, Hebræa indicant.

Et Accoronitas.) Quinta Philistinorum urbs, uicina mari inter Getham & Azotũ, quam ad Austrũ habet, sita. Quæ assignata quidem fuit tribui Iudæ, nec tamen retenta ab ea, quòd pristinos habitatores non potuit expellere. Hieronymus scribit usq; hodie grandẽ uicũ Iudæorũ Accaron dici, inter Azotũ & Iamniã ad Orientem respicientẽ. Atq; hæ sunt quinq; Philistinorum satrapiæ, quas Israelitæ, dum uiueret Iosua, non occuparunt, & semper postea infestæ sacræ genti fuerunt. Quod mirandum non fuerit. à Chamo enim, Noæ infami filio, originem suam, ut in Genesi legitur, duxerunt.

Ad meridiem uerò sunt Euæi.) Similiter nonnulli Hebræi interpretes והעיים connectunt ad sequentem uersum. Alij uerò dicunt, quinq; solum illustres fuisse satrapias: Auæorum uerò, ut ignobilem, inter illas quinq; non numeratam. Quamobrẽ ubi legitur in Hebræo מהתימן, id est, ab Australi parte tota Chananæorum terra: sententia erit, ab Austro Aquilonẽ uersus, per fines Palæstinorum eundo ad Meera Sidoniorũ, usq; ad Apheca, & à Libanis montib. usq; ad Orientem, restare terram ad occupandum. Extremæ igitur oræ indicantur hic, nondum possessæ uiuente Iosua, quæ posteris temporibus aliæ alio tempore sunt occupatæ. Nondum enim ea multitudo Israelitarum erat, quæ satis esset ad possidendam tam amplam & laxam terram. & satius fuit illam hostibus, quã colerent ad tempus, relinquere: quàm eam desertam cultoribus, feris & bestijs replere. qua de re in Exodo his uerbis legitur: Nõ eijciam eos à facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ: paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis & possideas terram.

Veniat ergo in partem hæreditatis.) In Hebræo uerbum התילה legitur, quod est, iacere ac mittere sortem. Vnde intelligitur, submoto typo, non humana ratione hæreditatem sanctis assignandam, sed arbitrio Dei.

Et nunc diuide terram.) Iam aggreditur ad diuidendam terram, quam aucti suis temporibus possideant. Exorditur à Rubenensi & Gadina, atq; dimidia tribu Manassensium, quæ trans Iordanem duce Mose Oggi & Seonis regum regna sortiti fuere, reliquis nouem tribubus & dimidia Manassensium tribu cis Iordanem hæreditatem suam adeuntibus.

Ab Aroer.) Terminus Australis, urbs olim Moabitarũ: postea Amorræis iure belli cessit. Inde à Rubenensi tribu occupata, cũ Moabitas læde re nõ liceret. At sunt suæ regnorum cõuersiones. hæc urbs cũ alijs posteris temporibus occupata à Moabitis fuit, ut licet ex oraculo de clade Moabitarum, apud Iesaiam & Hieremiam cognoscere.

Arnon.) in mõtibus Arabiæ ortus, & per desertũ fluens, tandem à mari mortuo excipitur. Atq; is Moabitas ab Amorræis separauit, ut in Numeris legitur.

Medaba.) Hãc antiquum nomen etiã suo tempore retinuisse, scribit Hieronymus. Clara est cum Dibone uaticinio Iesaiæ uatis, & Hieremiæ.

Et Galaad.) Mons is longè protenditur, Libani montis iugo copulatus. Est enim Libanus mons in multa iuga & nomina diductus: alibi Antilibanus, alibi Traconi, alibi Gileadus uocatur, alibi Hermon. Nomen גלעד accepit à lapidum aceruo, quem in testimonium icti fœderis Laban & Iacobus congesserant. Ad quem montem Iacobus septimo die è Charris profugus uenerat. Mõs clarus optimis pascuis, arboribus odoriferis, resina ab ipso etiam Hieremia celebrata: Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? Arbitrantur nõnulli, montem Galaadum à Strabone Trachones montes appellatos. Vnde & regio quæ trans Iordanem, circa Iordanis ripã extenditur, Trachonitidis nomen accepit.

Gessuri.) Sunt qui putant hanc Cœlesyriã esse, à Ptolemæo dictam Bathanæam.

Montem Hermon.) De cuius altitudine aliâs.

Leui.) ut in Israelitas spargendo ad docendi usum, & ad tabernaculi sacrorumq; eius cultũ cõsecrato. Qua de causa, ut hæc trib. Deo sacrata fuit, ita quoq; ijs quæ Deo cedebant, tanquã patrimonio est usa: ut fuere decimæ, primitiæ, sacrificia. Inde sub finem: Quoniam Dominus Deus Israel est possessio eius. Hæc est sacerdotalis gentis dignitas. At in Leuitis typus: ueritas in quo sacerdotio cernatur, notum.

Dedit ergo Moses.) Rabeni primogenito, ut primo sua pars assignata est, ita primus in exilium ductus est ab Assyrijs, ut idola colere cœpisset. ut legitur in primo Paralipomenon libro.

Dibon quoq;.) In Numeris hæc Gadinis legitur assignata à Mose. Limitanea ergo ciuitas fuisse intelligitur.

Iasa.) Hic Seon rex uictus fuit, ut legitur in Numeris: Et egressus est obuiam in desertũ. Vtq; uenit in Iasa, percussus est. Huius meminere Iesaias & Hieremias.

Et Cedimoth.) Vrbs & solitudo est, unde Moses nuncios misit ad Seonem regem Amorræorum, ut legitur in Deuteronomio: Misit ergo nuncios de solitudine Cademoth, ad Seon regem Hesebon.

Et Asedoth Phasga.) Phisga & iugi mõtium Abarim, & ciuitatis ad radices montis sitæ nomen fuit. Apparet à scatebris fontium loco nomen indicum, אשרות פסגה. De Abarim autem montibus, ad quos quadragesimaprima castrorum metatio facta est in Numeris. Horum iuga sunt, quicunq; per Moabitas & Rubenensem tribum montes memorantur.

Cum principibus Madian.) De quibus in Numeris cap. 31. Quorũ nomina hic quoq; memorantur, Eueus, Recem, Zur, Hur & Ribea. Appellantur autem hi duces ac principes Madianitarum, Seonis regis duces, quòd huius tributarij essent, & eius imperio parêrent. Quæ res potentiam regis Seonis declarat, cui & Moabitæ subiecti fuerint. Sed maior potentia sanctorum Israelitarum fuit, qui cum maxima laude sui Dei, tam potentes hostes uicerunt.

Et Balaam filium Beor ariolũ.) De Bileami patria, arte diuinandi, ut huius imprecatio in salutaria uaticinia de rebus Israelitarum, quos diris ille perdere studebat, conuersa sint: uideris in Numerorum libro.

Occiderunt gladio.) ut autorem scortationis, quam Israelitæ admiserant cum Madianitarum muliebribus. ut legitur in Apocalypsi Ioannis: Quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat in Balaac mittere scandalum coram filijs Israel, edere ex his quæ simulachris immolantur.

Iordanis fluuius.) ab Occasu.

Hæc est possessio Rubenitarum.) in Iosua hic non omnia loca, quæ Rubenensis tribus tenuit, memorantur, multa omittuntur. Vt est Nebo mons contra Hierichuntem, in quo mortuus est Moses, & in subiecta ualle sepultus, ut in Deuteronomio legitur. item Macherus castellũ, & oppidum Herodis, in quo Ioannes Baptista captiuus detentus fuit, & cæsus, Iosepho autore. item Sittim campestria, iuxta montẽ Peor, in quibus fornicati sunt Israelitæ cum mulieribus Moabitarum. præterea Eleon oppidum, cuius mentio fit in historia Iudith: Atque diripuit omnes filios Tharsis, & filios Israel, qui erant contra faciem deserti, & ad Austrum terræ Heleon. item Betharaba desertũ Rubenis, ubi Ioannes baptizabat, & quò Christus conceßerat à cæco sanato. item Arabes Nabathæi, quorũ metropolis Petra, de quibus libro primo Machabæorum: Iuda transiuit Iordanem, & abijt uiam trium dierum in desertum, et occurrunt Nabathæi. item Nimrim urbs, de qua meminit Iesaias: Aquæ Nimrim in desolatione erũt. Et nõnulla alia loca, ut Abarim mons, Abela Sittim. Ciuitas est & palmetum, teste Iosepho, contra Hierichuntem procul à Iordane sita dijs 10 Nimrith, de quo loco in libro Iudicum. & Ezechiel: Institores tui cum frumẽtis terræ Minith,

nith. Callhiroe fons & oppidum: spelunca ibi est ad uallem Babras, cuius altera pars frigidissimum fontem, altera calidissimum fundere fertur: qui uno riuo coniuncti, balneas salutares temperant. Exoneratur hoc flumen in Asphaltiten lacum. Aroer regio Arnonis, de qua Iesaias: Derelictæ ciuitates Aroer gregibus erunt.

Deditq; Moses.) Describuntur fines hæreditatis Gadinæ tribus. Ab Austro Rubenensem tribum & Nabathæos Arabes, à Septentrione cum Manassense tribu Libanos: ab Oriente Ammonitas, ab occasu Iordanem tenuit.

Iaaser.) Hæc uicina Rabbæ Ammonitarum, clara Iesaiæ & Hieremiæ uaticinijs, ab Esebone quindecim millibus distans. Insignis flumine est, quod ex ea ortũ in Iordanem influit, Hieronymo autore.

Et omnes ciuitates Galaad.) Qui Septentrionalis Rubenensium terminus sunt.

Et dimidiam partem terræ filiorũ Ammon.) sed quam ab Ammonitis Seon Amorræorum rex iure belli cæperit.

Contra Rabba.) Hæc Rabba Ammonitarum primò ab amplitudine appellata, & Amona Stephano autore: deinde Philadelphia, à Philadelpho rege. Est una ex decem Decapolitanæ urbibus.

Ramath.) Hæc sacerdotalis ciuitas est, & fugitiuorum: nunc uicus, in decimoquinto miliario à Philadelphia.

Maspha.) diuersa à מִצְפֶּה, quæ suprà nominata est: altera Gadinæ tribus est, altera Iudææ. Hæc quoq; separata Leuitis fuit. Apparet hunc locum esse, quo in Gileado monte fœdus Iacob & Laban inierũt, de quo uideris in Genesi.

Et à Mahanaim.) Huic loco uidentur cæstra à Iacobo sic nominata nomen dedisse, de quibus Gen. 32. Vicinus est Iabocus fluuius, qui inter Philadelphiam & Gerasam fluens, in Iordanem exoneratur.

Dabir.) Sunt huius nominis & aliæ urbes. nam & Dabir in tribu Iudæ, & altera in tribu Dania: deniq; eodem nomine uillula quædam in monte Thabor.

Et Succoth.) Videtur locus esse, in quem uenit Iacobus è Mesopotamia, de quo Gen. 33. A' tabernaculis nomen duxit. In his finibus etiam Penuel locus, in quo Deus Iacobo apparuit, continetur: de quo Gen. 32.

Hæc est possessio filiorum Gad.) Atqui sunt & alia loca, quæ hæc tribus tenuit, in hoc libro non memorata, Ephraim saltus apud Machanaim, ubi Absalon fuit cæsus. Atharoth, cuius meminit Moses in Numeris. Bithrõ regio, de qua in libris Samuelis: Abner autem, & uiri eius, abierunt per campestra tota nocte illa, & transierunt Iordanem, & perambulauerunt totam Bithron, dum uenirent in Mahanaim. Baschama locus, de quo primo Machabæorum. Bean, de qua illud: Et recordatus est Iudas improbitatis Bean. Dathemam munitio in Gileado Iudæorum, de qua his uerbis in Machabæis: Et conuertit Iuda à munitione Dathemam in Misspha. Cassphor ciuitas Gileadi. Machane in Arnone, fit eius mentio in secũdo Regum. Mageda oppidum Gileadi, de quo primo Machabæorum. Nobach, cuius fit mentio in libro Iudicum: Et ascendit Gedeon à Panuel per uiam habitantiũ in tabernaculis ab Oriente ipsius Nobach. Socho ciuitas munita in mõte Gileadi, uicina Penneli in uia fugæ Madian. Thob, de quo in libro Iudicum: Et mansit in terra Thob. Locus uicinus Iaazer, de quo Iesaias: Plorabit in fletu Iazer, in fletu uitis Sibma.

Dedit & dimidiæ tribui Manassæ.) altera dimidia tribu in terra Chanaane hæreditatem suam sortita per Iosuam.

Vicos Iair.) à Iair filio Manasse occupatos, & inde nomine ipsius appellatos, ut in Numeris traditur. Iair autem filius Manasse, abijt & occupauit uiculos eorum, quos appellauit uicos Iair. Sicut etiam Noba, uiculis à se captis nomen dedit, quorum in Numeris fit mentio.

Et dimidiam partem Galead.) quantum eius est supra Iabocum fluuium ad Septentrionem, ubi coniungitur monti Hermoni.

Et Astaroth.) antiqua ciuitas. Hanc tradunt nõnulli in regione Hus, patria Iobi sitã fuisse. Hieronymo enim autore, Iobus Syrus, non Idumæus fuit, de genere Nahor fratris Abrahami. Sed hac de re aliàs.

Et Edrai.) ubi Oggus rex interfectus est, de quo his uerbis in Deuteronomio cap. 11. Egressus est Og rex Basan cum populo suo ad pugnandum in Edrai. Quæ posteris temporibus Adara est appellata, clara Arabiæ ciuitas. Suprà etiam Gesuri regionis fit mentio, quæ descendens à Libano monte, ad Iabocum flumen, adsignata est dimidiæ tribui Manassæ, sed eius exiguam partem occupauit. Item Machanati fit mentio, quæ urbs iuxta montem Hermonem sita fuit, regia eius Syriæ, quæ pars Gesuri, quam Cœlesyriam uocãt, dicitur. Meminit Moses & Argob regionis, quæ cesserit Manassensi tribui: Et omnem Basan regni Og tradidi dimidiæ tribui Manassæ, omnem re-

gionem Argob. Dicit Hieronymus, suo tempore fuisse uicum circa Gerasam urbem Arabiæ, Arga appellatam. Præterea Iabis in libris Regum fit mentio, quam in ditione Manassensium collocant: Et egressi à Iabis uiri, & tota nocte iter agentes, uenerunt ad ciuitatem Bethseam.

Dimidiæ parti filiorum Machir.) Huius primogenitus Gilead, montem Basanem occupauit.

Tribui autem Leui.) Dicas, assignatas etiam Leuitis suas urbes, ad habitandum, sed acceptas ab Israelitis. Intelligitur ergo, Israelitarum hæreditatem, ea quæ Deo proprie cedunt, ut erat decimæ, primitiæ & sacrificia, Leuitarum esse.

IN CAPVT XIIII.

ELeazar sacerdos, & Iosuæ.) Moses extra Chananæam tribuit duabus tribubus & dimidiæ Manassæ tribui suam hæreditatem. Iosua & Eleazarus sacerdos intra Chananæam reliquis suam cuiq; distribuit. Submota umbra Iosuæ & sacerdotis Eleazari, occurrit dux & sacerdos Christus, distributor cœlestis hæreditatis: in cuius regio sacerdotio, quæ spectentur, de ijs aliâs.

Sed in eorũ fuccesserunt locum filij Ioseph.) Hoc duas partes sortito, quarũ una primogenituræ dignitas erat: altera in regno cernebatur, quo Iuda ornatus fuit, & utraq; spoliatus primogenitus Ruben. Ex sententia autem benedicentis patris Iacobi, duæ partes tributæ sunt Iosepho in Ephraim & Manasse, de quo Gen. 48. his uerbis: Duo ergo filij tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti, antequam huc uenirem ad te, mei erunt, Ephraim & Manasses: sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Amissum igitur fuit primogenituræ ius à Rubene, & translatum in Iosephum, de causa in priore Paralipomenon libro. Ruben quidem fuit primogenitus eius: sed cum uio lasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filijs Ioseph, filij Israel. Iosephus igitur, qui primo in statu crucis uersatus est, odio cæteris suis fratribus habitus: tandem amplitudinem primogenituræ adeptus est, repudiato Rubene. tãtum detrimenti affert peccatum, & utilitatem crux. hac primogenituram consecutus est Iosephus, illam eandem amisit Ruben. Eadem acciderunt Iacobo & Esao, Dauidi & reliquis eius fratribus. sed ueritas in primogenito Christo cernitur, qui ad quã amplitudinem, ut reiectus à fratribus per humilitatem crucis fuit, euectus sit, declarat regni quod apud patrem possidet splendor.

Accesserunt itaq; filij Iuda.) Qui scirent, quam dignitatem sua ipsorum tribus ex testamento Iacobi habere deberet, Non auferetur sceptrum de Iuda: & quæ promissa à Mose Calebo fuissent, de quibus in scripto.

In Galgala.) Loco castris & tabernaculo illustri, ubi ex oraculo Dei cuncta gerebantur.

Caleb.) Calebi repetentis ex iure Hebronem, oratio ad Iosuam, ut gnarum eius promissi, quòd Deus illi fecerat, de possidenda Hebrone. Nam hi duo Iosua & Calebus, soli superstites remanserant ex illis, qui ex Aegypto egressi fuerãt nati uiginti aut amplius annos, ut in Numeris proditum est. Oratio cõtinet locos æquitatis, ponderatæ ex promissis Dei: aspersa laude fidei ac constantiæ Calebi, & uituperio inconstantiæ cæterorum exploratorum.

Nosti quid locutus sit Dominus.) A promissis Dei.

Hominem Dei) bona fide qui solitus sit Dei oracula ac responsa exponere.

In Cades Barne.) ex qua missi fuerãt ad explorandam Chananæam, ut in Deuteronomio & hic traditur. Sed dicas: in Numeris legitur, ex Haserotho missos legatos. In Haserotis apparet decretam fuisse legationem: quæ deinde, ubi uentum est in Cades Barneam, cœperit expediri.

Et nihilominus ego secutus sum.) Ornatus Dei spiritu, de quo in Numeris: Et plenus spiritu, quo secutus est me. Gloriari igitur fas est sanctis interdum de sanctitate sua, modò in Domino gloriẽtur, ad amplificandam bonitatem illius: ut præsens exemplum declarat. Quod literis mãdatum est, ut pij intelligant, quàm grata sit Deo cõstantia fidei, & inuisa res infidelitas: hac impediente, ne hæreditas promissa cernatur: illa efficiente, ut cernatur.

Quod mihi uerum uidebatur.) perpensa potentia Dei, & fide, quàm is in præstandis promissis seruat: non robore hostium, & nostra infirmitate considerata. Hæc enim fuerunt plena fidei & spei de Deo Calebi uerba: Ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam: freti nimirum eius ope, qui cum uoluntate facultatem iuuandi coniunctam habet: cum hostibus uoluntas quidem sit nobis resistendi, & nos lædendi, sed facultas desit. Hæc si fide ponderentur, maximũ pondus habent, ex omnibus tentationibus eluctandi, ad expediendam salutem, et ad amplificandum nomen potentiæ & bonitatis diuinæ.

Fratres autem.) Contentione illustrat dignitatem & præstantiam fidei. Iura-

Iurauitq; Moses.) Admonitus oraculo, de quo in Numeris: Seruum meum Caleb, quia pleno spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuiuit. In Deuteronomio: Terram quam calcauit, & hic quam calcauit pes tuus. Dicas: At Hebron neq; in Numeris, neq; in Deuteronomio nominatim est expressa. Nihil obest. intellectam illam à Mose, Iudicum liber indicat: Et dederunt Caleb Hebron, quemadmodum iusserat Moses. Legitur item in Numeris, Calebũ uenisse in Hebronẽ ויבא עד חברון, nõ legitur ויבאו, id est, uenerũt. Vbi uerisimile est, sic scriptũ propter exploratores, qui præ metu Enaquinorũ ausi non fuerint propius accedere. Nam illic subiungitur in scripto: Vbi erant Achiman, & Sisai, & Tholmai, Enach. quos quamuis sciret ibi esse Caleb, tamen per fidem non recusauit eos adire. Qua animi constantia Moses motus, Hebronem illi in hæreditatem de Dei sententia concessit, qui sanctorum fidem præmijs ornat, impiorum perfidiã supplicio afficit.

Hodie octoginta annorum sum.) Interpretes ex hoc loco colligunt, septem annis subactam Chananæam. Nam secũdo anno, quo egressi sunt ex Aegypto, missi à Mose leguntur exploratores. Residui igitur sunt adhuc triginta octo anni, usq; ad ingressum Chananææ. At quoniam Calebus quadraginta annorum, cum mitteretur, erat: qui, triginta octo reliquis peregrinationis in deserto annis additi, septuaginta octo conficiunt, quos natus fuit Calebus, cum in promissam terrã ingrederetur: residui igitur erunt septẽ anni, quibus Chananæa uictis hostibus in Israelitarum potestatem redacta est. qui cum septuaginta octo illis annis cõiuncti, hunc nostrum octoginta quinque annorum numerum cõficiunt. Quadraginta aũt annos natum fuisse Calebũ, cum promitteret ei Dominus Hebronẽ, indicãt quadraginta quinque anni, de quibus in scripto fit mentio. His enim detractis de octoginta quinque annis, remanent quadraginta, de quibus monuimus. Tripartita igitur utilitas ex hac narratione ætatis Calebi capitur. Vna est, notitia constantiæ promissorũ Dei: qui cum cæteros in solitudine propter rebellionẽ & infidelitatem perdidisset, Calebo propter fidem suam uitam protraxit, dum promissam hæreditatem obtineret. Altera utilitas est, quam affert hæc narratio: nos cognoscere, pietatem & præsentis & futuræ uitæ habere promissiones, ut exemplo hic est, præter cæteros, Calebus. Itaque Salomon: Timor Domini apponit dies. Comprehenduntur autem in uita, ualetudo, robur, & res quæ ad uictum pertinẽt. Igitur in scripto subiungitur: Sic ualens, ut eo ualebam tempore. Simile exemplum suprà in Mose cernitur: Non caligarũt oculi eius, nec dentes moti sunt. Tertia utilitas in eo spectatur, quòd temporarerum gestarum, ex huiusmodi narratione ætatis piorũ notãtur. Qua de causa sacræ literæ, uitæ patriarcharum annos tam diligenter supputant, ut constet & durationis conditi mundi, & rerum in eo confectarũ temporum ratio. Ad quem usum, impiorum ætas non deligitur: de quibus illud, Memoria impiorum abolescit.

Tam ad bellandum.) quod iuuenib. tribui solet, ut sapientia senibus.

Da igitur montem istum.) Concludit hortationem.

In quo Enachim sunt.) Exemplum fortis fidei in Calebo, qui montem istũ, neq; gigantum, neq; munitarum urbium metu deterritus, oppugnare sustinuerit.

Si fortè.) Non est dubitantis de promissis Dei, sed considerantis, agnoscentisq; suam infirmitatem, uox: & ignorantis, quo tempore, qua ratione & modo Deus promissa sua uellet præstare, qui sciret Deum quidem ueracem esse, sed eum non ex arbitrio & consilio nostro sua promissa implere, sed suo.

Et tradidit ei Hebron.) totam ditionẽ, cum urbibus & uicis. Dicas Hebronem sacerdotalem ciuitatem fuisse, & fugitiuorum. Bene quidem. sed quæ de Calebi hæreditate cesserit sacerdotibus. Ius igitur hæreditatis penes Calebum fuit, possessio sacerdotũ. Nullam enim hæreditatem sacerdotes & Leuitæ in sacra terra, ut suprà Moses docuit, habuerunt.

Adam maximus inter Enachim.) An is Arba fuerit, à quo Hebron קרית ארבא sit appellata, aut Hebron alia ratione sit sic uocitata, ea de re aliâs. Sunt qui putant sic cognominatam, quòd in ea quatuor illi illustres uiri sepulti essent: Adamus, Abrahamus, Isacus, Iacobus. Sed an ita habeat res, quoq; in disceptatione est. De uetustate Hebronis, in Numeris cap. 13. ubi annotatur, hanc urbem septem annis ante Tanem Aegyptiam conditam fuisse.

IN CAPVT XV.

IGitur sors filiorum Iudæ.) Primò describuntur termini Iudææ, ut quæ & regni amplitudine clara esset futura, sed longè clarissima rege Christo filio Dei.

A termino Edom.) Designatur Australis terminus. Idumæa enim, quam posteri Esai tenuerunt,

nuerunt, adiacet Iudææ ab Austro: cuius quidem illa, ut finis esset, non pars, à Deo constitutũ est. Nam de terra Idumæorum non erat fas Israelitis quicquam occupare, ut suprà in Deuteronomio indicatum est: Neq; enim dabo uobis de terra eorum, quantum potest unius pedis calcare uestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir.

Vsq; ad desertum Sin.) Hebræus habet: Terminum Edom uersus desertum Zin, quod etiam Cades dicitur. Diuersum est desertum צין, à deserto Sin, qua de re in Numeris cap. 33.

A' summitate maris salsissimi.) quod ab angulo Orientali, Meridiem spectante, terminus Iudææ est.

Et à lingua eius.) Paraphrastes pro לשון, habet בית־א, quod petra est. fortassis insigne in eo angulo promontorium fuit, quod pro limite sit habitum. בית־א enim saxum sonat Chaldæis. Ora ac terminus notatur in לשין, nota translatione, à lingua sumpta.

Egredieturq; contra ascensum scorpionum.) Terminus uicinus mari salso, &, ut apparet, per superiora montis Seir ducitur.

Ascenditq; in Cades Barnea.) uicinam Geraris & Beersabe urbem, & in Pharane solitudine sitã. De duplici Cades aliàs. Beersabe extremus terminus ad Austrũ hic reticetur, cõprehensus in limite per Cades Barneã ducto.

In Asimona.) Non est locus, in quo uicesima castrorum Israel statiua fuerunt. Locus enim, de quo hic fit mẽtio, uicinus Cades Barneæ, עצמונה: ille ad Austrum remotior, חשמונה appellatur.

Et perueniens ad torrentem Aegypti.) qui angulum Occidentalem ad Meridiem continet. Cæterùm torrens hic, aut Nilus, aut uicinus eius ostijs fluuius. Multi de Rinocorura accipiunt, & flumine & oppido uicino Casio mõti, nobili sepulchro Pompeij Magni.

Hic erit finis Meridianæ plagæ.) Australis igitur terminus duobus maribus, & tribus finitimis terris continetur. Mare altero ab ortu, altero ab Occasu. Terræ Aegyptus, Idumæa & Moabitica: Aegypto ab Occasu, Idumæa ab Austro, Moabitica ab Orientali angulo sacram terram attingente.

Ab Oriente uerò erit initium.) Describitur terminus Orientalis. hunc longitudine maris mortui efficit: in cuius extrema ora, quæ Aquilonem respicit, Iordanis ostia cernuntur. Vnde legitur hic, Vsq; ad extrema Iordanis, hoc est, ad ostia eius, quibus in mare salsum illabitur. pro Iudææ limite Orientali, illa designantur.

Et ea quæ respiciunt ad Aquilonem.) Designatur limes Aquilonaris. Sententia est ex Hebræo, limitem Septentrionalẽ ab ea ora maris salsi, qua suscipitur Iordanis, initiũ habere.

Ascenditq; terminus.) Aquilonaris. Respicitur hic & ad situm Hierosolymæ, & ad sublimitatem uerticis Septentrionalis, de quo Latinus uates:

Hic uertex nobis semper sublimis.

Ad lapidem Boem.) Fortassis fuit hoc saxum grandius, ut esset limitis uice. Sunt qui de ara extructa à tribu Rubenis & Gadina intelligunt, de qua infrà cap. 22.

De ualle Achor.) nobili Achanis supplicio. est ad Septentrionem Hierichuntis, ut Bethagla ad Austrum. Bethagla autem, & Betharaba Beniamini cesserunt, termini Australes. Hic enim memorata loca limitem Septẽtrionalem quidem, si Iudæam, Australem uerò, si Beniaminem spectes, conficiunt. Bethagla autem à Iordane duobus millibus, à Hierichunte tribus distat.

Ad umim.) Portio mõtium Hengedi. per hanc saxosam atque asperam, ac planè desertam uiam à Hierichunte itur Hierosolymam. Appellatus est ascensus אדמים, id est, rufforũ: propter sanguinem, ut uolunt, qui illic crebrò à latronib. fundebatur. ubi & castellum situm fuit, firmatum præsidio militum, qui uiatores à ui latronum defenderent. Huius loci Dominum in Parabola descendentis ad Hierichuntẽ meminisse, tradit Hieronymus in locis Hebraicis: qui suo tempore lorum illũ Maledomim, & Græce ἀνάβασιν τῶν ῥῶν appellatum dicit. Sunt qui in huius solitudinis parte Eliam prophetam uersatum, & ab Eliæo cellas prophetis constructas cõfirmant: atque hoc desertum petrosum habitatum ab Essenis tradunt: quorum institutis Ioannes Baptista fuerit educatus.

Per uallem filij Ennon.) Hæc uallis uicina Hierosolymis est, in quam Sion mons, qua parte præruptus est, spectat: infamis crematis ibi liberis, & rebus immundis in illam cõjci solitis, ut licet uidere in libris Regum. Vnde Christus æterni ignis supplicium uocabulo גיא־הנם notauit. In libris Regum תפת dicitur, id est, à tympanis, quæ eo tempore, quo liberi per ignem mittebantur, percutiebantur, ne parentes transmissorũ liberorum in ignem clamorem audirent. Hæc uallis ab initio, quæ Siloe fontibus irrigatur, miræ amœnitatis fuit. Vnde idololatriæ posteris tẽporibus occasio data est.

Hæc

Hæc est Hierusalem.) De hac infrà capite octauo.

Ad uerticem montis.) Chalcaldema, qui est in conspectu uallis Hinnõ, ad Occidentẽ.

In summitate uallis Rephaim.) Nã hæc uallis ab Australi plaga, Septentrionem uersus ascendens, excipit uallem Hinnon: & huius finis Occidentalis, in illam definit. De hac ualle in libris Regum: Et Philistim uenientes, diffusi sunt in ualle Raphaim.

Pertransitq; à uertice montis.) Designari terminum à uertice montis Chalcaldema, ad fontem aquæ Nephthoah. Fons est in coniunctione memoratarum uallium.

Montis Ephron.) Is est ab Occidente ipsius Hierosolymæ, inter Chalcaldema et Iearim montes. Limes protractus modicè deflectit ad Aquilonem, usq; ad urbes montis Ephron.

Quæ est Cariathiarim.) קריית יערים, ciuitas sita in Boreali termino tribus Iudææ. à syluis putatur nomen accepisse: uicina enim sunt montana. Vna de urbibus Gibeonitarũ, de quibus suprà his uerbis: Quarũ hæc uocabula sunt, Gabaan, Caphira, Beroth, & Cariathiarim. Ex hac urbe fuit Vrias propheta, quem Ioachin, ut monet Hieremias, occidere tentauit. Clara etiam est arca Domini, quam apud se uiginti annis uersantem, ut libri Regum testantur, habuit.

Ad montem Seir.) ad quem pertingit, descendens à memorato fine contra Austrum.

Et descendit in Bethsames.) Propè Ciriathiarim, sitam in ampliſsimo campo. ciuitas sacerdotalis clara est reducta à Philistæis arca, & clade ciuium, quòd uidissent arcam Domini. Clara item est clade Amasiæ regis Iudææ, acceptа à rege Israelitarum: de qua quarto libro Regum, cap. 14. Est altera Bethames in tribu Naphthalia, de qua infrà.

Transitq; in Thimna.) Apparet esse locus, ubi totondit Iuda oues suas. Indicat Hieronymus, suo tempore prægrandem uicum fuisse, finitimum Daniæ tribui.

Hi sunt termini filiorum Iuda.) sed angustiores, quàm descripti sunt posteris temporibus à Iosepho: qui quàm laxam faciat Iudæam, uideris libro tertio de bello Iudaico. Necnon & Euangelistæ, cum Christum in Iudæam trans Iordanem profectum dicunt, indicant, quàm longè fines Iudææ suo tempore extenti fuerint. Falsò Cornelius Tacitus, ab Ida Cretæ monte nomen inditum credidit, qui à Iuda patriarcha appellationem suam habet.

Ipsa est Hebron.) Hæc urbs, hospite Abrahamo, quem ex Mesopotamia profectum excepit, & Saræ sepultura clara est. Necnon & querceto Mamre, in quo angeli Domini Abrahamo apparere soliti sunt: & spelunca illa duplici, empta ab Ephrone in sepulchri usum. Hanc ueterem gigantum urbem, à Calebo Iudæo occupatam, mirum non fuerit. Nam tribus Iudæa, regio sceptro destinata iam antea fuerat, hac sententia patris Iacobi: Non auferetur sceptrum de Iuda. Vnde par fuit, specimen regiæ fortitudinis ab hac edi: quod sanè editum fuit à Calebo, extirpatis gigantibus, qui tantum terrorem prius Israelitis attulerant, de quo in Numeris. Vnde non temerè legitur in libris Regum, Hebronem primam regiã Dauidis sedem fuisse, in qua antea documentum regiæ fortitudinis catuli leonis, præbitum fuisset, de quo Iacobus in testamento his uerbis: Catulus leonis Iuda. Hebronis situs ex tabulis notus, à Hierosolyma Austrum uersus, ad solitudinem discedit, ab illa circiter duodecim M. P. distãs. In querceto Mamre uicino Hebroni terebinthum fuisse tradunt, conditi mundi cõsciam, durasseq; ad Cõstantini primi memoriam, autor Hieronymus est.

Ad habitatores Debir.) Hebronem à Septentrione spectantis. Hanc olim קריית ספרים appellatam, in scripto legitur: quòd fortassis tractatione literarum esset celebris. Itaque sunt nonnulli, qui ibi bibliothecam fuisse tradunt, unde nomen illa acceperit. Illis temporibus tradunt Phœnices cum Cadmo in Græciam profectos, in eam literas importasse. Volunt etiam, in hac urbe Academiam uetustissimam fuisse, in qua & monumenta Assyriorum & Phœnicum literis mandata, conseruata sint.

Dixitq; Caleb.) Gener deligitur à sancto uiro, non ab opibus, sed à uirtute bellica. Simile exemplum in Saulo cernitur, qui Goliæ uictorĩ Dauidi filiam in uxorem promisisse legitur. Hæc sunt uirtutis spectata præmia, quibus animi ad res præclarè gerendas excitantur, & ijsdem detractis deijciuntur.

Frater Caleb.) More linguæ frater dicitur, qui consanguineus Calebi esset, ut Abraham & Lot fratres dicti sunt.

Suasa à uiro.) Hebræum uerbum indicat, uirum ab uxore incitatum, qui peteret irriguum agrum. Similiter Græci, συμβουλεύσατο αὐτῷ.

Suspirauit.) Græci, ἐβόησεν ἀπὸ τοῦ ὄνου. Hebraicum uerbum תצנח, uertunt interpretes הפילה עצמות.

Terram Australem & arentem)

Para-

Paraphrasi addit arentem, ut exprimeret uim uocis נגב, qua lingua Syrorum propriè חרב, id est aridum notari uolunt: atq; inde translatione sumpta, meridiem significari, cui ob uicinũ solem subiectæ terræ ardoribus arescant. Hinc Latinus de torrida ζona uates:

—— Quarum una coruſco
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni.

Erantq; ciuitates ab extremis partibus.) Numerantur ciuitates, sed in finibus Austrum uersus uergentibus sitæ, circum Hebronem & Beersabam.

Medemena.) Posteris temporibus Menois ciuitas fuit, iuxta Gazam: autor Hieronym.

Omnes ciuitates uigintinouem.) Si numeres, inueniuntur triginta octo. Nouem igitur, quæ summam in scripto commemoratam superant, ad Simeoneam tribum pertinent: quæ hic recensentur, quòd Simeonis hæreditas in tribus Iudæ æditione sparsa esset. sicut legitur infrà capite 19. Fuitq; hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda.

In campo tribus uerò.) Recensentur post Australes urbes in montanis sitas, in humilioribus locis positæ, Philistæis mare magnum uersus finitimæ.

Eſtaol.) Suo tempore Hieronymus uillam uocabulo Asto appellatam, inter Azotum & Ascalonem sitam, monet. (ges fuit.

Azæca.) quò persecutus Iosua quinq; re-

Zonea.) Sunt qui urbem זנוח à Noa hic appellatam uolunt: cui Berosus, in patria sua urbes integras dicatas uult.

Maſpha.) De מיצפה suprà cap. 11.

Lachis.) quæ capta à Iosua suprà legitur, rege eius interfecto. Idem accidit Egloni. sic enim suprà: Transiuitq; Iosua de Lachis in Eglon, cuius rex Dabir fuit. Hæc urbs clara est cæde Amasiæ regis Iudæorum, & Assyrijs ex ea Hierosolymam, regnante Ezechia, infestantibus.

Maceda.) nobilis quinq; regũ cæde, quos Iosua ex spelunca extractos interfici iusserat.

Libna.) De qua suprà cap. 10. Transiuitq; de Maceda, in Libna.

Ceila.) Nobilis est locus sede Dauidis, & sepulchro Abacuc, procul ab Hebrone, 8. m.

Mareſa.) De hac his uerbis in Paralipomenon secundo libro: Aethiops egressus est, & uenit usq; Maresa, & egressus est Asa contra eum.

Ab Accaron.) De hac Philistæorũ urbe suprà. Arbitrati sunt nonnulli, ut Hieronymus ait, hanc turrim Stratonis esse, postea Cæsaream appellatã. At si Iosepho credimus, longè alia turris Stratonis seu Cæsarea ab Accarone ciuitas erat. Nam Cæsarea ab Herode rege condita, turris Stratonis quondam appellata, iacet inter Doram & Ioppam. Accaron remotior ad Austrũ, inter Gatham & Azothum. Recensentur ciuitates regni Philistæorum, ut donatæ à Domino Israelitis, & suo tempore ab eis subiugandæ.

Mare magnum.) Totius terræ sacræ ab occasu terminus, sed ea parte, qua imminens Aegypto uergit Ioppã uersus, Iudææ finis ab Occidẽte.

In monte uerò.) Recensentur montanæ urbes.

Iathir.) Villa tempore Hieronymi prægrandis, Iebira nomine.

Samír.) Est alia שומרון, à qua Samaria nomen traxit.

Socho.) Duos uiculos pergentibus Hierosolymam de Eleutheropoli, nono miliario uiæ publicæ, unum in monte, alterum in campo situm fuisse, idem Hieronymus autor est. Eleutheropolis meminit Antoninus in Itinerario. Hæc inter Ascalonem & Aeliam, quæ Hierosolyma est, ad dextrã uiæ ad Hebronem sita est.

Goſen.) De hac suprà cap. 10.

Duma.) Vicus grãdis, posteris temporibus etiam fuit ad Austrum, in finibus Eleutheropoli decem & septem ab ea miliaribus distans. Meminit etiam Iesaias Dumæ, sed quæ ditionis Idumæorum fuerit: Onus Duma ad me clamat de Seir.

Ianum.) Et hanc urbem quidam uolunt à Noa sic dictam, quem Berosus Ogygium & Janum appellat.

Maon.) De hoc loco in libris Regum: Et erat in Maion, & pecudes eius in Carmelo. Contra solis ortum ad Austrum uergebat.

Carmel.) Vicus & mons in deserto, ubi quondam Nabal Carmelius uersatus est. Tempore Hieronymi uilla fuit nomine Carmelia, decimo lapide oppidi Hebronis uergens ad Orientalẽ plagam: ibi Romanum præsidium contra Arabas positũ erat. De duplici Carmelo suprà meminimus.

Ziph.) Oppidum & mons, de quo in libris Regum his uerbis: Morabatur autem Dauid in deserto, in locis firmissimis, mansitq; in monte solitudinis in Ziph. Monti huic & Achila nomen fuit, ut ex eodem capite patet: Non ne ecce David latitat apud uos in locis tutissimis syluæ, in colle Achila, in montana & deserta Ziph uenerat Dauid cũ ex Ceila metu Sauli fugisset. Finitima hæc erat deserto in finibus Eleutheropolis, in 6. m. Hebronis.

Gabaa

Gabaa.) Hæc in libro Iudicum adnumeratur etiam urbibus Beniaminis: Occubuitq; eis sol iuxta Gibea.

Bethur.) In itinere ad Hebronem, sita in decimo lapide, aut si Hieronymo credimus, uiginti, Aeliæ contra Austrum. Tradunt hoc loco Eunuchum Candacis reginæ in agro, Euangelij sacris per baptismum initiatum fuisse. Hæ sex urbes uidentur positæ inter Hebronem, & mare mortuũ.

In deserto.) A' Cherithо torrente, usq; ad ostia Iordanis.

Betharaba.) A' solitudine apparet urbem nomen traxisse. Nota enim est uox ערבה. supra in limite Aquilonari meminit Betharabæ.

Ciuitas salis.) uicina mari salso.

Et Engaddi.) Nobilis præsidio, quod Dauidi præbuit, cum ibi absconditus tueretur se ab iniuria Saulı. Sic enim in libris Regum traditur: Ascendit ergo Dauid inde, & habitauit in locis tutissimis Engaddi. Annotat Hieronymus, præ grandem Iudæorum uicum nomine Engaddi iuxta mare mortuum fuisse, clarum opobalsamo, inde solito uenire. A' Salomone uineæ Engaddi celebrantur: Botrus dilectus meus in uineis Engaddi. Sunt præterea & alia loca, quæ in Iudæa cernũtur, aliis locis cõmemorata: Bethlehem, dicta & Ephrata, ut legitur in Genesi cap. 35. Mortua est ergo Rahel, et sepulta est in uia quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. Sita est in monte molliter acclıui, qui fontem habet, de quo in libris Regum: Vtinam quispiam propinaret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta. Sepultura Rahelis, Dauidis patria, & natiuitate Christi insignis est, sexto miliario distans à Hierosolyma: postea Helena Constantini coniunx eum locũ templo, cum figura ac umbra eius templi quod à Salomone extructum fuerat, euanuisset, exornauit. A' Plinio Bethlene in Toparchijs decem Iudææ numeratur. Circa hanc urbem fertilis ager fertur esse, unde nomen ביתלחים, aut אפרתה uidetur inditum. aut uerius diuina ratione nomen istud tenuit propter Messiam, qui in illa natus, se panem mundo, quo ad uitam æternam alerentur electi, dedit. Præterea sunt & alia loca hic non relata, ut est Herodium, ab Herode communitum, quod circumiacenti regioni nomen quoq; dedit, autore Plinio. Opipdum hoc antea הקוּעת appellatum fuisse tradunt, uicinum Bethlehemo, Amos prophetæ patria. Item Bethania uilla, ad Austrum montis Oliuarum, procul à Hierosolyma 2. m. pass. Betphage uilla, cui obijcitur mons oliuarum, in cuius collis descensu Christus deplorauit calamitatem futuram urbis. Ceni regio, de qua in Samuelis priore libro his uerbis: Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierahmeel, & contra meridiem Ceni. Hic cognatos Iethronis consedisse uolunt. Arath, cuius primo Iudicum capite fit mentio, ab Hebræis uocata Arad. Eschol torrens, quo uallis appellata Botri, irrigatur. Abelmizraim, id est, luctus Aegyptiorum, locus clarus sepultura Iacobi, quem filius Iosephus in agro spelunce duplicis, apud Hebronem sepeliuit. de quo loco, uideris in Genesi capite ultimo. Caphin ciuitas, cuius fit mentio in secundo Machabæorum libro. Similiter Dessanis castelli, eodem libro fit mentio. Antipatris, in hanc milites iussu Lysiæ tribuni, secunda uigilia Paulum Hierosolymis iumento impositum, deduxerunt. Gerara ciuitas, terminus olim Chananæorum ad meridiem, inter duas solitudines Cades & Sur posita, incola Abrahamo nobilis. sic enim legitur in Genesi: Profectus deinde Abraham in terrã Australem, & habitauit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Geraris. Vicina regio Bersabæ clara est puteis fossis ab Isaaco, de quib. in Genesi capite uicesimosexto. Origenes alicubi testatur, eos puteos memorabili opere structos fuisse, ut extaret ad posteros monumentum sancti patriarchæ, quam structuram Origenes sua ætate uidit. Nobe inter Arimatheam & Ioppam, ciuitas sacerdotalis, quam Saulus euertit, ut in priore Samuelis libro traditur. Emmaus uetus urbs, sexaginta stadijs à Hierosolyma distans. Mutatum illi nomen à Romanis post deuictam Iudæam, à uictoria νικόπολις appellata. Plinio inter Toparchias nominatur. Ex hoc loco nata Cleophas, cuius Euangelista meminit. Sunt & alia, quæ suis locis indicabuntur.

Iebusęum autem habitatorem Hierusalem non potuerunt.) per decretum Dei, de quo in Exodo, & libro Iudicum. Statuerat enim Deus, reliquias quasdam Chananæorũ, & Iebusæum ipsum, uictoriæ Dauidis reseruare, quo & huius regis gloria illustris fieret: & non sine occulta notatione Messiæ & Ecclesiæ, Zion arx, Dauidis arx & regia sedes diceretur, quã is ipse diuina fortitudine & armis occupasset. Hæc huius loci sententia simplex est, & genuina. aliena uerò, quæ ab Hebræis de Abimelecho & scelerata ignauia Hebræorum affertur. Nam hi, nec Iosua uiuente, Chananæam totam, cum ab idolatria omnia integra essent, subijcere potuerũt. Habet enim uictoria sua decreta tempora, quibus cõstat. Quòd si Deus peccatorum, quibus Israelitæ

mortuo Ioſua ſe obſtrinxere, occaſione uſus eſt, ad relinquendas infectas illis gentes, uſq; ad Salomonis tempora: princeps tamen eius rei cauſa nõ erat peccatum, ſed altius Dei de ſalute populi ſui conſilium: quod ut perficeret, conuertit illi omnia in melius, peccatum, bella, resq; quaſuis aduerſas. Huc pertinet reſponſum illud Domini diſcipulis de cæco datum: Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.

IN CAPVT XVI.

CEcidit quoque ſors filiorum Ioſeph.) In cernenda hæreditate, ſucceſſit Iudæ Ioſephus, ut qui primogenitus Iacobi ex pulchra & dilecta Rachele eſſet, duplex hæreditatis portio, quæ una erat iuris primogenituræ pars, deſtinata fuit: alteram Iuda, quæ erat regia dignitas, obtinente. Sic enim de Ioſepho & Iuda legimus in priore Paralipomenon lib. ולא ליהוחש לבכרה, id eſt, ſed nõ ut nobilitetur primogenitura. Quorũ uerborum hæc ſententia redditur: Quãuis primogenitura filijs Ioſephi aſſignata ſit, non ita tamen aſſignata eſt, ut eius iure utantur in regni adminiſtratione, qui meritò penes Iudam erit fortitudine inter fratres pollentem. Nam in eodem Paralipomenũ loco ſubiungitur בי יהודה גבור, id eſt, quoniam Iuda fortis. Quò pertinet, quòd in oraculari ſuo teſtamento Iacobus patriarcha cum fortitudine Iudæ, regni honorem, iam antea coniunxiſſe legitur: Catulus leonis Iuda, non auferetur ſceptrum de Iuda. Atq; propter hanc dignitatis præſtantiam Iuda maxima apud poſteros Ioſephi laborauit inuidia. Qui inſoleſcebant primò, propter domeſticum ſplendorem, quod Ioſephum innocentia præ cæteris fratribus clarum patrem, non ex ſerua, ſed ex libera, & ea Rahele, quam unicè amaſſet Iacobus, genitum haberent. Deinde quòd ſingulari beneficio reliquis tribus Ioſepho obſtrictas cognoſcerent, qui illarũ maiores fame leuaſſet, & eis terrã in Aegypto, quam incolerent pro principis iure donaſſet: demum Ioſuæ ducis familiaritate Dei & rebus geſtis illuſtris, & tabernaculi, quod tot ætatibus in ipſorũ ditione fuiſſet, memoria animos non parum efferebat. Nam exiſtimabant ad ſe imperium pertinere, qui & amplitudine hæreditatis primogenituræ conceſſa iure florerent, & apud quos tabernaculum, cum arca oraculari & tota religione tam diu uerſatum fuiſſet. Hæc tot præſtantium rerũ prærogatiua in cauſa fuit, cur nulla alia tribus Iudæ regnum, & in hanc familiam tranſlatam religionem iniquius tulerit. Neq; decem tribus alterius, quàm Ioſephi imperium & religionem, quãuis falſam, pronius & admiſerunt, & diutius tolerarunt: adeò, ut Ioſephi regnũ plus minus 400 annis tulerint, qui impletis Dauidis & Salomonis temporibus à Iudæ regno & templo deſciſſent. Cæterùm cur priorem locum obtinuerit Iuda ex deformi Lea natus, poſteriorem Ioſephus ex ſpecioſa Rahele genitus, ea de re aliàs.

A Iordane.) Ab Oriente. Generatim primò filiorum Ioſephi fines deſcribuntur. Ambo igitur filij Ioſephi Ephraim et Manaſſes, Iordane fere clauſi ab Oriente, mari uerò mediterraneo ab Occaſu: ad Meridionalẽ regionem Auſtrali fine, ducto per montana Bethel.

Contra Hiericho.) Notatur limes, quo ab Auſtro à Beniamitis ſeparatur tribus Ioſephi. Hiericho enim ceſſit Beniaminis tribui, de quo infrà cap. 18.

Et ad aquas eius.) Vnicus fons eſt riguis aruis commodus, iuxta ueterem urbem ſcaturiens, quam Ioſua euertit. Hunc fontẽ aliqui ferũt non ſolum terræ fructus, ſed etiam fœminarum fœtus corrumpere ſolitum: poſtea uerò ſalubrem redditum ab Heliſæo uate.

Ad montem Bethel.) בהאל igitur & montis & ciuitatis nomen eſt. Montis quidem, ut ex hoc loco patet: ciuitatis uerò, ut ex Geneſi liquet: Venit igitur Iacob Luzam, quæ eſt in terra Chanaan, cognomento Bethel. Dicat aliquis: Si igitur Bethel eſt Luza, cur ergo legitur hic: Et egreditur de Bethel Luzam? Alium igitur locum apparet Bethelẽ eſſe, alium Luzam. Reſpondent quidam, non eam Bethel hic intelligi, de qua in Geneſi fit mentio, & in libro Iudicum: ſed aliam eiuſdem nominis. Alij eandem eſſe tradunt, ſed nodum non ſoluunt. Apparet mea quidem ſententia Betheles montis finem pertigiſſe in Luzam, quæ Bethel ſit. Nam Bethel & monti, & urbi uicinæ monti nomen fuit. Is locus à maioribus Iſraelitarum ualde frequentatus eſt Abrahamo, Iſaco & Iacobo. Vt autem nomen loco Bethel dederit Iacobus, qui antè uocatus fuerat Luza, ex Geneſi patet. Hanc urbem poſtea Bethauem, id eſt, domũ improbitatis nuncupatam uolunt, cum à Ieroboamo aurei uituli excogitati fuiſſent: ut in qua cœpiſſet ob falſam religionem ibi inſtitutam, improbitas regnare, quæ Dei & iuſticiæ domus fuerat. Hinc illæ frequentes admonitiones prophetarum natæ, quibus ne in Bethanem proficiſcantur Iſraelitæ, admonuerunt. Sic enim apud Oſeam cap. 4. Nolite ingredi in Galgala, & ne aſcendatis in Bethauem.

Vſq;

Vsq; ad terminos Bethoron.) Duæ sunt huius nominis urbes: altera superior, altera inferior, paulo priore australior, in Occasum brumalem deuergens, & sita in cõmuni limite Beniamin & Ephraim. Has, ut in altero Paralipomenon libro legitur, Salo non munuit: Extruxitq; Bethoron superiorem, & Bethoron inferiorem, muro cinctas, habentesq; portas, uectes & seras. Bethoronis libro priore Machabæorũ fit his uerbis mentio, cap. 8. Et egressus Nicanor Hierosolyma, castra posuit in Bethoron. Apparet inferiorem hanc Bethoronem fuisse, ut uiciniorem Hierosolymis.

Et factus est terminus filiorum Ephraim.) Descriptio finium tribus Ephraimensis. Præponitur Ephraim Manassæ iure primogenituræ à Iacobo assignatæ, de quo in Genesi. Huius tribus, uti Iosephus monet, à Iordane flumine usq; ad Gazaram longitudinem habuit, latitudinem uerò à Bethel usq; ad campum magnum.

In Atharoth Adar.) Initium Orientalis limitis.

Vsq; ad Bethoron superiorem.) Limes Aquilonaris Occidentem uersus.

In mare.) Mediterraneum, Occidentalis limes.

Et circuit terminum.) Hinc reflectere terminum, ab Occasu uidelicet Orientem uersus in Thaenathsilo. Retexitur mentio termini Australis, sed alia forma.

De Taphua.) De Taphua uerò uergere terminum Occidentem uersus.

In mare salsissimum.) Non mare salsum accipitur, sed mare magnum Occidentale. Legitur enim הימה. Terminus igitur Ephraim & Manassæ Australis, separauit has tribus à Iuda & Beniamine.

In Gazer.) Hæc urbs de tribu Ephraimẽsi, Leuitis assignata est. De cuius rege interfecto à Iosua, suprà cap. 13. In quarto miliario Nicopolis, contra Septentrionem. Longitudo igitur Ephraim, à Iordane ad Gazarã urbem protendebatur.

IN CAPVT XVII.

CEcidit autem sors tribui Manasse.) Dimidiæ familiæ eius, quæ ex Machire nata est, trans Iordanem in terra Gilead.

Ipse enim est primogenitus.) Causa redditur, cur Manasses prior hæreditatem acceperit. Dicas fortasse, Ephraim pro primogenito reputatus est à Iacobo: cur igitur non potius is prior hæreditatem suam adiuit, quàm Manasses? In terra quidem posita extra promissam hæreditatẽ primò sortitus est partem suam Manasses. Intra Iordanem autem Ephraim uicinus loco, in quo regnum & uera religio sedem suam erant habitura.

Machir primogenito Manassæ.) Numerãtur filij Manassis, quò, quomodo hæreditatis diuisio facta sit, planius intelligatur. Machirem primogenitorum iure accepisse regnum Oggi regis Basanis, cum dimidia parte Giliadi, diuisore Mose: reliquis filijs in textu numeratis hæreditatem suam assignatam in Chananæa, partitore Iosua. A duabus rebus laudatur Machir, quòd primogenitus fuerit, & uir bellicosus. Quæ duæ res effecerunt, ut Basan & Gileadus ei cesserint.

Patre Galaad.) Nomine hoc ab occupata terra Galaad illi indito.

Reliquis filiorum Manasse.) Qui in Numerorum libro filij Galaadi dicuntur. Rectè igitur suprà legitur, dimidiæ parti filiorum Machir cessisse regnum Oggi.

Salphaad uerò filio Hepher.) de hac re uideris suprà in Numeris 27. 36.

Iuxta imperium Domini.) De sententia diuina, uideris in Num. 27.

Funiculi decem.) Sex partes, sex fratribus: reliquæ quatuor, quinq; filiabus Zalphadi, ex interpretum sententia. id est, funiculi pro partibus, noto tropo.

Fuitq; terminus Manasse.) Describũtur fines ditionis Manassensium. Hæc tribus ad Austrum habuit Ephraim tribum, ad Aquilonem duas tribus: Aserem ad Occasum, Issascharem ad Ortum.

Machmata.) Machmata, si Ephraimensem tribum spectes ad Aquilonem sita est: sin Manassensem, ad Austrum.

Quæ respicit Sichẽ.) Samariæ ciuitas uetusta, clara patribus Abrahamo & Iacobo. Sic enim in Genesi legitur: Pertransiuit Abrahã terram, usque ad locum Sichem. De Iacobo uideris Genes. 34. Inde prædij Iacobi nomen Sichem in Christi usq; tẽpora obtinuit, ut est apud Euangelistam: Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Iosepho filio suo. de quo his uerbis in Genesi 48. Do tibi partem unam, extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorræi, gladio & arcu meo. Legitur in Genesi cap. 33. agrum Sichimæ emptum à Iacobo, quem tamen Stephanus martyr in Actis dixit ab Abrahamo emptũ. de hoc scrupulo in Genesi. Clarus est is locus sepultura Iosephi, cuius ossa ex Aegypto exportata, in Sichima recondita sunt, ueluti infrà cap. 24 legitur. Fonte item celebris

lebris est, cuius aquis refectus Christus, Samaritanæ uiuas illas & cœlestes aquas præbuit. Hæc posteris temporib. à Ieroboamo instaurata, regiæ sedi destinata fuit, ut ab Abimelecho tyranno filio Gideonis ex cõcubina, excisa fuisset, sub Gariz̃imo monte sita fuit, cuius ager ad ouium pascua cõmodus fertur. Est Sichima, Neapolis nostris temporibus dicta. Plinius Marmortham ab accolis appellatam tradit, Iosephus Marbetam.

Et egreditur ad dextram.) Austrum uersus, ubi prouincia, & urbs Thaphuah dicta. Fit & suprà Thaphuah mentio, inter urbes tribus Iudææ, cuius Septentrionalis terminus, Australis est Ephraimensis tribus.

Terra Taphuæ.) regionem Thaphuah pertinere ad tribum Manassensem, sed ita ut pariter in ea etiam Ephraimenses habitasse dicantur, quòd ciuitas et regio limitanea esset: sicut legitur, Hierosolymis Iudam & Beniaminem uersatos. Apparet locum à crebris fontium scatebris nomẽ duxisse, sicut in scripto legitur.

Descenditq; terminus.) A' Thaphuah Austrum uersus.

Torrentis.) De quo mox infrà.

Ad mare.) magnum.

Ita ut possessio Ephraim sit ab Austro.) Summatim perstringitur descriptio. Ab Austro Manassensem tribum habere Ephraimensem, ab Aquilone mare Occidentale uersus Aserem. Iordanem autem mare Tyberiadis uersus Issaschar finitimam esse. Hæc igitur tribus longitudinem à Iordane ad Doram, Iosepho auctore, latitudinẽ ad Betheam habuit, de qua urbe sequitur.

Bethean.) Ciuitas ampla ad campum, quẽ magnum uocant, sita, Tiberiadi uicina, Decapolitanæ regionis maxima, Iosepho auctore. Atque quod olim à Scythis fertur uel condita, uel inhabitata, Scythopolis appellata est. Strabone auctore, Galilææ proxima est. Plin. lib. 5. Nisum hanc antè dictã tradit. Hæc urbs à Hierosolyma fertur quingentis stadijs distare, ubi Issaschar & Aser cum Manasse iungebantur. Descriptis finibus Manassensis tribus, urbes insigniores recensentur.

Et habitatores Dor.) Huius etiam suprà fit mentio cap. 11: Et in regionibus Dor, iuxta mare Chananæum, quod Phœnicium mare posteris temporibus appellatum fuit. Ad mare igitur sita fuit in 11. miliario Cæsareæ Palestinæ eum tribus Tyram: splendida aliquãdo urbs, quæ inter duodecim principatus, quos Salomon in regno suo constituerat, quarto loco numerata sit, ut in libris Regum legitur: Filius Abinadab in uniuerso נפת, id est, termino Dor. Hæc Hieronymi temporibus deserta iacuit.

Endor.) Iuxta Scythopolim, quarto miliario montis Thabor. (geddo.

Thaanach.) separata Leuitis: similiter Ma

Locuti sunt filij Iosephi.) Interpretes intelligũt, Manassensem tribum expostulasse cum Iosua, quæ numero capitum Ephraimensem tribũ superaret, ut licet uidere in Numeris cap. 26. Capitum enim illic quinquaginta duorum millium septingẽtorum census actus legitur. In Ephraimensi uerò tribu numerata triginta duo millia tantum quingenta. Atqui dicat fortasse aliquis, dimidiam tribum solum Manassensiũ in Chananæa, cis Iordanem, hæreditatem accepisse, cuius capita pauciora fuerint, quàm Ephraimensium, quorum tota tribus in Chananæa partem suam tulerit. Apparet ambas trib. conquestas de assignata hæreditate, quod funiculũ unũ, quasi una esset tribus, accepissent, sicut suprà legitur: Hæc est possessio filiorũ Ephraim in medio possessiõis filiorũ Manassæ.

Si populus multus est.) Antistrophon te occurrit expostulationi.

In terra Pherezæi & Raphaim.) diuina sententia exitio deuotos, exemplo Calebi deleto, quem scis his uerbis mihi locutum: Da ergo mihi montẽ istum, quem pollicitus est Dominus, in quo Enachim sunt, & urbes magnæ & munitæ, si fortè, &c. Digna forti duce hortatio ad sui generis homines, qui intelligeret ratione diuina comparatum esse, ut præclara & præstantia munera ignauis non tribuantur, sed gnauis & fortibus. Iubentur igitur purgatis syluis, interfectis infestis feris, gigantibus immanibus deletis, expedire sibi promissam hæreditatem. Submota umbra occurrit Iosua Christus, sub quo, quæ syluæ purgandæ, quæ feræ conficiendæ, qui gigantes, sæuique hostes, ferreis armati curribus uincendi, funditusq; extirpandi sint, declarat ipse, cum his uerbis per Apostolos, suos milites ad pugnam hortatur: Induite totam armaturã Dei, ut possitis stare aduersus impetum diaboli: quoniam non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus rectores tenebrarum, &c.

Non poterimus ad montana conscendere.) Indigna uox Israelitis, quos exfœdere diuino cogitasse conueniebat illud: Dominus Deus noster ipse est Deus in cœlo supernè, & in terra infernè. Locus declarat, in Israelitis, hoc est, in electis Dei, duos esse homines: alterum ueterem & terrenum, alterum nouum & cœlestem, prioris

Prioris hominis pleni infirmitate, metu, diffidentia, ingenium hic exprimitur. posterioris ostenditur natura, cum dicunt Israelitæ: Hi in curribus, hi in equis: nos autem in nomine Domini inuocabimus. Hebræus habet לא ירישא, id est, Non inuenitur. quam locutionem alij in hunc modũ explicant: Non satis est nobis mons iste, ad habitandum. Sic Græci ἐκ κρίσεως. Similiter Paraphrastes יסבירון. Alij, potiri monte nõ poterimus. Est enim in loco apud Hebræos inuenire, quod assequi ac potiri.

Cum ferreis curribus.) Qũales antea ignis absumpserat, uictis potentissimis regibus, cuius uictoriæ hic immemores sunt.

Iezrael.) Quo nomine & urbs appellata fuit, cuius crebrò fit mentio in historia sacra, uicina fuit Megeddo & Ieblean.

Dixitq; Iosua.) Perstat in sententia semel pronunciata, qui sciret montem Ephraim, ad tribum Ephraimensem, & uicina loca ad Manasses pertinere, & gentem Chananæam semel exitio destinatam. Metum autem ignauũ turpem esse sacro populo, ad res magnas & præclaras, quas gereret cum laude Dei sui, selecto. Hæc de Manasse & Ephraim. Sunt autem & alia loca a-bijs in locis sacrarum literarum celebrata, quæ ad Ephraimensem tribum, & Manassensem pertinẽt. ut est Sichima, Samariæ metropolis. Hebal item & Gariζimus, montes apud Sichimã. Samaria præterea & regionis & ciuitatis nomen: regio quidem sita est inter Iudæam & Galilæam, natura à Iudæa nihil differens. Nam ambæ montuosæ sunt, & campestres, fontibus & ducibus aquis abundantes: Frugum omnis generis fertiles, plenæ pecoribus, & hominum multitudine frequentatæ. De qua benignitate cœli & terræ antea prædixerat Iacobus his uerbis: Ab omnipotente, qui te ubertate cœli supernè, ubertate profundi infernè, ubertate uberum atq; uuluarum abũdantem reddet. De ciuitate alio loco commodius. Quæ שמרון, à שמר nomen traxit, à quo Amri rex Israelitarum eum locum ædificandæ urbi, ut in libris Regum traditur, emerat. Hac deinde reges Israelitici pro regia usi sunt, totiq; regioni nomen dedit. Atq; horum regnum durauit usque ad Salmanassarem Assyriorum regem, à quo Israelitæ defectionis pœnam pendentes, in Assyrios & Medos translati sunt, annis ferè ducentis ante id tempus quo regnũ Iudæ Babylonius deleuit. Cæterum Israelitis translatis, Assyrius memor quanta difficultate Samariæ urbes cæpisset, præsidio ab Assyria misso totam illam regionem, ne à fide desciscerent, alienigenis cõmuniuit, qui deinde Samaritani uocati sunt. Quæ confusa ac perturbata religio, in Regum libris literis tradita est. Atque hæc res effecit, ut deinceps semper mutuum inter Samaritanos & Iudæos odium exarserit. quod etiam secundam templi instaurationem non parum impediuit, de quo in Aggæo & Ezra. Neq; æmulatio cessauit, sed eò usq; progressa est, ut Samaritani etiam suum templum in monte Gariζimo extruxerint eo tempore, quo Darius ab Alexandro Magno ad Amanas pylas deuictus est. Qui locus posteris temporibus celebris fuit adeò, ut Samaritani cum Iudæis de sacris contenderint. At uerò quæ fuit Samaritanorum falsa religio, Antiocho illustri regnante, templum istud in appellationem Iouis Olympij hospitalis conuersum est. Hanc delubri antiquam religionem, ut mulier Samaritana agnouerit, & sententiam ex Domino, quem in prophetis habebat, de uera religione acceperit, apud Ioannem legimus. Herodes Samariam urbem ab Hircano deletam, reparauit, & eam in honorem Augusti σεβαστὴν nominauit. qua de re uideris apud Iosephum. Hodie adhuc in istis montanis Samaritani feruntur degere, præter quinq; libros Mosaicos nihil profitentes, & tum à Thalmudicis, tum ab Annotationibus Rabinorum abhorrentes. Memorantur & alia loca, ut Dothan ciuitas, de qua in Iuditha: Venerunt per crepidinem montis Bethaliæ, usq; ad apicem qui respicit super Dothaim. Bethulia ciuitas & fons Bethuliæ, in quo se Iuditha uidua lauit, à cæde Holofernis. Abel Mechola, patria Eliζæi prophetæ. Cherith torrens, & eius fontes, ad Australes partes castrorum Gilgal. Hic Helias propheta tempore famis iussu Dei uersatus est. Silo mons, de quo mox, pars montium Iearim, Beζecha: huius fit mentio in priore Samuelis libro: Et recensuit Saul eos in Beζech, & in Iudic. lib. cap. 1 Et percusserũt in Beζech. Michmas iuxta Ramã contra Bethanẽ: Et ascenderunt Philistijm, & castrametati sunt in Michmas. Celebris itẽ est uaticinio Iesaiæ: In Michmas reponet arma sua. Areth fons, ubi castra fuerunt Gideonis, de quibus in libro Iudicũ, aduersus Madianitas posita, qui in Manaβen sitũ ualle Iezraele, de qua paulo suprà mentio facta, consederãt. Gaa mons, in cuius Septentrionali latere Iosua sepultus est, de quo infrà. Aruma locus agri Sichimæ, ubi Abimelechus in insidijs sedit, ex quibus inuaderet urbem: ut in Iudicum libro legitur: Et Abimelechus sedit in Arama. Apheca ciuitas prope Iezraelem, de qua libro priore Samuelis: Congregata sunt ergo Philistijm a-

gmina uniuersa in Aphec: sed & Israel castra metatus fuerat super fontẽ, qui erat in Ieזrael. Bethbara, de quo in libro Iudicum: Descendite in occursum Midian, & capite eis aquam, usq; in Bethbara & Iordanem. In eodem libro & Bethsithæ fit mentio: Et fugit turma illa, usq; in Bethsitta Zeraath. ubi & Thebath memoratur, circa quam Madianitæ palantes Iordanem traiecerũt: cui Bethseca, Abel, Mechola, patria Elisæi, uicinæ fuerant. Ephra & Ophra regio Manassensium in montibus Ephraim, de qua in primo Regum. Hamoreth collis tribus Manassensis, de quo in libro Iudicum his uerbis: Castra autem Midiam erant ab Aquilone, à colle Hainmore ualle. Adarsa ciuitas procul à Bethorõe stadijs 30. de qua in libris Machabæorum: Nicanor posuit castra ad Bethoron, & Iuda in Adarsa. Baaזor ciuitas Ephraim, in huius agro erant greges & pascua Absalonis. Sunt & alia, de quibus suis locis meminerimus.

IN CAPVT XVIII.

COngregati sunt omnes filij Israel in Silo.) A' quartodecimo, ut tradũt interpretes, anno, quo ingressi fuerant in Chananæam. Prima hic comitia Silunte acta legũtur, sed ita, ut prius cura erigẽdi tabernaculi, ad quod religionis cultus fieret, habita sit, quàm quicquam in rebus ciuilibus adornaretur. Par enim est, in omni Reip. institutione primam diuini cultus rationem haberi. Selectus igitur est tabernaculo & arcæ oraculari certus locus, ubi religionis ad colendum Deum sedes esset. idq; ex decreto Dei, de quo his uerbis in Deuteronomio: Ne offeratis holocausta in quouis loco, sed in eo quem elegerit Dominus. Is autẽ honos Iosephi tribui primo tributus est, in qua Silo ciuitas posita fuit. De cuius situ his uerbis in libro Iudicum: Silo quæ sita est ad Septentrionem urbis Bethel, ad Orientalem plagam uiæ quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona. Cæterùm quem tabernaculũ, mensa, candelabro, ara instructum: quẽ item arca oracularis, propitiatorio tecta, cũ toto instrumentorum apparatu, usum & significationem habeat: curq; in eo loco, ubi arca erat, Deus coli uoluerit, ea de re aliâs.

Septem tribus.) Beniaminis, Simeonis, Zabulonia, Isachariana, Aseriana, Nepthaliana, Dania. nam reliquis quinq; partim in regno Oggi & Seoris regum trans Iordanẽ, partim in Chananæa, sua hæreditas iam assignata fuerat: Rubenensi, Gadinæ, Manassensi, Ephraimensi, Iudææ.

Ad quos Iosua ait.) Erecto iam tabernaculo, ad quod præsente Domino sors erat iacienda, de qua mox.

Vsq; quò marcetis ignauia.) Exprobratio ignauæ remissionis: in qua populi persona, Deus, dux Iosua, & hæreditas ipsa promissa, & tot iam exanclati labores, & subita pericula ponderantur, ad ignauam cessationem deponendã, & gnauitatem assumendam.

Et non intratis.) Accendit igitur ad fortitudinem animos, ab ipsa occasione, & à præstantia hæreditatis: quã à largitore Deo, & promissione maioribus facta amplificat.

Diuidite uobis terram in septem partes.) Alij uolunt in septem æquales partes diuisam, alij in inæquales. Posterioris sententiæ autores utuntur loco, quo in Numeris præcipitur, ut terræ sacræ possessio pro capitum numero ita diuidatur, ut quanto quiq; uel plures sunt, uel pauciores, tanto uel plus, uel minus possideant. Si dicas, Quid igitur opus fuerit sorte, per quam, ut eius iactus incertus est, paucioribus plus, & pluribus minus potuisset assignari? Respondent ij, sic gubernatam sortem à Deo, ut æqualitas, de quo in Numeris præcipitur, sit conseruata, cadente cuiq; tribui sorte, quæ illius capitum numero responderet. Qua in re agnoscebatur & Dei prouidentia atq; cura, & dissensio tribuum prohibebatur. Qui uerò æquales partes putant fuisse, hi dicunt locum Numerorum referendum esse, non ad inæqualitatem septem partium, sed ad imparẽ eorum distributionem per familias cuiusq; tribus, maiore familia plus, minore uerò minus accipiente: idq; sortis diuinitùs iactæ & gubernatæ beneficio, quæ non iaceretur temerè, sed sub inuocato nomine Dei, qui per missam sortem suam declararet uoluntatem de eo quod iam antea delegisset. Itaq; Apostoli in electione Mathiæ precantes, sic sorte usi leguntur: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende utrũ elegeris ex his duobus. His factis precibus, missa sors à Mathia stetit, quem Deus delegerat, non Barnabam.

Vt coram Domino Deo uestro.) ad dissensiones cauendas. de quo usu sapiens Salomon, Dissensiones componit sors: ut quam regat diuina prouidentia, non humana cura, quæ humanas mentes pacatas non reddit.

Sed sacerdotium Domini.) sacrificia & munera Deo oblata. Metonymiam igitur rectè מתנו יסב יי לחזן. Suprà legitur ignita sacrificia esse hæreditatum Leuitarum.

Ascendit sors.) Quia educeretur ex urna, notata cuiusq; portione per sortem, uidetur legi hic

gi hic רעל. uel, ut nonnulli uolunt, ad terminum Aquilonarem respicitur, qui à Iordane Occasum uersus primò hic designatur. Nam sequitur,

Fuitq; terminus eorum contra Aquilonem.) In termino Aquilonari, Hiericho desertum Bethauem: modice deinde Meridiem uersus, deuergente illo ad latus Luzæ, quæ est Bethel, & eodem descendente in Atroth Adar ad montana, quæ sunt ad Meridiem Bethoronis inferioris.

Et inclinatur circumiens.) Designatur terminus Occidentalis, qui ad latus maris uidelicet magni, quod ad dextrã habet, describitur Austrum uersus, à mõte qui est eregionẽ Bethoronis ad Austrum.

Suntq; exitus eius.) limitis Occidentalis.

Contra mare.) Occidentale.

Et latus ad meridiem.) Designatur terminus Australis, qui est Iudææ tribus Septentrionalis.

Egreditur terminus contra mare.) salsum, Orientem uersus.

Et peruenit usq; ad fontem aquarũ Nepthoah.) Fons est breuis spacio inter Chiriathiarim & Hierosolymam, de quo suprà in tribu Iudæa.

Descenditq; in partem montis.) nã fons Nepthoah & Chiriathiarim ad Occasum & Septentrionem, situm suum habent.

Qui est eregionẽ uallis filiorũ Ennon.) Quæ est in extrema parte uallis Rephaim, ad Aquilonem. Mons autem, cuius hic fit mentio, Chalcadema mons est, qui respicit Hinnõ ad Occasum. Cætera loca quæ hic commemorantur in limite Australi Beniaminis, suprà quoq; narrata sunt in fine Septentrionali Iudææ.

Descenditq; in planiciem.) desertam & sterilem. quod indicat Hebræa uox עֲרָבָה. Vicinus fuit is campus mari salso, ubi quoque Betharaba urbs posita est.

Contra linguam maris salsi.) Terminus Orientalis, extrema ora maris salsi & Iordanis ea pars, qua in mare influit, qua parte quoque Iudææ limes Septentrionalis incipit. Fuit igitur longitudo inter Iordanem & Iearim montes; latitudo uerò inter Hierosolymã & Bethel urbes. Hæc de finibus. Sequuntur urbes, & insigniora loca.

Fuerũtq; ciuitates eius Hiericho.) De huius urbis situ, campo irriguo, mirabili fonte, ex modo theatri montibus circumdato, hortis balsamo palmetisq; bene cultis, uicinis desertis, & cæteris memorabilibus, uideris apud scriptores: et præcipuè apud Iosephum, libro quinto de bello Iudaico. Hieronymus eius nominis urbes tres facit: unam ueterem à Iosua deletam: alteram ab Oza Ephraimita extructam: sed eo tempore, quo Hierosolyma oppugnabatur à Romanis euersam. pro ea tertia ædificata est, quæ usq; hodie permanet. Bethagla, cuius suprà quoq; in Iudæa facta est mentio, ut limitaneæ urbis. Sicut etiam Betharaba, quæ hic Beniamini tribuitur, suprà Iudææ quoq; assignata est, quòd limitanea esset. Ambæ in limite Iudææ Septentrionali & Australi Beniaminis sitæ sunt. Bethagla inter mare salsum, & Hierichuntem posita est.

Bethel.) Interpretes igitur duplicem Bethel ponunt: alteram in tribu Ephraimensi, alteram in Beniaminensi. Alij uerò dicũt eandem fuisse, quæ interdũ, quòd limitanea esset, Beniammi, interdũ uerò Iosepho tributa sit. Angusta igitur fuit hæc tribus, sed cuius angustiam compensarit bonitas, & hominum frequentia.

Offra.) Fit huius mentio in libro Iudicum, sed sitæ in Manasensi tribu.

Rama.) de hac Iesaias: Territa est Rama. Et Hieremias: Vox audita in Rama est, ciuitas Sauli ad Orientem Gibeon, & ad Septentrionalem partem Bethel, in sexto miliario à Hierosolyma.

Beeroth.) sub metropoli Gabaon, de cuius ciuitatibus uideris suprà. posita est post Rama, ad Occasum.

Et Maspha.) Quæ & in tribu Iudæa inuenitur, ut suprà indicatum. Sita est in monte Iearim, prope Silo.

Caphira.) Vna ex urbibus imperij Gabaon, sita in monte Iearim.

Moza.) posti Cephira Hierosolymam respiciens.

Iebus ipsa est Hierusalaim.) In qua hæc erunt expendenda: nomen, habitatores, ambitus, situs & res memorabiles, quæ usq; ad postremum excidium eius in ea acciderunt. Quod ad nomen attinet, hæc ab initio Salem, deinde Iebus, tertiò Hierusalaim, & post ultimam euersionem Aelia, ab Aelio Hadriano profano nomine appellata est. Habitatores eius à principio, Melchizedecus & Iebusæus: deinde Dauid, à quo appellata ciuitas Dauidis, interdum ciuitas Dei uocata, quòd sacrata regno & religioni esset. Vnde etiam à prophanis scriptoribus Hierosolyma longè clarissima urbium Orientis, non Iudææ modò dicta

dicta est. Huius ambitus quinq; m. passuũ fuit, situs eius petrosus & accliuis, condita in supino montis dorso: unde ex urbe patebat prospectus ad Thraconos montes, Asphaltitem & Arabiam. Atque hæc his montibus clara fuit. Moria primò mons occurrit, Sion mons intra ambitum urbis eminentior, & urbem ambiens toto latere Australi, descendens cliuo, ad reliquam aream urbis contra Septentrionem, intercedente tamen profunda ualle, extrà abruptus, desinens in uallem Hinnõ, etiam ipse magni ambitus. in eo fuerant regiæ, & regum sepulturæ. Huius interior ambitus Mello, erat à regibus inclusus muro. Vrbi adiacet mons Oliueti, profunda ualle medius fissus: per quam torrens ille Cedron memoratus Euangelistæ labitur, adeò uicinus Hierosolymæ, ut cum Titus Vespasiani filius, circa urbem murum duceret, partem quoq; huius montis comprehenderit. In urbe memorabilis fons Siloe appellatus, ad radices montis Sion: cui quòd non iugibus aquis, sed certis diebus scaturiat, piscinæ nomen datum est, de quo apud Euangelistam Ioannem. Memorabilis fons uaticinio Iesaiæ: pro eo quòd abiecit populus iste aquas Siloe. Apud Ezechielem legimus de Hierosolyma: In medio gentiũ posui eam. quæ sententia commodum Hierosolymæ situm ostendit. A' Meridie enim Africa, ab Occasu Europa: à Septentrione, Armeni Sarmatæ, & reliqui Scythæ, ab ortu Assyrij, Persæ, Medi, Sogdiani, & Indi imminent. Ex Hierosolyma ad cæteras orbis terrarum regiones facilis patuit aditus, & harum ad illam, siue terrestre, siue maritimum iter esset. nam ab Occidente, mari nostro propinqua est: à Meridie, sinu Arabico: ab ortu, Persico. Qui situs faciebat, ut ueræ religionis lex ad cæteros populos (de qua uates: Ex Zione exibit lex) facillimè perueniret. Quæ autem res memorabiles acciderunt Hierosolymis posteris temporib. sub Assyrijs, Persis, Græcis, Romanis, eam tum principibus cum sacerdotibus moderantibus, de his in sacra historia & prophetis copiosè scribitur. Et quæ mysteria in hac ciuitate ostendere Deo placuerit, siue illius res integras, siue imminutas spectemus, de his suo loco monebitur. Cæterùm Hierosolyma, quæ in finib. Beniaminis ponitur, suprà Iudææ assignatur. Vnde colligitur, hanc pertinuisse, ut limitaneam urbem, ad utranque tribum, promiscuè à Iudæis & Beniaminensibus habitatam. Quæ res etiam in causa fuit, cur, cum cæteræ tribus defecissent à regno Dauidis, Beniaminis in fide manserit, qui partem in ea ciuitate haberet, in qua religio & regni amplitudo sedem tenebat. Atq; hæc non parua dignitas Beniaminis fuit, speciosæ Rachelis unicæ Iacobo dilectæ filij, ex utroq; parente Iosephi fratris. Cur autem pulchræ Rachelis filius Beniamin minimus natu, cum Iuda ex deformi Lia nato coniunctus sit & dutione & religione, arcana huius rei indicatio piis ignota nõ est, & in Gen. delibata.

Hæc fuit possessio.) Sed sunt & alia loca in alijs Scripturæ sacræ locis commemorata: quorum quædam, ut limitanea, communia indicãtur tribui Iudæ & Beniamini: ut Chiriath Iearim, Cirtath Baal, patria prophetæ Zachariæ, filij Iehoadæ summi sacerdotis, qui lapidibus in atrio domus Domini obrutus legitur. Gibea item, Chalcadema mons, uallis Hinnon. Addumim mons, de quo suprà in fine Septentrionali Iudææ. Achor uallis, celebris Achanis supplicio, à Septentrione Hierichuntis. Tributur & huic tribui Anathoth, patria Hieremiæ, uiculus uicinus Hierosolymæ. Gilgal secundo miliario Hierichũtis, Hieronymi temporibus locus desertus ostendebatur: sed miro cultu habitus, propter tabernaculi Mosaici, quod ibi olim fixum fuerat, memoriã. Iemini regio, de qua primo Regum: Et transiuit Saul, quærens asinas per terram Salisa, & per terram Sahalim, & per terram Iemini, in terram Suph. Bacurim castellum. Bethanem, desertũ inter Iordanem & Adumim montes. Bethbessis locus in deserto. Fit eius mentio in primo Machabæorũ. Elon Thabor locus, uidetur apud Rachelis sepulchrum. Boses, petra, de qua primo Regũ.

IN CAPVT XIX.

ET egressa est sors secunda filiorũ Simeon.) Non describũtur fines Simeonis: sed urbes recensentur, quòd hæreditas illius finibus Iudææ contineretur, sicut hic legimus: Fuitq; hæreditas in medio possessionis filiorum Iudæ. Sententiã igitur suã tandem Dominus, quam de Leui & Simeone prædixerat, exequitur: Diuidam eos in Iacobæos, & dispergam eos in Israelitas, qui ambo ex Lea Iudæ fratres sunt.

Beersabæ.) Beersaba extremus Austrum uersus terminus terræ sacræ. Si uertas, puteus iuramenti est, quem Abrahamus effoderat in signum icti cum Abimelecho fœderis, de quo in Genesi. Olim igitur fons, postea ciuitas extructa est, sita in ea uia quæ ad Sinam montem ducit, quò Hetas fugerat ad Iezabelis uitandam rabiem. Nobilis est urbs habitatoribus Abrahamo & Isaco, cui ut Deus illic apparuerit. Legimus Gen. cap. 26. De his quæ hic numerãtur urbibus, uideris suprà in descriptione Iudææ. Itaq; quoniã dispersa erat

erat hæreditas Simeonis in tribu Iudæ, legimus in Iudicũ libro de hac tribu, ut ex sententia Dei ascenderit cum Iuda, ad occupandam reliquã possessionem suam. Quæ Simeonis dignitas militaris erat, ut sub signis Iudæ militaret. Sicut honori Leui fuit, quòd Hierosolymæ sacerdotio fungeretur: in principe Iudææ tribus ciuitate. Quæ in re cernimus, conuersam utriusq; & Simeonis & Leui, quæ Dei bonitas est, maledictionem in benedictionem. Sic enim de execratione legitur in Genesi: Maledictus furor eorum. Quo ex loco tria cognoscimus: unum, est iusticia diuina, quæ scelera impunita etiam in suis non sinat: alterum, longanimitas, sed coniuncta cum constantia uindicandi noxam: tertium, bonitas, quæ omnia suis conuertat in bonum, peccatum, iram, maledictionem, mortem, infernum: superante omnia, Messia filio, mortis & inferni clauem habente.

Sicelag.) De hac urbe legimus, ut ab Achi rege Philistæorum, in cuius tum erat potestate, Dauidi, in qua habitaret, sit tradita: Dedit ei Achis in die illa Sicelag. Clara hæc urbs est clade, qua ab Amalechitis affecta fuit: & uictoria Dauidis, de uictoribus Amalechitis reportata.

Cecidit{que} sors tertia filiorum Zabulon.) Iacobi ex Lea sexti filij. Hæc tribus ab Aquilone Napthalianæ, ab ortu Isacharianæ, ab Occasu & Septentrione Aserianæ finitima erat.

Ascendit{que} terminus eorum.) ab ortu per Aquilonem.

Ad mare.) magnum, ut impleretur uaticinium Iacobi: Zabulon littus maris accolet.

Ciseloth Tabor.) Mons igitur is ab ortu finitimus Naphtalianæ, Zabuloniæ & Isachariæ tribui. Miranda rotunditate sublimis est mons is, ad cuius radices uictoria de Sisara, à Debora parta, legitur in libro Iudicum. De montis situ, magnitudine, sublimitate, uideris apud Iosephum. Fit etiam mentio Thabor in finibus Beniaminensis tribus, aut Iudææ.

Gethepher.) patria prophetæ Ionæ, de quo illud, אשר מגתה הפר.

De Remnon.) Diuersa ab illa, cuius inter ciuitates Simeonis mentio facta est.

Et Simron.) De huius rege suprà cap. 11. Huius nomine duæ sunt ciuitates, una in tribu Zabulonis, altera in tribu Ephraimensi, de qua paulo suprà.

Et Bethlehem.) diuersa ab ea, quæ in tribu Iudæ sita est. Collocant etiam in hac tribu Nazareth oppidum, patriam Iesu Christi seruatoris, à quo is Nazarænus uocatus, & Christiani Nazaræi per contemptum: ut Iulianus Imperator Christianorum filios Galilæos, & Christũ Galilæum nominauit. Tradit Iosephus, Zabulonitas à Genesare lacu terram circa Carmelum, usq; ad mare tenuisse. Qui mõs à mari Mediterraneo longè in continentẽ Thabor montem uersus recedit, quorum alter in Occasu, alter in Ortu situs est. Cæterùm cum duplex sit Galilæa, altera inferior, altera superior: inferioris Galilææ pars non exigua Zabuloni & Isaschari adscribitur, in qua Genesar lacus, Capernaum nobile Christi hospitio oppidum, & fons Capernaum agrum, ad stadia triginta nobilis corace pisce, fœcundat. Tyberias item, in gratiã Tyberij ab Herode extructa, in littore lacus Tyberiadis sita, qui in sacris literis Genesereth lacus dicitur. Terachea ciuitas, à qua lacus nõnunquã Taracheus appellatus, cuius meminit Iosephus lib. 3. belli Iud. Betsaida supra Capernaũ, ad Iordanis ripam, quam Philippus ædificijs exornatã, mutato nomine Iulaidem appellauit, ob Iuliam Augusti filiam: patria Petri, Andrææ, Philippi, apostolorum. Magdalum, unde Maria Magdalena, inter lacum Tyberiadem & Thabor montem. Dalmanutha regio, iuxta Magdalum, non longè à Bethsaida, cuius loci apud Marcum fit mentio. Zabulon, non tribus modò, sed etiam oppidi nomen, Neronis ætate munitissimi.

Isachar egressa est sors quarta.) Quinti ex Lea filij describitur optima terra, quæ uicina ab Ortu fuit Zabuloniæ, ab Occasu et Aquilone Aserianæ, ab Austro Manasseni tribui uicina Iordani, à quo introrsus ad Carmelum usq; montem recessit. Huius urbes hic numerantur.

Iezraela.) clara amœnissimo situ, quo ad Carmelum & Thabor montes & regionem ultra Iordanem prospicit.

Sunem.) Sita ad Orientalem partem Carmeli, non procul à Chesaloth, in quinto miliario Thabor montis. Mons item ibi situs est, eius nominis imminens ciuitati, ad quam Philistæi castra sua posuerunt contra Saulum regem: Congregatiq; sunt Philistijm, & castra metati sunt in Sunem.

Sion.) Diuersus est locus ab eo qui dicitur צירן mons Dauidis: alter enim uocatur שירן, alter צירן.

Chision.) ciuitas Leuitarum.

Bethsemes.) Est & Bethsemes in Iudæ tribu. item tertia in Naphtalia, de qua mox.

Hæc est possessio.) Celebris est hæc tribus etiam torrente Cison, qui per eam fluere dicitur.

tur. Super eo aluco, quo in Geneſarem lacum illabitur, Barachus uicit Siſaram, ut legimus in libro Iudicum: Ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſon, Siſaram principem, & currus eius, atq; omnem multitudinem, & tradam eos in manũ tuã. Sinistro uerò aluco, in mare Mediterraneum illabitur. Propè Carmelus mons eſt, clarus quingentorum quinquaginta pſeudoprophetarum Baal cæde, quam fecit Helias propheta. In hoc monte Carmelum oppidum, dictum antiquitùs Ecbatanam, Plinius collocat. Carmelus igitur in occaſu, Thabor in ortu poſitus eſt. Saron item regio, de qua in libris Paralipomenũ fit mentio. Inter Cæſaream Paleſtinam & Thabor montem, lacumq; Geneſarem, tractus totus paſcuus. Iotapata à Veſpaſiano exciſa, non procul à Tyberiade. De Dalmanutha & Magdalo ſuprà eſt mẽtio facta. Fit in libro Iudicum Samir mentio, in quo Thola iudex ſepultus.

Cecidítq; ſors quinta tribui filiorũ Aſer.) De huius benedictione uideris in Geneſi, & in Deuteronomio. Hæc familia ex Aſere filio Iacobi, ex Zelpha ancilla Leæ, originem duxit. Hæc tribus omnem terram à Ptolemaide tenuit, ad Sidonem, autore Ioſepho.

Helcath.) ciuitas Leuitarum.

Bethen.) In octauo milliario Ptolemaidis, contra Orientem.

Achſaph.) Miliario Ptolemaidis pergentibus Tyrum. Nam ponitur & Ptolemais in finibus Aſerianæ, maritima ciuitas ad Belum fluuiũ, poſt Carmelum, quem à meridie habet: à Septentrione autem, Sidonem & Tyrum. in Actis Apoſtolorum fit huius urbis mentio.

Et Miſeal.) Leuitarum, pertingens ad Carmelum montem, mare uerſus. Tres igitur tribus ſuæ ditionis partem ad Carmelum habuerunt: Zabulonia, Iſachariana, Aſeriana: ſed diuerſis, ut longè patet Carmelus mons, partibus. Eſt & alter Carmelus mons in tribu Iudæa, ad Auſtrum, iuxta Seirem montem, non procul ab Hebrone in deſerto Maon, qua in Aegyptum itur: in quo Nabal ille ſtultus habitauit, de quo etiam ſuprà.

Et Cabul.) Eſt autem Cabul regio 20 oppidorum, de qua his uerbis lib. 3. Regum cap. 9. Tunc dedit Salomon Hiram uiginti oppida in terra Galilææ. Et egreſſus eſt Hiram de Tyro, ut uideret oppida quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei. & ait, Hæccine ſunt ciuitates, quas dediſti mihi frater? Et appellauit eas terram Chabul, uſq; diem hanc. Is locus indicat, tempore Salomonis Galilææ nomen fuiſſe celebre. At ibi non Galilææ inferioris, de qua ſuprà in Zabulonia tribu meminimus, ſed ſuperioris ſit mentio, quæ Galilæa gentium poſteris temporibus appellata eſt, uicina Tyriorum & Sidonis, ut libri Regum teſtantur, ſimilibus. Cæterùm copioſam deſcriptionem Galilææ uideris apud Ioſephum, tertio belli Iudaici libro.

Rechob.) Leuitarum.

Et Cana.) Huius regio clara muliere, cuius filiam Chriſtus dæmonio liberauit.

Vſq; ad Sidonem magnam.) De huius ciuitatis nomine, uetuſtate, ſitu & rebus memorabilibus, multa ſcriptores tradũt. Nomen proculdubio à Sidone primogenito Chanaan accepit. unde etiam uetuſtas eius declaratur. Si ſitum ſpectes, in pucherrimo portu, poſt Antilibanum montem in mari Phœnicio poſita eſt. Hanc urbẽ Plinius artificẽ uitri, & parentem Thebarũ Bœotiarum uocat. Sidoniorum meminit & Homerus, quos πολυδαιδάλους nominat:

ἐπὶ σιδονες πολυδαιδαλοι ὤτρυνεσαν.

Et alio loco opera Sidoniarum mulierum celebrat: (γυναικῶν

ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν Σιδονίων.—

Celebres Sidonis fines, redditi ſunt Chriſti præſentia. Et apoſtolus Paulus uinctus, cum Romam duceretur, apud hanc diuertit. Vrbs Sidon olim ob amplitudinem cognominata fuit רבה, nunc anguſtior eſt.

Vſque ad ciuitatem munitiſsimam Tyrum.) Vetuſtatem huius urbis Ioſua indicat, quam ſorte Aſeri tributam dicit. Itaq; Dionyſius in libro de Situ orbis terrarum, Tyrum uetuſtam nominat, πρὸ τύρου ὠγυγίλω, ut Sidonem αὐθεμώτεραν. Duplex Tyrus traditur: altera uetus, altera noua. De uetere hic loquitur Ioſua: noua, ab hac triginta ſtadijs diſtat, ad Ptolemaidem Auſtrum uerſus recedens, Strabone autore: à Sidone uerò, non plus ducentis. Quondã inſula præalto mari ſeptingentis paſſibus diuiſa fuit: nunc uerò oppugnantis Alexandri operibus cõtinens. Clara urbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani imperij æmula Carthagine, etiam Gadibus extra orbem cõditis. Clara item purpura: ob cuius decus libertate donatos Tyrios à Romanis, Strabo teſtatur. At uerò, quamuis Tyrus ab Iſraelitis nunquam poſſeſſa legatur, fœdere tamen cum ipſorũ regibus cõiuncta fuiſſe, in lib. Reg. traditur. Eſt igitur una ex præcipuis Phœniciæ urbibus Tyrus, in qua regione Sidon, Tyrus, Sarepta,

pta, Biblus, Beritus, Tripolis, Marathus, urbes cõtinentur. Phœnices literarum & siderum, ut Aegyptios Geometriæ inuentione, claros fuisse tradunt. De quibus præter Strabonem Dionysius: πρὸς βύβλῳ ἀρχαίων ἄστρων πόρον ἐφράσαντο. Scita paronomasia, מבצר צר: quæ indicat, Tyro ab Hebræis nomen, à munitione inditum. Sed ut sunt regnorum omnium suæ fatales periodi & conuersiones, hanc nõ defendit sua munitio, quominus aliquando fuerit expugnata & capta: ut satisfieret oraculis diuinis, per sacros uates expositis, de quibus apud Iesaiam & Ezechielem.

Et Aphec.) Reperitur & Aphec in tribu Iudæa. Hæc Aphec urbs nobilis est clade Benadadi, regis Syriorum, qua ab Achabo rege Israelitarum affectus est: de qua libro tertio Regum, capite uicesimo.

Hæc est possessio filiorum Aser.) Numerantur & quædam alia loca, ab hac tribu possessa. Gisgala municipium Galilææ superioris ad finem Tyriorum, prope Achsaph, ad Australem partem, patria maiorum Pauli apostoli. Huius urbis meminit in historia belli Iudaici Iosephus. Sepheth castellum munitissimum. Aser uallis. Acho, cuius sit mentio in libro Iudicum. Lais Dan, sed hæc possessa est à Dania tribu. Numerantur & alia loca, quæ prætereo. Aseris agrum frugum & olei fertilem fuisse, indicat uaticinium Iacobi: Aser pinguis, panis eius delicias dabit regibus. Et Moses: Et tingat in oleo pedem suum. Feracem Galilæam, cuius superiorem partem Aser possedit, fuisse, testatur etiam Iosephus libro altero belli Iudaici.

Filiorum Nephtali.) Nephtalis tribus, Iosepho autore, tenuit Galilæam superiorem, usq; ad Damascum. Itaq, mirabitur fortassis aliquis, cum hæc familia Septentrionalia occuparit, cur Moses in uaticinio suo, de Naphtali dicat: Occidẽtalia & Meridiana occupabit. quidq; sit quod hic legitur, Et in Iuda ad Iordanem pertingit contrarium solis: cum Iudæa tribus Australia tenuerit. De quæstione mox infrà.

Et Azanoth Thabor.) Attigerunt igitur & Zabulonitæ & Issacharitæ & Naphtalitæ Thaborem montem, ut finitimæ tribus: sed diuersis partibus, ut etiam de Carmelo liquet. Proinde is mons in confinio Zabulonis Issacharis & Naphtalis ponitur Hieronymo autore. Sunt qui diuersum ab eo Thaborem esse putant, qui per tribum Issacharis extenditur.

In Zabulon.) Duas tribus finitimas habet, Zabuloniam à meridie, & Aseris ab occasu. Et in Iuda ad Iordanem..) Dicat aliquis, Quomodo pertinget hæc tribus ad Iudæam, cum interiectæ sint Beniaminis, Manasses, Ephraim, Zabulonis, Issacharis tribus? Fortasse, ut nonnulli dicunt, pertingere ad Iudam dicitur, propter Iordanem fluuium, cuius Naphtali fontes habet, exitum Iudæa. Sicut etiam suprà legitur, Manassem attingere Aserem, cum inter intranq; tribum Zabulonia posita sit. Sed attingere dicitur, quòd Manasse terminum suum habeat in Carmelo, in quo etiam terminatur Aser, sed diuerso situ. Simili modò dicet fortasse aliquis, Naphtaliam tribum, quia finem ad Iordanem habet, eam ad Iudæã pertingere, quòd utriusq; tribus communis terminus Iordanis habeatur.

Et Hamath.) חמת, alijs est Epiphania, alijs Antiochia: Iosepho Epiphania est. Similiter Hieronymus in locis Hebraicis. In lib. quarto Regum, regionis Hemath fit mentio, & urbis Reblathæ. Quos tollens Nabuzaradam, princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha, percussitq; eos rex Babylonis in Reblatha. Apparet igitur Hamath montanam regionem fuisse inter Tyrum & Damascum, cuius urbs etiam olim celebris Hamath appellata, & Rabba, posteris temporibus Ephiphania, aut ut nonnulli uolunt, Antiochia dicta sit, clara Syriæ urbs, de qua uideris apud scriptores.

Et Cinereth.) De lacu accipiunt Tyberiadis, ad quem usq; extenta fuerit ditio Naphtalis. Huc apparet referendum esse, quod in uaticinio Mosæ legitur: Et Australia occupabit. Nam uicina reliquis tribubus loca Australia & Occidentalia Damascenæ regioni fuerunt. Sed prior interpretatio probatur magis doctis hominibus.

Hasor.) Vrbs in uia ad Dan fontem, de qua in Thobia. Fit suprà mentio Hazor regiæ Iabin regis. Dicitur item Hazor nomen cãpi esse inter urbes Hazor & Cedes, per quẽ uia publica ex Traconitide per superiora Samonochitidis paludis patet, de qua Thobias quoq; meminit.

Cedes.) Leuitarum, & fugitiuorum.

Edræi.) Fit etiam Edræi loci mentio in Numeris.

Et Bethanath.) clara balneis salubribus.

Bethsames.) Tres igitur huius nominis urbes leguntur esse, de quibus suprà.

Hæc est possessio.) Collocantur in hac tribu, & hæc loca: Abela & Bethmahecha, de quibus in secundo libro Regum legitur, ut ad hanc peruenerit Seba filius Bochri, res nouas contra Dauidem regem moliens. Porrò ille trãsierat per

omnes tribus Israel usq; in Abelam & Bethmahacha. Abela sita in campo grandi regionis Berim, Galilææ superioris. Plinius meminit Abilæ sitæ in Decapolitana, in qua regione & Damascus à multis ponitur, ad quam Nepthalitæ usq; ad montem Libanum, fontesq; Iordanis Orientem uersus partes, Iosepho autore, acceperunt. Ab Abila Abilatæ dicti, & Abilene tetrarchia, cuius fit mentio apud Lucam. Item, ciuitas Decapolitanæ, quæ Gabe à Plinio uocatur: quam arbitrantur eandem esse, quæ Legionis oppidũ. Ampeloessa, Palmira urbs, quam à Salomone ædificatam liber secundus Paralipomenũ testatur. Nephtalis ciuitas, cuius fit mentio apud Tobiam: Tobias ex tribu & ciuitate Nephtali. Paneas, in qua Cæsarea, quæ Paneadis, à Paneade fonte Philippi, à Philippo Herodis fratre appellata est. Huius fit mentio apud Matthæum. Prope Dan fons est ad Panium antrum, ubi Abrahamus Syros fudit. In mõte autem imminenti dicto Baalgad, Herodes superior magnificentissimũ templum construxerat, cõsecratum nomini Octauiani Augusti, à quo uicina urbs Cæsarea Philippi dicta. Foris ad radices montis & fauces antri scaturiunt fontes, unde tandem fluuius concipitur. Seleucia item ciuitas in ore & prominente littore sita, nõ longè ab Antiochia, ex qua in Cyprum commodus traiectus erat, ut patet ex Actis. Sephoris ciuitas munita ab Herode, Iosepho autore, muro circundata, quam Autocratorida appellauit. Subiecta hæc Asamon monti est, qui dictus est & Asacharon, undiq; medius Galilææ. Præterea Iturea regio superiora ac Aquilonaria, per montem Libanum usq; ad Thraconos montes tenet. Labo Hemath inter Tyrum & Dan fontem. De reliquis, uideris apud alios, quæ diligenter explicauit Zieglerus.

Tribus filiarum Dan.) Descriptio hæreditatis Daniæ tribus, quæ, Iosepho autore, ab Azoto usq; ad Doram mare tenuit.

Esthaol.) Fit & mentio suprà in tribu Iudæa, urbis eodem nomine.

Et Aialon.) ubi, orante Iosua, sol stetit. Est inter Gibeon & Maceda.

Timnata.) Magna ciuitas, sita in monte Ephraim, contra Aquilonaria Lyddæ. Inde, ut uolunt scriptores, Romanis imperantibus dicta est præfectura Thamnitica. Iuxta hanc urbem Ena fons fuit, insignis idolo à multis culto. item propè saltus Iaar, in agro Thimnata, in quo Sampson oppressit leonem.

Gathremon.) ciuitas Leuitarum.

Et Acoron.) Quæ suprà & Iudææ, ut finitimæ tribui, ascribitur.

Qui respicit Ioppen.) Ioppe nunc uicus, olim maritima urbs portu insignis, quo appelitur hodie à nostris Hierosolymam proficiscentibus. Eam urbem inter Phœniciæ urbes numeratam, diluuio antiquiorẽ fuisse produnt. A' scriptoribus inter decẽ Toparchias Ioppica numeratur: Hierichus, Emaus, Lydda, Ioppica, Acrabatene, Gophnitica, Betholine, Tephene, Orine. Cæterùm inter Azotũ & Doram terminũ Septentrionalẽ Daniæ tribus hæ iacẽt celebres prope mare, quod tenuerunt olim Danitæ, urbes: Cæsareæ Palestinæ, dicta olim turris Stratonis, inter Ioppẽ & Doram sita. Hæc Cæsarea à Cæsare Augusto, in cuius honorem ab Herode instaurata fuit, appellata: cui & templum erexit, ludosq; Olympiacos & quinquennales instituit, magna suæ apud Iudæos inuidia: nominata deinde colonia Flauia, à Vespasiano Imperatore deducta. Atque hæc urbs, Tacito autore, Hierosolyma à Romanis destructa, caput Iudææ habita est, clara Cornelio centurione, Euangelio Iesu Christi à Petro initiato. Huius Cæsareæ Eusebius episcopus fuit, cognomento Pamphili, sub Constantino Imperatore. Clara item Philippo Euangelistæ, hospite Pauli. In eo item tractu fuit Lydda, non procul Ioppe, ciuitas magna, cuius quoq; in Actis fit mentio. Item Accaron, de qua & suprà à Iosua facta est mentio.

Contra Lesem.) Hebræus notat, egressos Danitas terminos suos, & ascendisse Aquilonaria uersus, ad occupandam Lesem urbem, quæ in libro Iudicum לַיִשׁ uocatur. & 250 circiter annis fluxere, usq; ad id tempus, quo in libro Iudicũ Lais traditur capta à Danitis. Aut igitur non seruato ordine rerum gestarum, narratur hic occupata Lesem, quæ pòst fuit occupata: aut quæ capta esset temporibus Iosuæ, & pòst amissa, ubi aucta fuit potentia Israelitarum, denuò bello receptam Iudicum libro indicatur. Nonnulli uolunt Lesem, cuius hic fit mentio, eam esse, quæ postea Cæsaria Philippi dicta est. alij aliter.

Vocauerunt Lesem Dan.) Diuersa igitur est à Dan fonte, nisi anticipatio adhibeatur, qui Iordanem fundit. Nam Dan fontis fit mentio in Genesi, in narratione rerum gestarum Abrahami 600 annis propè antè quàm posteri Dãcaperent urbem, & loco nomen darent: in cuius expugnatione, ei non Dan, sed Lesem, aut Lais nomen fuit.

Hæc est possessio filiorum Dan.) In cuius tribu etiam hæc numerãtur loca, Iabniæ ciui-

ciuitas, de qua uideris apud Iosephum. Zaren ciuitas, Caphar Sarid, Geror, & Cædrus uicus. Putant esse Cedronem, cuius in Machabæis fit mentio: Et peruenit Cendebeus Iabniam, & cœpit ædificare Cedronem. Modin oppidum, patria Machabæorum, clarum illorum sepultura, septem pyramidibus ad istam ex quadrata mole erectis.

Cumq; complesset sorte.) Exemplum moderationis in duce Iosua, qui non prius sibi consuli passus sit, quàm consultum esset reip. quiq; imperium cum gessisset in uniuersum populum modica ditione contentus, contrà quàm faciunt principes mundi, regium splendorem curæ non habuerit: patris & pastoris nomen retinuerit, tyranni recusarit, ne ulli uel ambitionis uel auaritiæ suspicionem de se dare uideretur.

Dederunt filij Israel.) Qui cæteris producis more suam assignauerat hæreditatem, ab illis ipsis suam accipit. Qua moderatione populi erga se & familiam suam amorem, uitato odioso metu, retinere uoluit: quem malum diuturnitatis sciret esse custodem, eumq; tyrannis curæ esse, quorum uox sit, Oderint dum metuant. At uerò hæc animi mansuetudo, nõ humano arbitrio regebatur, sed uerbo Dei. Legitur enim hic, עַל פִּי יי, id est, ex sententia ac uerbo Dei, ab Israelitis suam partẽ accepisse. Huius summissionis submota umbra, in quo Iosua cernatur ueræ demissionis exemplum, satis notum: qui ut suis hæreditatem distribuat, & ab his suam quoq; accipiat, & qualem accipiat, quam colat, & in qua habitet, declarat sanctorũ Ecclesia, uera hæreditas Christi Iosuæ cœlestis, quæ non in ualle huius mundi, sed in monte Ephraim, hoc est, in cœlo posita est: quam is ipse, non alius quisquam extruat atq; ædificet, eamq; aduersus omnem hostilem uim munitam incolat: idq; ex decreto ac sententia Dei, de qua illud: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem. De huius autem hæreditatis extructione, uates: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris.

In mõte Ephraim.) qui de tribu Ephraim esset, ut legimus in Numeris: De tribu Ephraim, Oseæ filium Nun.

Eleazar sacerdos.) In distributione cœlestis hæreditatis, qui sacerdos, qui dux Iosua, hoc est, quod regium sacerdotium, cum principibus electorum, qui sunt Apostoli, ministri cœlestium munerum, spectetur, manifestum: satis hæc indicasse, ac perstrinxisse, sit.

Ad ostium tabernaculi.) in atrio.

IN CAPVT XX.

SEparate urbes fugitiuorum.) De asyli origine, usu, & eius oppidis, uideris in Numeris.

Quicunq; animam percusserit nescius.) Aperitur asylum non adulteris, idololatris, latronibus, proditoribus, cæteriq; prudenter & studio sceleratis, sed homicidis: atq; ijs non quibusuis, sed qui per imprudentiam hominem occiderint. Qua in re æquitas diuina elucet, quæ discrimen inter crimina obseruans, aliter ἀδικήματα, aliter ἁμαρτήματα, aliter quæ casu committuntur delicta, puniendа esse iudicat. Qua de re aliquoties supra in libris Mosaicis.

Cumq; alter sanguinis.) cuius uindicandi cupido animo in uindicibus hoc asyli iure occurritur. Nam propinqui qui sunt, sanguinis uindices esse solent: quorum cupiditati ἀσυλία, hoc est, libertatis hoc & ueniæ ius opponitur, quod hic à Deo traditum & confirmatum legimus, ut in certis oppidis profugium suum homicidæ habeant, dum sententia pronuncietur. Quid autem interfit inter Asyla profanarum gentium, & Hebraica, satis indicant, quæ in Asylis à Mosæ mandatis, & hic tandem à Iosua erectis, spectantur: ut sunt, oppida non quorumuis, sed Leuitarum, summi sacerdotis mors. demum, Asyla Mosaica non tueri sontes, sed iudicum iudicio insontes pronunciatos.

Quia ignorans.) Duo igitur spectantur in criminibus: alterum factum est, alterum animus quo facinus committitur. In factis puniendis non seruatur ἀκριβοδίκαιον, hoc est, durius ac summum ius, quod legis duriore seuerioreq; interpretatione continetur: sed ἐπιείκεια, id est, æquitas expenditur, dum non legis uerba, sed legislatoris mens, non ipsum factum, sed animus ac uoluntas, errore ne an consulto, antegressaq; deliberatione, in qua improbitas consistit, quicquam cõmissum sit, ponderantur. Nam homicidiũ, de quo hic agitur, aliam æstimationem habet, si à magistratu: aliam, si à latrone: aliam, si ab amico fiat. In magistratu laudem habet, qui ex ciuili munere sontes necat: in latrone, capitale est: in amico, quia ab eo designatur, non studio, sed casu, ueniã meretur. In scripto igitur subiungitur, homicidã talem, qui eius quem occidit hostis antè non fuerit, in uindicis manum tradendum non esse.

Qui non sit reus mortis.) sic iudicante æquitate, interprete legis scriptæ, quæ hic diuina sententia comprobatur. Ex quo fonte omnis apud iurisconsultos de æquitate manat disputatio.

tatio. Ex eadem illa argumenta petuntur, quæ ad legitimum statum περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας, id est, de scripto & sententia pertinent, quum probamus uoluntatem legislatoris à nobis stare. Item ex eadem æquitate promuntur argumenta, quæ in statu assumptiuo ad comparationem, remotionem criminis, & deprecationem, qua causa facti in imprudentiam, necessitatem & casum reijcitur, accommodantur.

Et habitauit in ciuitate illa.) Duas ob causas: altera ciuilis est, altera mystica. de quibus in Numeris.

Donec stet ante iudicium.) Asylo nõ tuente, nisi eum, qui iudicum sententia innocens sit pronunciatus. Sistere autem se soliti sunt iudicio in ea ciuitate, in cuius finibus homicidium fuerat factum, quò ducebatur à ciuibus, ad quos profugerat, publicè fide data: atq; per eandem fidem iam absolutus crimine, in idem oppidum, quò profugerat, reducebatur. Sin uerò conuictus noxæ esset, uindicibus ius erat eum interimere.

Et moriatur summus sacerdos.) Duo perpenduntur hic. Vnum, seueritas puniendi homicidia. nam etiam qui insons iudicatus est, non prius liber dimittitur, quàm obierit pontifex: ante cuius mortem egressus homicida, si à uindice sanguinis occisus sit, id impunè fore illi, ut in Numeris docetur. Alterum, mystica ratio est. de qua aliàs.

Decreueruntq; Cedes.) קדש, pro quo Paraphrastes רזמיר: consecrare, pro decernere, ac destinare. Hebræum uerbum diligenter pensitandum fuerit. Quàm cõmodus fuerit situs harum trium urbium ad profugiendum, satis manifestum. Hebron ad meridiem, Cedes ad Aquilonem erat, medium situm Sichema tenente inter Iordanem & mare, inter Austrum & Septentrionem.

IN CAPVT XXI.

Accesseruntq; principes familiarum Leui.) Leuitæ ultimũ locum in accipiendis ciuitatibus, quas incolant, habẽt: ut qui dispergendi inter reliquas tribus, non alijs in urbibus, quàm quas dedissent Israelitæ, habitaturi essent. ex quorum etiam facultatibus, qui proprias non haberent, pro ministerij sacrorum iure alendi erant. In Leuitis igitur hæc ordine fuerint perpendenda: dispersionis eorum quæ causa fuerit, quis usus dispersionis, quod Leuitarũ munus, quæ ratio conseruandi muneris: quis demum ordo in distribuendis ciuitatibus, & reliquis donis obseruatus sit. De singulis ordine. Dissipationis causa explicatur in Iacobi oraculari testamento: Detestandus furor eorum, dispergam eos inter Israelitas. Vsus dispersionis cernitur in docendi munere, quo erant functuri. de quo his uerbis Malachias: Labia sacerdotis custodiunt scientiã, & legem requirunt ex ore eius. Quapropter in ijs, quas in colebant inter reliquos Israelitas ciuitatibus, scholæ proculdubio fuerunt, in quibus ingenia doctrinis & literis excolerentur. In quem usum Leuitica gens à Deo selecta, & per reliquos Israelitas, ne his deessent doctores, & literarum magistri, dissipata fuit. Ad hoc autem munus conseruandũ Leuitis decimæ, primitiæ, sacrificia, uariaq; dona cum suis, in quibus se & pecora sua tuerentur, urbibus assignata sunt. Atqui cum non unus esset ordo familiarum Leuiticæ tribus, alia aliæ familiæ dona & ciuitates acceperunt. de qua dissimili decimarum, primitiarum, sacrificiorum distributione, in Numeris. Quod attinet uerò ad ciuitatũ discrimen, de hac in præsentia monebitur.

Dominus præcepit per manũ Mosæ.) Duo hic perpenduntur. Vnum, iure diuino sacrorum ministris, eas res quæ ad uictum cultumq; uitæ necessariæ sunt, suppeditari debere. Legimus enim hic: Dominus præcepit. Quod sanè præceptum necessarium erat, & ad conseruãdum genus Leuiticum: & ad reprimendam auaritiam eorum, qui iam urbes, quas acceperant, Leuitis dare ad incolendum iubendi erant. Nam non est aliud genus hominum, quibus mundus magis infensus sit, quàm ij quibus docendi recta munus commendatum est. His enim non solum mundus malignè suppetit, unde uiuant: sed etiam sæpe ea quæ alij dederunt, detestabili sacrilegio diripiunt, ut & suam libidinem expleant, & falsos prophetas, quorum semper maior numerus est, ditent. Intuemur nostra & superiora secula. Ad conseruandã igitur religionem, pro suis Leuitis tantopere hic sollicitũ fuisse Deum legimus. Secundum est, auaritiã non fuisse, quòd Leuitæ urbes, quas incolerent, petierunt. sua enim, non aliena petierunt: ut qui, quæ Deus promisisset per Mosem, postularint. ut legitur hic: Dominus præcepit per Mosem, ut darentur nobis urbes. De harum numero, uideris in Numeris.

Et suburbana.) Quæ horum fuerit descriptio, per spacium & situm suum, ex ijsdem Numeris patet.

Dederuntq; filij Israel.) ex mandato Dei. Itaq; ius hæreditarium Israelitarum erat, habitationis ac possessionis Leuitarum.

Egressaq; est sors in familiã Caath.) Cum

Cum tres ordines sint familiarum Leuiticæ tribus, Caathinorum, Gersonorum, Merarianorũ, quæ ciuitates singulis assignatæ sint, ordine exponitur. Sed quoniam Caathini in duas distincti erant classes, quarum una familiam sacerdotalẽ Aaronis, altera reliquos Caathinæ gentilitatis complectebatur, quæ ratio harum classium habita sit, hic quoq; explicatur, cum legimus, Caathinis ex familia Aaronis tributas suas urbes, in tribu Iudææ, Simeonis, & Beniaminis. In ea igitur tribu habitarunt, quæ regno & templo insignis futura erat, obitura in illa, hac Aaronis familia sacerdotum.

Iurauerat.) De quo iureiurando, in Genesi: Per meipsum iurauí.

IN CAPVT XXII.

FEcistis omnia..) Laus ab obedientia.

Nec reliquistis fratres uestros.) A fide in propinquos, quos iuuandos ab illis in occupanda sua hæreditate iusserat Moses. Eodem modo Iosua noster, quàm commendet charitatis officia in suis Israelitis, eáq; ornet præmijs cœlestis hæreditatis, declarat illud, Esuriui, &c.

Longo tempore.) Amplificatio laudis, à constantia toleratorum periculorum pro propinquis.

Quietem & pacem.) finem belli.

Sicut pollicitus est) Quæ eius bonitas erat, non uestra dignitas.

Reuertimini.) Proponuntur præmia rebus fortiter gestis: sed quæ non sint retenturi, nisi in legis cultu maneant, ut sequitur.

Ita duntaxat, ut custodiatis.) Adhortatio, utilium & honesti locos continens, quam coniungit cum laude, qui intelligeret uirtutis commendationem gratam esse, odiosam per se reprehẽsionem scelerum.

Quam præcepit uobis Moses.) & uos ea seruaturos polliciti estis: Omnia quæcunq; locutus est Dominus, faciemus.

Vt diligatis Dominum.) ex fœderis iure, quod amore continetur.

In uijs eius.) Metaphora ducta ab itinere ducente uiatores ad expetitum locum, in quo, si adepti sint, conquiescunt. Sic in legis diuinæ cultu qui uersantur, quiete sua tandem fruuntur. Sed umbra in uia legis Mosaicæ, & in possessæ Chananææ quiete. hinc illud: Lex umbram rerum futurarum obtinens, non expressam imaginem rerum. Alia ratio uiæ, de qua uia ipsa: Ego sum uia & ueritas. & illa quies, ad quam uia ducit, de qua eadem illa uia: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratũ uobis ab exordio mũdi.

Benedixitq; eis Iosua) fœlicia precans quæ cernuntur in præstanda lege, & commodis, quæ legis præstationem consequũtur, res prosperæ, cœli & terræ clementia, ualetudo, pecoris copia, agrorum ubertas, animorum dotes, prudentia, sapientia, fortitudo: & si quæ sunt huius generis bona, suprà à Mose descripta, quæ legis cultũ comitantur. Contraria uerò mala, eius contemptum. Iosua hic precatur fœlicia suis. Noster Iosua pro iure regij sacerdotij, electis suis & optat fœlicia, & præstat. de quo uates: In altum ascendit, & dona dedit hominibus.

Dimidiæ autem tribui Manasse.) Moses primogenito Rubeni ex Lea, Gado primogenito ex Zelpha ancilla Leæ, & dimidiæ tribui Manassæ primogeniti Iosephi ex Asanata Aegyptia filia Patifaris sacerdotis, primò suam hæreditatem tribuit trans Iordanem, non in terra promissa, in qua possidenda ij qui primogenitis secundum carnem præferũtur diuino iudicio, potiorem locum habent, suamq; hæreditatem, non Mose partitore, sed Iosua, accipiunt. Depone typum.

Diuidite prædam hostium.) cum ijs qui trans Iordanem, ad tuendas uxores, liberos, pecora, in locis munitioribus, ut ex Numeris patet, remanserunt.

Conuenerunt omnes in Silo.) ut ibi accepto responso Dei, ad oracularem arcam de causa eorum cognoscerent, quos suspicati fuerant extra Siluntem, locum diuinitùs cultui Dei destinatum, aram alienam ad rem diuinam in ea faciendam extruxisse, contra legem Dei, de qua in Deuteronom. 12.

Et interim miserunt.) Exemplum æquitatis. Par enim est, non temerè indicta causa bellũ inferre cuiquam: quanto æquius, habere rationem propinquitatis, communis fœderis, religionis & beneficiorum, quibus Israelitæ à Rubenensibus Gadinis affecti fuerant. Perpendebat sacer populus, quanta mala afferret bellum, cædes, agrorum uastationes, incendia, euersiones rerum priuatarum & publicarum, exilia, &c.

Phinees.) clarum & rebus gestis, & genere oratorem.

Et decem principes cum eo.) à nouem & dimidia tribu Manassensiũ missi, quæ hic tribum æquabat.

Hæc mandat omnis populus Domini.) Oratio ex genere iudiciali. Status erat, contra legem Dei aram alienam extructam. Exordium ab expositione mãdati populi sacri, quæ sibi

sibi autoritatem legati conciliant, ducitur. Vnde colligitur, tum Israelitarum ciuilem statum optimè constitutum fuisse, qualis est resp. quæ ex regio, optimatum, & populari imperio temperata est. Regium dux Iosua: optimatũ potestatem principes uiri, popularem potestatem senatores & iudices explebe sumpti, declarabant.

Quæ est ista transgressio.) Vehemẽs reprehensio, qua defectio à Dei cultu exprobratur. Quæ perfidia in uerbo מעל exprimitur, qualem cõmittit adultera aduersus maritũ, malo dolo eius fidẽ fallẽs, ut id patet ex Numeris והמיעל מעל באיש. Paraphrasti pro מעל, placet שקרא, quod est malus dolus, mendacium: Cur malo dolo egistis aduersus uerbũ Dei, cur uiolata fide ab oraculis Dei defeciſtis? Sic enim habet: מה שקרא חריו רשקרתון במימרא דאלהא ישראל. Defectionis atq; uiolatæ fidei crimen etiam his uerbis obijcitur in Hebræo, לשוב היום מאחרי יהוה, qua phrasi defertionis noxa reprehenditur.

Aedificantes altare.) præter sacram holocaustorum aram, in qua Deus coli uoluit, non aliena. Quam cum extruxistis, rebellionis scelere uos alligastis. quod est in Hebræo, למרדכם היום ביהוה Submoto typo, occurrit ara Christus, in qua qui uictimis mactati ueteris hominis litant, Deum uerè colunt: sin secus, à Deo deficiẽtes, in hanc reprehensionem incurrunt: Cur ædificantes aram, rebellium & desertorum noxa obstringimini? Talis in aduersarij regno, perfidia hodie quàm uulgaris sit, satis perspicuum: qui spreta ara Christo nouam rationem mortificandi ueteris hominis, ut excogitent, id ex tot eorum sectis manifestum.

An parum uobis est.) Ab exemplo, quo partim scelus rebellium noxam noxa accumulantium grauant: partim non impunè ipsis futuram rebellionem probatur, quam nec impunè tulerint, cum Peori Moabitico idolo rem diuinã fecissent.

Et usq; in præsentem diem macula.) Opprobrio criminis in hoc usq; tempus nõdum abstersa. de quo hic loquitur, non de expiata noxa, quam uigintiquatuor millibus extinctis, lustratam ex Numeris constat.

Quod si putatis immundam esse terram.) Destitutam ara, & arca oraculari. Occurrunt tacitæ obiectioni, per plenam amore occupationem.

Non'ne Achã filius Zerath.) Aliud exemplũ, et recẽtius. Hebr. habet מעל בחרם, quod est, mala fide intercipere anathemata.

Et ille erat unus homo.) Occulta argumentatione à minori utitur: Si tanta ira Dei exarsit in Israelitas, cum unus deliquisset: quanto maior exardescet, si tribus una atq; altera rebellionis crimine se obstrinxerit?

Respondẽrũtq; filij.) Defensio, in qua confitentur à se aram extructam: sed negant istã aram id esse, quod obiecere legati. Vnde nascitur definitionis constitutio, an'ne ædificata ara, aliena ara damnata à lege, habenda sit. Quem statũ definitio absoluerit, quæ mox adhibebitur. Priusquam autem ista utãtur, testem innocentiæ suæ ac arbitrum Deum appellant, in quo testimonio duas res dignas sacro populo confitentur. Vnum est, Deum suum Deum deorum esse, subiectos imperio suo genios cœlestes, diuos & iudices terræ habentẽ, cum dicunt אל אלהים יי, quæ uerba repetunt confirmandi causa. Alterum est, hunc Deum supera & infera, profunda & alta cogitatione obeuntẽ, scrutãtemq;, nihil latere ac fugere. In qua confessione summũ honorem Deo tribuentes, declarant se à cultu Dei non defecisse, fœderis fide uiolata. Atque ita rem habere, etiam ipsos Israelitas intellecturos.

Si præuaricationis animo.) Non recusant seueri Dei iudicis uindicem iram, si in defectionis scelere deprehẽsi fuerint. In qua expurgatione non negligunt iurisiurandi formulã, in qua continetur professio Dei, & eius diræ uindictæ, si mendaciũ notatũ sit, imprecatio. in secũdæ personæ uerbo תרשיענו apostrophe ad Deũ fit.

Vt holocaustum.) Adhibetur definitio, seu notatio ad dirimendam controuersiam. A'nobis ara extructa non est, quæ uictimaria esset, & sacrificijs cæteris destinata. igitur hæc aliena & dissentanea legi Dei nequaquam iudicabitur, neq; nos ea ædificata perfidi & rebelles censebimur. Atqui cur aram ædificarint, deinceps exponent.

Ipse quærat.) uindicet. Tale in loco sonat quærendi uerbum, בקש apud Hebræos.

Cras dicẽt filij uestri, filijs nostris.) Transituris religionis ergò Iordanem, ad locum Dei cultui consecratum, exponuntur causæ erectæ aræ.

Terminum posuit Dominus.) ueluti legitur in Numeris cap. 34, Iordanẽ finem Orientalem esse terræ promissæ.

Et idcirco partem non habetis in Domino.) excluſi à cultu Dei, ut à terra.

A' timore Dei.) qui cultu Dei in loco, ubi arca oracularis est, peragendo conseruatur. Meminit timoris ac metus diuini, qui regnante lege, in

ge, in puerili ætate uigebat, ut spiritus adoptionis Euangelio lucente uiget.

Vt seruiamus Domino.) Nobis ius esse colendi Deum uero cultu, in eo loco ubi tabernaculum erit, ab eo cultu Iordane nos non diremturo, ut terras nostras dirimit, communis terræ sacræ terminus constitutus.

Absit à nobis.) Conclusio, summatim defensionis capita perstringens.

Iam liberastis filios Israel de manu Domini.) in quos redundaturum fuisset uestrum crimen, si ad id conniuere sustinuissent.

Quòd Dominus Deus sit inter nos.) seruato eius cultu, & fœderis fide non uiolata: eum alienante perfidia & rebellione, quæ tanquam interiectus murus diuidat Deum à sceleratis. sicut uates dicit: Sed iniquitates uestræ dirimunt uos à Deo uestro.

Et laudauerunt.) gratias agentes Deo, de conseruata Rubenitarum & Gaditarum innocentia. Qua in re iudicarunt non humanum opus esse, tueri innocentiam, & uerũ cultum Dei: sed diuinum. Gratiarum actio notatur in ויברכו. Itaq; Paraphrastes ואודיאו.

Quoniã Dominus sit Deus.) noster, non alius quem colamus: & æquè noster Deus, atq; aliorum Israelitarum, qui trans Iordanem habitant: non alijs sacris à nobis colendus, quàm quibus se colendum per Mosem præscripsit.

IN CAPVT XXIII.

Evoluto autem multo tempore.) Vicesimo anno ab eo tempore, quo dux loco Mosæ delectus fuit: quem uigintiquinq; annis Israelitis præfuisse, Iosephus autor est. Hebræi autem uigintiocto annos habent.

Pacem dederat.) quam Mose duce nanciscinon poterant, Iosua duce nacti sunt: sed non priusquam uicti fuissent sæuissimi hostes. Submoto typo, occurrit Iosua Christus: qui uictis hostibus, de quibus illud, Expoliatosq; principatus ac potestates, ostentauit palàm triumphans de illis per semetipsum, requiem ac pacem suis Israelitis comparauit. de qua idem ille ipse his uerbis: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis. Sed quam pacem? Pacem erga Deum, de peccato, de morte peccati stipendio, de potestatibus tenebrarum deuictis. הניח est, quietem dedit. Quæ quies, per contentionem opponitur tot laboribus, quos in Aegypto & in peragratione solitudinis Arabum confecerunt. Typus notus est.

Ego sum.) Exemplũ boni Imperatoris in Iosua. nã is Israelitis suis, iam senio confectus consilijs, quibus ætas ista pollet, prodesse studet: quos antea, cum integra atq; constante ætate uteretur, armis & uiribus iuuerat. Oratio quam instituit, grauis est, digna duce sene, & illo tempore Israelitis utilis atq; necessaria, ut ex locis eius patebit.

Ego senui.) Exordium, locum beneuolentiæ & autoritatis conciliandæ ab ætate continens. Notum enim est illud, Honorato senẽ. item: Corona dignitatis, enectus.

Vos cernitis omnia.) Narratio beneficiorum Dei, quorum commemoratione ad gratitudinem, & ad res fortiter gerendas in posterum allicit.

Dominus Deus.) non alius.

Vester.) Ex fœdere cum maioribus uestris icto, non profanarum gentium.

Ipse pugnauerit.) Contrà impij compositi sunt. ut ille apud uatem: Fortitudine manus meæ feci, sapientia mea intellexi.

Et nunc qui uobis sorte diuisi.) Similiter Paraphrastes חמלחי. Et Græci ἐπιξήφους ἢ κλήροισι.

Multæq; adhuc supersunt.) sorte quidem nobis distributæ, sed nondum occupatæ: occupandæ autem, si, sicut cœpistis, Deum colere pergatis.

Sicut nobis pollicitus est.) Eius promissa, nulla contraria ui labefactura.

Tantum cõfortamini.) Promissis Dei per fidem fortiter freti. In uerbo חזקתם indicatur, spiritu fortitudinis opus esse ad obeundã legem, contra carnem, mundum, & principem mũdi Satanam.

In uolumine Mosæ.) Qui legis ueteris fœderis, populi puerilis legi subditi, timoris, quo ætas puerilis regitur, bonorum quæ in legis studia cadunt, administrator est. Eorum autem dispensator Christus creditur, de quibus Ioannes: Gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. in quibus Euangelium, nouum fœdus, adultior ætas, spiritus adoptionis, bona cœlestia, quæ Euangelij professio palàm affert, cernuntur.

Neq; ad dextram.) addendo, zelo quodam, de quibus præceptio nulla extat.

Neq; sinistram.) adimendo, aut contraria statuendo.

Iuretis in nomine deorum eorum.) Magna contumelia Dei uestri, quem solum ut ueracem, qui fallere nequeat, sapientem, qui omnia intelligit, iustum: qui uerè iurantes, præmio ornet: falso, perdat, agnoscere decet. Talis autem fides iureiurando continetur, quæ dijs alienis

nullis congruit: Deo, quem uos colitis, congruit.

Sed adhæreatis.) uinculo fidei & amoris huic copulati, tãquam sponsa marito suo, quod est תִּדְבְּקוּ. Hoc enim uerbum usurpatur, ubi amoris coniugalis fit mentio, ut patet ex Genesi: וְדָבַק בְּאִשְׁתּוֹ. Hoc uinculum rumpunt, qui deos alienos colunt, in eorum nomine iurantes, et spem in eos in rebus aduersis collocantes: in prosperis, gratias agentes. Qua perfidia aduersarij regnum plenum est.

Quod feciſtis ad diem hanc.) Ab eo tempore, quo ingressi estis, transito Iordane, in terram promissam. Aspergit laudem & commendationem, ut in posterum alacriores ad colendum Deum se præstent, incitati & dignitate & utilitate ueri cultus Dei. Virtutis enim stimulos non mediocres laus uera continet. Et pergrati hi sunt, qui quæ in uobis sunt bona, probãt. Pulchrũ enim est, à laudatis uiris laudari.

Gentes magnas.) Quo & diuina potentia illustrior, & bonitas in uos maior eluceat.

Vnus est uobis.) in Leuitico his uerbis: Persequentur ex uobis quinq; & centum decem millia. sed quo præsidio armati? sequitur,

Quia Dominus Deus uester.) Non probitas, non fortitudo, non sapientia uestra. Hinc Moses in Deuteronomio: Ne dicas, propter iusticiam meam introduxit me Dominus Deus in terram hanc.

Vt diligatis Deum uestrum.) fortitudinem, sapientiam, iusticiam, uitam uestram, in filio, sapientia & iusticia patris.

Quod si uolueritis.) Dehortatio à contrario cultu, locis contrarijs instructa.

Adhærere.) fide uiolata.

Miscere connubia.) contra legem Mosaicam, in Deuteronomio traditam.

In foueam.) per connubia & fœdera, tanquam laqueos idololatria uos implicaturi. Scita translatio, ab auium laqueis sumpta. Nota enim est uox פַּח.

Et offendiculum.) Translatio à lapide in uia posito, ad quem offendentes resiliunt, recto cursu impedito. In Hebræo שׁוֹטֵט, quod flagellũ sonat, quo boues aut equi incitãtur ad cursum. Quo tropo notatur, Israelitas uexandos hostili uerbere ab ijs cum quibus societatem iunxerint.

Et fudes in oculis uestris.) Spinis cõparat profanas gentes, quæ per idololatriam legis diuinæ lucem ex oculis animorum Israeliticæ gentis sint exemturæ. Exemplo Salomon. Sed quæ mala hanc ademptam lucem, hos laqueos, hæc offendicula consequantur, iam indicat.

Donec uos auferat de terra hac.) sacrata oraculis, & cultui Dei: non idolis & doctrinis dæmoniorum, quas oracularis arca insignis præsentia numinis diuini non tolerat.

En ego hodie ingredior.) satisfaciens communi sententiæ Dei, in sobolem primi hominis latæ: Quia puluis es, & in puluerem reuertẽris. Circumlocutione mortem denotat, corporis in terram conuertendi. de spiritu suo uoluit intelligi illud quod Salomon dicit: Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Quod de sanctorum spiritu in paradisum ad Deum transferendo, non de impiorum à Deo discedente in tenebras, intelligitur.

Et auferamini ab hac terra.) per Assyrios, Babylonios, Græcos, Romanos. Perstringuntur summatim benedictiones & maledictiones, quas antea magnus propheta Moses exposuerat.

IN CAPVT XXIIII.

COngregauitq; Iosuæ. In his ultimis comitijs grauem hanc deliberationem Iosua habet, qua expositis uarijs beneficijs, Israelitas ad Dei cultum cõseruandum, & ad falsum deponendum, hortatur: quod ut maiore cura præstet, iureiurando obligat ad rebellionem procliuem gentem, ut repudiatis dijs alienis, unum Deũ tot & tam amplis beneficijs de ipsis & de maioribus ipsorum benemeritum, cultores se fore data fide profiteantur. Beneficia autem ordine enumerat, quæ ab Abrahamo usq; ad eum diem quo iam obiturus erat Iosua, in Aegypto, in Aegypti exitu, in mari rubro, in solitudine, in regnis Amorræorum, trans Iordanem, in Chananæa occupata, accepta fuere: in quibus sacrũ fœdus, promissa, maiorum fides, legis diuinæ promulgatio, traditus Dei cultus, & quod maximum fuit occultæ Messiæ & regni eius adumbrationes, concionesq; continentur. Hæc est amplissima & grauissima oratio, in qua morte appropinquante Iosua uirtutis suæ monumentum Deo gloriosum, Israelitis salutare & necessarium, & sibi honestum, ad posteros transmittere uoluit.

In Sichẽ.) in urbe, ut in umbilico ferè sacræ terræ sita, ita opportuna concilio tribus Ephraim ẽsis celebris urbs fuit, nõ procul à Silũte. In hac igitur urbe renouatum fœdus est, ubi primum Abrahamus in terram Chananæam ingressus consedisse in Genesi legitur: & iuxta idem oppidum Iacobus, ut ex Mesopotamia rediisset, tabernaculis suis

lis ſuis fixis, ad tempus uerſatus eſt: non obſcuro, ibi Chananææ gentis olim euertendæ edito ſigno, ea urbe à filijs Iacobi direpta, & ciuibus eius interfectis.

Steteruntq; in conſpectu Dei.) Quòd ibi, ut arbitrantur, eſſet arca Dei, quam ueriſimile eſt in eo loco fuiſſe, ubi diuinum fœdus ſanciebatur. de quo infrà in ipſo ſcripto. Accedit huc, quod legitur hic: Scripſit quoq; Ioſua omnia uerba hæc in libro legis Dei. At is liber in arca oraculari reponi ſolitus eſt.

Hæc dicit Dominus.) Exordium, in quo orationi ſuæ, à Deo Iſraelitarum æſtimationem parat, cuius oracula ſit expoſiturus: quæ æquum ſit diligenter auſcultare, & ſumma fide exequi.

Trans fluuium.) Narratio beneficiorũ. Videris in Gen. de genere & patria Abrahami.

Seruieruntq; diſs alienis.) Alij ad maiores Abrahami referunt: alij includunt etiam ipſum Abrahamum, qui primò deos alienos patria diſciplina ſic initiatus coluerit. Sed deinde meliorem rationem ſpiritu diuino doctus, Deum uerè uenerari cœperit. Itaq; ſancti ſic commendandi erunt, ut maneat ſententia illa: Non ueni propter iuſtos, ſed propter peccatores, ut eos uocem ad pœnitentiam. ut hic etiam ad illam uocatus legitur Abrahamus, per eum, cuius ille diem uidit, & gauiſus eſt: Abraham pater ueſter exultauit, ut uideret diem meum, & uidit, & gauiſus eſt.

De Meſopotamia.) Ad adumbrandam tranſlationẽ ex regno tenebrarũ in regnum lucis, de cuius clarioribus lineis mox. Meſopotamia Aſſyriorum fuit, Chaldæo nomine etiam comprehẽſa, ut licet ex Actis Apoſtolorum intelligere, in quibus ſic legitur de Abrahamo: Cũ eſſet in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charram. & paulò infrà: Tunc exijt è terra Chaldæorum, & habitauit in Charram. Vr igitur Chaldæorũ, unde Abrahamus iuſſus eſt egredi, etiam Meſopotamiæ aſſignatur. Quæ ſic appellata eſt à Græcis, quòd ſita eſſet inter duos fluuios, Tygrim & Euphratem, quam Interamnem Latini appellant. Alijs Vr Chaldæorum ciuitas eſt, alijs ignit. Priorſententiã Ioſepho & alijs fide dignis autoribus placet. Sunt qui putant à Ptolemæo hanc urbem Vr Coa dici. Iuſſus aut eſt Abrahamus ex eo loco exire, quòd diſ alieni ibi colerentur. ut hic legimus: Coluerũtq; deos alienos. Ninus enim nepos Nimbroti tum regnabat, funeſtis bellis & idololatria omnia implens. Cui imperanti longè lateq; in Aſia, Niniue & Babylon parebant. Curaſſe enim illum, proditum eſt literis, ut pater Belus, filius Nimbroti, pro deo coleretur. unde in ſacris literis Baal nominatus uidetur: ut Deus Aſcalonitanarũ Dagõ, à piſce, quòd (ut uidetur) Semiramis Aſcalonia eſſet è ſtupro Veneris, ut fingunt, genita: quam Venerem è maris, ſedis piſcium, ſpuma, commenti ſunt natam. Dicas Niniuem ab Aſſur, non à Nino, qui ex Nimbroti genere, filij nepotis Chami originem duxit, Niniue ædificatam, ut liber de Origine mũdi indicat. Fieri potuit, ut Aſſur prima fundamẽta Niniues iecerit, ſed eam exædificarit Ninus, qui uicinis gentibus ſubactis, in Aſia longè lateq; imperauerit.

In Chanaan.) deſtinatam & reſeruatam in uſum repræſentandæ cœleſtis patriæ, in qua ueri Iſraelitæ, hoc eſt, ſcripti in libro uitæ, ſedem ſuam obtinebunt.

Multiplicauiq; ſemen eius.) Beneficium auctæ ſobolis. Veritas cernitur in numeroſa ſobole, non ex carne, ſed ex fide Abrahami nata. de qua uates: Dilata tabernaculum tuum, extende fines tuos, quoniam ad dextram & ſiniſtram augebere.

Et dedi ei Iſaac.) Liberæ Saræ prolis meminit, non Iſmaelis ex ſerua Agare nati. Regenerationis enim myſteria aguntur hic, in qua ex Sara nata promiſſionis ſoboles Iſaacus locum habet, non ex ancilla genitus Iſmael. Meminit item Iſaaci, ex quo procreãdus erat Meſſias ſoſpitator. Sic enim legitur in Geneſi: Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Hoc ſemen autem, interprete Apoſtolo, Meſſias eſt.

Iacob & Eſau.) Alterum in utero, priuſquam boni quippiam feciſſet, amatum: alterum repudiatum, nondum ab ipſo ullo ſcelere admiſſo. ad ſignificandum, electionis diuinæ firmo propoſito initia ſalutis, non ullis operibus & factis tribui debere.

Montem Seir.) in Arabum ſolitudine ſitum: digna ſanè poſſeſſio eo, qui primogenita prolente uendidiſſet.

Iacob uerò & filij eius.) Quibus Chananæa, affluens melle & lacte, & decorãda uero Dei cultu, deſtinata fuit: ſed quam non prius adipiſcerentur, quàm certo tempore exules in Aegypto, magno myſterio crucis, uixiſſent.

Miſitq; Moſen.) Beneficium liberationis ex Aegypto narratur: in quo non obſcura imagine, quæ Aegyptus, qui hoſtes in mari uicti, quæ redemptio adumbrata ſit, oſtenditur.

Qui poſuit tenebras inter uos.) Nubem, tenebras Aegyptijs, & lucem Iſraelitis eſſe ren-

rentem. Quæ, quam nubem significarit, intelligunt, qui Christum excæcantem impios, quibus positus est ad ruinam, & illuminantem pios, quibus in resurrectionem datus est, cognitum tenent.

Viderunt oculi uestri.) Eos alloquitur, qui superstites, oculati testes eorum quæ in Aegypto, in mari rubro, & in deserto acciderant, erant. Ex quibus Calebus, Iosua, & multi eorum qui pueri ex Aegypto exierant. item Leuitæ, ad quos clades eorum qui in solitudine perierunt, nõ pertinuit, fuerunt.

Et habitastis in solitudine multo tempore.) quadraginta annis cœlesti manna enutriti, & ornati cœlitus lege per Mosem promulgata.

Et interfecistis eos.) impleta iam mensura scelerum ipsorum.

Et pugnauit contra Israelem.) Non legitur rex Moab ullum prælitũ conseruisse cum Israelitis: sed quia decreuerat dimicare cum illis, dicitur hic dimicasse. Conducto enim Bileamo, sic dixisse eum legimus in Numeris: Veni igitur, & diras imprecare populo huic, quia fortior me est, si quo modo possim percutere, & eijcere eum de terra.

Sed econtrariò.) Memorabile beneficium, falsorum uatũ est, diras & pernicioſas prædictiones mutari in salutem eorum, quos mendaces prophetæ perdere student: ut accidit in Bileamo.

Misitq; ante uos crabrones.) ut pollicitus fuerat Exod. 23. Translatio de incussis metus terroriscq; aculeis, in animos conscios scelerũ, quibus uespis & crabronibus conscientiam metu infestantibus nihil dirius. Sunt qui crabrones hos, Iosuam & Mosem fuisse dicunt, omnia horrore & metu opplentes.

Non in arcu tuo.) Deo pro te pugnãte.

In qua non laborastis.) sed hostes. ut uerum fieret illud: Etiam quod habent, auferetur ab eis. Non igitur meritis, non operibus humanis fœlicitas constat, sed liberali munere & bonitate Dei.

Nunc ergo timete Dominum.) grati erga eum, de tot & tantis beneficijs: quorum magnitudo ex dignitate eius, qui ista uobis tribuit, non uestra, ponderari debet.

In perfectione.) בתמים integritatem notat, quæ respõdeat legi: Ama Deum tuum, ex toto corde.

At uerissimo.) אמת opponitur hypocrisi & superstitioni. Fides notatur in hac uoce, quæ ueris Israelitis, hoc est, electis Dei, integritatem hic commendatam, de capite Messiæ, ipsius sanguine meritam communicat.

Respondit populus.) Responsio continens professionem fidei, necessariam ad fœdus à Iosua renouandum.

Nõ poteritis seruire Domino.) nisi abijciatis deos alienos, ut sequitur. Vrget conditiones fœderis.

Deus enim sanctus.) Causa à sanctitate, per quam, qui sanctus sit, nõ ferat profanũ cultũ. Hebræus אלהים קדושים, plurali numero, propter mysteriũ sacræ Triadis, effert. Sicut etiam fit in אלהים עשי. item: בעשתארם בצלמנו. Occultè igitur hic pro ratione ueteris fœderis, mysterij regenerationis fit mentio, in commemoratione mysticæ redemptionis Israelitarũ. quod in uera liberatione ex ſim Aegypto, אלהים קדושים scriptorũ in libro uitæ, uerè cernantur: hoc est, pater autor redemptionis: filius, in quo, & per quem, & cuius merito pater efficiat redemptionem: sacer spiritus, per quẽ pater & filius sanctitatem abstersо omni uitio absoluat. Hinc in noui fœderis baptismo, regenerationis sacramento, hæc formula nata: Baptizãtes eos in nomine patris, filij, & spiritus sancti. quod est hic, אלהים קדושים.

Aemulator.) Duo epitheta tribuit Deo, necessaria ad cognoscendam naturam atq; uim fœderis diuini: alterum, sanctus est: alterum, zelotypus. Sanctus admonet, labem & uitia ueteris hominis, ut profani, à Deo non tolerari. Zelotypinomen docet, requiri in sponsa Ecclesia fidem coniugalem, qua soli Messiæ marito, qui rituales & socios amoris non toleret, adhæreat.

Quod elegeritis.) sed hanc electionem, si uera sit, antecedente misericordia Dei. de qua illud: In hoc est charitas Dei, nõ quod nos dilexerimus Deũ, sed quòd ipse dilexerit nos. item: Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit illum. Deligũt igitur Deum, quẽ sequantur, delecti à Deo, & eius diuino spiritu tracti, antecedente huius motu omnem uestram & cogitationem & uoluntatem. Itaq; supra Moses de Israelitis: Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris. Antea igitur fuerunt electi Israeliti à Deo, quàm ipsi decreuissent Deum sequi. Vt omnis salutis gloria penes clementiam diuinam sit.

Percussit ergo Iosua.) Renouatur fœdus per Iosuam iam moriturum. Deposito typo, quale fœdus per Iosuam nostrum, iam è mundo exiturum,

xiturum, renouatum sit, declarant uerba illa: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur.

Subter quercum.) Suprà in Genesi legimus, ut Iacobus deos alienos subter אלה absconderit, prope Sichemam, ascensurus in Bethel, quã hic ueteres interpretes indicari uolunt.

Quæ erat in sanctuario.) loco sic appellato ab arcæ sanctitate.

Quod audieritis.) שמיעה, ad lapidem refertur, qui audiuerit: per prosopopœiam affecto lapidi auditu. sicut & suprà terræ והשמרע האזין אמירפר, frequenter lapides in testimonium ac monumentorum usum eriguntur, qui ad diurnitatem fideles sint. Hic lapis, cuius hic mentio fit, in testimoniũ oraculorũ Dei erectus, quem lapidem, in quo omnis testimonij ueritas consistit, nobis representet, declarat eius spiritus, de quo illud: Ipse enim spiritus testimonium reddit.

In Thamnathsare.) De qua suprà cap. 19. In libro Iudicum legitur: תמנת הרס. sed idẽ est mutatis literis סרח & הרס. sicut etiã in בבש & בשב accidit. Nota est ratio pijs, sepultorum in terra promissa sanctorum patrum.

Gaas.) Fit huius montis mentio & apud Samuelem, item in Paralipomenis.

Centum & decem annorum.) De more describitur numeris memorabilibus, sancti uiri mors, & ætas: magna cõsolatione sanctorũ, qui uiuentes & mortui Deo curæ sint. Viuentes quidem, quos, cum uiuunt, suo spiritu regat: mortui uerò, quorum animus in cõsortium ueræ uitæ, lucis, sapientiæ, quæ ipsa diuinitas est in Messia recipiantur, corpore in terram reposito, sub spe eius ad splendorem uitæ excitandi, per conformationem ipsius, ad corpus gloriosum Domini nostri Iesu Christi, cui sit gloria & honor in æternum: Amen.

MARTINI BORRHAI IN IVDICVM HISTORIAM COMMENTARIVS.

IN CAP. PRIMVM.

POST mortem Iosuæ.) Occupata iam Chananæa, & ea per tribus descripta, quis deinceps populi sacri status à Iosuæ obitu esse cœperit, hæc quæ sequitur historia explicabit. Etenim ex ea triplicẽ Israelitici imperij rationem, usq; ad Domini nostri Iesu Christi tempora fuisse intelligimus, remp. regnum & tyrannidem. Rẽ publicam, quæ æquabili liberorum ciuium iure cõtinebatur, iudices moderati sunt: regnum ex sacrarum legum præscripto, probi reges: tyrannidem improbi, contemptis oraculis Dei, administrarũt. Quantum uerò ad iudices pertinet, in horum imperio hæc spectantur. Primò, hi neq; ex una aliqua tribu, neq; ex familia certa unius tribus, sed prout res ferebat, ex alijs atq; alijs tribubus & familijs deligi soliti sunt. ut in Othoniele Iudæo, Ehudo Beniamita, Baraco Nephtalienſi, Gideone Manassenſi, Thola Isachariano, Iaire & Iephta Gileaditis, Elone Zabulonita, Simsone Danio, & alijs uidere licet. Deinde, iudices non humano arbitrio, sed ex Dei oraculo exquirebãtur, ut in hoc libro crebrò legimus: Suscitauit Deus iudices. & statim à principio libri, Consuluerunt Deum. Postremò, iudices à Deo, non qui regio splendore, in fortunas & corpora suorum, in quos regnabant, dominatum tenerent: sed tanquã iustitiæ & clementiæ diuinæ ministri, Israelitas susceptæ pœnitentiæ ad ueræ religionis cultum redeuntes defenderent, hostes profligarent, atque ex lege à Mose promulgata ius dicerent, excitati sunt. Sic enim infra Gedeonem, cum ut imperaret rogaretur, respondisse legimus: Non dominabor in uobis, neq; dominabitur in uos filius meus, sed dominabitur in uobis Dominus. Diuersa ratio regiæ potestatis fuit. nam in hac finito Saulis imperio, ex una Iudææ tribu, & ex una eius familia reges creati sunt, ut id à Dauide in posteros gentis suæ hæreditario iure translatum regnum declarat. Deinde regium imperium, nõ consultis oraculis Dei, ambitiose ab Israelitis petitum fuit, sicut à Samule his uerbis illis exprobratur: Vos hodie abiecistis Dominum Deum uestrum, qui liberauit uos ab omnibus malis & afflictionibus uestris, & dicitis ad eum: Constitue regem,

qui in nos regnet. Item: Sed rex imperet nobis, cũ Dominus regnet in uobis. Demum reges, tum pacis, tum belli temporibus in omnia quæ Israelitæ tenebant, bona dominabantur. de quo superbo imperio Samuel præmonuerat his uerbis: Hoc erit regium ius, qui imperaturus est uobis: filios uestros tollet, & imponet curribus suis, facietq; equites sibi, & præcursores quadrigarum suarum: atq; constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores, & messores segetum, fabrosq; armorum & curruum suorum. Vnde effectum est, ut conuerso, quæ facilis erat commutatio, regno in tyrãnidem, cuncta ambitione, auaritia, luxu, & idolorum cultu, in Israelitica gente repleta sint. ut id Achazi, Manasses, Sedeciæ, et eorum regum qui aureos uitulos coluerunt, tempora indicãt. Horum sanè uitio accidit, ut Israelitarum rebus subinde in deterius dilabentibus, non solum hi per reges suos ab hostibus liberati non sint, sed etiam ab eis superati in exilium, patria, regno & sacerdotio priuati uenerint, alijs in Assyrios & Medos, alijs Babylonem translatis: neq; prius asserti sint, quàm Deus fœderis sui semel cum sacra gente initi memor, liberatorem ex gentibus Cyrum, Persarũ regem, non sine abdita futurorum significatione tribuisset. Postea autem restituta tam Iudæa gente terræ suæ, & instaurato templo cum uniuerso cultu eius: huius populi res non antea per Antipatros, Hyrcanos, Herodes, Agrippas, Græcos & Romanos peiores reddi cessarunt, quàm sublato mystico sceptro Iudæ, sacrosanctus Messias IESVS, saluator mũdi, in temporũ plenitudine exhibitus, cœleste regnum accepisset, ad oraculum, quod à Iacobo longè retro seculis expositum fuerat, implendum: Non auferetur sceptrum de Iuda, donec ueniat Silo. Itaq; longè aliter Israelitarum res iudicibus ad gubernacula reip. sedentibus habuerunt, quàm regibus illam moderantibus. Iudicum enim fide, patientia, contemptu mundi, amoreq; Dei & patriæ, falsa semper religio extirpata fuit, uera recuperata. Vnde accidit, ut respub. quã iudices rexerunt, ita Deo placuerit, ut Samuel dixerit: inter Israelitas Deum regnasse illis imperanti bus, non hominem. Atqui hæc non ita accipienda erant, quasi per se regiam potestatem Samuel reprobarit. Quantum enim huic tribuendum sit, declarat Christus Dominus noster, qui ex regia Dauidis stirpe nasci uoluerit. Cuius etiam regno ut cœleste cœlestis regis regnum adumbratum sit, Lucas ostendit his uerbis: Et dabit illi Dominus Deus solium Dauid patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Itaq; nequaquam per se regium imperium rebus gestis, templo atq; figura seruatoris Messiæ cœli & terræ regis inclytũ, reprobatum est: sed ambitio damnata, per quam contempta diuina ope, quæ sub crucis specie solet asseri, ambitiose, superbeq; iam in immensum populus auctus, regem sibi dari postulauit, cuius opibus & potentia more cæterarum gentium regnũ administraretur. Hanc ambitionem, fastum & insolentiam detestatus est Deus in rebelli & ingrato populo: regnũ in probis regibus, propter Messiam, comprobauit.

Consuluerunt filij Israel Dominũ.) oracula scisscitantes, quæ sacerdos summus gerens Vrim & Thumim, ad arcam oracularem à Deo redderet. de qua arca in hunc modum in Exodo: Hinc ego tibi reddam, & de propitiatorio inter duos Cherubim arcæ oraculari impositos indicabo, quæ tibi ad Israelitas præcipiam. Hebræi שאלו interrogandi uerbo, pro oracula ac responsa diuina scisscitandi, ac consulendi Deum, utuntur. Hebræus igitur, ubi habet Dominum: Paraphrastes Chaldæus addit, במימרא דיי, id est, Verbum ac oraculum Domini. Insignis populi sacri nota ostenditur, hunc nihil sine diuinis oraculis moliri, de Dei consilio ac sententia eum totum pendère. Itaq; docemur hic, quantũ inter pacem, bella, ducum delectum, uictorias, cunctasq; res gerendas Israelitarum & profanarũ gentium interfit. In bello gerendo aduersus hostes, Dei oraculum scisscitantur, ne quid temerè agere uideantur, qui meminissent cladis, quam uiuente Iosua acceperant, quando cum Hai rege, inconsulto Domino, manus conseruissent. In mentem quoq; ueniebat eius cladis, quam Amalechitæ intulerant, cum hos neglectis responsis diuinis adorti fuissent. Sub figura & umbris mystici populi admonemur, temerè facere eos, qui contra carnem, mundum, & principem mundi spiritualia prælia tentant, nõ prius eius cõsilio & uiribus in se exploratis, qui dicit, Sine me nihil potestis facere.

Dixitq; Iudas ascendet.) ut princeps tribus, in qua regnum excitandum, & templum extruendum Dei cultu insigne erat. Itaq; hæc tribus, ut primò per sortem suam accepit hæreditatem, ita primò iussa est mortuo Iosua, hostes suos adoriri, ad reliquam suam destinatam ditionem occupandã. Ex hac tribu profecturus erat is, de quo apud Micheam uatem: Ascendet enim pãdens iter ante eos. Is est Messias benedictus, hic adumbratus.

Ecce tradidi terram.) Promissione diuina ar-

na armantur sacri milites, cuius fidæ hostem uince rent, non suis uiribus.

Et ait Iudas Simeoni.) *ut cuius hæreditas per Iudæam tribum sparsa esset, ut licet cognoscere ex capite decimonono Iosuæ ad implendam sententiam diuinam à Iacobo in Genesi expositam: Diuidam eos in Iacob.*

In Bezec.) *Hæc urbs in Manassensi tribu ponitur. Suo tempore Hieronymus duas uillas Bezec nomine fuisse tradit, uicinas inter se. Dicas, iussos suæ hæreditatis incolas exterminare. Videtur Adonibezec regnum in tribu Iudææ sparsum fuisse: regiam autem sedem in Bezec uicina Iudææ tribui habuisse. aut Bezeca hæc in tribu Iudæ sita fuit, quãuis à Iosua nõ memorata.*

Cæsis summitatibus.) בהונות *pollicibus. Grassior digitus, & breuior, qui unus multos in manu multifida æquat: amputatur crudeli regi. Quo supplicio significabatur, tyrannum indignum fuisse, qui manibus commodè uteretur, quibus per improbitatem abusus fuisset. Nam sapienter scriptores rerum, dicunt hominem, quòd ad res prudenter agendas conditus sit, præ cæteris animantibus manus habere, quæ pluribus artibus, quas homo exerceat, instrumenti usum præbeant: ut in texendi, suendi, fabricandi, pingendi, sculpendi, scribendi, colendiq; agros, & tractandi arma, artibus licet cernere. Ad quem etiã usum, diuina prouidentia aptam manibus, cum hominem ex limo terræ fingeret, figuram iunxit. diuidúæ enim et multifidæ sunt, & flexus digitorum ad capiendum, premendumq; commodissimos habent. Quam capiendi tenendiq; facultatem, quoniam pollices robore suo præcipuè adiuuant, hi ipsi crudeli tyranno, qui manibus ad immanitatis exemplum abusus fuisset, præcisi æqua pœna legũtur: Sicut is ipse his quæ sequuntur uerbis, fatetur. Monemur hic μυσικῶς, sacræ gentis hostes, ne quid noceant, pollicibus, hoc est, agendi omni ui & potestate, quæ in pollicibus notatur, spoliari. Qui in sacerdotibus uncti, facultatem quippiam rectè efficiendi indicabant: qua de re suprà in lege Mosaica mentio facta est. Sic præcisos pedes & manus serpenti uolunt, ad significandum, illi nullam uim ad nocendum filijs Dei esse.*

Septuaginta regibus.) *Exemplum immanis crudelitatis, regem regibus captiuis non pepercisse, regiæ dignitatis & humanorum casuum immemorem.*

Sicut feci, ita reddidit.) *Agnoscit tyrannus diuinam hãc talionis legem, quam scriptam in pectore tenebat: Qua mensura metimini, eadem metientur uobis alij. Metuant sibi ab hac diuinæ æquitatis talione tyranni orbis terrarum. Sic euersa per hanc sunt sæua regna & principatus. Responsum hoc Chananæi regis, declarat ueritatis legem in improborũ etiam animis scriptã esse, per quam ueritatem in iusticia, ad commendandam diuinam iusticiam, & ad suam improbitatem sub arbitra conscientia condemnandam, detinere dicuntur.*

Et postea descendentes.) *Suprà legitur, Quis ascendet: hic, descendentes. Ad Hierosolymam enim undiq; ascenditur, & ab ea in reliquas regiones descenditur. Quæ, quam Hierosolymã adumbret, declarat illud: Sed accessistis ad montem Zion, & ad ciuitatem Dei uiuentis, Hierusalem cœlestem.*

Pergensq; Iudas contra Chananæam.) *Suprà quoq; huius historiæ fit mentio. Aut ergo quæ antea gesta sunt uiuente Iosua, hic repetuntur, aut per anticipationem suprà contigisse traduntur, quæ postea contigerũt. At uerò interpretũ sententia hæc Iosuæ temporibus gesta sunt. Inter reges enim Chananæos, quos profligauit Iosua, suprà in libro Iosuæ numeratur etiam rex Hierosolymorum.*

Cuius nomen fuit antiquitùs Cariath Sepher.) *de hac urbe uideris suprà in Iosua, cap. 15.*

Cariatharbe.) *Antiquitas Hebronis indicatur in Numeris, ubi sic legitur: Hebron septem annis ante Tanim urbem Aegypti condita est. Hanc Phœnicum urbem uetustissimam, & ante Ninum, mox post diluuium à gigantibus condita, docti homines uolunt. Cur autem* קריאת ארבע *appellata sit, inter interpretes non conuenit. Etenim sunt qui eam sic dictam existimant, à quatuor patriarchis in ea sepultis, Adamo, Abrahamo, Isaaco & Iacobo. At hæc urbs hoc nomen antiquitus habuit, priusquam Abrahamus, Isaacus & Iacobus nati fuissent. Hebræi nonnulli tradunt, à quatuor gigantibus in ea imperium tenentibus, eo nomine appellatã: ab Enaquo uideli cet, & trib. eius filijs. Sic enim hic scribi: Percussit Sesai & Haiman, & Thalmai. similiter in Iosua suprà legitur, cap. 15. ubi cum scriptum est, Et cœpit Calebus in tribu Iudæa, Ciriatharba patris Enaqui, ipsa est Hebron: putant ab Arba patre Enaqui sic nuncupatam. Sed nec hoc uerè dici, alij probant: quòd hi quatuor gigantes Iosuæ tempore uixerint, à Calebo deleti, cum ante Iosuam septingentos annos & amplius, imò etiam ante Ninum, à sui initio illa dicta sit Ciriatharba,*

tharba. Nec consequi, quia hæc Ciriatharba fuit patris Enaqui, ideo Arba fuisse patrẽ Enaqui. Itaq; sunt qui hanc urbem Ciriatharba, id est, tetrapolim appellatam putant, ut Babylon regum Assyriorum regia sedes tetrapolis fuit, Arat, Acat, Calune. Regia & urbs Nini, Ninive, Fora, Cale, Resen: ut etiam Hierosolyma, sicut ipsi interpretantur, Sion, Moria, Iebus, Salem. Hinc legi in libro Reg. 4. cap. 22. Oldam uatem habitasse Hierosolymis in secunda. Cæterùm quod ad Thanim Aegypti urbem pertinet, hanc quoq; gigantũ urbem fuisse, & eam ædificatam mox à diluuio, à Titano fratre maiore natu Saturni Aegyptij, tempore Saturni Babylonij, quem Berosus Nimbrotum dicit.

Filij autem Cinei.) Iethronis, soceri Mosæ, posteri inter Israelitas uersati sunt, ut rediisset ille domum. de quo reditu his uerbis in Exodo: Et dimissus à Mose socer, rediit in patriam. & in Numeris: Non uadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum. Cognati hi fuerunt Israelitarum, quòd Madianitæ essent, ex Madiã filio Abrahami, ex Cethura propagati. quæ cognatio ad hanc familiaritatem contrahendam apta erat. Etenim per hanc primò in Iethronis Madian, ciuitatis ad mare rubrum positæ, sacerdotis familiaritatem insinuatus Moses est, & gener illius factus. Horum Israelitica gens memor Cineos, posteros Iethronis, iure ciuitatis donauit, et eis partem hæreditatis in promissa terra assignauit. Atq; ab his Rechabitæ orti sunt, qui Hierosolymis uersantes, quàm chari fuerint Deo, Hieremias declarat, ubi ait: Non deficiet uir de stirpe Ionadab filij Rechab, assistens in cõspectu meo cunctis diebus. Necnon ut Cineos, cum Amalechitas deleret, Saulus pepercerit, in libris Regũ legitur. Hæc animi gratitudo declarata est in familiam Iethronis, quam etiam antea promiserat Moses his uerbis: Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis: ueni nobiscum, ut benefaciam tibi, quia Dominus promisit bona Israeli.

De ciuitate palmarum.) Quæ Hiericho est, interprete Paraphraste Chaldæo, palmeto insignis: quod centum stadia patère, autores sunt Strabo & Iosephus. Hac urbe relicta, in qua consederant, ut cum Mose solitudinem Arabum peragrassent, cum Iudæis sese coniunxerunt, ad ea loca capienda quæ hic describuntur.

Quod est ad meridiem Arad.) Hanc urbem regis Amorræorum regiam fuisse, ex Numeris patet: Quòd cum audisset Chananæus rex Arad,

Sephat.) Locus in tribu Iudæa, suprà non memoratus.

Gazam & Ascalonem, atq; Accaron.) ut per sortem Iudææ tribui suprà à Iosua assignatus. Sors autem (ut in Iosua indicatum est) usurpata fuit, ut intelligerent Israelitæ, suã sibi hæreditatem diuina, nõ humana ratione diuidendam fuisse. Est enim sors euentus, quem nõ humanum, cui ignotus est, sed diuinũ consilium regit, cui notus est, ut Dei amplificetur nomen, & electorum conficiatur salus. Est in historijs, Ascalonem Semiramidis patriã esse, in qua ipsa nata sit è stupro Veneris Ascaloniæ: quam ab Ascalonijs Dircen appellari, autor est Diodorus Siculus: et ab Hebræis Dagon, à pisce, 1. Regum lib. cap. 5.

Nec potuit delere habitatores.) ante præscriptum à Deo tempus.

Quia falcatis curribus.) Hæc causa nõ opponitur neq; fidei omnia uincenti, neq; diuinæ potentiæ, cui cuncta subiecta sunt: sed uiribus humanis, & temporum dispensationi, in Dei decretis deliberatæ: in qua suæ uices pugnæ & victoriæ, subiectionis & imperij conceptæ sunt.

Iebusæum autem.) quem, suprà apud Iosuam capite decimoquinto legitur, filios Idæ non potuisse delere Iebusæum: hic etiam Beniamitas non potuisse. De ratione uideris in Iosua, cap. 18. Cæterùm ut Iebusæus Chanaã filius sit, ex cap. 10. Geneseos patet.

Fuit autem terminus Amorræi.) cuius gentis nomine reliquæ Chananææ gentes ob amplitudinem & præstantiam eius appellantur, ut in Genesi legitur: Nõdum impleta est mensura iniquitatis Amorræorum. Latè hæc citra & ultra Iordanem, usq; ad Scorpionis ascensum, qui terminus Iudææ Australis est, imperium tenuit. de quo suprà in finibus Iudææ mentio facta est.

Petra.) Nonnulli accipiunt de Petra Arabum regia. Huius uolunt mentionem fieri apud Isaiam cap. 16. ubi uocatur deserti סלע. Strabone autore, in plano sita est, circumsepta rupibus altis, ad quarum radices uberrimi fontes scaturiunt: extra uerò circuitum regio ferè deserta, & aquis carens, ea præcipuè parte qua Iudææam spectat. Apparet Arabiæ petrææ inde nomen datũ. Inclyta est hæc petra Areta rege, qui proximè aduentum Christi uixit.

IN CAPVT II.

Ascenditq; angelus.) Sed quis est iste angelus? Paraphrastes interpretatur de נביא, id est, propheta à Domino missо, qui Israelitas de sceleribus suis redargueret. Atq; hunc

hunc legatum uatẽ Hebræi interpretes de Phinehas interpretantur. Alij de genio cœlesti accipiunt. Hunc pro more administrationis ueteris fœderis, apparuisse humana specie. Si principem legatorum Dei consideres, qui Christus est, is, qui est hodie & heri, ut Mosi apparuit in rubo, ut Israelitas Aegyptiorum primogenitis interfectis liberauit ex Aegypto, Pharaonem cum exercitu suo in mari rubro submersit: populum electum in solitudine uasta tutus est, & cum in promissam hæreditatem introduxit, gentes iam olim exitio destinatas deleuit: ita hic miserè lapsos Israelitas, siue per prophetam, siue per genium, cœlestem aliquem salutis ministrum reuocare in tempore ad pœnitentiam scelerum, & resipiscentes liberare uoluit.

De Galgalis.) qui locus non parum ualuit ad memoriam fœderis diuini, quod per circumcisionem in eo factam per Iosuam renouatũ fuerat.

Eduxi uos de Aegypto.) Reprehensio ingratitudinis, & prætermissi officij, qui educti ex Aegypto essent, ut Deum Dominum cœli & terræ colerent, non deos alienos, quod erat in conditionibus fœderis diuini.

In terram.) meis oraculis, non idolis destinatam.

Pro qua iurauí.) ad confirmandam promissionis fidem.

Non facerem irritũ.) Exponũtur fœderis leges, quas seruarit Deus, uiolarint Israelitæ: in qua expostulatione deserti ad tempus populi causæ explicantur.

Vt non feriretis fœdus.) ut à meo fœdere alienis: cum quibus societatem iungendã non esse, per Mosem uobis præcepi.

Cur hoc feciſtis?) cum nulla sit causa defectionis uestræ à me, non mea quidem malefacta, qui tot & tantis beneficijs à me affecti sitis, quæ in exitu ex Aegypto, in solitudine Arabũ, in occupatione tam laudatæ terræ uobis ostendi. Cum igitur nihil eorum uobis defuerit, quæ uos ad mei amorem allicerent: uestra culpa fit, ut tam miserè ab hostibus uexemini, non mea. Quæ gravis & seuera reprehensio, interrogatione apta ad exprimendam criminis confessionem, coloratur: Cur tantum scelus admisistis in me, nimirum patrem uestrum, qui uos ut filios meos educaui, alui, & hæreditate exornaui? Hanc amplificationem culpæ ab attributis personarum adhibet apertè diuinus spiritus apud Iesaiam uatem: Filios educaui, & ipsi defecerunt à me.

Quamobrem nolui delere eos.) Ex Talionis lege pœna intentatur. Vos noluistis delere gentes exitio destinatas, sed cum eis amicitiæ fœdus eorum diis cultis iniistis: ego etiam, quo magis in terra manerent, ad uexandos uos, non impediui, ut quos amicos uestros feciſtis fœdere meo uiolato, eorum inimicitiam perniciosam ipsorũ fœdere susceptо experiremini. Duæ igitur causæ retentorum hostium in promissa terra redduntur: una, in probanda exercendaq; Israelitarum fide, de qua mox infrà mẽtio fiet: altera, in delictis puniendis cernitur. Quæ ambæ causæ in prouidentiam diuinam cadentes, inter se aduersæ non sunt. Nam ut per hostes tentantur Israelitæ ad delinquendum, ita per eosdem, dum per eos affliguntur æquo Dei iudicio, ad inuocandum diuinũ, quo liberentur, nomen incitantur. Hostes ergo reseruãtur, qui & nos ad peccandum tentent, caro, mundus, Satan, sed uexatos non perdant: imò potius occasionem cõparandæ salutis per inuocationem opis diuinæ præbeant. Duplici igitur ratione hostes nobis, contra quàm ipsi cogitant, prosunt: qui nos ad inuocandũ nomen Dei sollicitant, cum tentant: & tentatis, ad clementiam eius declarandam, aditum patefaciunt. de quo illud: Concluſit Deus omnes sub diffidentiam, ut omnium miserea tur. Quocirca hic scribitur, à Deo retentos hostes in Chananæa, qui Israelitarum rebellionem plecterent: & infrà, per quos probaretur fides eorundem. Qua in re significatur, ea quæ per se noxia iudicantur, electis prouidentia diuina salutaria: & hostibus exitiosa effici, quæ ipsi sibi commoda & salutaria existimarant fore.

Vt habeatis hostes.) Similiter Paraphrastes, למעיקי. qui literarum similitudine deceptus legit צרים, pro צרים. Hebræa uox latera significat. Deesse igitur uolunt uocem לשוטט, id est, Et flagellum lateribus uestris. Tropus unde mutuatus sit, non obscurũ. Sunt qui bus uenatus hic placet: notum enim est uerbum צור: Hostium uenationi eos obnoxios fore. Israelitis pro feris habitis, quos hostes, tanquam feras, sint capturi. Quò non male congruit etiam metaphora in מוקש, id est, in laqueo. de quo sequitur mentio, ויהיו לכם למוקש.

Eleuauerunt uocem.) Indicem pœnitentiæ ad salutem, quam seuera reprehensio legati Domini illis expressit. Qui præstans est reprehensionum usus, quibus ministri oraculorum Dei scelera redarguunt. In horum enim oratione, sale cœlesti condita, igneus spiritus ineſt, salutares pœnitentiæ lachrymas exprimens. Itaq; in defensione hac sua non leguntur facinus negare, sed

per concessionem ueniam precari lachrymarum significatione uisi sunt. Atq; has respiciens Deus, Israelitas malis liberauit. Tanta lachrymarum ex pœnitentia diuinandarum uis est. Huius exemplum etiam in Ezechia ostenditur, de quo sic apud Iesaiam legimus: Et respexi lachrymas tuas, quod has pœnitentia ex amore Dei nata regeret. Qui amor cum abesset Esaio, lachrymas is inanes fudit: ut ex Genesi & ex epistola ad Hebræos patet.

Dimisit ergo Iosue.) Iam antea dimiserat. Itaq; quæ prius contigerunt, hic repetuntur: ut cognoscatur, quæ occasio Israelitis iam mortuo Iosua deficiendi à Deo data sit.

Seruieruntq; Domino.) Iosua regnante et uiuente, cũ senatoribus, uerũ Dei cultũ inter Israelitas uiguisse: eo uerò mortuo expirare cœpisse, hic discimus. Qua ex re intelligitur, quàm ad publicè conseruandam ueram religionem necessarium sit communi lege ministerium uerbi Dei. hoc si adsit, pietatem florere: sin absit, exolescere. Nõ temerè igitur hæc de Iosua inserta sunt. Quæ enim spiritus diuinus hic adumbrare uoluerit, reducto mystici Iosuæ uelo, cœlestis noster Iosua declarat. Hunc siquidẽ si contigerit per Euangelij spiritum in Ecclesia electorum uerorum Israelitarum non uiuere, fieri, ut deleto uero Dei patris cultu, falsus subrepat, quem uariæ calamitates omnia foris & domi occupantes comitentur. Vt id superiora tempora, quæ Apostolorum legationem consecuta sunt, & nostra satis ostendunt. In quibus si interiora mala spectes, occurrit cæcitas animi, ignorantia Dei, misera peccati seruitus, & in id horrendũ Dei iudicium: sin externa, offeruntur bella, rerum penuria, pestis cum infinitis, & ijs nouis morborum generibus. Atq; huius luctuosi electorum status, Israelitæ in Aegypto sub tyrannis, in terra sua regnantibus impijs regibus, & extra terram oppressi hostili exilio, typũ prætulerunt. Quare rectè Apostolus dixit: Hæc omnia in figura contigerũt illis, scripta uerò sunt propter admonitionem nostram, in quos termini ætatum inciderunt.

Et nouerant omnia opera Domini magna.) Quæ nosse præcipua cultus Dei pars est, ignorare falsi. Sunt autem opera Dei magna, in rebus aduersis iuuare, lucem post tenebras ostendere, mortuis uitam dare, ex inferno in cœlũ reuocare, hostes potentes euertere, demissos uerò et deiectos extollere. Et ante omnia opus Dei magnum est & præstans, de quo apud Ioannem: Sic dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenam daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Victo uidelicet peccato, euersa morte, fractis inferni portis, & dissoluto Satanæ imperio, quod peccati, mortis & inferni imperium est. Atq; horum operum figuræ & umbræ, in operibus quæ erga Israelitas edita sunt, apparent atq; ostenduntur.

Et surrexerunt alij qui non nouerant Dominum.) Cõtentione explicat causam extincti Dei cultus.

In conspectu Domini.) cuius oculos nihil fugiat: qui, ut sapienter Salomon ait, ubiq; sunt, speculantes bonos & malos.

Et seruierunt Baalim.) contra fœderis diuini leges, ab ipsis acceptas: Seruiemus Domino Deo nostro. Apparet, Baalem Belũ esse, Nimbroti filium, quem uocatum Iouem Belũ pro deo Babylonij coluerunt, ei à Nino filio templo Babylone primum extructo, eo tempore Tuyscone filio Noe Germanos apud Rhenum legibus formante, autore Beroso lib. 5. Antiquitatum.

Et dimiserunt Dominum.) uitam & salutem suam, ut Moses dixerat: Ipse enim est uita tua.

Ex terra Aegypti.) plena idololatria, stupris, luxu. quæ uitia Chamus, quem Chamesem ueteres historiæ uocant, in Aegyptum, ut homo infamis promiscua libidine, intulerat. qua de re uide ris apud Berosum libro tertio Antiquitatum. Si tempora administrationis noui fœderis consideres, eadem exprobratio in Ecclesiam, quæ post Apostolorum secula à Christo marito ad alienos deos, quos filius perditus adorandos proposuit, defecit, quadrat. de qua defectione satis clarè Apostolus præmonuit. Etenim manifestum est, ut per hanc defectionem Ecclesia beneficiorũ mariti sui Messiæ turpiter oblita sit, quæ is in soluta Aegyptia seruitute spirituali declarauit, in qua ius peccati & mortis tyrannis q; Satanæ locũ habet. Vt meritò sub typo Israelitarum hanc expostulationem in nos conuenire agnoscamus: Fecerunt Israelitæ malum in oculis Domini, colentes Baalim, & deserentes Dominum Deum maiorum suorum, qui eduxerat eos ex Aegypto.

Et ad iracundiam concitauerunt.) natam ex contemptione eius, & uiolatione fidei coniugalis.

Tradidit eos in manus.) direptos eos ab ijs, à quibus contra legem sacri fœderis salutem expectarunt, eorum dijs cultis. de qua clade antea prædixerat Moses: Sin autem auersum fuerit cor tuum, & obedire nolueris, atq; errore deceptus adoraueris deos alienos, & seruieris

ris eis: prædico tibi hodie, quòd periturus sis.

Et uendiderant.) charo à me emptos, & ex Aegypto in libertatis ius assertos. Cultu legis diuinæ seruari ius libertatis, neglecto eodem amitti. Veræ libertatis ius cernitur in eo iure, de quo Apostolus: Vbi spiritus Domini, ibi libertas. qui spiritus ueræ iusticiæ & uitæ spiritus est: ut contrà spiritus Satanæ, spiritus peccati & mortis, cuius seruituti addicuntur, quibus hic exprobratur: Deseruerunt Dominum, qui est Messias benedictus. Quæ uenduntur, in alterius domini ius ueniunt, prioris iure exempta. Horribilis igitur commutatio est, è iure Dei uiuentis exire, & uenire in ius ac potestatem contrarij hostis, mortem & exitium intentãtis. Qui est prædator & direptor ille, cuius spolia diuidit is de quo uates Iesaias: Et fortium diuidet spolia.

Nec potuerunt resistere.) per deos alienos, qui restiterunt me culto. ut suprà: Nemo poterit uobis resistere.

Sed quocũq; pergere uoluissent.) In יצא militaris expeditio notatur. Hanc omnem frustrà contra hostes susceptam, fide in eum uiolata: qui hunc titulum habet, Dominus exercituum.

Manus Domini.) grauis, cædens & perdens rebelles: ut contrà, ea salutaris est in lege Dei uersantibus. Hinc hæc manus pijs supponitur, ad eos subleuandos. ut est apud uatẽ: Cum ceciderit, non collidetur, quoniã Dominus supponit manum suam. supra impios uerò, quos deprimat grauitate sua, ponitur. de qua illud: Grauata est super me manus tua. De hac manu hic fit mentio, quæ seueri iudicij Dei manus est.

Sicut locutus est.) per Mosem comminatus, Leuit. 26. Deut. 28.

Suscitauitq; Dominus.) suã clementiam respiciens, non rebellium liberorum merita.

Iudices.) uindices & liberatores.

Sed nec eos audire.) ne' ue Dei bonitate, ne' ue cladibus memores redditi.

Flectebatur misericordia.) in רנחם uerbo, pœnitudo notatur: qua parentes commouentur, ne quæ minati sunt extrema mala rebellibus liberis, exequantur. Qui iudicant potius gemitus miserorum, ex præsentibus cladibus expressos, respiciẽdos esse ad seruandũ, quàm inobedientiam ad perdendum. Hunc affectũ sacræ literæ ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuũt, magna cõsolatio nostri. Vt aũt in Iehoua Messia uerè commiserãdi affectus cernatur, natura eius nobiscũ in omnibus similiter tentata, sed citra culpam, indicat.

Et uiam durissimam.) Videtur in קשה peruicacia ac pertinacia indicari, à contumacibus patrum suorum studijs & institutis eos nõ abhorruisse. Sic à Mose pertinacia notatur in קשה, cum hunc populum dura ceruice esse dicit, spectans legis in tabulis saxeis scripæ munus.

Quia irritũ fecit gens ista pactum meum.) receptis dijs alienis.

Vt in ipsis experiar.) Periculum faciam, an more maiorum legem seruent, an contrà. נסה more linguæ, tentare, pro periculum facere ac experiri. Non dicit, Relinquam in terra Chananæa hostes eorum, ut ipsos perdam: sed ut eorum fidem probem, eius que periculum ipsorum bono faciam. Quibus ex uerbis intelligimus, Deum fœdus cum Israelitis initum non protinus rumpere, si ipsi ruperint, eius bonitate uincente illorum improbitatem: ut parentum benignitas rebellium liberorum, quo minus perdantur, sæpe uincit. Etenim Deus qua est bonitate, constantiâ, fide, non sic certis conditionibus paciscitur cum Israelitis, ut illis uiolatis, ipse uiolet pactum suum, cuius fidem nostra mendacia nunquam irritã fecerint. Quòd si præ se fert, se cum suis in gratiam non rediturum, redit tamen tandem, & fœdus quod ad tempus uidetur reliquisse, postea cum fœnore clementiæ suæ repetit, & instaurat in suis ad pœnitentiam donato spiritu reuocatis. ueluti apud Iesaiam uatem is de se testatur, cum magna misericordiæ suæ significatione: Ad momentum reliqui te, & miseratione magna congregabo te, dicit redemptor tuus Dominus. & in Leuitico: Attamen cum essent in terra hostili, non penitùs abieci eos: neq; sic despexi, ut consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ex his, et ex tota hac historia cognoscimus, Israelitas quidem, si diuinum fœdus deseruerint, ipsos quoq; à Deo deseri: nõ perpetuò tamen deseri, sed ad tempus solum. Quod, submota umbra, in uniuersum in electorum Ecclesia usuuenire constat: quam sic relinqui testantur sacræ literæ, ut cum Deo suo tempore redeat in gratiam, non semper relinquenda. Stat enim illud: Hæc dicit Dominus, qui & solem diurno, & lunæ stellarumq; leges nocturno lumini deputat: qui findit mare, & murmurãt eius fluctus: qui uocatur Dominus exercituum. Si antiquatæ fuerint hæ leges apud me, etiam Israelis progenies desinet corã me gens esse perpetuò. Dicas: At cessauit progenies Dei esse Israelitica gens, post interfectum Messiam ablato ab ea regno & sacerdotio. Iam igitur si hæc gens typum Ecclesiæ prætulit, idem etiam huic accidere uerè iudicabitur. Ad tempus

Israelitica gens nomen diuini populi amisit. ut autem id sit recuperatura, indicat illud Apostoli ex prophetis mutuatum: Nam si reiectio illorum reconciliatio mundi est, quæ erit assumptio, nisi uita ex mortuis? Idem in Ecclesiæ quæ hactenus mi serè per Antichristum profanata est, cum Deo in Messia reconciliatione uidere licet: cuius reconciliationis temporum initia per restitutionem Euangelij iam cernuntur. Qualis autem exitus futurus sit, ea de re suo loco meminerimus.

IN CAPVT III.

HAe sunt gentes.) Explicatur ratio relictarum hostilium gentiũ, quæ tripartita est. Vna, in Exodo his uerbis exponitur: Nõ eijciam eos de conspectu tuo uno anno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Reliquæ duæ in ipso contextu historiæ ostendentur.

Quinq; satrapas Philistinorũ.) quinq; præcipuarum urbium præsides, Azoti, Gazæ, Accaronis, Ascalonis, Gethæ. Dicas, suprà in Iosua legi à Iuda Accaronem, Azotum, & Gazam urbes captas: hic uerò, has urbes à Domino relictas, quo minus caperẽtur. Apparet, ut occupatæ sunt, deinde iterum in Palæstinorum potestatem uenisse, neq; mox receptas.

Vt erudiret.) Altera ratio in exploranda Israelitarum fide, ut erga Deum suum compositi sint, cernitur: quod notatur hic in tentandi uerbo לנסות. De hoc usu etiam in Deuteronomio in hũc modum Moses meminit: Vt affligeret te, atq; tentaret, ut disceret quæ in animo tuo haberes, custodires legẽ eius, necne. In qua tentandi ratione hæc cõsideranda fuerint. Primò, autores tentationis, ut non uno modo Deus & Satan tentent: Deinde, quibus in rebus fiat tentatio, ut nimirum in secundis & aduersis rebus fiat tẽtatio. Tertiò, instrumentum tentandi perpenditur: quod in Israelitis innata rebellio erat aduersus legem diuinam. Hac usus Satan, per impias gentes ad profana eorum fœdera, matrimonia, & idololatriã tentando sollicitauit, ut eos perderet. Deus uerò, ut afflictos & debilitatos sub magistra pœnitentia & precatione erigeret, erectosq;, percepta belli gerendi arte, hostes à quibus uicti fuissent uincere ac superare faceret. Itaq; si Deũ spectes, נסה, id est tentare, experiri est, ac periculum facere. et admoto rerum aduersarum igni Israelitas, tanquã aurum & argentum consumpta uitiorum scoria purgare. Sin Satanam, tentare, sollicitare ad malum est: ut pereant qui tentantur, non seruentur. de quo tẽtatore illud: Ne quo pacto tentasset uos ille qui tentat. Contrà Deus se in tentando habet, ut idem Apostolus monet: Sed fidelis est Deus, qui nõ sinet uos tentari, supra id quod potestis, imò expediet cum tentatione exitum. Nam is tentat peccato, ut cum fœnore iusticiæ & gratiæ spiritum largiatur: tentat ignominia crucis, ut gloriosos reddat: tentat morte, ut uitam ueram tribuat, qui abstulisset adumbratam, non expressam & ueram: tentat inferno, ut cœlum aperiat plenum luce & claritate: tentat infirmitate, ut robur concedat. de quo beneficio admirabilis sapientiæ & bonitatis diuinæ, illud: Virtus mea in infirmitate perficitur. Huius mysterij in tentando declarati exempla in Israelitis edita sunt, & in Ecclesia electorum nullo non tempore eduntur.

Et postea discerent filij eorum certare.) Tertia ratio toleratorum hostium, in cognitione disciplinæ & artis bellicæ uersatur, quæ nullum sit habitura locum, nisi hostes sint qui bella inferant. Nam ut rubiginem ferrum ducit, nisi exerceatur: ita militaris fortitudo languet ac iacet, nisi hostiũ impetu & uexatione ad uires suas declarandas excitetur. Quòd si exteras historias requiris, Lacedæmonum respub. degenerauit ac correpta est, ut in ocio cœpisset uiuere, quæ instituta ad gerenda bella fuisset. Idem Romanis accidit. nam his ut sub Augusto, Tiberio, Caio, Claudio Nerone partum imperium pacem constituisset, subitò belli artibus, quibus assueuerant, ad iners ocium cõuersis: luxus, auaritia, ambitio, & ciuilia bella consecuta sunt, quibus rerum gestarũ monumẽtis clarissima resp. labefactata est. Quæ incommoda cum cognosceret Scipio Nasica, sapiens uir iudicatus, Carthaginem minimè diruendam censuit, ne Romanum imperium aut ocio periret per luxum, aut in se, sublato externi hostis metu, arma conuerteret. Reuertamur ad Israelitarum mysticam historiam. Huius reducto uelo, si occultius Dei consilium spectetur, occurrunt Ecclesiæ electorum, uerorum illorum Israelitarũ, sui quoq; hostes, prælia, arma, uictoriæ partæ, nõ Othoniele, Ehudo, Delbora & Sampsone ducibus: sed duce & seruatore Christo Iesu, cuius cœlesti armatura Israelitæ ex promissione Abrahami filij, armati, cum mundo & potestatibus mundi spiritualibus, cum intestinis item hostibus, cupiditatibus carnis, pugnant & uincũt. Nec tamen bella ista antea desinunt, quàm rex Dauid, hoc est, Christus Iesus, rerum potiatur: inimicis omnibus, peccato, morte, inferno, et Satana peccati & mortis autore deuictis: ut non prius in Chanaanæa pax à prælijs constituta fuit, quàm Dauid rex

rex de omnibus suis hostibus, qui hic memorantur, victoriam reportasset. In his autem prælijs cum interdum Ecclesia uincentibus hostibus succumbit, non prius hæc liberatur, quàm affecta uarijs calamitatibus, supplicem se Deo, delictorum pœnitudine ducta, cœperit abijcere: peccato, occasionẽ ærumnis, his pœnitentiæ ansam præbentibus, & pœnitentia per precationẽ ad Dei opem impetrandam aditum aperiente. ut inde, quæ & quanta sit nostra miseria à noxa, patefiat, & quàm immensa sit Dei clementia, coniuncta cum summa potentia, declaretur. Qua in re crucis mysterium repositum est, sapientibus mundi huius occultatum, & solis fi'ijs Dei patefaciendum. Atq; huic crucis abdito consilio explicando, Israelitarum casum, calamitates, & reditionem in uiam, liberationem ab hostibus Madianitis, Amalechitis, Ammonitis, Amorræis, & Philistæis deseruire, diuina sapientia uoluit.

Vt in ipsis experiretur Israelem.) Vsus tentationis diuinæ ostenditur, qui quatuor in rebus uersatur. In manifestatione uiciositatis nostræ: in agnitione infirmitatis, quàm miser status noster sit à uetere homine: in noticia misericordiæ diuinæ, qua sola, nullis nostris meritis, nulla dignitate, nec personæ nostræ, nec factorum, liberemur. Demum, in confirmatione fidei, non aliter quàm uarijs crucis tentationibus ad hostes superandos corroborandæ.

Et duxerunt uxores, filias earum.) innata in duræ ceruicis populo rebellione, legem hanc uincente: Matrimonia cum eis ne iungito, cũ eis fœdus ne inito, & deos eorum ne colito. Quã latentem in animis contumacis populi rebellionẽ per relictos in terra hostes tentatio exeruit, ut ea palàm appareret, & agnita per pœnitentiam duce timore Dei reprimeretur. Veluti nemo in silicibus reconditum ignem agnoscit, nisi is crebris ictibus euocatus, tandem se prodat. Tales sunt lapideorum nostrorum pectorum ictus, qui tentando influguntur, ut per eos legis uirtute, peccati uis se ostendat. de quo usu legis, uideris apud Apostolum in epistola ad Romanos. Nec uerò solum tentamur, ut in nobis hærens uitium manifestetur, sed etiam ut fides uariè tentata se declaret. Exemplum de Abrahamo offertur, qui tentatus de immolando filio suo unigena Isaaco, quam in pectore aleret fidem clarè significauit, dum maluit per fidem Deo parère filium immolando, quàm ei in Deum perfidus parcere. Itaq; in utrãq; partem electi tentantur, & ad fidei & ad diffidentiæ periculum faciendum. Veluti si dij alieni ad idololatriam propensis offeruntur, prodit se palàm idolorum cultus: sin pijs & amantibus Dei, fides se cum publica confessione nominis diuini aperit. Idem de cæteris animi affectionibus, tum laudatis, tum uitiosis accidit. Dauid per Satanam pulchritudine uxoris Vriæ tentatus, animi libidinem in uetere homine hærentem, cum Bathaba adulterio commisso, & rebellionem prodidit. Sic hic Israelitæ, per impias gentes certo Dei consilio tentabantur, ut quæ in eorũ animis uel fides uel perfidia latêret, foris appareret. Iusti etiam iudicij Dei exercendi materia suppeditatur in hac tentãdi ratione. Nam id æquè in scelera prauum cor manifestantia, si pœnitentiæ lachrymis nõ absergantur, intentatur.

Et seruierunt dijs eorum.) Ad eorum cultum abducti per matrimonia, de quibus præcessit: Et duxerunt uxores filias eorum. Corporum coniunctionem comitante animorum quoq; ad uitia coniunctione. Hinc illud de Salomone: Et auerterunt mulieres cor eius.

Et obliti sunt Dei sui.) Fide cõiugali in maritum suum uiolata, per scortationem cum adulteris dijs alienis. de quibus præcessit.

Iratusq; contra Israel.) ut ζelotypus, qui de se dicat apud Mosem: Ego sum Deus impatiens riualis. Is quanta in adulterã ardeat ira, lex de ζelotypia in Numeris tradita declarat. Quæ ardens & uehemens ira in uerbo יהוה notatur.

Et clamauerunt ad Dominum.) Rebus aduersis non secus spiritum precationis ex lapideis cordibus excutientibus, atq; ignis ex saxis collisis excutitur. Qui est præclarus calamitatũ usus, qui ijs est, quos Dei fœdus cõtinet, cognitus: alienis à fœdere diuino, ignoratus. Quã dura autẽ seruitute fuerint Israelitæ oppressi, uerbum ימבזרם indicat: quo significatur, illos non leuiter in potestatẽ hostis uenisse, sed tanquã mãcipia uẽditos, suo iure prius spoliatos, alieno obligatos.

Et suscitauit eis saluatorem.) per inuocationem, spiritu fidei instructam, impetratum: qui suis muneribus ornatus mittitur, quibus liberet Israelitas, & perdat hostes. de quibus mox.

Et liberauit eos.) Stans fœderi semel cũ ipsis inito, quod ne ue peccatum eorum qui fœdere continentur, ne ue hostium potentia labefactarit. Qua in re & bonitas Dei in Israelitas, & potentia in hostes, & in utrosq; æquitas declaratur: dum hostes seuerius ac durius, Israelitas clementius, & pro patris ingenio indulgentius, ut castigati seruentur ut filij, non pereant ut alieni, punit. Qua ex re intelligitur, quantopere Israelitæ

à Deo amentur. Eos diligi uehementer, quamuis dura ceruice sint, partim propter maiores ipsorũ, partim propter electos ac scriptos ab æterno in libro uitæ, quos sub figura representant. Qui quo que primò dum lege reguntur, intractabili contumaciq; animo sunt, & parum sequaces ad oracula Dei. Demum amantur propter Messiã eis promissum, & ex eis nasciturum.

Fuitq; in eo spiritus Domini.) Ad liberandos seruitute Israelitas, & ad ultionem de hostibus sumendã. Legitur hic, ornatos diuino spiritu liberatores à Deo missos. De nostro seruatore Messia benedicto, submota umbra, legimus apud Iesaiam: Et quiescet super eum spiritus Domini, sed in quem usum? Sequitur inibi: Et iudicabit, hoc est, reget ac gubernabit. Ad quod munus regium obeundum, regium spiritũ accepisse à patre Deo, seruatorem suum credunt electi, cuius ui ipsi pauperes & miseri, à superbis tyrannis, carne, mundo, & principe mundi Satana oppressi, in libertatem uindicentur, soluta seruitute. de qua illud: At ego carnalis sum, uenditus sub peccatum. ut Israelitæ hic, ex seruitute, in quam uenditi fuerant, asserti ab Othoniele Iudæo leguntur.

Iudicauit Israel.) Hæc iudicandi uerbum ושפט complectitur: Israelitarum liberationem, ultionem hostium, & gubernationem ciuilem, cum restitutione ueræ religionis, & extirpatione falsæ. Latius igitur patet apud Hebræos iudicandi uerbum, quàm apud Latinos.

Egressusq; est ad pugnam.) armatus diuino spiritu, contra instructos armis potentiæ humanæ. Victi igitur sunt, qui antea uictores fuerant. Tanto discrimine à ui & exitu separantur pietas & impietas, mundi sapientia & potentia, à diuina & cœlesti.

Cusan Rasathaim.) Ab improbitate apparet hunc regem sic cognominatum. רשע enim uox nota est. ut in ipso cognomine causa uindictæ diuinæ de eo sumptæ appareat reddita. Huc spectans Paraphrastes Chaldæus, pro רשעתים, uertit חיריבא.

Quieuitq; terra.) à tributaria seruitute, et bellis. Quietem & pacem terræ pietas parat sub saluatore à Deo misso. Noster saluator de se dicit: Pacem relinquo uobis. Othoniel terram legitur pacasse à Syrorum rege: noster Othoniel pacem ueram suis conciliat, uicto hoste peccati & mortis autore. Alter seruator, terram modicis finibus circumscriptam tranquillauit: alter, omnia tũ quæ in cœlis, tũ quæ in terris sunt, pacificauit: ueluti Apostolus in epistola ad Col. cap. 1. testatur.

Qui cõfortauit.) In יהוך notatur, Eglonis animum obfirmatum, induratumq; ad grauius infestandos Israelitas. Sic enim sunt Israelitarum hostes comparati, ut cum cogitant se ultionis diuinæ dominos esse, non seruos & instrumenta, ulciscendi modum transgrediantur. Quemadmodũ diuinus spiritus de Assure testatur, hac expostulatione cum eius inclementia usus: Væ Assur uirga furoris mei, nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? Sic obfirmasse cor Pharaonis Deum legimus. Vbi idem uerbum יהוך usurpatur in malo, non in bono. Cæterum quæ in induratione, seu obfirmatione animorum considerentur, ea de re in Exodo mentio facta.

Regem Moab.) Gentis iam inde ab exitu ex Aegypto Israelitis infestæ. de quo hostili animo his uerbis in Deuteronomio, capite uicesimotertio: Ammonitæ & Moabitæ in Domini ciuitatem ne admittantur, quia uobis cibum & potionem negarunt in itinere Aegypto egressis, & quia precio conduxerunt contra uos Balaamum Phegoris filium ex Pethore Mesopotamiæ, qui uobis imprecaretur.

Filios Ammon.) ut consanguineos & uicinos, pariq; odio in Israelitas accensos.

Amalech.) Primum Israelitarum in solitudine Arabum hostem, & eum sæuum & crudelem. Duo igitur hostium genera Israelitas infestarunt: interni & externi. Externi, Amalechitæ, Moabitæ, Ammonitæ & Syri: interni, Chananæi & Palestinæ gentes. non sine figura eorum hostiũ, quos ueri Israelitæ foris & intus experiuntur. ut sunt, caro, mundus, Satan, & eius ministri, impij tum dæmones, tum homines.

Vrbem palmarum.) Hierichontem, eam non tuente ab hostili incursione Iordane fluuio, ab Oriente sacræ terræ termino. Itaq; termini, quos Deus regnis posuit, probitate facilè defenduntur. improbitate, etiam si munitissimi sint, superantur. Exemplo sunt regnorum mundi mutationes: Babylonij, Persici, Græci & Romani.

Seruieruntq; filij Israel.) tributariam seruitutem, & eam, ut apparet, quæ in idolorum Moabiticorum cultu cernitur. Vt solent impij hostes, unà cum imperio, in uictos suorum etiam deorum cultum importare. Exemplo Aegyptij sunt, Babylon, Græcus Antiochus. Nostri temporis in bestia satis nota, exemplum non commoro. Interitus quem idolum interim uerorum Israelitarum Ecclesiæ intentauit, piorum luctu & lamentatione clarus est. Sed qua ui tanta calamitas depelletur? Sequitur:

Et

Et postea clamauerunt ad Dominum.) Clamore inuocationis nominis diuini, in medijs rebus aduersis per nubes penetrante, ad thronum clementiæ diuinæ, salutem impetrari. Hic tanquam in cardine piorum uersatur consolatio, nostris temporibus maximè necessaria.

Ehud.) de tribu Beniaminensi. Sic etiam Paraphrastes, בר שבטא דבנימין.

Qui utraq; manu pro dextra.) Similiter Septuaginta, ἀμφοτεροδέξιον. Hebræus indicat hominem scæuam fuisse, sinistra pro dextra utentem. In uerbo Hebræo אטר, metaphora ab obturando & claudendo mutuata. Eorum enim quæ obturata ac clausa sunt, nulla percipitur utilitas. Sic manus est, cuius digitorum & articulorum flexio quasi obstructa impeditur. Describitur Ehud à familia, corpore, armis, & artibus, quibus in interficiendo Eglone usus est: ut hic omnia Dei consilio gesta, nihil temerè accidisse, intelligatur.

Gladium ancipitem.) Figura in gladio Ehudi seruatoris, res cernitur in ueri seruatoris ancipite gladio. de quo Apostolus: Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrantior quouis gladio utrinq; incidente. Hunc gladium stringit in uiscera hostium noster Ehud Messias, de quo Vates: Accingito femori tuo gladium fortissime.

Palmæ manus.) Similiter Septuaginta, quos noster sequitur. Hebræi uolunt esse גמר, mensuram cubitalem.

Sagum.) Nõ congruebat pacem præferenti, & insidias machinanti, militaris uestis. Itaque Hebræus non sagum, sed לבוש, & Paraphrastes לבב ושוחי, Græci ὑπὸ τὸν μανδύλιον, quod penulæ genus est loricæ loco usitatum.

In dextro femore.) qui læua manu utere tur. Omnia ad tegendum dolum apta erant: breuitas sicæ, uestis, femur dextrum, munera beneuolentiæ, non hostilis animi signa. Qui dolus in Ehudo culpa carebat: ut quem non humana uafricies, sed consilium Dei regeret, in eo quem Deus seruatorem Israelitarum excitasset. in quo naturæ uitia diuini spiritus præsentia corrigebat.

Crassus nimis.) Ehudi sica in obœsum & pinguem infigitur: nostri seruatoris gladius in obœsos & bene farctos stringitur. de quibus uates: Tauri Basan circundederũt me. Quales sunt, quos opes, potentia, deliciæ & luxus huius mundi pingues ea pinguedine reddũt, de qua etiã cum sua gente expostulat diuina iustitia apud Mosen: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, derelquit Deum creatorem suum.

Vbi erant idola.) De lapidicina interpretes exponunt, פסילים. Similiter Paraphrastes, מן מחצבריא. Græci ἀπὸ τῶν γλυπτῶν. Sunt qui de idolis interpretãtur, quæ Eglon rex in Gilgalis, loco à circumcisione denuo ibi facta, à Pesah celebrato, à tabernaculi statione sacro in contemptum Dei Israel erexerit: quibus conspectis ad Eglonẽ interficiendum, submotis arbitris Ehudus diuinitùs instinctus redierit. Qualem instinctum ac motum in Mose, cum Aegyptiũ interficeret, & in Phinees apparuisse cõstat: qui Phinees scortatorem Israelitam cum Madianitide scorto in prostibulo deprehensum, iaculo transuerberauit. Huius generis exemplum non quosuis imitari licuerit, sed eos qui pari spiritus sacri impulsu feruntur. Non enim præstantium uirorum facta, quæ quidem Deo probantur, humana ratione, sed diuina, quam spiritus Dei patefecerit, repræsentare decet. de quo spiritu in ipso scripto: Fuitq; in eo spiritus Domini. Quæstio igitur, an liceat tyrannos occidere, facilè ex ijs quæ memorata sunt, licebit explicare.

Verbum secretum.) arcanam rem, quæ latêret humanam prudentiam, tum regis, tum eorum qui regi à consilijs erant. Notantur tecta & occulta ipsi mundo Dei consilia, quibus sanctorum hostes de improuiso pereunt. Illustrandus locus Aegyptiorum, Assyrij Sennacheribi, & Balthasaris Babylonij & aliorum exemplis.

In æstiuo cœnaculo.) Græci uertunt, ὑπερῷον. Locus editior notatur, uentis opportunus, qui tempore æstatis refrigerandi æstũ causa frequentatur. Vnde ab Hebræis מקרה, à frigore sic appellatum putant. קר, nota uox est.

Verbum Dei.) רבר אלהי, id est, rem diuinam, & magni momenti negocium, quod refert te scire. De somnio nonnulli interpretantur, quòd suprà sit appellatum uerbum arcanũ. Attentum studet reddere regem, quo facilius eum ab insidiarum cogitatione abductum interficiat.

Qui statim surrexit.) uel diligentius attendendi gratia, uel honoris causa, qui audisset nominari Deũ quem & idololatræ colunt, sed falso cultu, eum nimirum, ut oporteat, nõ uenerantes. de quo his uerbis Apostolus: Propterea quòd cũ Deum cognouerint, non ut Deũ glorificauerunt. Atqui ut sic colentes Deum pereant, exemplo Eglon est. Sequitur enim:

Vt capulus sequeretur ferrum.) Exemplum miseri interitus hostis Israelitarum, & præstantis fidei in Ehudo, qui altera manu mancus & solus ausus sit tyrannum satellitio stipatum adori-

adoriri. ut tantum igitur facinus auderet, nulla humana præsidia, quibus caruit, sed diuina impulerunt, quæ delegati muneris spiritus, quo Ehudus præditus fuit, suppeditauit. Spiritus, inquam, qui omnia pericula fortiter contemnit, ut opus Dei perficiatur. His cedens prudentia carnis, ea quæ mundo placent, persequitur: quæ Deo displicent, nõ fugit. Sed hoc cum studet facere, Charybdim fugiens, in Scyllam incidit.

Aluí stercus.) Fœdi interitus exemplum, sed in fœdo tyranno. Talis est exitus fœtore plenus, hostium populi Dei. Sanctè igitur Matathias illorum gloriã stercus, & uermes exstercore natos esse dixit: ut gloria sanctorum non fœtens stercus, sed fragrans honesti nominis odor est, quem eorum obitus edit: ut exemplo sunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & reliqui Christi martyres, & maximè Christus ipse. Huius mors, quàm grato Euangelij odore terrarum orbem replerit, declarat illud: Et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

Forsitan purgat aluum.) Honesta phrasi id effertur apud Hebræos, מסיך היא את רגליו: id est, tegit pedes suos. Paraphrastes, עביר צורביה.

In terra iacentem mortuum.) Qui uiuus aduersus populum sacrum se erexerat, & Dei hæreditatem superbè profanarat, humi deiectus, iacet. Hæc est superborum hostium Dei merces, ut miserè ab infirmis & abiectis pereant, qui se aduersus potentissimum numen Dei, & demissos eius cultores, insolenter extulerunt. Inter superbos autem ut Moabitæ numerentur, monet Iesaias uates: Audiuimus superbiam Moab, superbus est ualde.

Ipso in fronte gradiente.) more Imperatoris, ad eum ducem & liberatorem adumbrandum, de quo Micheas: Ascendens, pandens iter ante eos, & Dominus in eorum capite. Qui est Messias benedictus, à uindicibus Israelitarũ præfiguratus.

Sequimini me.) nõ temerè uobis ducem, sed diuinitus designatum. Ideo sequitur:

Tradidit enim Dominus.) A' facili. Non dicit, Nostra fortitudo, sed Dominus.

Inimicos uestros.) Duce ipsorum à me, sub prouidentia diuina interfecto, à quo exercitus præsidia pendent. Exemplo est Holifernis interfecti exercitus, de quo his uerbis in libro Iudith: Cumq; omnis exercitus decollatum Holifernem audisset, fugit mens & consilium ab eis. Idem hic Moabitis accidit, ut ex ipsa scriptione patet. Hinc uox illa C. Fabricij de Pyrrho, cũ audisset Romanos uictos, edita est: Pyrrhus, inquit, non Epirotæ uicerunt Romanos. sentiens, ducis peritia & fortitudine uictoriam constare.

Et occupauerunt uada Iordanis.) ad prohibendos Moabitas, qui cis Iordanem in Chananæa tum erant, à transitu. Itaq; uictores ipsos uicti uicerunt: & sacra terra eos, à quibus profanata fuerat, æquo Dei iudicio absorpsit, cultores Dei seruauit, uindictam adiuuante Iordane: qui semel pro termino, quo à profanis gentibus Israelitæ separarentur, assignatus fuerat.

Omnes robustos.) Nõ obscura in שמנין translatio est, quod pingue sonat: quo nomine robusti, opulenti, atq; potentes notantur, ut est apud uatem: Et occidit pingues eorum. ut suprà rex בריא, sic hic duces & milites eius pingues uocãtur. Sed hic metaphoræ locus est, supra proprio uerbo.

Sangar.) libertatis ab Ehudo partæ conseruator. Alter, ab ortu solis hostes repressit: alter, ab occasu. Huius tempus, quo imperium tenuit, octoginta annis, quibus Ehudus Israelitarũ Remp. moderatus legitur, comprehensum est. Iosephus autor est, primo anno administrationis suæ uita Sangarem esse defunctum. Alij uolunt hunc uiginti annis comprehensum, quibus Israelitas Iabin uexauit.

Vomere.) Aratoris igitur armis, quæ stiua & baculus quo boues stimulantur sunt, hostis Philistæus uincitur. In מלמד nota trãslatio, ab admonendo ducta. Baculis enim suis aratores, aratro boues assuefaciunt, eosq; ut laborem suum conficiant admonent. Nostri seruatoris aratrum, arauum quod aratur, boues, aratores, stimuli quibus boues in arando incitantur, & hostes conficiuntur, qui arationem & eius prouentum impedire student, nos reducto uelo non latent.

IN CAPVT IIII.

ADdidere Israel, facere malum.) per pacem octoginta annorum, & rerũ affluentiam, quam pax parit, luxu, & per hunc obliuione Dei, atq; ad deos alienos defectione importata. Suspectæ igitur res secundæ pijs esse debent, quibus Dauid adulter factus est, & homicida: Salomõ, alienorum deorũ cultor: Ezechias, uanus opum suarum ostentator. Contra res aduersæ in signis beneuolentiæ diuinæ habendæ, quibus Dei cultus conseruatur, quem res prosperæ per earum abusionem conuellunt. Si Ecclesiæ statum consideres, is ut bene habuerit Romanis tyrannis insectantibus inimicè sanctos, & malè cœpe-

cœperit habere sub Constantino ambitione, fastu, opibus, per pacem omnia præsidibus ecclesiæ corrumpentibus idololatria, & ecclesiam onerantibus ceremonijs, quã antea simplex Christi professio in martyribus honestarat, satis compertum.

Post mortem Ehud.) Etiam eo uiuente apparet in tanta rerum tranquillitate mala meditari Israelitas cœpisse: et Ehudo mortuo, augentes scelera in hostium potestatem traditos. Felicitas enim & prosperitas bonorum etiam principum sæpe admonitionem uincit, quo minus imperio pareant ij qui reguntur.

In manus Iabin regis.) Suprà in Iosua legitur Iabin regem cæsum. De familia igitur huius regis relictos nepotes apparet, qui occasionem acceptæ iniuriæ uindicandæ quæsuerint, eam occasionem & Dei cura de punienda populi sui rebellione, & memoria in hostili gente ueteris cladis adiuuante: ut iniuriarum longa, beneficiorum uerò breuis memoria esse solet.

In Hazor.) Hæc urbs suprà in Iosua uastata, igniq; absumpta, & Naphtalitis tradita legitur. Potuit autem fieri ut ab hostibus interea recepta & instaurata sit. Hæc enim anceps belli alea est, quam diuina prouidentia pro hominum moribus gubernat.

In Harozeth gentium.) בחרשת Paraphrastes uertit, בתקוף ברבי, id est, in munitis locis in quos confugerint, tum ad se tuendos, tum ad reparandum bellum, quo sua, ut fit, aucti uiribus per occasionem repeterent. Quòd autem additur Gentium, apparet eò undiquaq; ex gentibus Chananæis opibus suis ab Israelitis spoliatos confluxisse. Non longè aliter interpretantur quibus הרשת syluosa regio est arcibus munita. Iosepho ciuitas est ad paludẽ Samachonitidem sita.

Nongentos enim habebat.) Iosephus tradit trecentis millibus armatorum, equitum decem millibus, curruum tribus millibus instructum exercitum illi fuisse. Hunc exercitum uincere Israelitæ non potuerunt rebelles, cum maiorem deleuissent Iosua imperatore Deo obtemperantes. Nam suprà apud Iosuam legimus exercitum multorum regum, qui æquaret arenam maris armatorum numero, cum Iabin duce ab Israelitis prostratum: hic uerò ab uno rege quem antea profligauerant, uictos. Has uices, fides & perfidia sub æquo iudice Deo temperant, fide uictoriam parante, perfidia eam perdente & exitium afferente.

Et per uiginti annos.) cum octo annos antea Syriæ regi Cusan & octodecim Moabitis seruissent. Qui numeri cũ ijs quib. iudices remp. Israelitarum rexerunt, obseruandi sunt in annalium usum, & ad rerum gestarum tempora annotanda: quorum summa suo loco subducetur.

Erat autem Debora prophetes.) Hic quæstio est de muliebri sexu, an'ne conueniat hunc ad gubernacula Reip. sedere, & in ea imperium tenere in uiros? Hæc quæstio in hunc modum explicanda uidetur. Si institutæ à Deo naturæ leges spectentur, fas non fuerit mulieribus nèue priuatum, nèue publicum in uiros imperium gerere: sin priuilegium diuinum, secus res habet. Nã in natura semel instituta muliebri imperio repugnat primò ipsa origo, qua fœmina è uiro exprompta est, nõ contrà uir ex fœmina. Quæ origo declarat mulierem uiri, quam obediendo amplificet, non uirum mulieris, quam parendo celebret, gloriam esse. Sic enim Apostolus ait: At mulier gloria uiri est. Non enim est uir ex muliere, sed mulier ex uiro: neq; enim conditus est uir propter mulierem, sed mulier propter uirum. Eódem pertinet, quod propter eandem illam originem uir caput mulieris dicitur, mulier corpus: quorum alterum conueniat regere, alterum parêre. Deinde lata sententia Dei in mulierem à contracta noxa, dominandi uiris potestatem tribuit, fœminis adimit: Et ipse dominabitur in te. Quò spectans Apostolus, sic mulieres admonet: Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Item, Mulieres docere nõ permitto, neq; autoritatem usurpare in uiros, sed esse in silentio. Qua de re duas causas affert: una, est ab ortu sumpta: Adam enim primò formatus est, deinde Eua. altera uerò à culpa mutuata: Et Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta, obnoxia facta est transgressioni. Præterea tum profana omniũ gentiũ, tum sacra ueteris & noui fœderis exẽpla probant penes uiros debere esse imperiũ, nõ fœminas, exceptis paucis Rebusp. quas fœminæ administrasse leguntur, sed præpostero & peruerso ordine, ut Semiramis & Amazones exemplo sunt. In sacra autem Rep. Israelitarum in omni administratione, siue ciuili, siue ecclesiastica, uiri delecti fuerunt, non fœminæ. Idem noui fœderis tempore ex præceptione Apostoli, quæ ipsa natura nititur, accidit. Qui in cœtu sanctorum interdicit docendi munere mulieribus. Demum naturalis infirmitas tum corporis, tum animi in muliebri sexu efficit, quo minus ad dominandum is aptus sit. Imperium porrò fortitudinem requirit, qua res fortiter & constanter gerantur. Quæ uis uiris tributa est, mulieribus non item. Quod cum sapiens Salomon intelligeret, hanc sententiam edidit: Virum

de millibus unum reperi, mulierem ex omnibus nõ inueni, quæ uidelicet ueræ sapientiæ & fortitudinis titulum defenderet. Siquidem mulierem fortem, ut idem dicit, quis inueniet? Etenim sexus is naturalem habet infirmitatem, rebus magnis gerendis imparem: & cum ea imprudentia coniuncta est, quam imperandi munus minimè tolerat. Nam hoc prudentia geritur & conseruatur, imprudentia amittitur. Hanc autem in mulieribus naturam imprudentiam inesse, prima mulier Eua à uersuto serpente decepta declarat. Ex qua naturali imbecillitate & imprudentia, animi impotentia nascitur & inconstantia, tum priuatis tum publicis rebus exitialis. nota quippe est hæc peruagata Latini uatis sententia: Varium & mutabile semper fœmina. Quamobrem cur mulier ad imperandum non admittatur, ea quæ summatim iam præcisèq; allata sunt, indicant. Non affero huc ius ciuile, non communes & uulgo iactatas de distinctis uirorum & mulierum officijs sententias. de quibus Homerus præclaram hanc sententiam exposuit:

ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα, τὰ σοῦ δέργα κόμιζε,
ἴστον τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
ἔργον ἐποίχεσθαι, μῦθος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.

Vbi cum muliebribus telam & colũ quem tractent, commendat, uiris uerò orationem, satis ostendit, uirorum esse, non mulierum imperium tum domesticũ, tum publicũ gerere. Quod eloquentia, quæ copiosè loquens sapientia est, geritur & administratur. Sed obijciat hic aliquis Deboram Reip. Israeliticæ rectricem, quæ legitur in hac narratione iudicasse, hoc est Remp. administrasse & iura in ea dixisse: non occurrit aliud quod respondeamus, nisi priuilegio quodam & singulari consilio Dei præter communem & institutũ sexus istius ordinem contigisse, fœminam præfuisse sacro populo. ut Israelitæ intelligerent sibi uictoriam non humano consilio, sed diuino contingere: hostes autem, quanta esset potentia Dei Israelitarum, cognoscerent, qui per fœminam imbecillem & infirmũ sexum inimicos gentis suæ uincat: deinde ut palàm fieret à Deo in opere regenerationis, quod sacro spiritu peragitur, neq; gentis, neq; sexus, neq; ætatis, sed nouæ naturæ rationem haberi. ut Debora mulier præcellenti præ uiris ornata spiritu documento est. Præterea accidisse id cognoscimus, ut puderet Israelitas degeneris suæ naturæ, qui cũ à uirili ingenio degenerassent, à muliere coacti sint gubernari, uiris ineptis iudicatis, qui ad gubernacula sederent. Demum ut electi ex hac historia admonerentur, in Republica uerorum Israelitarũ, qui ex spiritu Israelitæ sunt, non ex carne, sacram suam esse Deboram regij spiritus participem. quæ de suo Sisara hoste crudeli eiusq; exercitu triumphet, sub signis ducis sui Baraci Iesu Christi regis regum & Domini dominantium, cui sit gloria & honor in æternum.

Debora prophetes.) Debora cõgruens nomẽ muneri suo, quæ uates esset, habet. Hebræa enim uox דבורה apim significat: quæ ut mella & fauos ex floribus conficit, ita sancta uates dulcia mella ex floribus fragrantibus oraculorũ Dei confecit. ea in re nobis cœlestem illam Deboram sponsam Messiæ repræsentans, de qua in Canticis ipse sponsus: Fauo manant labia tua, ô sponsa, mel & lac sub lingua tua. quòd facit quoq; uox eloquentiæ, דב ריח. Hic spectanda fuerit in uniuersum natura, ingenium, industria & prudentia apum, qua in elaborando melle utuntur.

Vxor Lapidoth.) Hunc Lapidothum Baracum nonnulli Hebræi interpretes fuisse uolunt. Neq; parum conuenit inter לפידות & ברק altera uoce fulgur, altera lampadem sonante. Dicat Deboram in tribu Ephraimensi habitasse, Baracum in Napthalensi. Respondent interpretes, ad tempus separatos uixisse. sed quid interest in his morari?

Ascendebantq; ad eam.) tanquam ad interpretem iuris & legum, cuius domus esset totius Reipub. Israeliticæ oraculum. In uerbo Ascendendi ויעלו respicitur ad montem Ephraim, in quo Debora habitauit.

De Cedes.) Sita in Napthalensi tribu, ciuitas sacerdotalis, & fugitiuis destinata. uideris de ea apud Iosuam cap. 19.

Præcepit tibi Dominus.) Interrogatio est in Hebræo, Nónne præcepit tibi Dominus? qua utitur ut Baracum ad celeritatem conficiendi belli accenderet, qui hostium robore conspecto, lentior, ut adparet, erat.

Deus Israel.) qui uult & potest suos iuuare. Loci facultatis & uoluntatis continentur in his uerbis: Iehoua Deus Israel.

Et duc exercitum.) In trahendi uerbo משכת sermonis uis notatur, qua persuadendo exercitus moueretur, ut se aduersus hostem armaret, qui illius metu bellum cunctabundus uidebatur suscipere. Loci autem ad persuadendum instructi proculdubiè diuina promissa continebant. de quibus in textu: Et tradam eos in manum tuam.

In montem Thabor.) Aserianis, Zabulonijs & Naphtalianis uicinum, in eum montem Debora iubet exercitum ubduci à Baraco ad uincendum

cendum hostem,in quo Messias,cœlestis Baracus, claritatis superni regni fulgore illustris, figuram splendoris quem naturus erat, exhibuit.

Decem millia.) *contra immensam uim exercitus hostilis.Sed per hanc paruam manum erat declaranda potentia eius. de quo in scripto: Et tradam eos in manum tuam. Quæ uerba non natura,sed fide capiuntur,quæ in infirmitate robur, in tenebris lucem,in morte uitam expectat, & in summa desperatione spem molitur per eum qui uocat ea quæ non sunt,ut sint: & quæ sunt,in nihilum dissipat,ne sint.At uerò neq; denario & millenario sua ratio deest:de qua aliàs.*

Adducam ad te.) *Verba Dei in persona Deboræ. Memorabilis locus est, hostium Israelitarum,consilia conatum,& studia non in ipsorũ, sed Dei potestate posita esse. Vt autem Deus impios trahat obfirmatos et induratos ad interitum, ea de re aliàs.*

Torrentis Cison.) *fluentis per tribum Isacharianã.clarus torrens est & Sisaræ victoria & prophetarum Baal quos Helias occidit,cæde.*

Dixit autem Barac.) *Non sunt dubitantis de promissis Dei uerba, cuius fides in epistola ad Hebræos celebratur:sed oracula Dei spectantis, quibus consilia sua in regendo bello regeret, quorum spiritu Deboram præditam sciebat.*

Quia in manu mulieris.) *Iael: de qua mox.*

Tradetur.) יִמְכֹּר *notat eum tanquam seruum uendendum,in quẽ ius necis sit habitura Iael. Memorabilis talio.Veneunt, qui domini fuerant, & domini redduntur ad Deum redeuntes qui uenerant.At uerò non par dominatus & seruitus utrinq; cernitur:in alteris dominatus ui usurpatus, non iure, qui ad seruitutem in Chanaane diuina sententia damnati leguntur: in alteris legitimum imperium spectatur, quos ad libertatem in Abrahamo fœderis cum ipso icti gratia, destinatos agnoscimus.Alteros peccatum ad tempus dominatu spoliat,quos gratia fœderis tuetur,ne in æternum eo spolientur.alteris ad tempus imperium contingit,quo grauius eo abusi,impleta scelerum mensura,pereant ad interitum semel duputati.Exemplo hic Sisara est.*

Aber autem Cineus.) *Obiter interserit mentionem familiæ Iethronis propter sanctam mulierem Iael interfectricem Sisaræ.*

Recesserunt quondam.) *à deserto Iudææ,ubi consederant filij Cinei,ut reliquissent urbem palmarum.de qua suprà mentio facta est.*

Surge.) *Hortatio ad persuadendum apta, ut quæ esset promissione diuini præsidij munita.*

Hæc enim est dies.) *à fatali interitu,quẽ nulla uis impediat.ut est etiam apud illum:* ὡς γὰρ θέσφατον. *Item:* οὐ μοῖρα κρατύνει.

Descenditq; de Thabor.) *loco natura munito relicto,ut fidei locus esset de promisso illo:An' non Dominus ipse egreditur ante te,more uidelicet ducis ad prælium tibi præiens? Quod est Hebræis egredi.Baracus de mõte descendens, & diuino præsidio de alto firmatus, uictoria potitur.Sisara igitur in humili loco uersans,uincitur. Descendunt cum Baraco de monte, qui nõ sunt de hoc mundo in decliui posito, sed de eius genere,de quo illud: Superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens.*

Perterruitq; Dominus.) *Impios igitur humana præsidia,quibus fidunt, non iuuant, quo minus Domino eos conturbante, pereant: pios humanis desertos diuina defendunt. Conturbat autem hostes suos Dominus, cum eos cõsilio,mente, fortitudine res bene gerendi spoliat. Mente autem quos spoliarit, eis omnia aduersa accidere, nouit etiam uates ille Græcorum Homerus,*

——ἀλλὰ ἕκηλος
ἐξέρεπω.ἐκ γὰρ ἐφρεσὶν εἴλετο μητιέτα Ζεύς.

Pedibus fugeret.) *sed non effugeret interitum semel destinatum. de quo præcessit: Hæc est enim dies.*

Vsq; ad internicionem.) *Exemplum cladis horrendum impijs orbis terrarum tyrannis. Israelitæ puniuntur,sed ita,ut reliquiæ remaneãt, impijs funditus pereuntibus', Exemplo Cain familia, Sodoma & Gomorra, Pharao cum suo exercitu,Senacharibus.Hinc illud apud uatem: Semen impiorum peribit.*

Venit ad tentorium Iael.) *in quo sub Dei prouidẽtia periret hostis societatis inter ipsum & Heberem Cinæum cõtractæ specie seductus. Quæ societas arbitra Dei prouidentia exitio fuit hosti,& saluti Israelitis.Nam hanc cum intelligeret Iael posthabendam esse fœderi diuino cum Israelitis inito,eam fregit,Dei fœdus seruauit.Qua in re neq; mali doli,neq; uiolati iuris hospitalis sancta mulier damnari debet. Stat enim illud: Magis parendum est Deo quàm hominibus, prima nimirum primæ tabulæ lege uelut æterna & infallibili norma,omnes secundæ de fœderibus,societatibus & iuramentis leges regente ac moderante.Itaque Sisarã, quem exitio deuouerat Deus,Iael tueri noluit,sed ex rerum natura delere tentauit. In quo facinore imbecillis sextus ingenium suum uicit, diuinæ uoluntati cedens non sine singulari in libro ui-*

tæ scriptæ mulieris laude. de qua laude illud: Benedicta inter mulieres Iael uxor Heberis Cinæi. Duo igitur exempla præstantium mulierum hic proponuntur, Deboræ & Iaelis.

Ne timeas.) Qui præ metu fugerat uiros, astu mulieris perit indignus qui fortiter cum uiris pugnans, periret. Quem igitur metus ad tempus seruauit, nana securitas perdidit. Is est interitus impiorum.

Et opertus est ab eo pallio.) ut latêret, sed non eum, de cuius oculis illud: Vbiq; sunt oculi Domini, speculantes bonos & malos.

Vtrem lactis.) quod potum aptum erat ad soporem lasso fessóq; ex fuga inducendum, quo periret, qui uigilans contra Deum Israelitarum pugnando seruari noluisset. Contrariũ igitur lac est. de quo in Cãticis Messias sponsus: Bibi uinũ meũ cũ lacte meo. Et Apostolus: Lactis potu uos alui.

Clauum tabernaculi.) Pia mulier clauo & malleo Israelitarum hostem interficit. Suum quoque hostem & aduersarium sanctorum Israelitarum in cœlis scriptorum, clauo & malleo uerbi Dei ecclesia interimit. de quo malleo apud Hieremiam: Nunquid uerba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?

Tempus capitis.) Non legitur hic Iael adoriri corpus Sisaræ, sed caput. Hostis sanctorum caput quoq; petitur. Primò quidẽ à seruatore Christo, de quo legimus in Genesi: Ipsum conteret caput tuum. Deinde à sponsa ecclesia, quæ spiritu sponsi sui armata, omnia uincit: ex cuius nimirum carne & ossibus ipsa nata in participatũ uictoriæ & omnium quæ ille ipse habet, bonorum uenit.

Vsq; in terram.) Affigiturterræ qui cœlesti genti cladem exitialem intentare uoluit. Ad hoc facinus impulsus à parente suo Diabolo fuit, qui homicida ab initio fuisse dicitur. quem legimus hac sententia Dei damnatum: Maledictus es, super pectus tuum gradieris, & terram comedes. Similiter punitus est tyrannus ille Babylonius, qui cum in animo suo cogitaret, Ascendam in cœlum: supra astra Dei exaltabo solium meum, hanc Dei sententiam in suam superbiam latam percepit: In infernum detrahêris. Atq; hæc æquissima ex talionis lege pœna in superbos tyrannos irrogatur, ut terræ affixi in terra pereant, qui terra spoliare diuinum populum moliuntur. Quanto grauior casus nostræ Babylonis erit, qui Israelitas illos ueros cœlo & terra, in cœlum & terram potestate sibi uendicata, priuare studet.

Qui soporem.) Alius est sopor piorum, de quo uates: In pace iacebo, & dormiam. Quo sopore qui corripiuntur, in eo nõ pereũt, sed expergiscuntur alacres ad uitam. ut idem uates: Ego iacui, & dormiui, & euigilaui.

Humiliauit ergo Deus.) pro more suo, qui neq; superiores ipse omnibus superior, neque pares, quos nullos habeat, ferat. Itaque sententiam hanc constanter seruat: Oculos superborum humiliat.

IN CAPVT V.

CEcinerũtq; Debora & Barach.) Carmen triumphale canitur, in quo tam illustris diuina non humana ui de Sisara parta uictoria celebratur. Quale etiã Moses absorpto in mari rubro Pharaone cum suo exercitu carmen cecinisse legitur. De huius autem gratulatorij carminis partibus, exordio, narratione & amplificatione, quæ confirmationis uicem obtinet, atq; de ipsorum uerborum tum sententiarum ornatu, & de arcanis rerum cœlestium notis inter interpretandum monebitur.

Qui sponte obtulistis.) Exordium ab hortatione, qua Israelitas hortatur ut Deum celebrent ob uindictam de hostibus ipsorum sumptam, & ob uoluntarium exercitum qui se suaspõte periculis ad gloriam Dei asserẽdam, & ad suorum salutem tuendam obtulerit.

Benedicite Domino.) non dijs alienis quos decepti coluistis. Profanæ gentes publicas de acceptis beneficijs gratulationes quoq; instituũt, sed dijs alienis. secus ut faciãt Israelitæ hic, sancta mulier admõet. Cæterum ברך hic gratias agere est, quod in præcipua cultus Dei parte cõtinetur.

Audite reges.) etiam infesti Israelitarum gloriæ. Indicat igitur tantam uictoriam esse, quam sit celebratura, quæ etiam in potentiæ diuinæ admirationem hostiles gentes rapiat. Veluti sæpe hostes quoq; contingit ab hostibus laudari, ueritate ipsam laudem per conscientiam exprimente, inuitis affectibus inuidiæ & ambitionis.

Ego, ego.) Repetitio ad attentionem facit.

Deo Israel.) Ex gratiæ fœdere, non ex dignitate ipsius gentis.

Domine cum exires.) Narratio rerum gestarum ad laudem Dei insignium. Nota est ex Numeris historia de Israelitarum uictoria, de Og rege & Seone regibus Amorræorum parta, ut Seyr montem transirent. Similia leguntur in Deuteronomio: Et de Seyr ortus est eis.

Terra mota est eis.) Amplificat Dei Israelitarũ amplitudinem à terrore quem incusserit uicinis hostibus, adhibita ἀναφοϱολικῇ loquendi figura: terrã, cœlum, nubes, & montes cõmotos.

Et

Et Sinai.) Huius motus ac tremor sub promulgationem legis Moseæ exortus, ex libro Exodi notus est, cui gentium Israelitis infestarum tremorem comparat. Vterat Amalechitarum, Madianitarum, Moabitarum, Ammonitarum, Amorræorum & Chananæorum commotio ad famam uenientium Israelitarum facta.

In diebus Sangar.) Amplificatur Deboræ uictoria per comparationem. Sangaris tempore quadam ex parte Israelitas liberatos fuisse, uictus ab eo ita Philistæis, ut nihilominus desolatæ essent uiatoribus per deuia iter facientibus uiæ: splendidam autem salutem extitisse Debora duce uictoriam de hoste reportante.

Quieuerunt semitæ.) In semitis ac uijs status etiam reipub. suis legibus & iure constitutæ noto tropo accipitur. Huc per hostes, ut fieri solet, mutatu, uictore uictis nouas leges ac consuetudines imponēte, maxima clade eorū qui uincūtur.

Mater in Israel.) cura & sollicitudine, per dispensationem oraculorum Dei. Quæ nobis quam Deboram uerorum Israelitarum matrē sub moto typo referat, pijs non est obscurum.

Noua bella.) Per contentionem mala quæ rebellio affert cultis nouis dijs, cum bonis quæ uerus Dei cultus importat, cōfert: quo parta uictoria illustrior fiat. Non enim noua bella textus habet, sed nouos deos.

Cor meum ad principes.) Apostropha ad principes uiros, quos ut Dominum celebrent, hortatur. in quibus per distributionem amplificandi gratia numerat antistites, quos liceat tutò populū regere, legū & iuris interpretes agere. Numerat item qui sua sponte bene de populo mereri student. Diuites & opulentos homines in iudicijs præsidentes, & mercatores longa itinera facientes. Hos omnes iure debere Deū celebrare, per quem liceat tutò quemq; deuicto hoste, munus suum obire. Cōferenda hic bona fuerint, quæ pax affert & conseruat, cum malis quæ bellum importat: ad illustrandam uictoriā à Domino cōcessam.

Loquimini.) שיחו non est leuiter cogitare & loqui, sed cum meditatione diligenter pensitare, & pensitatas res lingua & oratione sapienter exprimere.

Vbi collisi sunt currus.) Item eos prædicaturos Deum quibus antea per sagittariorum strepitum non licuerit aquari, iam uerò illis deiectis liceat.

Ibi narrētur iusticiæ Domini.) Iusticia Domini uocatur ultio de hostib. sumpta, & liberatio qua Israelitæ in libertatem uindicati sunt.

Ad portas.) quas per hostes deserere coacti sunt. Meminit portarum in quibus cœtus hominum cōfluere & iudicia exerceri solita sunt. Prædicandam bonitatem Dei, quæ nomine iusticiæ cōtinetur, qui pristinum iuris & iudiciorum usum restituerit per hostes crudeles interceptum.

Surge surge Debora.) Apostrophe ad se Deboræ. Geminationem aduerbij hortātis Eia uehementiā & ardorē celebrandi Deū declarat.

Captiuos tuos.) Figura ac umbra in captiuis exercitus Siseræ abactis, ueritas in captiuis de quibus ex uate Dauide Apostolus: Cum ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatē, ut nō prius triumphatum est de Siseræ exercitu, q̄ Barachus ascendisset in Thaborē montē destinatum figuræ glorioſæ transformationis Messiæ.

Seruatæ sunt reliquiæ.) Amplificatio uictoriæ à parto dominatu in hostes. Dominaturos. residuos Israelitas in potentib. regis Iabin. ut locū inueniat sententia illa: Dominus deiectos euehit, & potentes deijcit. Sed per quem dominabuntur? Sequitur: Dominus dominabitur propter me in fortibus. Vbi indicat sapiens mulier Israelitarū, regnum Domini regnū esse, & hunc gentis suæ gratia potentissima quæq; mundi deijcere.

Et Ephraim deleuit eos.) Exemplis amplificat uictorias Israelitarum beneficio diuino de hostibus partas. In Ephraim notatur Iosua de tribu Ephraimē si Amalechitarū uictor. Atq; id indē cat metaphora radicis. Vt primus hostis in Arabiē solitudine Israelitarū Amalechus fuit: ita qui hunc uinceret, extitit Iosua Ephraimē sis. Videtur quoq; Ephraim radicem appellari propter Iosephum Rachelis dilnctæ. præcipuæq; uxoris Iacobi sobolē, cuius filius Ephraim pro primogenito habitus est. LXX non placet Amalechus. Sed uallis lecto סמ֣ לק ואמ עבוק qui habent ἐν κοιλάδι. Sed recepta lectio est quam noster inter pres sequitur.

Et post eum ex Beniamin.) Ferè omnes interpretes de Saulo rege interpretantur, qui post Iosuam Amalechitas fortiter bello adortus sit. Atq; hæc Deboram fatidico spiritu præcinuisse de Sauli regis uictoria. Sic etiam Chaldæus: בתרותי קם מלכא שאול מדבית בנימין וקטיל ית רבית עמלק. Quòd si ita res habet, præter exornationū morem, quibus præterita exornātur, futuræ hic res laudatæ sunt à Debora. Apparet hic Deboram eos uoluisse cōmendare, qui secū fortiter bellum cum hostibus gesserant atq; eam exorsam ab Ephraimē sibus, in quorū tribu uersaretur, q ut primi cū Amalechitis dimicasset, ita eos præcipuè in hoc bello operā

ſuam nauaſſe Ephraimenſes Beniamitas ſecutos, hos ex Machîre imperatores, & Zabulonios atq; Naphtalitas.

De Machîr principes.) Machîris eiusq; familiam prælio interfuiſſe, non eam quidem quæ trans Iordanem Galaadum montem poſſedit, ſed eam quæ cis Iordanem in Chananæa habitauit, et in altera Manaſſis tribus parte ſortẽ ſuam cum Ephraimitis ſortita eſt. Nam mox legetur Galaaditas quieuiſſe. Vt autem dimidiæ parti filiorum Machîris regnum Oggi, alteri parti in Chananæa hæreditas ceſſerit, ſuprà apud Ioſuam memoriæ traditum eſt.

Et de Zabulon.) Ex Zabulonia tribu in prælio fuiſſe doctos & eruditos literis uiros, qui ſtilo aut ſceptro literaturæ, animos ducerent atq; traherent. שבט ſceptrũ & ſtilus eſt, & מישך ducere ac trahere. Hanc uictoriã eſſe comparatã nõ ab hominibus militarib. & ad bella natis, ſed à literatis, quibus cum crudeli Marte parũ ſit cõmercij. Itaq; adumbrantur per eos docti ſpiritu homines, qui Meſſiæ temporib. militantes in caſtris eccleſiæ Deboræ, uicturi ſint hoſtes ſuos armis armati. de quibus Ieſaias: Spiritu oris ſui interficiet impium. Et Daniel: Sine manu cõteretur. Sed per quos doctos & literarum ſceptro nobiles homines? per eos ſanè, de quibus idem Ieſaias uates: Vniuerſos filios tuos doctos à Domino. Item Daniel: Qui autem docti fuerint, fulgebunt inſtar ſplendoris firmamenti.

Qui quaſi in præceps.) Alacritas pugnandi in Baraco laudatur, eum pugnæ tam auidum fuiſſe, ut pedes in uallem torrentis Ciſon de Thabore monte deſcenderit, cum hoſte manus cõſerturus. Sic etiam paulo ſuprà legitur: Deſcendit Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo. ברגל uertere etiam licebit, cum peditatu ſuo. Non legitur equitatu inſtructus fuiſſe Baracus ut Iabin rex: in cuius exercitu decem millia equitum fuerunt.

Diuiſo contra ſe Ruben.) Reprehendit eos qui neglecto fœdere fratres in periculo deſeruerunt. In horum numero Rubenitas, Galaaditas, Danitas, & Aſerianos fuiſſe dicit: horum alios alijs rebus intentos, communes et publicas res neglexiſſe. Qui quos omnibus temporibus periclitantis eccleſiæ deſertores repræſentent, res ipſa docet.

Quare habitas inter duos terminos.) Caulæ משפים huc quadrant, in quibus Rubenitæ abundantes pecoribus uerſati ſint, ut eſt in Numeris. Filij auten Ruben & Gad habebant multa pecora, ad quæ alenda etiam aptã terram ſortiti ſunt, ut in eodem illo loco traditur: Cumq; uidiſſent Iazer & Galaad aptas pecoribus alendis terras.

Sibilos gregum.) κατακρυσμους, ſibilis pro balatu.

Diuiſo contra ſe Ruben.) Varia interpretatio hic affertur. Alijs פלגות riui ſunt, apud quos ſedentes Rubenitas magnos & mente ſagaces alloquatur Debora: alijs diſcordia eſt, Rubenitas in diuerſa diuiſos ſtudia: alijs alia molientibus, Debora bellum gerente aduerſus hoſtes: alijs ſeparatio eſt, eos ſeparatos per Iordanem fluuium à cæteris Iſraelitis negaſſe eis opem ferre. Vocat autem Rubenitas magnos & imperioſa atq; ſagace mente præditos, qui à primogenito Iacobi Rubene prognati eſſent, quorum primogenitura etiamſi iure eius non fruerentur, animos extulerit.

Galaad trans Iordanem.) Supra legitur, principes Machîris uenîſſe ad Deborã, hic uerò Galaad quieuiſſe domi: cum tamen Machir pater fuerit Gileadi, & Gilead ſorte obuenerit familiæ Machîris, ut eſt in Numeris: Dedit ergo Moſes terram Gilead Machîri filio Manaſſis. De hac quæſtione paulo ſuprà ut explicanda ſit, monuimus. Sed ſunt qui in hunc modum quæſtioni occurrant, mentionem hîc fieri de Iaire Manaſſæ filio, qui & ipſe partem Gilead accepit, ut in Numeris legitur: Iair autem filius Manaſſæ abijt, & occupauit uicos eius, quos Iairi uicos appellauit. Sunt qui per interrogationem legunt: Fecit ne Gilead more ſuo ut non ueniret nobis auxilio?

Dan uacabat nauibus.) ut uicinus mari mediterraneo, cuius Daniæ tribus fines uſq; ad Ioppem pertinuerunt. de quibus ſuprà in Ioſua mẽtio facta eſt.

Aſer habitabat in littore maris.) De quo his uerbis Ioſua meminit: Aſer uſque ad carmelum maris. Item, Erantq; exitus eius in mare.

Et in portubus.) ועל מפרציו id eſt, in ruinis ſuis ac dirutis locis & oppidis, quæ ipſi cũ ea occuparẽt, diruerũt, quæq; deſerere recuſarunt, ne temerè hoſtibus paterent. Sic etiã Paraphraſtes, שרו קיריי עממיא דפגרו, id eſt, Continuerunt ſe in oppidis quæ diruerunt.

Zabulõ uerò & Naphtali.) In הרמת neglectio uitæ notatur. Per contentionem fortes Zabulonios & Nepthalenſes neglecto uitæ periculo in hoſtes fortiter irruentes ignauis opponit.

In Merome.) Editiora montis Thabor in מרומי ſignificantur. de quibus ſuprà: Et duce exercitum in montem Thabor.

Vene-

Venerunt reges.) Narratio indicat non vnum regem parasse bellum aduersus Israelitas, sed aduersus hos, ut fit, multos conspirasse cum Sisara. Amplificat uictoriam à multis & potentib. hostibus derictis, quo maior appareat splendor potentiæ diuinæ & eius fauor erga Israelitas.

In Thannach.) Thanach & Megiddo loca in tribu Manasseni sita esse, ex capite decimoseptimo Iosuæ patet.

Et tamen nihil tulere prædantes.) Spe frustrati per eum de quo uates: Dominus dissipat consilia gentium, reprobat cõsilia populorum. Opes Israelitarum quæsiuerunt improbi hostes: sed ipsi spe frustrati, opes suas cum uita amiserũt. itaq; prædæ facti sunt sanctæ genti, quam prædari uoluerunt. Hebræus indicat eos qui sub Sisaræ signis militarunt, nullum pecuniæ stipendium accepisse, ut occisos & miserè in prælio trucidatos. Hæc est cura quam Deus pro suis Israelitis fortiter dimicantibus gerit, ut hostibus pereuntibus, ipsi seruentur. Sic mundus & eius princeps Satan, filius perditus cum pseudoprophetis suis, & tyrãni orbis terrarum tandem pereunt, dum electorũ opibus quas diripiant atq; dissipent, insidiantur. ut sunt Euangelij, cognitionis Dei, donorum spiritus sacri opes. Sed quo præsidio tecti & qua ui defensi hostes suos uincunt? Sequitur:

De cœlo pugnatum est.) Non humana ui uictoriam sanctis cõstare, sed cœlesti ac diuina. A qua ui sancta mulier exornat hanc uictoriam, de hac ui Iosua suprà: Non in gladio & in arcu tuo, &c. Et uates Dauid: Hi in equis, illi in curribus: nos autem in nomine Domini, &c. Iosephus tradit Chananæis cum Israelitis prælium cõserentibus, magnum de cœlo imbrem grandine mistum in Sisaræ exercitum illapsum, quo conturbati & deiecti hostes, Baraci impetum sustinere nõ potuerint. Sic elementa mundi Israelitis aduersus hostes ipsorum deseruiunt.

Manentes in ordine & cursu suo.) Per prosopopœiam stellas pugnare dicit. Atque his sapiens mulier suas semitas nota metaphora quas terant in cœlo, ad certum eorum cursum ac conuersionem spectans, tribuit. Et indicat etiam per siderum uarium motum prospera sanctis, aduersa impijs, sub rectore eorum Deo ostendere, quorum numerum fulgor alteris letalis sit, alteris salutaris. Qua de re apud Mosem cap. 1. libri de Origine mundi uideris.

Torrens Cison.) ad quã pugnatum est, ut suprà legitur: Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison. In cœlo stellæ, & in terra torrens dimicauit contra hostes sanctorum Israelitarum. Hos nec arma, nec fuga seruare potuerunt, semel ad interitum destinatos. Adeò tota rerum natura armatur pro diuinis Israelitis aduersus impios, ad asserendum honorem opificis sui Dei. Legitur de equis, excussos equites in torrente perisse, ut in mari rubro Aegyptius equitatus periit. Aquæ igitur quæ delent improbos, probos tuentur, ut sequitur:

Conculca anima mea.) Acclamatio triumphalis. Fortiter conculcauit animus meus in torrente hostium corpora. Sic etiam Paraphrastes reddidit epiphonêma, תרשישה נפשי קטילי גבריחון בתקות. Hostes superbos et atroces pedibus Deboræ obtritos ac proculcatos. Spirituales hostes ut pedibus Deboræ ecclesiæ proterantur sub signis Baraci Iesu Christi electorum ducis, indicat illud: Deus autem pacis cõteret Sãtanam sub pedes uestros. Item: Donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum. Hoc arcanum hic adumbratum nõ animaduertunt, qui pro conculcandi uerbo reddunt peruadendi.

Vngulæ equorum.) quibus fidunt. unde uates: Ad minas tuas consopiti sunt currus & equi. Reuocata hypothesi ad thesim, occurrit locus communis de uana impiorum fiducia, hos cum præsidijs suis perire, ut sapientes mundi cum sapientia sua, tyranni cum potentia sua, falsi prophetæ cum malis dolis suis & hypocrisi, qua fulti, fallendi artes intendunt, pereunt. Cæterùm דהרות de equis usurpatur quatientibus ungulis terram. Geminatur uox ad celerem motum & incitationem exprimendam.

Maledicite terræ Meroz.) Huius loci non fit mentio in Iosuæ libro. Interpretum sententia uicina urbs fuit loco in quo hoc commissum est prælium. Dicas, Cur iubet hic angelus Dei desertoribus maledicendum esse? cum Messias angelorum imperator inimicos iubeat diligendos esse, & de ijs benemerendum qui nos odio prosequuntur. Si nostra res agitur, de iure nostro decedendũ erit, & imitandus is de quo propheta Iesaias: Et pro transgressoribus rogauit. Sin Dei gloria & honor, hostes tractandi fuerint, non tanquam nostri hostes, sed Dei: hoc est tractandi erunt, ut eos tractauit uates: Conturbẽtur turpiter, fœdiq; pereant perpetuò, ut intelligatur nomen tuũ Domine supremũ esse in orbe terrarum. Dicas, Angelus Domini iussit execrandos esse Merozenses, q Israelitis opẽ non tulissent. Iehoua sit hic mẽtio. sic enim legimus: Qui nõ uenerint in auxiliũ Iehoua, Vt Iehouam dehonestasse intel-

intelligantur, qui eius amicos negata ope non honestarint. Quæ piorum magna consolatio est.

Dixit angelus.) Alijs Baracus est, ut Paraphrasti, qui uertit אמר ברק נבריא. Alijs angelus Michael, Israelitarum custos.

Ad auxilium Domini.) Num eget Dominus cuiusquam auxilio? Non eget: sed si bi auxilium ferri dicit, cum suis fertur, propter fœderis societatem, qua ipse cum suis omnia communia habet, prospera & aduersa, robur & infirmitatem, mortem & uitam, decus & dedecus: qui in suis infirmus, in suis nudus est, in suis esurit & sitit. Sicut Messias Iehoua de se dicit: Esuriui, & dedistis mihi edere: sitiui, & dedistis mihi bibere. Et in suis persecutionem patitur, uelut ipse ad Saulum de se testatur: Saul Saul cur me persequeris?

Benedicta inter mulieres.) Notabilis contentio. Mero Zaba diris deuouetur, Iael benedicitur. Si Deus eos execratur qui sanctos tempore periculi non iuuant, quanto magis Domini diris obnoxij sunt, qui illos etiã ueneno, gladio, laqueis, igni & aquis infectantur? Vt facit bestia os draconis habens, & cornua agni: & ij qui de ciuibus ecclesiæ se uenditantes, non solum non auxilio sunt Israelitis in cœlo descriptis contra hostes suos dimicantibus, sed etiam hostiliter ac inimicè eos persequuntur.

Aquam petenti.) Sed quã ei negarit sancta mulier Iael: quæ cuius figuram præferat, satis liquet: et quas aquas neget uictrix Iael ecclesia impijs hostibus, & suis filijs Israelitis impertiat, indicat uox illa sponsi: Fons hortorum, puteus aquarum uiuentium. Item: Quicunque biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sunt & turbidæ aquæ, sed quas ad bibendum præbeat Aegyptus, non terra sacra. de quibus aquis Hieremias: Et nunc quid tibi uis in uia Aegypti, ut bibas aquam turbidam? Quæ quas aquas turbidas repræsentent, indicat regnum Antichristi.

Lac dedit.) Cinæi quia Arabes erant, ex pecoribus uictum quæritantes, lac & butyrum Iael hic præbuisse legitur, quorum cibo fesso Sisaræ pernicialis sopor induceretur. Itaq; ubi hic legitur, In phiala principum, sunt qui de רועים נדולים, hoc est de pastoribus opulentis & nobilibus interpretantur, freti illo אדירי צאן.

Sinistram manum.) Energia illustrat facinus Iaelis, ut geri id, non cani uideatur.

Inter pedes eius ruit.) Asyndeto figurat ac colorat celerem & miserabilem Sisaræ interitum ברע נפל שכב.

Per fenestram.) Amplificatur Sisaræ clades, dum matrem lamentantem inducit, apta ad eum luctum affecta prosopopœia. qua illuditur spes impiorum, & uana de mundanis opibus cura. Nam mater se consolans, putat propterea se filium moram facere, quòd in spolijs diuidendis quæ secum afferat, occupatus sit. sed fallitur, quẽ hic canat Debora capite perculsum ad pedes lapidis mortuum iacuisse.

Sic pereant omnes inimici tui.) Epilogus per acclamationem contentione figuratam. Sic pereunt omnes hostes tui, ut Sisara perijt: tui autem amantes seruentur. Hoc epiphonemate ut utatur uictrix ecclesia aduersus suos hostes, membra eius testantur. Nam horũ hostes Iehoua Messiæ hostes nominantur magna dimicantium cum mundo & eius potestatibus consolatione. Hinc illud: Qui uos tetigerit, pupillã oculi mei tetigerit. Hæc uerba fide capiuntur in usu crucis ab ea quæ canit: Nigra sum, sed formosa. Dilectus meus mihi & ego illi. Exemplum huius de Sisara uictoriæ etiam in reliqua scriptura celebratur. Sic enim uates Dauid canit: Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderũt te, extulerunt caput: fac illis sicut Madian & Sisaræ, sicut Iabin in torrente Cison.

Sicut sol in ortu suo splendet.) Similitudine apta sanctorum splendori acclamationem exornat. Amantes Dominum subinde crescere in claritate lucis diuinæ, ut solis exorientis lumen ad cæli fastigium perueniat. In hac comparatione notanda natura fuerit solaris luminis, usus & uis, utq; id typum gerat eius solis de quo apud uatem Malachiam: Orietur uobis sol iustitiæ, qui est Messias benedictus. Huius splendorem ut aliqua figura Baracus significaret, uidetur ei nomen inditum diuina ratione ברק. Quod quid significet apud Hebræos, non est obscurum. Qui enim fulgor diuinus hoc duce in uictoria de Sisara reportata effulsit, is eius ducis splendorem repræsentat ad uictoriã efficacem. de quo illud: Et oculi eius tanquam flammæ ignis: Quo flammãtis ignis fulgore impij perstricti miserè pereunt, pij seruantur. Hæc de gratulatorij huius carminis argumento, partibus, ornatu, & mysticis figuris. Quibus figuris ea uictoria adumbratur quam uictrix ecclesia de hostibus suis duce & imperatore Christo ad cõmendationem diuinæ bonitatis, iustitiæ & potentiæ reportat. Quod sanè carmen sacrosanctum tum plene canetur, cum euenerit id de quo uates admonet: Absorpta est mors tua in uictoriam. ubi tuus mors aculeus? Vbi tua inferne uictoria?

IN CAPVT VI.

FEcerunt autem filij Israel.) Ad nouam bonitatis & potentiæ diuinæ declarationem, noua rebellio, nouæ calamitates, & noua de rebellione pœnitentia cum precatione ad Deum in hac narratione describuntur. In qua nobis electorum strategemata, quæ in militia aduersus carnem & mundum, cum hostibus tum internis tum externis ineũtur, hic adumbrantur.

In manus Madian.) uetus odium in hac gente, ut ex Numeris patet, in Israelitas gerente. Quod tantum abfuit ut uinceret generis propinquitas, qui essent Abrahami ex Cethura progenies: ut ea etiã maleuolentiam auxerit. ueluti etiã in Moabitis, Ammonitis, Idumæis & Amalechitis, ex Esao Iacobi fratre genitis, sanguinis coniunctio odium auxit. ut uera sit sententia illa Tragici uatis:

ἀεινὰ πῆς ὀργὴ κἀὐσιάτους τίκει,
ὅταν φίλοι φίλοισι συμβάλωσ' ὅπλῳ.

Septem annis.) Alia igitur ratio est Israelitas plectẽdi, alia extraneos à fœdere diuino. Horũ afflictioni certũ tempus nõ destinatur, qui affligãtur perdendi funditùs. secus Israelitæ habẽt, qui affliguntur non ut pereãt, sed sub pondere afflictionis æterna salutis mometa moliantur. ueluti est apud Apostolum: Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ, mirè supramodum æternum pondus gloriæ parit nobis.

Oppressi sunt ualde ab eis.) lege talionis grauis rebellioni grauem mulctam irrogante. Grauitatem criminis ingratitudo auxit, per quam qui in rebus prosperis Dei bonitatẽ non prædicarunt, ut eum fide colerent, eius seuerum iudicium in rebus aduersis sentirent. Hebræus habet, inualuisse manum Madianitarum: in manu notata potestate plena tyrannide, ui & iniuria. Madianitæ ex Cethura Abrahami seruanati, & persequentes Israelitas ex Sara domina & libera prognatos, quos adumbrent, ex epistola Pauli quam ad Galatas scripsit, intelligere licet: Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secũdum spiritum, ita & nunc.

Fecerunt́ꝙ sibi antra.) Terrena præsidia in obscuris antris quærunt, qui cœlestium præsidiorum luce erant destituti: qua hi muniuntur, qui cum Propheta prælucente fidei face canũt: Diligã te Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentũ meum, & refugium meum. Cæterùm Hebræis spelunce uocantur מערות, à lumine in superiore antri modicè immisso. Notum enim est uerbũ נהר: aut per antiphrasim, quasi minimè lucida sint, sic uocantur.

Cuḿꝙ seuissent Israel.) ut antea prædixerat Moses: Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur. Distributione amplificatur clades, semẽtem, prouentum terræ, greges balantum, & armenta, prædæ Arabum patuisse, ad rerum omnium summam angustiam redactis Israelitis.

Et Amalech.) ab Austro.

Cæteríq; Orientalium nationum.) Ammonitæ & Moabitæ.

Cum tabernaculis suis.) Qui pro more Arabum Nomades essent.

Instar locustarum.) ἐπαρβολικῶς. Apta similitudine cladem amplificat. Locustæ enim quantam perniciosa multitudine ingruentes cladem afferant, res ipsa docet, & ipsi rerum scriptores testantur. de quo aliàs.

Et camelorum.) Horum duo genera traduntur, Bactriani & Arabici: de his hic fit mentio, quib. uelocitatem inter equos esse, & equitari etiam in præliis, literis proditum est.

Humiliatus est Israel.) Verbo דלל indicatur, Israelitas attenuatos ualde & ad summã inopiam redactos, quorũ opes hostes attriuissent. Quæ rerũ angustia ansam Deum inuocandi præbuit, qua caruerant cum opibus florerent, ut sequitur:

Et clamauit ad Dominum.) desperans de auxilio deorum Amorræorum, ut eius Dei quem maiores ipsorum coluissent, bonitas & potentia effulgeret. In inuocatione igitur Domini hæc expenduntur: noticia miseræ nostræ à peccato conditionis: potentiæ & clementiæ Dei cõsideratio, qui uelit & possit iuuare afflictos: demũ exitus inuocationis, qui inuocantium liberatio est, cum gratiarũ actione, & gloriæ Dei amplificatione. Israelitarũ igitur, hoc est scriptorum in libro uitæ, non ex eo expunctorum fuerit, uerè inuocare Deum, ut qui soli miseriam suã agnoscentes, ad Dei clementiam in filio declarandam confugiant, reliquis omnibus quà cœlũ, quà terra patet, præsidijs relictis. Exemplo Israelitæ sunt typus electorum. Itaq; cum firma sit sentẽtia illa, Propè est Deus inuocantibus ipsum: sequitur,

Qui misit ad eos uirum prophetam.) uirum ex noticia rerum præteritarum, præsentiũ & futurarum, & ex scientia legis diuinæ rectam uiam docendi peritum. Quæ omnia ambitu uocis נביא cõtinentur. Vnde quanta & dignitas & utilitas sit administrationis oraculorum Dei, intelligitur. Tales enim uiros si tollas ex sanctorum rep. perinde est, atq; si sole spolies mundum. In horum enim animo nõ terrenæ atq; humanæ, sed cœlestis & diuinæ sapientiæ lumen emicat, & in horum labris θεοῦ, hoc est Sua da illa quam sacer, non mundi huius spiritus moderatur, sessitat, eos in nouas mentes, uitam, mores trãsformans, quos dicẽdo tractat. Exemplo est is, de quo hic sermo fit, uates, & Israelitæ. Sunt inter ueteres interpretes Hebræorum qui hũc prophetam Phinees

fuisse uolunt. Sunt etiam qui putant, hunc prophetam fuisse angelum, de quo sequitur mentio. Opinio eorũ qui uatem hunc uolũt hominem fuisse, non genium alicuius cœlestem, receptior est: ut seperatim uiri prophetæ & genij fiat mentio.

Hæc dicit Dominus Deus Israel.) Exordiũ grauioris huius reprehensionis, locum attentionis a persona Dei ductum continet.

Ego.) non dij Amorræorũ. Exprobratio ingratitudinis.

Dominus Deus uester.) quem fide & amore colatis, non deos alienos, à quibus nullum unquam beneficium accepistis ut à me in Aegypto, in solitudine, in hac ipsa Chananæa terra accepistis, opem & benefacta mea experti, deorum alienorũ auxiliũ nullum nunquam experti, qui nec iuuare quenquã uolũt, neq; iuuare, si maximè uelint, possunt. Exprobratur igitur horũ cultus, qui cum hac lege pugnet: Deos alienos ne colito. Breuis expostulatio ac castigatio rebellionis est, sed magnum pondus ac momentum in miserè affũctis habẽs. Hac enim audita, suam horribilem defectionẽ, per quam in tam miserabilẽ Madianitarũ tyrãnidem incidissent, animaduertere potuerũt, aditu inde per susceptã scelerum pœnitentiã ad reconciliandum Deũ munito. Hunc autẽ placatum declarat cœlestis genius, qui, ut sequitur, missus de cœlo legitur, qui Gedeonem diuino spiritu armatum ad liberãdos Israelitas impelleret. Subijcitur enim in textu,

Venit autem angelus Domini.) admini ster salutis electorum, & interitus eorum qui illorum hostes sunt. Spiritus. Nam ut in terra serpens Satan & huius ministri mali dæmones cum sæuis orbis terrarum tyrannis sanctis Israelitis cladem & exitiũ machinãtur, ita in cœlo Deus cũ genijs suis & Christo filio qui est heri & hodie, sanctos suos in terra inter immanes belluas ac feras uersantes, ut cœli, non terræ ciues designatos, prouidentia sua tuetur atque conseruat. Hæc est electorum in cœlo obseruata dignitas; quam agnoscunt qui Dei, non mũdi huius spiritu aguntur.

Et sedit sub quercu.) ferè de angelis legitur, quòd stantes sanctis appareant, ut supra in Iosua proditũ est de angelo ויהי איש עומד לנגדו: Ecce uir stabat corã eo. Itẽ, ומלאך יהוה עומד. Sunt enim genij cœlestes sanctorũ quibus inseruiãt, non dominentur, administri spiritus. Itaq; hos non sedere, sed ministrorum more assistere conuenit. Quæ dignitas est & amplitudo Christi & membrorum eius, sanctorum in terra hominum. Quapropter quoniam וישב, id est, sedere noto tropo morari est ac manere: quòd qui considunt, moram facere dicuntur: uertunt hic interpretes וישב, pro ויתעכב, id est moram fecit, ac mansit sub quercu. Sicut etiam in nonnullis alijs locis pro morari sumitur. ut in illo: אנכי אשב עד שובך. Cæterùm legimus hic missum Prophetam ad Israelitas, & angelum ad Gideonem, nihil minus expectantẽ quàm fore ut à Madianitarum ui liberarentur Israelitæ. Quæ res indicat, Deum fauore suo nostra omnia cõsilia, conatum, & studia præuenire, salutemq; non esse, neq; antegredientis nostræ uoluntatis neq; currentium, sed miserentis Dei: ne quis de ullare quæ in natura cernitur, glorietur.

Quæ erat in Ephra.) Est & alia in tribu Beniamin: nis eiusdẽ nominis urbs, ut uidere licet in Iosua cap. 18. ideo additur hic: Et pertinebat ad Ioas patrem Ezri.

Vt fugeret Madian.) Eo maximè tempore quo omnia desperata uidentur, consolatorem angelum adesse hic accipimus: deinde, sanctorum fortitudinẽ in infirmitate perfici. Etenim legimus in hac narratione, in media omnis humani præsidij destitutione, Gedeonẽ à cœlesti Dei genio fortissimum militem appellatum, qui non humanam, sed diuinam nactus fortitudinem, fortem liberatorẽ esset exhibiturus. Hæc autem fortitudo proculdubiò in Gedeone extitit ex lucta, qua is exẽplo Israelis patriarchæ cum Deo pugnans, armis Dei quæ fidei arma sunt, Deũ uicit. De quo genere uictoriæ diuinæ, uideris in libro de Origine mũdi, in eo loco ubi Iacobi cum angelo Dei prælium explicatur.

Dominus tecum.) Plena consolationis uox, sed quam nõ prius senserit Gedeõ, quam fidei pugnã absoluisset. de qua sequitur.

Obsecro mi Domine.) Sic angelum alloquitur, quem nondum Domini angelum agnosceret, sed diuinũ aliquem hominem putaret. Infrà enim: Vidensque Gedeon quòd esset angelus Domini. Alloquitur autem angelum uoce communi Deo, genijs, & hominibus, quæ ארני est.

Si Dominus nobiscum.) Explicatur lucta fidei, parata ad cõfirmandum per tentationem in ipsa infirmitate Gedeonem. In qua pugna hæc proponuntur ad considerandum: promissio Dei, Dominus est tecum: tentatio per res aduersas, specie irati, non beneuolentis Dei præferentes. diuini spiritus fortitudo, tentationis fructus cum uictoria fidei tẽtationem uincentis. Quod Gedeonis strategema figurat nobis omnem sanctorum in tentationibus grauioribus luctam, ad uictoriam sub dimicante fide tendentem.

Si Dominus nobiscum.) ut promisit.

Cur ergo apprehenderunt.) Expostulatio est ex præsentibus malis admonentis Deum uetueris beneuolentiæ suæ, non eius promissa tanquam mendacia redarguentis. sic uates Dauid his uerbis cum Deo contendit: Vbi est bonitas tua illa antiqua?

Sicut

Sicut iurasti Dauid in ueritate tua. Huiusmodi uerba, magno ardore Deum clementiæ suæ admonentium uerba sunt, in quibus fidem quam præstet flagitant, occultatam ad tempus non damnant. Talis etiam expostulatio, sed quam non exitialis diffidentia, sed lucidans fides expresserat, in contentione illa cernitur: Quare faciem tuam auertis, obliuiscéris inopiæ & afflictionis nostræ? Quare me dereliquisti? In qua tentatione, sed citra culpam, sanctorum etiã caput Christus Dominus noster uersatus est, cum adactus in crucem sic clamaret: Deus Deus meus cur dereliquisti me? Quibus uerbis indicatur crucis natura, quæ cũ nos uariis calamitatibus premit, non Dei præsentis bonitas declarari erga nos, sed absentis ira existimatur intentari: quod cum fit, fidei cum promissione diuina, qualis hic describitur, lucta excitatur. quæ tantisper durat, dum calamitatum præsentium sensum bonitatis diuinæ sensus per fidei uictricẽ uim uincat. respiciente nos Deo, ut respexit Gedeonem. Sicut sequitur:

Respexitq; ad eum.) Hic Dominus loqui legitur: suprà angelus, per quem Dominus nimirum ut legationis suæ instrumentum loqueretur. Angeli enim organa sunt maiestatis diuinæ, per quos nobis sua oracula & uoluntatem de salute tribuenda exponit. Sic etiam Messias de legatis Apostolis testatur, per eos, cum loquuntur. spiritum patris sui cœlestis loqui. Cæterùm in uerbo respiciendi ויבן indicatur, iam Deum, ut placatus est, uultũ suum clementer Gedeoni ostendisse, quem antea iratus ob rebellionem populi auerterat, permissis Israelitis Madianitarum libidini. Huc spectat ἀνθρωποπαθὲς de uultu Dei, quem aduertat placatus, & abscondat iratus. ueluti legimus apud Iesaiam: Abscondisti uultum tuum à nobis.

Vade in hac fortitudine tua.) Vocatur Gedeon ad munus liberatoris perfungendum, sed armatus fortitudinis spiritu. Quam Gedeonis, cum sua esset, fortitudinem uocat, propter coniunctionẽ, qua sunt omnia sanctis ut sponsæ, cum Messia Iehoua ut sponso & marito, communia.

Et liberabis.) Opponitur illi: Dereliquit nos Dominus. Confirmatur hortatio promisso diuino.

De manu Madian.) Opponitur illi: Et tradidit nos in manum Madian.

Scito quòd miserim te.) Interrogatio in אהלא expressa, intendendi gratia usurpatur. in qua ostenditur primò, mittenti ac destinãti ad aliquid efficiendum Deo, parendum esse, ut ei parent cœlestes genij, cœlum, terra, stirpes, animantia: deinde non respiciendam eorum uim & potentiam qui nobis aduersi iudicantur. Dei enim, qui mittit, potentiæ & imperio omnia subiecta esse: & eos quà mittuntur sic armari, ut robori eorum nulla uis resistat. sicut legimus hic: Vade cum ista fortitudine tua. Similiter Messias de suis legatis: Nam ipse dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neq; resistere omnes qui aduersabuntur uobis.

In quo liberabo Israel.) Responsio non diffidentis promissis diuinis, sed sua consilia, suas uires iudicio Dei submittentis. Quod responsum ad amplificandam gloriam Dei, & ad euehendum Gedeonem aptum fuit. stat enim illud: Deus superbos deiecit, & humiles euehit. Quare sequitur:

Ego ero tecum.) qui summissos amanter amplector, & superbos suisq; uiribus fidentes auersor. Promissio hæc, Ego ero tecum, indicat quibus Deus faueat: ijs nimirum, de quibus apud uatem Iesaiam sic loquitur: Eum respiciam qui pauper est, & contritus spiritu. Duæ igitur res aduersæ sunt misericordiæ diuinæ, superbia & desperatio. Per superbiam ij qui Babyloniam turrim quæ cœlum attingeret, extruere moliti sunt, miserè os suum in cœlum attollentes, dissipati sunt: Aegyptius Pharao, qui ausus fuit dicere arroganter, Quis est Dominus Deus uester? ueniæ expers mari rubro absorptus est. Nabuchodonosor cum superbè dixisset, Ascendam in cœlum, in inferna deiectus est. Neque aliud accidet spirituali Nabuchodonosori Antichristo, efferenti se supra omne id quod est numen Dei. Hi omnes huius clementis consolationis, Ero tecum, minimè consortes sunt. Vt autem desperatio omnem misericordiam Dei excludat, declarat uox illa Cain: Maior est improbitas mea, quàm ut ueniam merear. Itaque uox hæc, Ego ero tecum: primò indicat, quos dignetur Deus iuuare in rebus aduersis: deinde, pios non sua ui, sed diuina, omnia uincere, indicat. Præterea huiusmodi uocem esse intelligimus, qua Deus omnium suorum in obeundo commisso munere pectora corroboret. sic Moses eam percepit: Ego ero tecum. sic Iosua: Sicut fui cum Mose, ita ero tecum. Eadem uoce Hieremias animatur: Ego tecum sum, ut eruas. Et in administratione noui fœderis Messias ad suos: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Postremò admonemur eadem uoce consortij diuinæ naturæ, hoc est diuinæ sapientiæ, uitæ & fortitudinis. de quo Petrus: Vos estis consortes diuinæ naturæ. Quam nimirũ sancti, nulla creata natura interiecta, proximè per regenerationis uim attingunt.

Quòd tu sis qui loqueris ad me.) missus ad me à Deo. Quòd si uates Dei es, adhibe signũ quæso mihi, ex quo intelligã nomine Dei te ad me uenisse. Huc pertinent quæ sequuntur:

Ne recedas hinc.) Vt cum homine, qui nondum angelũ agnosceret, loquitur. Voluit aũt eum re-

tinere ad signum ab eo impetrandum, eius edendi occasionem expediente diuina prouidẽtia, ad sacra mysteria rerum futurarum adumbranda.

Ego præstolabor.) אשב morari ac præstolari esse, præsens locus indicat. pro אשב igitur Paraphrastes, אחריך.

Et coxit hœdum.) Præparatur materia signi ostendendi ad confirmandum munus per angelũ oblatum. Hœdus, azymi panes, & carnes igne expetra prodeunte cremandæ, afferũtur. Vbi pro ratione signorum ueteris fœderis, duo fuerint cognoscẽda: unum, mystica significatio est: alterum, res præsignificata. mystica significatio in externo sacrificio, res uerò præsignificata in Christo uero illo & cœlesti sacrificio cernitur. Mysticum signũ mysticæ liberationi cõueniebat, ad diuinam beneuolentiã ostẽdendam. res uerò ipsa repræsentata, spirituali redẽptioni è manibus spiritualium Madianitarũ congruit. De qua redemptione, sed tectè, Iesaias uates mentionem facit: Iugum enim oneris eius, & uirgam humeri eius, & sceptrum exactoris superasti, sicut in die Madian. Quẽ igitur usum Gideoni mysticũ signũ ad confirmandũ uindicationis in libertatem Israelitarũ munus præstitit, eundem in ordine spiritualium Messias cœleste signum in corroborando munere redẽptionis de tyrannide peccati, mortis & potestatum tenebrarum exhibet. De quo signo idem Iesaias: Propter hoc dabit uobis Dominus ipse signũ: Ecce uirgo cõcipiet & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel. Et de eodem signo signũ ipsum uerè cõfirmatoriũ apud Matthæum: Non dabitur illi nisi signum Ionæ prophetæ. Quod est Messias, qui ex mortuis tertio die excitatus, pro signo quod per se & natura omnibus seculis & temporibus electorũ animos confirmet, propositus est: cuius spiritu arrabone salutẽ & uocationẽ nostram in Deo cõfirmemus. Ad hoc signum omnes promissiones diuinæ referuntur, & per ipsum solum sunt Etiã atq; Amẽ. ut his uerbis monet Apostolus: Quot quot enim sunt promissiones Dei per ipsum, sunt Etiã atq; Amẽ Deo per nos. Ad hoc signũ salutare Messiæ benedictũ néue personis, néue loco, néue tempori, néue ullis elemẽtis mundi affixũ, sed qui liberè apud patrem regnet in cœlo & in terra, indesinẽtes spiritus sacri gemitus, afflictiones quib. in mundo iactamur, ipsæq; sacræ literæ nos reuocãt, à quo in omnibus grauissimis tẽtationibus consolationẽ fideiq; nostræ confirmationẽ & eius incrementa quæramus. Atq; hoc ipsum est, Deum patrẽ spiritu & ueritate in Christo adorare, secus quàm in ueteris fœderis administratione adoratus uulgò est. Nam in hac elementorum mundi in colẽdo Deo ratio habita fuit, ut id Dominus ipse in eo sermone quẽ cũ Samaritana muliere habuit, & Apostolus in epistola quam ad Galatas scripsit, docent. In noui aũt fœderis administratione Apostolus cultum Dei liberum ab elementis mundi indicãs, sic ait: Itaq; si resurrexistis unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedẽs. Item: Si quis peccauerit, aduocatum habemus Iesum Christũ. sed ubi regnantẽ, & suos consolantẽ? non in hoc aut illo loco, nõ in his aut illis elemẽtis inclusum: sed qui liberè regij sacerdotij et sacerdotalis regni spiritu suos ad ueræ, hoc est diuinæ iusticiæ et uitæ participatũ atq; consortiũ regat & moderetur. Qui sacerdotalis & regius spiritus ut est à mũdi elemẽtis liber, ita ab his qui illo agũtur liberi sunt. Aliter Mosææ legis spiritus cõparatus fuit. Is porrò legis Mosaicæ pædagogiæ subditus, tẽpus & locũ certas q; ex elemẽtis mundi descriptas ceremonias in colendo Deo obseruauit, à quibus eorũ qui nouo fœdere cõtinentur, Dei cultus liber est: ut etiam ipsum cœleste regnum, quod noui fœderis regnũ est, huiusmodi obseruatione carere dicit Dominus, huius regni & fœderis administrator. In eo siquidem adoptionis spiritus uiget, quo Dei filij afflati, liberè ad nullam externam rem affixi clamant Abba pater. Qui nimirum diuinæ beneuolẽtiæ & gratiæ thronũ ita per agni sanguinẽ patefactũ esse sentiunt, ut semper & ubiq; patrem in filio spiritu & ueritate inuocantibus expositũ atq; obuium sibi esse persuasum habeãt. Et enim minimè cogitãdum est, hùc thronũ & cœlum in quo Christus regnat, à nobis remotũ esse, & extra nos gratiæ, uitæ & diuinæ potentiæ dextram, in cuius uola amãter foueantur scripti in libro uitæ, collocari. Nã Dominus noster Christus, qui super omnes materiatos & aspectabiles cœlos elatus est, cum illo ipso cœlo in quo ipse uersatur rex & Dominus omniũ, suis intimè præsens est. In eo enim cœlo neq; loco circumscribẽdo, neq; tẽpore metiendo, eos qui Christi spiritu aguntur, suã consuetudinẽ habere sacræ literæ testãtur: & pij homines eius luce se illuminari, spiritu afflari, diuinis aquis adregenerationẽ efficacibus cõplusentiunt. Idem de subimi solio quod in hoc cœlo splendore & claritate iusticiæ, uitæ, pacis & gloriæ illustri positũ est, & in quo Christus iudex & Dominus omnium sedet, iudicare licet. Quæ sublimitas nõ ex loco, sed ex dignitate & amplitudine imperij quæ in solio notatur, æstimanda atq; põderanda fuerit. Vbi humano more & uerbis qb. homines utuntur, diuinus spiritus loquitur, ut res cœlestes ad captũ intelligẽtiæ nostræ sese attemperãs, nobis patefaciat. Atq; ad hoc gratiæ & clemẽtiæ diuinæ soliũ, per fidẽ nostris animis præsens postsacras literas, mysteria etiam noui fœderis quæ sacramenta uocantur, nos dirigunt: unde in omnibus afflictionibus consolationẽ, easq; res quæ ad salutẽ nostrã pertinẽt, petamus. Nã si baptismũ consideremus, per hunc ad Christum ad dextrã patris sedentẽ, à quo & per

per quem ueteris hominis mortificatio & noui hominis procreatio perficiatur, reuocamur. Siquidē in mortem & resurrectionē Christi baptizati homines, intelligunt, exuto uetere homine, sibi nouū & cœlestē induendum esse, ut per nouā uitam cœlestis hominis Iesu Christi imaginē per uerā probitatem exprimāt, ut antea ueteris & terreni per improbitatē expresserunt. Neq; studium hoc exprimendi Christum prius desinit, quàm in extremo illo instaurationis omnium die, eorum qui per baptismū Christo insiti sunt, corpora quoq; uitæ non terrenæ, sed cœlesti, nō animali, sed spirituali, per resurrectionē è mortuis restituātur. Cuius resurrectionis sancti homines per sacramentū hoc regenerationis magna sui cōsolatione admonentur. Hoc qui in baptismo perpendunt, præsentis ad nouā uitam genituræ in interiore homine, & futuræ corporis sui excitationis ad æternā uitam, quam Christus Dominus noster in throno gratiæ & uitæ regnans spiritu perficiat, sacramentū habere se sciūt. Quò nos baptismus pro instituta baptizādi ratione refert, quæ sic habet: Baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. In nomine patris quidē, q pro sua misericordia & bonitate uelit insitis per baptismum Christo inchoatā regenerationē ad nouam uitam, uetere cum uitijs suis abolescēte, absoluere. In filij uerò nomine, per quē pater statuat nos ad nouam & cœlestē uitā instaurare. In spiritus sancti demum nomine, ut quam pater decreuit ab æterno in filio, & per filiū, eiusq; merito & patrocinio salutem per regenerationē tribuere, is ipse spiritus iustificator & sanctificator perficiat, q sit utriusq; efficax uis, quaq; uterq; in nobis optimū ueræ probitatis, uitæ & gloriæ statū reparet. Hactenus breuiter de baptismo. Si sacram Domini cœnā spectemus, ut hoc sacramentū credentiū animos ad Christi Iesu contemplationem subducat, q in cœlo uersans, traditi corporis sui in mortem & fusi sanguinis pro peccatis mundi beneficio nos præsens tueatur, & in omnibus reb. aduersis consoletur, ipsius ipse mysticæ cœnæ à Christo Domino nostro mādatus, & ab apostolo Paulo his uerbis explicatus, declarat: Quotiescūq; comederitis panē hūc, & ex poculo hoc biberitis, mortē Domini annuncietis, donec uenerit. Vbi monet Apostolus, fretus his Christi uerbis, Hoc facite in mei cōmemorationē: sacramentū hoc institutū esse, ut in sanctorum cœtu sacrum panem frangentes, & poculū diuidentes, beneficiorum, ea publicè cum gratiarū actione celebrādo, memores simus, quib. Christus mortuus, & per resurrectionē è mortuus ad uitā in soliū paterni regni euectus, nos affecit, & indies afficit in se credentes. Vbi eum sedentē tanquā regem qui nos ab aduersarijs protestatib. defendat, & patrocinantē tanquā sacerdotē, qui pro nobis precando intercedat, in sacra cœna tā-

tissper deprædicamus, dum in extremo die ueniēs nos in regnū glorioſum trāsferat, atq; nobiscum cœlestē illam cœnā celebret, de qua Ioānes loquitur: Beati qui ad cœnā nuptiarū uocati sunt. Cuius cœnæ primitijs in his fluxis seculis uersantes fruimur, & eas p mysticæ cœnæ usum publico testimonio cōprobamus. Itaq; ut baptismus regenerationis nostri ad nouā uitā sacramentum, in cœlum ad Christū, qui resurrectionis suæ uim nouum in nobis formet hominē sacro suo spiritu, è terra animos nostros euocat atq; attollit: ita sacer Domini panis & calix ad eundē Dominū nostrum Christum nos dirigit, eumq; præsentē ostendit, q carnis et sanguinis sui cœlesti alimento mensæ suæ in cœlo paratæ nos conuiuas suos præsens nutriat, corroboret, & ad iusta incremēta noui hominis adducat. De qua mensa & eius instructis dapib. ipse sic loquitur apud Euangelistas: Ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. item: Dico aūt uobis, Nō bibam posthac ex hoc fructu uitis, usq; in diē illum quo bibā uobiscum nouū in regno patris mei. Quod regnū ut intra nos est, ita mensam, eiusq; paratas dapes nobis præsentes Domini panis & calix ostendit. Atqui hic percūctetur fortasse aliquis, si in tribuendis diuini spiritus muneribus Deus ad rerū externarū obseruationē nō alligatur, sed potius ab his ad cœlestia nos, unde omnia quæ ad salutē comparandā pertinent, petamus, reuocat, quid ergo faciemus Apostolo, ubi fidē ex Euāgelij auditione existere atq; excitari dicit? Quod si ita est, in donando spiritu prædicationi Euāgelij, & eius auscultationi, Deus alligabitur. Fatentur quidem oēs pij, Euangelij administrationē non solum utilē & salutarem, uerùm etiā cōmuni lege necessariā procurationem esse. Nā hac in terrarū orbe uigēte, uera Dei cognitio in filio Christo, iusticia & pax animorū uigēt atq; florēt: ea uerò nō uigente, absenteq;, omnia pernicioſis errorib. & cōtrarijs malis replētur. Vt superiora secula & hæc nostra, ubi Antichristus regnat, documento sunt. Sed quid inde efficietur? Deū ne propterea liberè spiritū suum nō fundere? Absit, ut id inde efficiatur. Etenim primò nemo negabit, inter eos quib. euangeliū filio perdito sedente in templo Dei hactenus prædicatū nō est, neq; etiamnum prædicatur, esse quos Deus per electionis gratiā, quæ mundū hūc & omnia in electis antecedit, charos habeat: quibus suo tēpore uel per publicā annunciationē Euangelij, uel occulto afflatu sui spiritus Christū Iesum filium suū patefaciat, sine cuius cognitione nulla cōstat uera iusticiæ & uitæ æternæ salus. Exempla satis luculenta occurrūt eorū, qui et ante repræsentatū in mundū Christū, & q post illius aduentū Domino grati fuerunt, libero sacri spiritus halitu afflati. Quantū aūt attinet ad cōmunem legē & ordinē, quo Deus pater

publica Euangelij administratione ad fidei spiritum in suis excitandũ utitur, per hanc æquè liberè, nõ alligatè, salutẽ suis tribuit. Liquidũ enim est, nõ quia Euãgelij sermonẽ audimus, à ministris eius, aurib. nostris insinuatũ, ideo ei protinus fidẽ à nobis haberi. Siquidẽ multi audiũt, ei nõ credentes: multi etiã cũ audiũt, tantum abest ut ei assentiãt, ut etiã idipsum damnent, & odio prosequantur, atq; inimicè insectẽtur eos q hanc sacrã doctrinã amant atq; colunt. Itaq; Euãgelio fidẽ habemus, quia à patre trahimur: hoc est, amanter & suauiter ab eo ducimur. De qua suaui trahendi ui Dominus noster sic loquitur: Nemo ueniet ad me, hoc est, Euangelium meũ fide amplexabitur, nisi pater traxerit eum. Quẽ amabilẽ motũ ac instinctũ impij minimè sentiẽtes, Euãgelio nõ parent, de quib. idem Dominus his uerbis mentionẽ facit: Propterea uos nõ auditis, qa ex Deo nõ estis. Quamobrẽ quod dicit Apostolus, fidẽ esse ex auditu ac auscultatione Euãgelij, si exterior auditus spectatur. Ex sanè præpositio causam declarat, qualẽ in instrumentis & ijs causis quæ ministerij uicẽ præstãt, et Sine qua nõ uocãtur, cernere licet. Cõmuni enim lege Deus in ijs quos ab æterno in libro uitæ scripsit, fidei spiritũ non excitat, nisi præcedẽte Euãgelij prædicatiõe, eiusq; auscultatiõe. Sed ita tamẽ excitat, ut liberè excitet, spirãte eius spiritu cũ uelit, & ubi uelit, & apud quos uelit, ad docẽtis uocẽ & audientis auditionẽ nõ alligatus. Nemine nimirũ credẽte Euãgelio, quia id audiat: sed quia Christi, ut ei pareat, spiritu moueatur. Huc spectãs Apostolus, sic ait: Itaq; neq; q plantat est aliquid, neq; q rigat, sed q dat incrementũ Deus. Ad quẽ etiã nos Euãgelij doctrina uelut manu ducit, à quo in Christo & per Christũ omnia quæ nobis ad salutẽ cõparandam cõmoda & necessaria esse intelligimus, petamus, & petẽdo impetremus. Non aliò spectauit apostolus Paulus, ubi sacrã scripturã diuinitùs inspiratã, nobisq; ad nostri cõsolationẽ & salutẽ cõmendatã esse ait. quib. uerbis ostẽdere uoluit, quẽ usum sacræ literæ habeãt, has docẽdi admonẽdiq; munere fungi, quo admoneãt atq; monstrẽt, ubi, & apud quẽ, & per quẽ, & ex quo diuinũ spiritũ consolatorẽ salutẽq; afferentẽ hauriamus, dum legentiũ animos ad Christũ referũt in throno patris sui sedentẽ, à quo per fidem & spẽ salutem & consolationẽ in omnib. afflictionib. consequamur. Sic enim ait: Quæ te possunt eruditũ reddere ad salutem per fidẽ, quæ est in Iesu Christo. Per Iesu Christi nimirũ fidẽ, de qua Ioannes loquitur: Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. itẽ Apostolus: Superna quærite, ubi Christus est, ad dextrã Dei sedẽs. Quæ dextra, ad quã Christus rex pari sapiẽtia et potẽtia cũ patre regnat, potẽs illa dextra est, quæ hanc omnẽ rerũ uniuersitatẽ ambit, cõplectitur atq; cõtinet: per quã sancti ea cõprehẽ si, salutẽ suã arbitro & patrono Christo cõficere certò se sciũt: sed quam is liberè, nõ deuinctè largiatur. Nã multi legunt sacras literas, eas nõ intelligẽtes, quibus earũ liber obsignatus est: q. Dauidis claue, aperiẽte cœlestis regni arcana, careãt. Multi etiã legũt suo exitio, q. sine fide legũt: qua prælucẽte, sacræ literæ à se in petẽda cõsolatione ad Christũ reuocãt, in quo pater spiritu & ueritate inuocatus atq; adoratus opem afflictis nobis ferat. Nã is finis & scopus est, in quem lex & prophetæ, & ipsum Euangeliũ tũ uoce pronũciatũ, tũ literis cõsignatum, ipsaq; sacramẽta respiciũt atq; collimãt, ut Deus pater in filio et per filiũ spiritu & ueritate colatur, et sic ab eo culto omnia ad salutẽ necessaria nãciscamur, intercessore regalis sacerdotij spiritu, ab omni rerũ externarũ obseruatione, ut sunt locus, tempora, personæ, & si quæ sunt huiusmodi, libero. Qui spiritus cũ in cordib. nostris loquitur, & uox eius aures interioris hominis percellit, salutẽ & uitã naturalẽ ui sua affert, quã tum scriptũ tum uoce pronunciatũ Dei uerbũ ut ministra causa exhibet. qui præstãs & salutaris diuinæ cœlestisq; doctrinæ usus est, quẽ nulla alia in hac rerũ natura doctrina, ab illis cuiuscũq; sectæ philosophis edita cõtinet: ut quæ nõ humana ratiõe, sed diuino spiritu autore electis tradita sit: quæ ueræ iusticiæ & uitæ, atq; in omnibus afflictionib. certæ & indubitatæ cõsolationis quærendæ uiã cõmonstret, atq; eã credentib. in filiũ, per fidẽ esse caci ui ostendat. Neq; præterea, quia Dominus dicit, (Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit) quisquam cõfirmabit, salutẽ non liberè dispensari à Christo, sed in ea administrãda illum ad baptismũ alligari. Nã quòd promittitur salus ijs q baptizãtur, nõ nudũ elementũ aqua cõsideratur, sed Euangeliũ & institutionis uerbũ, atq; ipsa fides baptizatis spiritũ regenerantẽ impertiẽs ac cõmunicãs ab ipso capite Christo, q cœptã regenerationẽ liberè per totius uitæ nostræ cursum absoluat. De quo spiritu per fidẽ accipiẽdo Apostolus in epistola ad Galatas in hunc modum loquitur: Vt promissionẽ spiritus acciperemus per fidẽ, spiritus uidelicet regenerantis nos in nouos homines promissionẽ. Propter hũc regenerãtẽ spiritũ Christi, quẽ fides impertit, et eo per baptismũ Christo cõsecrati sese agi & moueri sentiunt, baptismus salutem afferre dicitur. In hunc enim modũ cum fide baptismũ conungit Christus: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit. hoc est, eum saluũ fore, q fidem Christo habens, per baptismũ se illi cõsecrarit, ad ambulandũ in nouitate uitæ, uetere homine exuto. Quod unicũ & præcipuũ in nouo fœdere uotum est, de quo Apostolus in epistola ad Romanos his uerbis meminit: An ignoratis, q quicunq; baptizati sumus in Christũ Iesum, in mortẽ eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus unà cum illo per baptismũ in mortẽ: ut quemadmodũ excitatus

citatus est Christus ex mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Vnde accidit, ut in Actis Apostolorũ cum baptismo peccatorũ remissio cõiungatur, quod hæc cũ pœnitentia, hoc est exuitione ueteris hominis, & inditione noui, cuius baptismus sacramentũ est, copulata sit: sed quam Christus per fidẽ suis tribuat. Quæ fides natura baptismũ præcedit. Nã hunc Dominus credentib. Euãgelio salutarem fieri dicit, nõ item nõ credentibus. Fides enim est uinculũ illud longè arctißimũ, quo Christus cũ muneribus sacri spiritus electis suis adiungitur atq; alligatur. Ex his patet, & Euãgelij administrationi, & fidei, atq; ipsi baptismo salutẽ tribui: sed nõ pari ratiõe. Nã Euangelio tribuitur, ut ministræ causæ fidei: quæ ui sua, ut quæ efficax uis sit diuini spiritus in Christo, saluos reddat: hoc est, animos purget, uitijs abstersis, de qua ui Petrus in Actis sic loquitur: Cum fide purificauerit corda illorũ. Baptismo uerò, q sacramentali ratione salutẽ afferat, dum baptizati sentiũt se habere regenerantẽ spiritũ, per fidem cõmunicatum, q in ipsis regenerationẽ moliatur, quam per suos auctus & incremẽta perficiat: sed quã liberè, nõ affixus ad elementũ aquæ, perficiat. Cõstat enim ex Actis Apostolorũ, ut ipsum baptismũ fides cũ dono spiritus sancti præcedat. de quo sic Petrus mentionẽ facit: Nam quis prohibere poterit, quominus aqua baptizẽtur hi q spiritum sanctũ acceperunt sicut et nos? Ex quibus uerbis colligitur, gratiã regenerationis liberè dispensari, eam præcedere baptismũ, cumq; eo ex uerbo institutionis eius cõiungi, & eius auctus per totũ uitæ cursum fieri. Qui etiã ut subinde maiores fiant, baptismo admoniti, Christũ rogamus. Vnde q præclarus & præstãs usus sit baptismi, manifestum est. In huius enim ambitu spiritus regenerãs, resurrectio corporũ futura, salus nouæ & cœlestis uitæ cõtinetur. Quare, ut Petrus dicit, Actionib. bonis electionẽ & uocationẽ nostrã certam reddi, propter spiritũ sanctum bonorũ operum autorẽ, quem piè sancteq; uiuentes intra se uersari, sic benefactis admoniti sentiunt. ita meritò baptizati dicũtur firmo testimonio certiores fieri de salute, q per baptismũ admoneãtur in animis suis habitare spiritũ Christi, ad iusticiã, uitam & gloriam cœlestis regni ipsos regenerantẽ, & testimoniũ dantem se patrẽ in cœlis habere fauentẽ, quò dirigit baptismus. Eôdem pertinet q Apostolus ad Ephesios dicit, Ecclesiã à Christo aquæ lauacro per uerbũ sanctificari: Baptismum nempe sacramentali & mystica ratione id efficere, quod uerbum ministerio & diuini spiritus cœlestes aquæ supernæ ui sua & natura regenerantes efficiunt atq; præstãt, nõ aũt sanctificationem & mundationẽ Ecclesiæ à ueteris naturæ uitijs, ad elementũ simpliciter & omnino alligari, nõ liberè à Christo cõfici, sacro spiritu spirãte ad mundandum quando uelit, ubi uelit, & apud quos uelit. Velle autẽ emundare eos q Christo fidem habuerint, & ei ita impulsi fide per baptismũ nomen dederint, se totos nouæ uitæ cõsecrantes: in qua noua uita Christi baptismus cernitur. Qui ut ex igni, nõ elemẽto, sed diuino illo sacri spiritus igni, in quo claritas lucis, quæ Christus est, lucet, cõstat: ita idẽ Christi baptismus aquas illas supracœlestes ex perẽni fonte Christo ad eluendas ueteris hominis sordes fluẽtes cõtinet. De quibus aquis ex Iesaia apud Ioãnẽ fit mentio: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. & de earũ regenerante ui Dominus ipse, ex quo illæ fluũt, regenerationis cœlestis autor: Nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu, nõ potest introire in regnũ Dei. Atq; de his aquis antea diuinus spiritus per Ezechielẽ admonuerat: Effundã super uos aquã mundam, ut mundemini à peccatis uestris. & de spiritu idẽ ille uates: Daboq; uobis spiritũ nouũ, qui is regenerator spiritus est, supernè nouã et cœlestẽ sobolem generãs, de qua illud: Ex Deo nati sunt. Quamobrem ut in aspectabili hoc mũdo, aqua, spiritus & ignea lux cernuntur, è quib. stirpes & animãtia generãtur: ita in regeneratione sua quoq; aqua, suus spiritus & flãmea atq; ignea lux inueniuntur, è quib. scripti in libro uitæ noui homines, in nouo et cœlesti homine Iesu Christo, cœlesti genitura ex semine immortali uerbi Dei nascuntur. In horum natura efficax purgandi uis ostẽditur, ut in baptismo mystica et sacramentalis purgãdi ratio ostẽditur, & in ipsa uerbi & Euãgelij, quod ut cœleste cœlestes illas regenerationis aquas cõtinet, administratione rigãs et plantans emũdatio spectatur. Vnde cõtingit, baptismum duplici ratione regenerationis lauacrũ appellari: una, propter præsentem regenerationis spiritũ, quo abluti se agi sentiũt. Altero modo, q baptismus ppter similitudinem, interiorẽ baptismũ q igneo spiritu ueteris naturæ, uitia absumẽte cõstat, representat, eiusq; subinde admonet, nos ab elemento aqua ad illas diuinas & cœlestes aquas diuinitus eos quibus digito Christi aspersæ sunt, regenerãtes euocat. Similitudo aũt in eo spectatur, q aqua elementũ generationi rerũ destinata est, quæ humore, quo gignãtur, alantur, augeãtur & cõseruẽtur, opus habent, ut id ortus earũ & interitus cõprobat: deinde, in eodẽ mundi elemẽto eluendi purgandiq; sordes uis spectatur. Quæ præclaræ in aqua dotes efficiũt, ut eam Christus delegerit, quæ per uerbũ fieret regenerationis, ex aquis illis cœlestibus cõficiendæ, sacramentũ. Nã in his ipsis supernis aquis ut generãdi ad nouã uitã & naturã, atq; expurgandæ ueteris naturæ labem uis insit, sentiunt q aquis illis tincti sunt. Si generandi uim spectes, dicit Dominus: Nisi quis natus fuerit ex aqua, &c. Sin uerò mũdãdi potestatẽ, occurrit præter superiora, illud ex Zacharia: In die illa erit fons apertus domui Dauid, & habi-

habitatorib. Hierusalẽ, ad abluendum peccatũ & mẽstrualẽ. Hinc fit, ut quẽadmodũ cætera sacra signa rerũ quas repræsentant, nominib. appellãtur: ita etiã baptismus lauacri regenerationis nomine uocetur. Hinc etiã accidit, ut sacramentis tribuãtur, quæ reb. quarũ admonẽt, tribuũtur. Dicimur enim quoq; per baptismum mũdari et sanctificari, dicimur saluari, dicimur Christũ ipsum induere, & in remissionẽ peccatorum baptizari. Quod qũo accipiendũ sit, docti sacrarũ literarũ homines, quos hodie ad diuulgandũ Euangeliũ passim Dominus excitat, satis intelligũt: qui huiusmodi locutionib. nõ mouentur, ut propterea sentiãt Christum in tribuẽdis munerib. suis ad ullũ mundi elementum alligari atq; astringi, nonq; liberè ea suis de suo gratiæ & uitæ solio largiri. Itaq; neq; etiã quia in sacra, quã Dominus noster instituit, cœna panis Domini corpus & calix nouũ testamentũ in sanguine eius appellatur, quisquã dicet Christũ pani & poculo affixũ & alligatũ esse, quo minus liberè se & sua munera suis tribuat. Fatemur oẽs, panẽ Domini corpus, & poculũ nouũ testamentũ in sanguine Christi dici: sed quid inde cõcludetur? Panẽ ne uerè esse corpus Domini, ut non secus dicatur corpus Domini, atq; homo animal dicitur, & equus brutũ? At hoc nemo unquã, q̃ sciã, sensit aut docuit. Quis enim diceret, panẽ ex terra ortũ, & quẽ pistor coxit, Christũ Iesum esse, q̃ Dei filius est & cœlestis homo? Quẽ si quis uerè panẽ esse fatebitur, idẽ etiã ut fateatur Christũ inanimẽ & animatã naturã esse, necesse erit: atq; ita in una psona paneã, humanã & diuinã naturã misceri & cõfundi confirmauerit. quo de filio Dei nihil absurdius neq; cogitari neq; dici possit. Quãobrẽ nemo, præsertim inter Euãgelij doctores, q̃ in eũ modũ interpretaretur uerba Domini, repertus est. Aut præterea panis Domini corpus uocabitur, quia in pane, aut cũ pane Christus misceatur ut aqua cũ uino, et hordeũ cũ tritico miscetur: quod quoq; nemo ut dissẽtaneũ maiestati Christi affirmauerit. nã hoc esset, ad amplissimã dextrã patris regnantẽ Christũ cũ mundi elemẽtis cõfundere, & cœlestia atq; terrestria miserè perturbare. Aut panis corpus Domini nominabitur, quia cũ pane loci circũscriptione cõiunctus sit: hoc quoq; nemo sentit. Nã oẽs cõfitẽtur, id glorificato Christi corpori, & à physica circũscriptione libero, repugnare. Confessum siquidẽ est, alia ratione naturalia corpora, alia cœlestem gloriã nacta, quæ Apostolus spiritualia uocat, in loco esse. Absurdũ aũt maximè fuerit, de Christo tã angustè sentire, ut eũ q̃ maiestate imperij et perfectionis suæ diffusione omnia in hac uniuersitate implet, pane aut ullo mundi elemento tanquã sepe concludi circũfiniriq; existimemus. Vt aliter aũt per explicationẽ suæ perfectionis in mũdi elemẽtis, aliter in reb. ex illis cõcretis, aliter in Ecclesia corpore suo, aliter in singulis huius mẽbris intelligatur esse, quoniã huius rei tractatio nostri instituti nõ est, ea in præsentia supersedebimus. Aut demũ panis Domini corpus appellabitur, q̃ corrupta panis natura, Christus sub qualitatib. eius lateat. Hanc naturæ panis mutationẽ nõ admittẽt uerba hæc, Hoc est corpus meũ: panẽ demonstrato, nõ separatis qualitatibus. Itẽ, Panis Domini quẽ frãgimus: ubi nõ legimus, qualitates quas frãgimus. Hũc errorẽ, ut etiã alios in hoc sacramẽto, aduersarius Christi finxit, q̃ clarior est q̃ ut egeat explanatione, & fœdior q̃ ut refutetur. Quapropter tandem pergrẽ uidere licet, quæ tandẽ sit interpretatio horũ uerborũ, Hoc est corpus meũ, Panis quẽ frangimus nõne cõmunicatio Christi est? Omnes pij & docti spiritu Christi homines cõcedunt, his iam cõmemoratis uerbis duo nobis ad considerandũ proponi: alterũ sacrũ signũ est, alterũ res quæ significantur. In signo panẽ & poculũ numerari, in rebus corpus Domini & sanguinem. At uerò Dominus res præsentes, nõ absentes signis istis significauit: hæc quæ explicabimus, in sermone iam exposito uoluit nobis declarare. Vnũ est, fideles q̃ sacro pane & poculo utũtur, palam agnoscere et sentire spiritualib. carnis et sanguinis Iesu Christi dapib. se uesci, ut uno pane & poculo uescũtur. Vesci enim Christũ cœlestẽ hominẽ in hunc mundum fatentur, q̃ à terrenis ad cœlestia, sed per terrena figuram rerũ cœlestiũ præferentia, ab aspectabilibus ad inaspectabilia, à figuris & umbris ad lucẽ & res diuinas figuris & umbris adumbratas, suorũ animos traduceret. Sic à Mosæa mãna ad cœlestẽ mãnã, hoc est ad panẽ uiuificum q̃ ipse erat: ab aquis his infernis ad cœlestes, ex fonte uitæ perẽnis quẽ prophetæ de Christo interpretati sunt dimanãtes: ab Abrahami carnali sobole ad spiritualẽ circũcisam corde, à templo materiato & corporato ad spirituale & cœleste sacri spiritus habitaculũ: à pæsah mystico, ad se agnũ, electos ex grauissima seruitutis domo Aegypto, in qua peccatum & mors regnat, liberantẽ: & ab alijs huiusmodi rebus in sensus cadentibus, suorum discipulorũ rudes animos subduxit. Quod idẽ in hoc sermone, Hoc est corpus meũ, facere uoluit: hoc est, à pane elemẽto, sed facto ex diuinæ institutionis uerbo, sacramento pio, rũ animos ad se cœlestẽ panẽ, q̃ suos præsens pascat, nutriat, & ad uitã æternã cõseruet, reuocare studuit: ut admoniti mystico pane, certò scirẽt, corpus Ecclesiam, eiusq; mẽbra carnis & sanguinis Iesu Christi diuino & cœlesti alimẽto ali atq; nutriri, ad uitam spiritualẽ & cœlestẽ, ut pane terreno corpora ad animalem atq; naturalẽ uitã alũtur atq; nutriũtur. Atq; hoc ipsum est quod apostolus Paulus dicit: Panis quẽ frangimus, nõne cõmunicatio corporis Christi est? Poculũ benedictionis, nõne cõmunicatio sanguinis Christi est? Vbi uerbũ naturæ Est, pro mystici & sacramẽtalis

talis sermonis qualitate accipiendũ fuerit, utriq; & pani sacramento eiusq; communicationi quod pani cõuenit, et corpori atq; sanguini Christi quæ horũ sunt, assignatis. Sicut etiã fit in locutione illa: Nónne qui edunt uictimas, participes sunt sacrarij? Vbi, quemadmodũ q uictimas edunt, sacrorũ et cultus q sacrario cõtinetur, participes cõsortesq; se declarãt: sic Domini panis, quẽ pij homines ad Christi beneficia celebrãda inter se frangũt, corporis Christi cõmunicatio propter consortiũ p fidẽ Christi, qua una filij Dei filio Dei uescũtur ad uitã, nominatur. Vescũtur aũt fideles ad uitam carne et sanguine Christi, cum sentiunt merito fusi sanguinis & traditi corporis in mortẽ, de sanguine & carne illius uiuificantẽ spiritũ accipere, in quo et per quẽ Christus in ipsis maneat & uiuat, ipsiq; in eo maneãt & uiuant, omnium illius diuitiarũ iusticiæ, uitæ & gloriæ consortes facti. Etenim prophetæ & noui fœderis scriptura passim nobis Christũ per sacrũ ipsius spiritũ salutarẽ proponũt, quo ipse unctus afflictos cõsoletur, fractis animo medeatur, captiuis libertatem edicat. Hũc mortuũ propter peccata nostra quæ expiaret, & excitatũ e mortuis ad uitã propter iustificationem nostri, quã misso de cœlo spiritu sancto perficeret, uera iusticia & uita tributa cõfitemur. ut est apud Apostolũ: Lex spiritus uitæ liberũ me reddidit à iure peccati & mortis. Itẽ: Iustificati estis per nomẽ Domini Iesu, et per spiritũ Dei nostri. Et quo niam is iustificator, uiuificator & sanctificator & glorificator spiritus, propter meritũ fusi sanguinis, & de ipso sanguine Iesu Christi in electos dimanat, Dominus ipse sanguinẽ suũ noui testamenti sanguinem uocat, testamenti scilicet ac fœderis noui p spiritum adoptionis nouũ cum fidelibus in sanguine sacrosancto sanciendi. De quo fœderis noui spiritu passim apud pphetas & in noui testamẽti scriptura fit mẽtio. Huc spectãs Dominus apud Ioannẽ, dicit carnẽ suã per spiritũ prodesse, sine quo nimirũ neq; illius mors, neq; resurrectio utilis sit futura cuiquã: ut q si absit, neue iusticia, neue uita, neue ullus bene uolentiæ diuinæ sensus in Christo & per Christũ in nobis locũ habeat. Firmũ enim est illud: Qui spiritũ Christi nõ habet, is nõ est eius: ut eius uita & iusticia orbatus, quã unã spiritus Christi præbuerit, ut idẽ Apostolus fatetur: Spiritus aũt uita est, propter iustificationem. idq; dicit ex sentẽtia Domini: Spiritus est q uiuificat. Quare aliud est sacramento carnis et sanguinis Iesu Christi uti: aliud, ipsa carne & sanguine re sacramenti uesci & nutriri ad uitã æternã. Altero enim pij et impij utũtur, altero pij solum. Quã de re sanctè Augustinus loquitur, ubi ait, sacramentũ hoc quibusdã ad uitã, quibusdam ad exitiũ præparari: rẽ uerò ipsam cuius est sacramentum, omni homini ad uitã, nulli ad exitiũ, quicũq; eius particeps fuerit. atq; ita ab ipso Iuda ob perfidiã Domini, panẽ cõtra Dominũ mãducatũ suo exitio: à cæteris uerò discipulis panẽ Dominũ sua salute. Quod si quis uelit, sacramentali ritu et modo improbos etiã Christo uesci, quatenus in usu sacramenti Christum sacramẽtali ratione propositũ, quoq; præsentẽ tãquã iudicẽ, nõ seruatorẽ sentiãt: hac in re nõ magnopere cũ quoquã cõtendero. sed an id sit de simplici sentẽtia Christi & Apostoli, ipsi uidere facilè poterũt. Hactenus de priore parte earũ rerũ quas nobis uerba Christi & Apostoli explicant, monuimus. Altera pars est, quã cœnæ uerba nobis exponũt, eos q Domini panẽ & poculũ amãter inter se diuidũt & partiũtur, diuini & cœlestis amoris dare significationem, se unius scilicet corporis Ecclesiæ membra arctissimo amoris uinculo deuinctã esse, ut unũ panem & poculũ participãt. Quã cõmunitatem atq; societatẽ Apostolus his uerbis mysticè indicat: Vnus panis, unum corpus multi sumus. Quò pertinet Christi Domini nostri cõcio, qua suos discipulos ad mutuã dilectionẽ sub sacramẽti huius institutionẽ hortatur, ubi ait: Præceptũ nouũ do uobis, ut diligatis uos mutuò: in hoc cognoscent oẽs q, discipuli mei sitis, si charitatẽ habueritis. Et ut hoc sacramẽto admonẽtur filij Dei amoris mutui, quẽ inter se declarẽt: ita quoq; uitiorũ cũ amore pugnantiũ, à quib. abstineant, admonẽtur: ut sunt, ambitio, auaritia, inuidia, odia, furta, cædes, falsa testimonia, & si quæ sunt eius generis. Tertiũ est q, memorata uerba indicãt, mysteriũ hoc seu sacramentũ institutũ esse à Domino, cuius usu gratos nos & memores beneficiorũ quæ Christus pro mũdi peccatis mortuus in nos cõtulit, palàm ostẽdamus. Quẽ usum nobis signatè Dominus explicat his uerbis: Hoc facite in mei cõmemorationẽ. sed quid faciendũ? Apostolus, quid faciendũ sit, & quæ qualisq; sit ista cõmemoratio, in hũc modũ exponit: Quotiescũq; comederitis panẽ hunc, & de poculo hoc biberitis, annũcietis mortẽ Domini. Ex quib. uerbis intelligimus, sedatæ iræ diuinæ per mortẽ insontis agni, & initi noui fœderis per sacrosancti sanguinis nouũ spiritũ, beneficia in sanctorũ conuẽtu celebrãda esse. In his aũt beneficijs quæ prædicentur, hæc numerãtur: Gratuita peccatorũ remissio per Christi mortẽ impetrata, per cuius sanguinẽ omnia quæ cœlo & terra cõtinentur, sint pacificata: præterea liberalis munerũ sacri spiritus ex plenitudine & abũdantia Iesu in nos profiscentiũ donatio, atq; nostri ad nouã uitã ex sacro carnis & sanguinis Iesu Christi spiritu instauratio: per hunc iusticiæ & uitæ Dei in filio paratũ nobis cõsortium, in quo liceat filijs Dei per Christũ patronũ interpellatore spiritu, patrẽ semper in omnib. rebus aduersis appellare, de ope & auxilio aduersus mundum

& eius potestates tenebrarũ. Demũ uicto peccato & morte, uictisq; inferni portis, in omnia cœlestia et terrestria dominatus nobis cõparatur, per Christum mortis & uitæ, præsentis & futuri seculi, cœli et terræ Dominũ. Hæc præstãtia & alia beneficia in piorum cœtu celebranda, publicè & palàm in sacri panis & poculi diuisione nobis proponũtur, dum seruator noster Iesus Christus eã nobis gloriã & splendorẽ cœlestis regni sui in altero aduentu tribuat, quẽ excitatus è mortuis adeptus est. Atq; illud ipsum est apud Apostolũ: Mortẽ Domini, hoc est beneficia per mortẽ accepta, annũcietis, donec ueniat, in regnũ suũ plenũ claritate & splendore diuinitatis nos trãslaturus. Quẽ usum amplificãdo merita et beneficia Christi per fidẽ agnita, q seruant, de pane Domini dignè ederint: q secus, indignè. Alteri enim Domini corpus dijudicant, hoc est, quã salutẽ in mortem traditũ ipsi mundo attulerit, rectè per fidem æstimãt. Alteri panem sacrum edentes, ut Christi fide uacui, non dijudicant: hoc est, eam salutem neq; fide percipiunt, neq; uitæ probitate declarant, neq; ore contra mundum & eius potestates uerè cõfitentur. Hinc fit, ut hi corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi rei fiant, hoc est, de perfidia condemnẽtur: illi non item. Huc respicit Apostolus, cũ dicit: Nam q edit indignè, iudiciũ sibi edit & bibit, nõ dijudicans corpus Domini. Quamobrem ut diuersa ratione panem Domini edunt pij & impij, ita etiã nõ uno modo utrisq; præsens adest: alteris nimirũ ut seruator ad salutẽ, alteris ut seuerus iudex ad ipsorum exitium, qui hypocrisim qua mentiri quidem Deo possunt, fallere nõ possunt, impunitam nõ relinquat. Ex his igitur perspicuum est, quibus hoc sacramentũ, quò rectè utantur, institutum sit: deinde, quid inter Euangelij administratio nem & sacramenta earũ rerũ quas Euangelij doctrina patefacit, sacra signa, interfit, quæq; sit uerborum mystici & sacramentalis sermonis interpretatio: postremò, qui legitimè sacramentis utantur. Et quantum ad propositum sacramentum attinet, hoc bene utuntur, qui prælucente fidei face Christi beneficia cognita habent. Atq; ita Euãgelio fidem habentibus, Domini cœna instituta est, in qua publica gratiarum actione in cœtu sanctorum suam gratitudinem declarent. Quæ institutio efficit, ut in hoc conuiuio tanto quisq; gratiorem conuiuam se exhibeat, quanto ampliorem meritorum Christi olim promissi, & in plenitudinis tempore repræsentati, & per Euangelium patefacti cognitionem in hoc mysterium importarit, ut Apostoli confirmati iam spiritu sancto, pijq; martyres exemplo sunt. Itaque quam consolationem ex panis & poculi Domini participatione pariter firmi & infirmi accipiũt, hæc ipsa est: primò, q fidei spiritu ornati homines, sacramẽto hoc ex diuina institutio ne utũtur: deinde, q fide duce, quæ omnia in fidelibus Deo salutaria reddit, cõuenire se sciũt, eo conuentu Christi præsentiæ singularẽ promissionẽ habente: & q sic cõgregati, scunt Christũ in se uiuere, & oẽs diuitias iusticiæ & uitæ sibi cõmunes facere, & oẽs diuitias iusticiæ & uitæ sibi cõmunes facere, qua cõsolatione in omnib. rebus tum prosperis tum aduersis nulla maior cõtigerit. Ad hæc, ad consolandũ multũ momenti attulerit, q nõ dubitãt pij, preces quas in sacro cõuentu fundunt, in cœlum usq; ad diuinæ misericordiæ solũ penetrare, & inde quæ precati sunt, ad se precãtis spiritus ui deportare. Demũ, q in ista plena beneuolentiæ panis fractionis & calicis diuisione, unius capitis Christi lesu & corporis Ecclesiæ membra amoris multò arctissimo nexu se colligata esse declarãt. Persuasum enim habent magna sui cõsolatione, se unum panem unũ corpus multos esse. Quo magis laborandũ fuerit, ut pane & poculo Domini nostri Iesu Christi, cœlestis amicitiæ autoris, sic utamur, ut mutui amoris & cõcordiæ inter nos monumentũ sint, non discordiæ & dissidij materia. Quàm grata enim sit Deo patri nostro in una mente, in uno spiritu, in una unius doctrinæ & fidei cõfessione animorũ & cõmunium studiorũ cõiunctio, pacificator omnium Domini nostri Iesu Christi sanguis documento est. Hũc in cruce fusum cõfitemur, ut nouus amoris spiritus fide nobis de capite Christo cõmunicetur. Est enim noua lex charitatis in animorum nostrorum carneis tabulis scripta, uniuersæ Mosaæ legis, mortisq; & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi finis. Siquidem is in mũdum uenit: is in mundo, cum non esset ex mundo, mortuus est. Is de mundo in cœlũ ascendit, ut eã charitatẽ in corda nostra de mitteret. de qua Ioannes his uerbis meminit: Deus charitas est, et q manet in charitate, in Deo manet. Quẽ diuinũ amorẽ aduersus discordiæ et dissidiorũ architectũ Satanã palàm declarãt, q huius mystici cõuiuij conuiuas patrẽ spiritu et ueritate colẽtes se profitentur. Quẽ cultum ut ad amplificandum nomen illius & ad nostram salutem procurãdam perficiamus, Dominus noster Iesus Christus per regium & sacerdotalẽm suum spiritũ præstet. Cui sit gloria & honos, in æternum: Amen.

Heu mi Domine Deus.) Simili querela legitur usus Manoah & uxor eius infrà: Moriemur, quia uidimus Deum. Querela hæc est uteris hominis de terra terreni, qui minimè Dei & cœlestium spirituum uocem & affectum tolerat. Exuenda igitur fuerit caro hæc, & in terræ pulueream dissipanda, ex quo ficta est debile & fragile opus, & inducenda resurrectionis ui conformata ad claritatem corporis Messiæ, quæ aspectum Dei & cœlestium ciuium familiaritatẽ ferat. Ideo

suprà apud Mosem legitur: Nõ uidebit me homo, & uiuet. Hinc gemitus ille Apostolo expressus est: Quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Quòd uerò Iacobus dixit, Quoniam uidi Dominum de facie ad faciem. Salua facta est anima mea: perpendendum fuerit, ut accipiatur, & quid sit in eo loco uidere faciem Dei, & quoties accipiatur facies Dei. ut non una sit luminis quo ui detur Deus, ratio.

Pax tecum.) Gedeonem Dominus quem 10 egnitus terruerat, angelus pace oblata cõsolatur, quæ animi erga Deum bene compositi tranquillitatem complectitur. Quam tranquillitatem in nouo homine uetere abolescente, huius promissi fides, Ne timeto, non morieris, efficit. Dulcis & suauis uox est: Pax tecum: qua non offertur pax quam mundus dat, in quo summa perturbatio est & confusio: sed pax est quam uictima Gedeonis sacrificio repræsentata præbet, quæ de se dicit: In me habebitis pacem, in mundo uexationem. Huic præfigurandæ deseruiunt quæ sequuntur de extructa in saxo pacificatoria ara insigni hoc titulo exornata: Dominus pax. Hanc pacem cultores Baal turbare moliti sunt, ut mox indicabitur.

Ne timeas.) Metuimus de ijs quæ nobis putamus nocitura, quales non sunt angeli Dei: qui ut sanctos tueantur, à Deo destinati sunt, salutis, non exitij administri spiritus.

Destruas aram Baal.) Exponitur ratio 30 liberãdi Israelitas, quæ in falso cultu excindendo, & uero instaurando uersatur.

Et ædificabis altare.) ad temporarium & priuatum mei cultum, solenni & publico in Mosæa tabernaculi ara celebrando. Quòd igitur Gedeon fecit, Dei iussu fecit: qui legem alijs ponit, non sibi, cui se subijciat. idẽ cum faceret Elias, culpa uacauit obediens Deo, qui supra & extra legem est. Tabernaculum tunc erat Silunte.

In summitate petræ.) Omittit interpres 40 מעזה quæ firmæ petræ uox est. Hæc autem cuius firmissimæ petræ figuram præ se ferat, petra ipsa his uerbis indicat: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum nihil poterunt aduersus eam.

Taurum secundum.) Sed quid actum est cum tauro primo? Apparet eum iussum auferri ne immolaretur Baali. Septenarius annorum alterius tauri numerus sapientibus fuerit expendendus, de quo aliàs sæpe. Norunt pij adumbrari tauru 50 rum Christum, uictimam illam septemplici spiritu exornatam, de quo spiritu uideris apud Ies. cap. 11.

Timens autem domum patris sui.) Metus erat, quem prudentia fidei ad cauendos publicos motus, regeret. In quo infirmitatis familiæ & ciuium ratio habebatur per charitatem, gloria Dei per fidem non negligebatur. Quod Gedeonis exemplum quàm utile sit & necessarium adimitandum, nostra tempora indicant. In quibus moderatio neglecta, quam Gedeon adhibuit, quãtas turbas det & dederit, & quas calamitates in 10 destruendo obscœno Babylonij Beli cultu apportet, satis compertum est. Proinde ut silentium interdum laudem meretur, de quo illud, Prudens tempore illo tacebit: ita metus suam commendationem habet, si eum fide gubernata charitas moderatrix temporum & personarũ ad uitandam publicam turbationem, moderatur. Noctu legitur adortus demoliri uanum uani Baal cultum, qui noctis, non diei opus esset, ad restituendum uerũ, qui diei, de cuius cultoribus Apostolus: Filij lucis e- 20 stis. sic noster cœlestis Gedeon Messias dicitur noctu uenturus furis instar, ad noctis opus destruendum. Sic noctu regnum Pharaonis in Israelitas concidit, noctu Assyrij ante Hierosolymam deleti, noctu Babylon à Medis & Persis capta.

Quis hæc fecit?) Inquisitionis grauis exemplum in falsæ religionis destructorem, & instauratorem ueræ. Hæc sunt pericula quæ manent omnibus seculis pios. Intueamur nostra 30 tempora.

Vt moriatur.) Accersitur capitis, qui præmijs ornandus erat. Non parcunt subditi principi suo, cognati cognatis, fœderati fœderatis in causa falsæ religionis. Verè igitur noster Gedeon Christus dicit: Frater fratrem tradet in mortem. Is est furor, hæc rabies tuentium deos alienos cõtra eos qui uerũ Deũ sequuntur. Ciues Ephrenses imitatur meretrix illa magna Babylon, quæ intentatis laqueis, ueneno, igni, gla- 40 dijs, ijs exitium machinatur quos domesticos habet. Mortem hic minantur Gedeoni, qui Baalem colentes, mortem merebantur, capitis rei censi per legem Dei. Cum igitur non solum cum externis hostibus, sed etiam cum internis & domesticis esset Gedeoni dimicandum, non temerè iussus est suprà in hostes ire his uerbis, Vade cum isto robore tuo: quòd in uincendis hostibus non humana, sed diuina uis erat sanctis de cœlo tribuenda. de qua uates: Ipse dabit uirtutem & for- 50 titudinem.

Qui destruxit aram Baal.) Alienam aram tuentur, suam aspernantur. Accusant eum

qui Baalis aram destruxerat: quem defendere, qui diuinam extruxisset, conueniebat. Sic sunt omnia in principis mundi regno, Dei regno aduersa, religio, pœnæ, præmia.

Et succidit nemus.) ex sententia legis huius: Aras eorum subuertite, & statuas confringite, lucosq; succidite. Hactenus de iniqua accusatione. sequitur defensio à patre adornata pro filio.

Nunquid ultores estis Baal?) eius causam agentes, cuius cultum toties uobis exprobratum scitis: Et obliti sunt Dei sui, colentes Baal. Accusationem repellit æqua accusantium reprehensione, quam ex contrarijs fœderi diuino locis ducit.

Vt pugnetis pro eo.) In seruandi uerbo תרשיע inest irrisio, quæ mox aperta fiet.

Qui aduersarius est eius) אשר יריב לו, id est, qui contenderit contra eum. Sunt qui in hunc modum: Qui pro eo contenderit, aut causam eius egerit, capite plectetur: ut intelligamus patrem Gedeonis, qui in ea ciuitate magistratum gereret, seuero edicto cauisse, ne quis uani idoli causam defenderet. Ideo sequi:

Si Deus est.) ex opinione stultarum gentium, & uestra.

Vindicet se.) ut Deus maiorum nostrorum se in Pharaone, Amalechitis, & Amorræis ultus est. ἐφωνικῶς Baalis & ad adiuuãdos suos cultores, & ad ulciscendos aduersarios, per occultam contentionem uanitas illuditur.

Ex illo die uocatus est.) Quanto uerius noster Gedeon. de quo uates Zacharias: Disperdam nomina idolorum de terra, & nõ memorabuntur ultrà ירבעל nominabitur. de quo die euersionis idolorum metuat sibi mulier supra septem colles sedens, Baalis cultu infamis. Quæ sanctos uerum Deum adorantes in spiritu & ueritate occidit, falsos deos colentes seruat, & præmijs exornat: dum alteros & præsenti & futura, quantum in ipso est, uita spoliat: alteros in hoc & in futuro seculo beat, eos terrenis opibus locupletans, & cœlestes promittẽs: sceleratissimos etiam, si se adorent, ex purgatorio, quod lucri causa fingit, liberans, & ex eo in cœleste regnum transferens.

Igitur omnis Madiã & Amalech.) euerso iam cultu Baalis. Non leuiter hic, sed uno studio & uoluntate hostes aduersus Gedeonem congregari dicuntur. Hæc est perdendi sanctorum castra sub duce Gedeone sæuorum hostium uoluntas. Non aliter contra Messiam uerum illum Gedeonem à typico Gedeone adumbratum, hostes gregatim conspirant. de qua eorum conspiratione uates Dauid: Conspirant reges terræ, & principes simul consilium ineunt aduersus Dominum & Messiam eius.

In ualle Iezrael.) Quæ ut Manassensi tribui cesserit, ex Iosua patet.

Spiritus autem Domini.) spiritus fortitudinis, de quo suprà: Vade cum ista fortitudine tua, & liberato Israelitas.

Induit.) Ad uerbum לבש spectans Apostolus, sic ait: Induite totam armaturam Dei. Non Gedeon, non pater Ioas, non propinqui dicuntur hic se armare, sed Deus: cuius spiritu ut noster Gedeon Messias ad ulciscendos suos hostes armetur, indicat Iesaias: Requiescet super eum spiritus Domini, ut iudicet. hoc est, uindicet inopes actus Domini, ut iudicet. hoc est, uindicet inopes attenuatos. ubi רלים uox usurpatur, quæ suprà in hac historia de Israelitis ad extremam inopiam redactis à Madianitis, usurpatur. In his inopibus quos Messias liberet, numerantur qui se miserè à suis Madianitis oppressos agnoscunt, sibi opes iniquitiæ, uitæ & sapientiæ Dei deesse, & contraria mala adesse.

Qui clangens buccina.) Qua buccina per suum Gedeonem electi euocentur ad pugnandum contra suos Madianitas, notum est hanc pugnam pugnantibus. Hæc tuba, euangelij tuba est. de qua Zacharias: Et Dominus Deus tuba clanget, qui Messias benedictus est. de quo in eodem loco idem uates: Ecce rex tuus ueniet tibi iustus.

Domum Abiesser.) De cuius familia fuit Ioas, qui suprà uocatur Abiezerianus. Hanc familiam legitur hic tuba euocasse Gedeon, non nuncios ad eam misisse, quæ uersaretur Ephræ.

Si saluũ facis per manum meam.) Cur quærit signum nouum, miraculo iam confirmatus? Si dubitauit de præstanda sibi ope diuina, ubi fides, ubi fortitudo iam memorata in sancto uiro locum inuenit? Sin non dubitauit, cur nõ contentus priore signo, nouum postulauit? Quòd petijt nouum signum, neq; id promisso diuino diffidentis, neq; dubitantis de Dei potentia fuit: sed sacro spiritu impulsus, signum quæsiuit, in quo Dei maiestas effulgeret, partim ad monendum Gedeonem de salute iam conficienda, partim ad faciendam indicationem de rebus occultis quæ tempore administrationis noui fœderis per Messiam erant patefacienda. De qua mystica indicatione interpretandum admonebitur.

Ponam hoc uellus lanæ.) Submota umbra mystici uelleris, occurrit uellus salutaris & cõfirmatoris animos nostros in rebus aduersis agni,

gni, de quo illud: Ecce agnus Dei. Huius uellus cœlesti diuini spiritus rore conspersum, uerè electos de Dei erga se uoluntate certiores reddit, & contra hostes corroborat nullum elementum mundi. Agni enim uictoris uellus est, de quo uates: Et fortium diuidet spolia. quæ uerorum Madianitarum, hoc est potestatum mortis & inferni spolia sunt. Atq; hoc uellus conspersum rore sic cernitur, ut terra sicca sit, solo nimirum agno illo repleto diuini spiritus rore, cæteris omnib. ut terrenis illo destitutis. de quibus propheta: Omnes declinauerũt, inutiles facti sunt. Atqui ita confirmatorium signũ efficitur uellus istud humanæ naturæ in Messia, si ipsum quoq; siccum reddatur, terra cœlesti humore delibuta. Stat siquidem illud: Peccatum & maledictum factus est. In Gedeone igitur spiritus diuinus longius pspectãs, incitauit illum, ut uellus pro signo eligeret quod nobis figuraret Messiam, certum illud & firmum signum quod in omni afflictione sanctorum animos, ne uacillent, solum de Dei patris erga nos uoluntate & beneuolentia confirmat per rorem diuini spiritus, qui unicus ille arrabo est de promissionibus Dei pectora nostra obsignans. ut est apud Apostolum in epistola quam ad Ephesios scripsit, & pij ipsi in fidei ipsius stratagematis eam obsignationem experiuntur, præterea nullam.

Si adhuc semel tentauero.) אנסה hic non est neglecta promissione Dei in rebus aduersis, per diffidentiam percunctari. Vt in solitudine Arabiæ Israelitæ percũctati sunt: Est ne Deus in nobis, quod esset contra legem, Dominum Deũ tuum ne tentato, signum tentando petere. Sed אנסה hic est experiri & explorare uelle in signo aliquo diuinam uoluntatem se ultrò offerentem ad eius gloriam celebrandam, & ad salutem eorum quos Deus amat, procurandam. Quod erat in Gedeone ex fide non more perfidè tentantium, ex incredulitate, postulare signum. Inter fidelium enim exempla numeratur etiam Gedeõ in epistola ad Hebræos. Cæterùm qui per uellus Iudæos significari uolunt, in quos cœlestis euangelij ros sub aduentum Christi primò sparsus sit (legi enim: Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel) per terram autem siccam reliquas orbis terrarum gentes, in quas exiccato uellere Iudæorum, ut reiecissent Christum, ros diuinus deciderit, repræsentari: qui, inquam sic explicant signi quod Gedeoni ipsi exhibitum est significationẽ, per me licebit ut hanc interpretationem amplectantur. sed alteram pijs quoq;, ut apta sit præsenti argumẽto, iudicandam proponimus.

IN CAPVT VII.

IGitur Hieroboal.) Explicatur admirabile stratagema & uictoriæ genus, quo in Madianitas usus est Gedeon. In quo cur trecenti probati ad aquas, tubis, lagenis & lampadibus armati, & noctu adorti hostes uictoriã reportarint, ex ipso textu expositis mysterij notis ac lineis patebit.

Erant autem castra.) Castra hostilia describuntur. Hæc in ima ualle locata fuisse ad uiam montis Aquilonarem. Vtrumq; ut conueniat hostibus, Aquilo ipse damnatus frigore & tenebris, & ipsa uallis. Superna uerò & editiora Israelitis, declarat illud: Superna quærite: In textu ubi noster habet, Mõtis excelsi, in Hebr. est מגבעת המורה ubi מורה alijs propriũ montis nomẽ, ut suprà in Iosua admonuimus, est: alijs specula, è qua in subiecta monti loca patêret prospectus, atque fastigiũ huius collis apparet Israelitas tenuisse. In quo collocata specula nobis repræsentat eũ qui in excelso speculator excubias agit contra hostes pro suis Israelitis. de quo uates: Quia prospexit de excelso sanctitatis suæ, ut audiat gemitus uinctorum. At cum is satis ad suos redimendos ualeat, sic alloquitur Gedeonem:

Multus tecum est populus.) mea potentia multis copijs uestris opus non habente, cui omnia tum superna tum inferna subdita sint. Me igitur uestrum ducem, sub cuius signis militatis, humana præsidia magis obscurarint, quàm illustrarint. Ideo sequitur:

Non tradetur Madian.) diuina ui cõterendus, nõ humana: ut mihi omnis gloria partæ uictoriæ tribuatur in ea gente quæ delecta est ad amplificandum nomen potentiæ meæ contra deos alienos, & eorum cultores. Quare sequitur:

Ne glorietur cõtra me Israel.) more profanarum gentium, quæ de se gloriantes superbè iactitant cum Assyrio: Fortitudine manuũ nostrarum fecimus. Similia leguntur in Deuteronomio: Ne dicas in corde tuo, Fortitudo mea & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt: sed potius agnoscas pro te à Deo dimicari de cœlo, ut Debora agnouit canens: De cœlo dimicatum est aduersus eos. Hinc nata est admonitio illa Hieremiæ uatis: Ne glorietur fortis de fortitudine sua, neq; sapiens de sapientia sua, neq; diues de diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus faciens misericordiam & iudicium & iusticiam in terra. Quòd si etiam quis putet suo robori, suæ prudentiæ, suis opibus aliquid tribuendum, is secum reputet illud Apostoli: Quid habes quod non accepisti?

sti? Stultum sit, quenquam de bonis quæ precariò & depositi iure possidet superbè & insolenter gloriari. Quam superbiam ut sciremus à Domino multam non relinquil, legimus, alicubi sapientissimos in sapientia sua confusos, potentissimos de gradu deiectos, opulentissimos ad inopiam redactos, maximas copias ab exiguis profligatas: ut id Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum historiæ declarant.

Qui formidolosus.) Hæc ex legis à Mose promulgatæ sententia dicuntur: Si quis homo timidus est & corde molli, reuertitor domum, ne animi sui mollicie, aliorum animos effœminet. Hic considerandum fuerit, quid metus sit, quid efficiat, ut fortitudini & rebus fortiter gerendis cõtrarius sit. Afferenda exempla malorum quæ timidi dederint, & bonorum, quæ fortes uiri in periculorum perpessione attulerint. Deliguntur hic fortes uiri, & relinquuntur timidi, quos uates Græcus sapienter pueris & mulieribus uiduis natura paudis comparat.

ὥσε γὰρ ἢ παῖδ' ὃν νεαροὶ χῆραί τε γυναῖκες
ἀλλήλοισιν ὀδύρονται οἴκονδε νέεσθαι.

In militia spirituali aduersus hostes spirituales, ut meticulosi & periculorum fugitantes, locum non inueniant, sed fortes ac metu liberi, declarat illud: Sitis fortes per Dominum, perq; potentiam roboris eius, induite totam armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insultus Diaboli. Atqui est & metus honestus, qui fortitudini hic celebratæ contrarius non sit, sed confidentiæ & securitati carnali. de quo metu illud: Cum metu & tremore uestram salutem conficite. Hoc metu qui afficiuntur, ad prælia Domini admittuntur, cõtraria confidentia præditi abarcentur: quales sunt qui sapientia, potentia, opibus, robore insolescentes, de malis quibus opprimãtur securi sunt, præsentibus bonis insolescentes: quos hac prosopopœia reprehendit uates: Dixit enim in corde suo: Nõ mouebor.

Recesseruntq; de monte.) bene mane. legitur enim ויצפיר. Lingua Syrorũ צפרא esse בקר monent interpretes. Sunt qui ויפצור, idem esse dicunt, quod est יסרב, eas recessisse circuitione cautius facta. Metaphora ducta à serto caput circundante, quod in loco est צפירה. Cæterùm cum duplex sit mons Galaadus, alter trans Iordanem, alter cis positus: de altero, hoc est cis Iordanense accipitur.

Duc eos ad aquas.) probantes militum probitatem & fortitudinem. Duo mundi elementa sunt, quæ probandi uim habent, aqua & ignis. in utroque purgandi facultas inest. altero abluuntur sordes, altero consumuntur scoriæ. In utroque afflictio notatur, probatrix fidei sanctorum. de aqua legimus: Intrauerunt aquæ usque ad animam meam. de igni uerò: Igni nos examinasti.

Et probabo illos.) ex tot millibus trecentos eligi qui hostes adoriãtur. Vnde cognoscimus, electioni diuinæ, non humanis consilijs salutem tribuendam: deinde, reliquias charas esse Deo quas explorator ignis, & probatrix aqua probarit Deo. Dicitur autem explorare probareq; que Deus, quorum fidem patefacit, non quam ignorat addiscat. Vsurpatur hic uerbum probandi, צרף, quod propriè explorare est, ut conflando aurum igni consumptis scorijs explorat. Vedo luti legimus apud Malachiam: Sedebitq; conflans & expurgans argentum. Beati quos hoc modo cum militibus Gedeonis & Leuitis Messias explorat, qui ut perficiantur, nõ absumantur, à Deo igni afflictionum explorantur. Is est salutaris usus crucis bonitate diuina ad seruandum gubernatæ. Suprà decem millia ad prælium cum Sisara conferendum admittuntur: hic trecenti, qui pugnam cum Madianitis depugnent, seliguntur.

De quo dixero tibi.) Submoto typo, occurrit militia sacra & spiritualis contra non carnales, sed spirituales Madianitas. In qua militia quos Deus delegerit milites, probari non temerè quosuis, ut firmum maneat illud: Non est neq; uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei.

Et lingua lamberint.) Explicatur signũ eorum qui probentur Deo. Stando aquas lingua lambere, strenuitatis indicium erat: ut procumbendo in genua, ignauiæ & socordiæ. De stantibus legitur: Vigilate, & state in fide. Canes uorant ciborum suos, sed lingua aquam etiam currentes lambunt, ne nimio potu alioqui siti uehementiore & ad rabiem procliue animans, obruatur. Itaq; abanimali, quod aliàs ut obscœnum reprobatur, hic in ea parte qua laudem habet, mutuatur similitudo. Sicut etiam in alijs, ut in serpentibus & leonibus usuuenire cernimus. Ducuntur ad aquas ex Israelitis, qui hostes Madianitas uicturi erant, quas non procumbentes in genua, sed stantes lingendo lambendóque bibant. A nostro cœlesti Gedeone ad quas aquas ducantur Israelitæ, in cœlo scripti, suos superaturi hostes, declarat illud Ioannis: Quoniam agnus qui in medio throno est, reget illos, & ducet eos ad uiuos fontes aquarum, quæ de sede Dei & agni exeunt. In hac igitur probatione quid aqua, quid stare, quid

quid more canũ aquas ad sensum sedandam sitim lambere sit, & cur sic probati ad prælia cum hoste gerenda sint apti, perpendendum fuerit. Neq; cubi in trecentis, ex suis denarijs conflati, negligendi fuerint.

Eadem nocte.) Omnia quæ diuina ratione partam uictoriam declarent, recensentur: ipsum nocturnum hosti oblatum, & eius interpretatio Gedeoni ad uictoriam utilis, atque hostibus pernicialis, & reliqua. de quibus in ipso scripto.

Vt locustarum multitudo.) Tractandæ ex historijs erit clades, quã locustæ agros populantes afferunt: nec non natura & ortus locustarum, quo similitudo qua hostes locustis comparantur, melius cognoscatur, & uictoria trecentorum Israelitarum ad laudem bonitatis & potentiæ diuinæ illustrior reddatur. Sunt & nostro Gedeoni hostes sui, locustis, quæ neq; terrenum neq; cœleste animal sunt, similes. de quibus in Apocalypsi Ioannis.

Quasi subcinericius panis.) Versio hæc sacro mysterio congruit, non item quæ pro מְלִיל strepitum reddit. Similiter Græci, & ipse Paraphrastes, qui reddit חרר רלחית. Indicat ustum à Gedeone, afflictionis igni uelut pane ad prunas cocto, Madianitas uincendos. ubi primò quid panis, deinde quid hordeaceus panis, tũ quid tostus, postremò quid deuolutio eius ad hostium castra figuret, perpendendum erit. Quod ad panem attinet, legimus de uero illo & cœlesti pane: Ego sum panis uitæ. De igni uerò afflictionum quo is panis coctus est, illud Iesaiæ: Vulneratus & contritus est propter scelera nostra. Ad cuius figurã apud Zachariam Iehosua sacerdos, typus sacerdotis Christi, torris de igni sumptus indicatur. Ad hordeaceum autem panem quod attinet, quia is uilior est panis, de Christo cœlesti pane legimus: Nouissimus uirorum. de hordei etiam natura & usu, quæ à scriptoribus rerum traduntur, huc afferri possunt. Demum panis ab editioribus locis ad castra hostilia in imo loco posita, quæ euertat Gedeon, deuolutio, quid repræsentet nobis, docet illud apud Ioannem: Panis qui de cœlo descendit. Hunc potestates in profunda mortis & inferni ualle uersantes, per igneum cœli spiritum, quo bene in crucis furno coctus est, uincẽdum tenere, agnoscit sanctorum fides. Nec aliter comparati sunt sub signis Messiæ militantes, qui ad prunas afflictionum excocti panes sunt. de quibus illud: Igne nos examinasti. Qui quam uis uilissimi panes in mundo habeantur, per eos tamen potentissima mundi demolitur Deus.

Respondit is qui loquebatur.) Interpretatio somnij confirmans Gedeonem, indicat prouidentiam Dei etiam per hostes pro suorũ salute laborare. Habent enim hostes quoq; somnia diuinitus immissa, sed sibi aduersa, & Israelitis salutaria. Sic Bileamus pro gente Israelitica, cui infestus erat, uaticinatus est aduersus hostes illius.

Et interpretationem eius.) Similiter nostro interpreti Paraphrastes, qui pro שברר reddit מישריה, à fractione tropo mutuato. Visum enim quod clausum est, tectas continens sententias & occultas, quasi frangendo aperitur, cum à doctis hominibus explicatur, sensu qui latuerat eruto.

Adorauit.) Dei beneficio flexis genibus adorabundè agnito & amplificato.

Diuisitq; trecentos uiros.) Acies, arma, stratagema, & uictoria Gedeonis describuntur. Acies tribus ordinibus fuit diuisa. Arma erãt, tubæ, lagenæ & lampades. tempus quo adorti sunt hostes, media noctis uigilia fuit, subitæ & terribili incursioni opportuna.

Quod me facere uideritis.) tanquam ducem. de nostro Gedeone uates Micheas: Ascẽdens, pandensq; iter ante eos, & trãsibit rex eorum ante eos, & Dominus in capite eorũ. Iubet Gedeon, contẽpta sua uita trecentos secũ periculo adire. Noster Gedeon his uerbis suos hortatur: Quisquis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Domino & Gedeoni.) Gladium in hostes strictum, proclamari debere Domini & Gedeonis gladium esse: Domini quidem, ut pugnantis pro Israelitis, & omnia ad comparãdam uictoriam præparantis: Gedeonis uerò, ut instrumenti diuinæ fortitudinis, quo Dominus uictoriam expediat suis, cui nulla uis hostilis resistat. Simili paraphrasi Hebræa reddit Paraphrastes: ותימרון חרבא דאיתסטל מרע קרם גדעון יחרח וריצחנא עלירי גרעין. Item infrà clamauerunt, Gladius Domini & Gedeonis. De nostri Gedeonis ultore & uictore gladio illud: Accinge gladio femur tuum fortissime. sed quali gladio? Gladio, sanè de quo uates Iesaias: Spiritu oris sui interficiet impium. item Ioannes: Et de ore eius gladius utraq; parte acutus exibat.

Vigilijs noctis mediæ.) Hoc tẽpus celebre est iudicio Dei in hostes Israelitarum. Exẽplo sunt Assyrij, Babylonij, Aegyptij. Si nostrum spectes Gedeonem Christum Iesum, ut is se dicat noctu furis instar uenturum ad uindicandos sanctos

ſanctos ſuos, ex euãgeliſtis notum eſt. Cæterùm in tres partes noctis cuſtodia & uigiliæ diuiſæ ſunt, prioribus cuſtodibus ſe ad quietem recipientibus, & nouis ſubeũtibus. Hic de media cuſtodia fit mentio, in qua Madianitarum caſtra adortus ſit Gedeon.

Cœperunt buccinis clangere.) Mirabilis pugnæ & uictoriæ exemplum hic cernitur. Tubarum clangore, fractis lagenis, & lampadum fulgore à tam paucis tãtum exercitũ profligatum, & non alijs armis. Atqui occultioris uictoriæ adumbrandæ cauſa, hoc uictoriæ genere uti Gedeonem diuina ſapientia uoluit. Si porrò Meſſiam ſeruatorem, & eos per quos ſuos Iſraelitas de ſuis Madianitis liberat, ſpectes: occurrũt quoque ſuæ uictrices tubæ, ſuæ lagenæ fragiles, ſuæ ſplendẽtes ad uictoriã lampades. Tubæ quidem Euangelij prædicatrices, quarum uictoriosum clangorem edunt ij de quibus uates: In omnẽ terram exiuit ſonus eorum. Atq; hi ſunt trecenti illi ad aquas afflictionum probati. Lagenæ uerò fragiles ſunt, de quibus Apoſtolus: Habemus thesaurum hunc in teſtaceis uaſculis, ut uirtutis eminentia ſit Dei, & non ex nobis. His amphoris ac lagenis uincit robuſtiſſima mundi Deus, per eum qui fragilis lagena factus eſt pro nobis, qui eam quam intra ſe lucem cõtinet, in cruce fractus, & tertio die ui excitationis è mortuis & integritati reſtitutus, ad perniciẽ hoſtium, & ſalutẽ ſuorum Iſraelitarũ, ut longe lateq; fulgeret, accẽdit, eamq; in cadis fragilibus reponit. Qui dum franguntur, hoc eſt premuntur, uexantur, ad mactationem tanquam balantes adducũtur, hunc admirandum fulgorem ſacri & cœleſtis euangelij horribilẽ impijs, gratum uerò & ſuauem pijs edunt. His armis paratur uictoria ſanctorum duce Chriſto, ut locus ſit oraculo Danielis, Gedeonis ſtratagemate adumbrato: Sine manu cõteretur. Vt hic cũ buccinis Gedeonis lampades coniunctæ legũtur, ſic cum tubis euangelicis ſplendor Dei igneus cõiungitur, ut eſt in Actis: Et uiſæ ſunt illis diſſectæ linguæ uelut igneæ. ad ſignificandum, cum buccinis prædicationis euangelij fulgentem lampadem copulari, cuius lumẽ ſalutare pijs eſſet, perniciosum impijs. Sicut faces Gedeoniæ ſalutares Iſraelitis, & exitiales hoſtibus fuerunt.

Siniſtris manibus lampades.) ſed quæ antea tectæ fuiſſent cadis, ne prius uiderentur ab hoſtibus, quàm tubis clangeretur, buccinarum clãgore præcedẽte ſplendorem lampadum. Submoto uelo, occurrit fidei fax euangelicæ tubæ ſonum conſequẽs. de quo illud: Fides ex auditu. Quæ fidei lux in lampadibus lucet, de quibus apud Lucam lux ipſa: Sint lucernæ ueſtræ accenſæ. Accenſæ uidelicet luce quæ de ſe prædicat: Ego ſum lux mundi. Hinc leguntur dextra tubas, ſiniſtra ardẽtes faces tenuiſſe. Cæterùm ut Græci & Latini Hebræam uocem בר retineant, ſatis clarum. neque uox Lampades diſſimulat ueſtigia Hebrææ uocis לפידים.

Gladius Domini & Gedeonis.) Quæ uox terrebat Madianitas, ex interpretatione illa quã Madianita attulit: Non eſt hoc aliud quàm gladius Gedeonis.

Omnia caſtra turbata ſunt.) ἀναστρώσις miſeræ cladis.

Immiſitq; Dominus gladium.) Locus is admonet, reuocata hypotheſi ad theſim, ſanctorũ hoſtes ſuis ipſorũ gladijs perire: & quibus reb. machinantur exitiũ electis Dei, eiſdem ipſos interire. Sic Goliath ſuo ipſius gladio perijt: ſic Palæſtini in ſe ipſi gladios ſuos, quos ad interficiendos Iſraelitas parauerãt, ſtrinxerũt, ut eos perterruiſſet Ionathan. Similia leguntur de Moabitis in altero Paralipomenõ libro. Hoc modo Antichriſtus cũ pſeudoprophetis & dracone ipſo, à quo ille poteſtatem ſuam ſumit, ſuo gladio iugulabitur, teſtimonio nimirum ueritatis quam in iniuſticia damnante & accuſante conſcientia detinet, iugulandus, cum buccinæ diuini iudicij clangorẽ edet Archangelus, de quo Apoſtolus: Quoniam ipſe Dominus cum hortatu & uoce archangeli & tuba deſcendet de cœlo.

Bethſita.) Hæc loca in tribu Manaſſenſi poſita, à Ioſua non memorantur. Thebath ciuitas Aulonis prope Abelmecholam. loca ſunt clara fuga & cæde Madianitarum, qui cæſi fugam Iordanem uerſus tentarunt per Abelmecholam, cũ Gedeon prope Arodum fontem circa Gilboam montem caſtra fixiſſet.

In petra Oreb.) nomen ſortita à principe Oreb in ea interfecto. altera petra eſt Oreb in ſolitudine Arabiæ Petrææ, ex qua Moſes aquas expreſſit. ſed hæc הרב, illa ערוב appellatur. Hactenus de Gedeonis delectu militari, ſignis, armatura, ſtrategemate, & uictoria de Madianitis relata, cuius in reliqua ſcriptura ſacra celebris fit mentio. ſic enim Dauid uates de ea meminit: Fac illis ſicut Madian & Siſaræ, pone principes eorum ſicut Oreb & Zeeb. Item apud Ieſaiam: Et ſuſcitabit ſupra eum Dominus exercituum flagellum, iuxta plagam Madian in petra Oreb. Cæterùm hæc uictoria, altera uictoria eſt ab Iſraelitis de Madianitis relata. prior in Numeris exponi-

tur,

tur, quæ de illis trans Iordanem Mose duce reportata fuit.

IN CAPVT VIII.

Dixeruntq; ad eum.) Grauis Ephraimitarum expostulatio de se in prælio contra Madianitas gesto neglectis. De locis eius interpretandum meminerimus.

Quid est hoc.) Interrogatio, ad significandam indignationis uehementiam adhibetur.

Quòd facere noluisti.) cognatus noster & uicinus. Ab attributo cognationis.

Vt nos non uocares.) fratres Manassis & per eius tribum dispersos: cum alios uocaris remotiores, ut Zabulonios, Nephthalitas, & Aserianos. Augebat eis indignationem, quòd putarent primas se partes decussse in hoc prælio habere, qui primogenituræ ius accepissent à Iacobo præ Manasse: ut ex Genesi licet cognoscere. Itaq; hanc rixationem accendit partim contemptio, per quam ira excitatur: partim inuidia, quæ ex rebus prosperis, uictoria, opibus, honore, & dignitate eorum quos similes nobis putamus, oritur. Ephraimitæ qua semper ambitiõe fuerint propter primogenituræ dignitatem & opulentiam, ex historia sacra & prophetis clarũ est. Tales autem ad inuidiam maximè procliues sunt.

Contra Madian.) communem, non priuatum unius familiæ hostem.

Quibus ille respondit.) Prudentis modestæq; responsionis exemplum in Gedeone proponitur. Atq; hæc est diuinæ fortitudinis uis, quæ non sinat pios rebus prosperè fluentibus insolescere, sed summissos animos ad publicã tranquillitatẽ tuendam, & ad cauendos graues motus reddat.

Quid enim tale facere potui.) Apposita tum ad sedandam iram, tum ad imminuendam inuidiam responsio. Contemptus iram solet concitare in eo, qui putat se despectum: res prosperæ alterius, inuidiam. Vtrunq; amoliri studet prudens uir moderato responso: iram quidem, cũ Ephraimenses non contemptos esse dicit. Nouerat enim placatos ac lenes effici, qui intellexerint se minimè negligi, sed magni fieri. Inuidiæ uerò ignem extinguit, cum maiore uictoriæ laude Ephraimenses clarere dicit, quàm Manassenses. Vt enim inuidia rebus fœlicibus accẽditur, ita eorum deiectione, quibus inuidemus, restinguitur. Cedendum igitur fuerit Gedeonis exemplo in loco aliorum iræ. Nam tales facilè amantur, & iratorum furorem placant. Qui inflammatur magis, si irati cum iratis committuntur. Quod cum fit, perinde est atq; si quis ignem igni addat.

Nónne melior est racemus.) Apposita ad leniendam iram allegoriam adhibet. Racemationem uocat, uictos ab Ephraimensibus duces: uindemiam, reliquum exercitum à Manassensibus fugatum. At ut clarior uictoria est, duces cæpisse, quam exercitum fudisse: ita laude longè maiore dignos esse Ephraimẽses quàm Manassenses, quòd cæsis ducibus in posterum omnis repetendi belli spes præcidatur, non item profligato exercitu, cui facile nouus succedat, sed qui priuatus ducibus nihil ualeat. Allegoriam Gedeon ipse explicat, cum subijcit: Vobis in manum tradidit Madianitarum principes.

Requieuit spiritus eorum.) Placatam iram, quæ nomine רוח interdum accipitur. Hoc est, pro ea parte animi quæ motus & perturbationes continet. Sapienter igitur sapiens Salomon ait: Responsio lenis sedat iram, oratio uerò durior excitat eam. Vbi יעלה uerbum indicat per iram animi arcem peti.

Cumq; uenisset Gedeon.) Redit ad narrationem.

Cum trecentis uiris.) His præliũ quod cæperant, finituris, ex quibus nullum desiderari diuinæ prouidentiæ placuit. ut firmum sit illud de ouibus duce pastore & uictore agno: Nemo rapiet eos de manu mea. Item: Non perdidi ex eis quenquam. cum contrà uniuersus Madianitarum exercitus cum ducibus deletus hic legatur. primò centum uiginti millibus, deinde reliquis qui euaserant trans Iordanem quindecim millibus profligatis. Quos non solum terra sacra intra fines suos non tulit, sed etiam ut extra eam delerentur, uindice Deo elaborauit, ut quæ non Madianitis, sed Israelitis pro hæreditate esset designata, qui liberæ Saræ soboles essent, non seruæ Cethuræ, ex qua Madianitas genuerat Abrahamus.

Et præ lassitudine.) Lassi quidẽ, fameq; & siti affecti persequendo hostes redduntur: sed non deficiunt trecenti illi quos Deus ad aquas probari iussit. Atq; id ipsum est quod Apostolus dicit de dimicantibus sub signis Gedeonis Christi: Laboramus, at non destituimur.

Dixitq; ad uiros Succoth.) Aequa petitio ad cognatos Gadinæ tribus: quam comprobabat lassitudo, fames, hostis Madianita. at hanc superabat improbitas & perfidia Succothensium, sancto uiro ad probandam animi eius cõstantiam & fidem ne deesset materia, nouæ tentationis occasio offertur. Quare sequitur:

Date obsecro.) Vos cognati & communi fœdere nobis iuncti. Hæc urbs cui olim Iacobus

ut receſsisset ab Esao, nomen dedit, Gaditis ceſsit, ut est apud Iosuam cap. 13.

Quia ualde defecerunt.) A' præsenti neceſsitate, cui natura tribuitur misericordia, ducit argumentum.

Vt posſimus perſequi.) communem & pernicialem Madianitarũ hostem. Præcipuus æquitatis locus tractatur in hortando, ab hostis persona sumptus.

Reſponderũt principes Succoth.) Exemplum ingratitudinis coniunctæ cum perfidia & crudelitate. Nam non solum ingrati sunt erga Dei beneficia per Gedeonem Israelitis exhibita, negato feſsis in extrema neceſsitate uictu: uerum etiam quos laudare conueniebat ob res præclarè gestas, probris affecerunt. Si nostrum Gedeonem spectes, legimus apud uatem: Extraneus factus sum fratribus meis, propter te sustinui opprobrium.

Quibus ille ait.) Grauis reſponsio & forti duce digna, in qua Dei gloriæ uindicandæ studium declarat, ad exemplum eius qui in hunc modum in derisores suos inuehitur: Obscurentur oculi eorum ne uideant, & dorsum eorum semper incurua. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Conterã carnes ueſtras.) Talionis lege cum improbis agitur. Par enim est, ut nos corpora uestra spinis teramus magno uestro opprobrio, qui nostra magnis laboribus fatigata fameq; affecta, inedia conficere tentastis, ad tantam crudelitatem additis opprobriorum spinis, quibus animos nostros pungeretis. Clades hæc qua affecti sunt Succothẽses, indicat quàm immane crimen sit, esurienti fratri panem negare. Exemplo sunt Moabitæ & Ammonitæ. Qui ut ciuitate sacræ gentis iussi sint priuari, quòd panem, hoc est res necessarias ad uictũ egreſsis ex Aegypto Israelitis & exlongis deserti itineribus defatigatis denegassent, ex Deuteronomio patet. Hinc execratio illa nata est à nostro cœlesti Gedeone in amoris & charitatis uiolatores apud Matthæũ: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Qui ignis spinas atque aculeos mortis & inferni conscientias miserè pungentes continet. de quibus ex Osea Apostolus: Vbi sunt ô mors aculeus. ut contrà panem frangentibus esurienti regnum cœleste peccati, mortis & inferni spinis tribulisq; liberans promissum est, de quo apud eundem Euangelistam: Venite benedicti patris mei, posſidete regnum paratum uobis ab exordio mundi: esuriui, & dediſtis mihi edere. Regnum inquam lucis æternæ: de qua luce Ieſuas antea prædixerat: Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; introduc in domum tuã, tunc erumpet qua si aurora lumen tuum.

In Phanuel.) Locus is unde nomen sortitus sit, ex Geneſi notum est. Sitũ habuit ubi Iabocus torrens coniungitur cum Iordane: ubi Iacobus, ut ei apparuisset Deus, transiuit flumen. Ditio Nis Gadinæ est, ut cætera hic memorata loca Noba & Iecboa, quorum Iosua nõ meminit. Apparet in Numeris נבח appellatum נבו.

Qui in tabernaculis morabantur.) Qui Scenitæ Arabes erant.

Securi.) qui transiiſsent Iordanem terminũ terræ sacræ. Sic pereunt hostes Dei in media securitate sub duce sanctorum Israelitarum Gedeone Meſsia, qui ait per Apostolum: Cum autem dixerint, pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus.

Turrim quoq; Phanuel.) uictori Gedeoni castra, reges, & munitiſsima quæq;, quibus extra Deum fiditur, cedunt. Deposito typo apud Apostolum legimus: Arma militiæ nostræ non carnalia: sed potentia per Deum ad demolitionem munitionum, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei.

Qualis filius regis.) Regum filios formosos faciunt. sic etiam Græcus uates de Priami regis filio· Αλέξανδρος & θεοειδὴς. Itaq; Seneca negat Claudium debere Deũ fieri, quòd corpore ad diuinam maiestatem apto non esset. Huc Madianitici reges spectantes, regios animos regali corporum forma includi, seruiles uerò & abiectos turpiore circundari fatentur.

Vixit Dominus, quia si seruaſſetis eos.) Exemplum ueræ fortitudinis, parcere captiuis, nisi hostilis crudelitas clementiam in uictore uincat. Vt accidit, si liberi, si fratres, si parentes sint interempti, & filiæ cũ uxoribus stupro uitiatæ. Inermes igitur, interemit Gedeon reges, sed capite damnatos. Quales iudicibus fas erat interficere. sicut lex habet de lapidandis sceleratis: Manus testium prima interficiet eum.

Tu surge & irrue.) quo citius moriantur. Fortaſse etiam illud spectarunt, honestius esse à fortibus & magnis uiris interfici, quàm à pueris & ignobilibus, sicut Abimelechus uoluit occidi ab armigero suo, ne à muliere à qua uulneratus fuerat, interemptus diceretur. Generoſos animos in istis ducibus fuiſse, declarat etiam quòd liberè confeſsi sunt se similes Gedeonis & regum liberos occidiſse, Victi hi duces etiam in reliqua scriptura celebrantur

lebrantur. Sic de eis uates in Psalm. Fac illis sicut Zebeæ & Zalmana.

Non dominabor uestri.) Responsio sapientis uiri, qui intelligeret quàm odiosa res molestaq; esset imperium. ut ille apud Græcos fatetur: πολλὰ ἀνδρὶ βασιλεῖ καὶ στρατηλάτῃ μέλει. Rectè enim si quis gerat imperium, hominibus eum displicere, ut Chrysippus cõfessus est: sin malè, Deo. Deinde quòd uideret ex arbitrio populi, cuius iudicium ferè falleret, non ex respon sis Dei se deligi, qui tantam rempublicam administraret, quam à Deo destinati rectores gubernassent. ut de Mose, Iosua & de cæteris iudicibus, qui Gedeonem præcesserunt, liquet. Hoc autem modo ad gubernacula reipublicæ sedentes, quoniam diuina ratione, non humana imperium administrant, per eos dominari Deus, non homo dicitur. Contrà homo, non Deus imperare, cum imperium uel arbitrio populi Deo non consulto mandetur: uel qui creatus est, ex libidine sua dominetur. Hæc cum perpenderet Gedeon, sic ait:

Sed dominabitur uobis Dominus.) destinato uobis ex oraculis eius iudice ac præside, qui ex sententia legis diuinæ, neque longiori imperio quàm Domnus ipse præscripserit, & uestræ reipublicæ utile sit, uos moderetur. Atque hoc ipsum est Deum dominari, non homines. Itaque ueteres dixerunt, eos uelle Deum imperare, qui legem præesse ac imperare uellent: qui uerò hominem, beluæ committere imperium. Quare sacræ literæ regnis mundi tygrides, ursos, leones, pardos, dracones, & alias sæuissimas feras affingunt, quòd qua parte per libidinem dominantur, per eos princeps mundi Satan draco, non Deus dominari dicatur.

Vnam petitionẽ postulo à uobis.) Qui imperium recusauit, sacerdotij dignitatem præter oracula Dei affectauit, atque ita cum alterum uitium uitare studuit: in alterum, ut sæpe fit, incidit. Postulare enim hic Madianitarum spolia legitur, aureas inaures, bullas, torques, purpureas uestes, & si quæ fuere alia ornamenta, quibus illa gens uti solita est. Sed ad quem usum postulauit? non sanè ad priuatũ suum usum & profanum, sed diuinum, hoc est ad sacrum sacerdotij usum. facere autem id uisus est quòd Deus non ita pridem mandasset ei, ut immolaret sibi hostias in certo quem designasset loco. Quod mandatum cum non putaret temporarium esse, sed perpetuũ, ephôdum ad sacerdotij decus, quo familia sua in faciendis diuinis uteretur, conficere elaborauit. Ex quo sanè instituto Gedeonis hæc licet cognoscere. Primò, etiam sanctissimos uiros in religionis causa zelo quodam hallucinari posse, ut hallucinatus hic Gedeon legitur, quem oportebat cognitum tenere & perpensum, nullam aram, nulla sacra, nulla sacerdotalia ornamenta, nullam familiam aliam quàm Aaronis, in qua sacerdotium uigeret, nullumq; locũ qui tum erat Silûnte, in quo sacra fierent, probari Deo, quàm quem is ipse destinasset tabernaculo suo, ut id ex lege Mosæa & historia Iosuæ cognoscere potuit. Secundo intelligimus nullum zelum, nullam quæ prætexatur bonam intentionem ac cogitationem in religione statuenda placere Deo, quæ non sit oraculis diuinis confirmata. Quæ una sunt certa norma ad quam uera religio dirigi ita debeat, ut omnis cultus extra & citra uerbum Dei institutus, pro idololatria habendus sit, quamlibet in speciem sanctus appareat. Exemplo est Aaronis uitulus aureus, Dathanis & Abironis alienus ignis, aurei Ieroboami uituli, & hic Gedeonis Ephôdus. Quanto magis bestiæ à Daniele descriptæ, et hodie bene notæ, superstitio damnanda fuerit: quæ non solum non ex præscripto uerbi Dei noua sacra excogitauit, sed etiam contra id omnia idolis & falsa religione mutatis temporibus & legibus euãgelij impleuit. Dicunt aduersarij, Romanæ ecclesiæ traditiones ab Apostolis & primis ecclesijs per manus maiorum ad nos propagatas esse: atque ad id probandum, Apostoli sic hortantis Timotheum suum uerba citant: O Timothee custodi depositum. & illud Domini nostri: Multa habeo uobis dicere, sed non potestis modò ferre. Si hoc depositum, & multa quæ tum non potuerunt ferre, sunt ea doctrina quæ traditur de missis in uiuorum & mortuorum usum uendendis: de sacro calice, ijs qui rasi unctiq; sacrificuli non sint, negando: de uotis monasticis aduersus spiritus sacri libertatem nuncupandis, de matrimonijs & certis cibis cum obseruatione temporis cauendis, de idolis fabricandis, de templis & aris diuis consecrandis, de auctis contra numerum à Christo institutum sacramentis: de sanctorum & nostris meritis, quibus mereamur uitam æternam: de libero arbitrio, & ex eo proficiscentibus actionibus, ut his iustificatio improborum conficiatur: de impuro purgatorio, in quo delicta in hoc seculo commissa luantur: de indulgentijs peccatorum certa pecunia redimẽdis, in eum usum plumbo à plumbeis obsignatis literis; si inquam hæc sunt institutа, & traditiones illæ quæ ab Apostolis per maiores ad nos peruenerunt, efficietur sanè Apostolos tradidisse posteris seruanda, quæ ab eorum doctrina

ctrina literis mandata dissentiunt, atq; Christi spiritum contraria sibi statuere dicent. quod affirmare, nefas sit. Traditiones autem & instituta pastoris stulti iam memorata, ab Apostolorum doctrina, quæ literis consignata est, dissentire, tam clarũ est quàm lux meridiana: ut cæci sint, qui id non uideant. & cæcis deteriores sunt, qui cum tantos errores cernunt, nõ cernere tamen se præ se ferunt, ueritatem in conscientia per improbitatem detinẽtes. In horum numero sunt Sophistæ theologi, bis cæci, & duces cæcorum. In quos uates Iesaias his uerbis inuehitur: Væ qui tenebras lucem, & lucem tenebras: qui bonum malum, & malum bonum esse dicũt. Demum ex hac historia liquidum fit, huiusmodi consilia in mutanda religione uetere, & inducenda noua ac falsa, impune non abire, sed à Deo tandem puniri. sicut hic legimus de Gedeone: Et cessit Gedeoni & toti familiæ eius in ruinam. Cæterùm sunt nonnulli, qui putant à Gedeone Ephodum non confectum, quo sacerdos uteretur in facienda re sacra: sed ut seruatum in sua urbe uictoriæ à Madianitis reportatæ monumentum esset, quo deinde sint abusi Israelitæ, magna sua & familiæ Gedeonis clade.

Inaures enim aureas Ismaelitæ.) Madianitas esse ישמעאלים, hoc est Ismaelitas, atq; eos sic uocari, uel ob uicinitatem: uel quia ab uno parente Abrahamo nati essent: uel, ut nonnulli putant, ex una Agare, quæ etiam Cethura appellata sit, geniti sint. Ismaelitæ domum hic memorari uidentur, quòd in castris Madianitarum militarunt, ad paterni odij mensuram implendam. Nam pater Ismael, ancillæ Agaris proles, ut liberæ dominæ que Saræ sobolem odio persecuturus esset, id statim ab initio fuit prædictum, et eius rei mysterium ab Apostolo in epistola ad Galatas explicatum.

Fornicatí que sunt.) dum alienum cultum, aliena sacra in alieno loco persequuntur.

Et omní domuí eius ín ruínam.) ab Abimelecho, septuaginta eius filijs interfectis.

Nec recordatí sunt Domíní Deí suí.) præcipuo eius cultu prætermisso: qui est, gratum & memorem esse erga illius beneficia. de quo uates: Sacrificium laudis honorat me.

Nec fecerunt misericordiam.) Quos obliuio beneficiorum Dei cæperat, nec benefactorum Gedeonis memores fuerunt, quæ cum Dei beneficijs coniuncta erant, qui à Deo sospitator Israelitarum delectus fuerat. Exemplum popularis ingratitudinis & inconstantiæ proponitur. Qui antea Gedeoni regnum detulerant, posthea eius familiam, immemores beneficiorum, delere conati sunt. Huiusmodi ingratitudinis popularis exemplis omnes historiæ plenæ sunt. Quod hic Gedeoni accidit, illi quoque accidit, quem Gedeon figurauit, Christo Iesu Domino nostro. Hunc enim uulgus crucifixit, quem regem creare antea constituisset. Hæc est in uniuersum sors sanctorum, & capitis eorum Messiæ, ut reijciantur ab ijs, de quibus bene mereri studeant.

Percusserunt cum Baal fœdus.) Dei fœdere per iniquam mutationem spreto. in altero enim fœdere Deus omnibus bonis affluens spectatur: in altero uanus Deus, qui in rebus aduersis suos cultores non iuuet: & eos cum quibus copulatur fœdere, omnibus bonis quæ antea habuere, sapientia reipublicæ libertate, pace, rerum copia spoliet. Alterum igitur fœdus cum iustitia, uita, luce, cœlo feritur: alterum cum iniusticia, morte, inferni tenebris percutitur. Tale est fœdus quod hic legitur cum Baale ab Israelitis percussum.

IN CAPVT IX.

ABijt autem Abimelech.) Ortus, facta, miserq; exitus tyrannidis ab Abimelecho contra ius per calumnias & malas artes affectatæ narrantur.

Ad fratres matrís suæ.) ut iniquos Gedeonis ex libera natis filijs, & ita ad res contra eos nouandas accommodatos. Nouerant illi, ad Abimelechum paternæ hæreditatis ius non pertinere, certa munera pertinere, qui esset non ex domina & libera, sed ex concubina serua natus. Hoc ipsum in matre concubina, in filio eius Abimelecho, & in propinquis aduersus Gedeonis liberos ex liberis uxoribus genitos, inuidiam excitabat.

Et locutus est ad eos.) Oratio Abimelechi dolis affectandæ tyrannidis instructa. De cuius locis inter interpretandum meminerimus.

Quíd uobís est melíus.) Ab utili, per comparationem, sed neglecto honesto, & assumptis luculentis calumnijs. Quòd ad utilitatem attinet, uersutus orator proponit utilius esse unum imperare quàm multos. Vt est apud Græcum uatem:

οὐκ ἀγαθὴ πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Vnde uox illa Macedonis nata, neque terram duos soles, neque regnum duos reges ferre posse. Quòd uerò ad calumniam pertinet, hæc in eo cernitur, quòd Gedeonis filios fratres suos quasi

quasi ad imperium aspirarent, apud Sichimitas traduxit, dicens: Vt dominentur in uobis septuaginta uiri. Qui proculdubio ab huiusmodi ambitione aberant, ut recusati à patre imperij memores, quem dixisse nouerant: Non dominabor in uos, neq; dominabitur filius meus.

Quia os & caro.) Cognationis ac propinquitatis loco in hortando utitur. Qui, quantam uim ad opem ferendam haberet, nõ ignorabat. Vbi etiam æquitatem pondus suum tenere in mala causa, putauit. Aequum nimirum esse, ut propinqui propinquum iuuent.

Et inclinauerunt.) Exemplum mobilis, & ad seditionem propensi ingenij in uulgo. Vt meritò id belua multorum capitum fingatur.

Septuaginta pondo argenti.) Templum Baal spoliant argento, ut ad tyrannidem aspirantem adiuuent. Digna pecunia erat quæ in hunc usum exponeretur. Vetus dictum est: Male parta, malè dilabuntur. Sic est uulgus, quod in res malas sua sponte profuse sumptus facit, in bonas & honestas parcè & illiberaliter. Intueamur tempora stulti pastoris.

De fano Baalberith.) Varia Baal siue Belus cognomina habuit, qui modò Baalzebub, modò Baalpeor, hic Baalberith appellatur.

Qui conduxit.) Exponitur usus pecuniæ. Qualis tyrannidis affectator, quales Baalis cultores, et qualis pecunia erat, talis exercitus ex pecunia uanissimi idoli ex uanis militibus, qui Gedeonis filios deleret, conscriptus fuit. Voces enim Hebrææ uanos homines & seditiosos significant. Talia præsidia & milites tyrannidis suæ custodes habent tyranni, bonos & sapientes, ut aduersos suis consilijs, non ferentes. Hinc tradunt ij qui de tyrannorum moribus scribunt, à tyrannis neque sapientes & probos uiros ferri: neque principes uiros, qui potentia & autoritate floreant, tolerari, quam suspectam, ne noceat, sibi habeant. Veluti in Periandri consilio, quod proposita parabola de summis decutiendis spicis dedit, cernere licet. Adeò pater tyrannorum Satan, hostis omnis legitimæ & honestæ rectionis, in tyrannis orbis terrarum regnat. Quare sequitur in textu:

Occidit fratres suos.) à Satana instinctus, qui homicida fuit ab initio. Reuocata hypothesi ad thesim, intelligimus regnandi gratia, uiolato omni humanitatis iure, neq; liberos parentibus, neq; fratres fratribus, neq; propinquos propinquis parcere. Vt exemplo est Cain, interfector fratris Abelis. Exemplo Absalomus, qui patrem Dauidem, ad occupãdum eius regnum, crudeliter persecutus est, uitiatis eius concubinis, ut regnum in Israelitas capesseret. Ioramus rex fratres suos occidit, ut regnum patris sui inuaderet. Si profana exempla spectes, est in historijs ab Artaxerxe interfectum maximum natu filium Darium, ob insidias quas patri intenderat. Simile crudelitatis regni gratia à Romulo editum est. Tanta humana pectora regnandi cupiditas uexat, ut per odia, inuidiam, uim & cædes, uiam sibi ad tyrannidem faciant, neq; fœderis, neq; propinquitatis ratione habita. Hinc illa apud tragicum tyrannica uox:

εἴπερ γὰρ ἁδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἁδικεῖν, τἆλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Quos uersus Latinus orator his uerbis reddidit:

Nam si uiolandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: alijs in rebus pietatem colas.

Cæterùm quid odium istud Abimelechi ex serua nati, in dominæ liberos significet, Apostolus in epistola ad Galatas declarat: exemplo de Ismaele & Isaaco allato.

Remansitq; Ioathan filius Ierobaal.) qui in Abimelechum diris exagitatum fratrum cædem uindicaret. In quo beneuolentia Dei in sanctum uirum Gedeonem, & odium in Abimelechum tyrannum apparuit, hoc fecem furoris diuini ebibente ex calice, quem plenum uindicta Dei seueritas impijs propinat. Dicat hic aliquis: Si euasit Ioathamus, cur igitur septuaginta, cum plures non fuerint filij Gedeonis, leguntur hic interfecti? More linguæ numerorum summa propter unum si desit, nõ mutatur. Simile legitur de septuaginta hominibus qui in Aegyptum migrarunt, cum tamen LXIX migrarint, nisi in numerum ueniat Iacobus.

Et constituerunt regem.) præter oraculum Dei, non contenti reipub. statu, in quo æquabili iure cunctis uti licebat: ut rectè quidam dixerit res prosperas εὐμοίρους esse. Cæterùm מלך apud Hebræos commune regum & tyrannorum nomen est, & מלוכה regni & tyrannidis.

In uertice montis Garizim.) In monte Garizimo ad deuouendos sceleratos stat, qui mons ad benedicendum selectus à Mose fuerat. Meritò autem hunc montem ex libera natus aduersus Abimelechum, ex serua genitum, cui diras imprecetur, occupauit. Quò pertinet etymum גרזים. Vox enim excidium notat. Vnde cognoscimus, benedictionem, cui mõs iste sacratus fuit, in maledictionem uerti, si probitas in improbitatem commutata sit.

Audite me uiri Sichem.) Genere fabulæ, tum ad declarandam Sichimitarum perfidiam, tum ad significandum supplicium quo sontes afficiantur, appositò utitur. Vnde quæ uetustas sit apologorum & eorum usus, à quibus nec diuinus spiritus abhorruerit, indicatur. Quòd ad antiquitatem attinet, Iothamus & Abimelechus Minois legislatoris Cretensium temporibus uixerunt. De usu apud scriptores artis dicendi uideris. Apologus Ioathami suum exordium, narrationem & epilogum, quod ὡς μύθιον est, habet.

Audite me.) Exordium attentionis locum continet.

Ierunt ligna.) Narratio. In apologis interdum animantia mente carentia de rebus deliberare & loqui fingũtur, interdum res inanimes & sensus expertes. Posterioris generis apologi hic afferuntur, in quibus narratio ficta, sed ueritatem repræsentans, ad docendum utilis & accommodata cernitur: quales fuerunt Agrippæ Menenij, & Stesichori apologi, quales item sunt Aesopi fabulæ. Harum autem cum duplex genus sit, alterum illiberale & scurrile, ad delectandum inani & futili uerborum funditatione comparatum: alterum, liberale, honestum, eruditum & doctum, ut ex rerum natura petitum, quod ad mores atq; prudentiam formandam appositum sit: hoc genus laudatur, illud uituperatur.

Vt ungerent.) Vngere pro creare, noto tropo. Sic Paraphrastes למינאה.

Dixeruntq; oliuæ.) Israelitæ petentes regem, arboribus comparantur: Gedeon cum suis liberis detrectans regnum, oleæ, ficui, & uiti: Abimelechus uerò ex concubina genitus, rhamno, & spinæ. Olea sua contenta pinguedine, arboribus non contentis suo statu, recusat imperare, ut indignis oleo quo pinguescant. non secus uitis clara uino Deum & homines exhilarante, & ficus grata suauissimo fructu se gerunt. Quo significatur primò, eos qui suum statum retinere nolunt, quo tranquillè possent uti, et ex libidine regium imperium, cui pareant, expetunt indignos esse qui à bonis gubernentur: sed dignos, in quos spinæ, hoc est tyranni spinarum modo pungentes, regnent. Exemplo hic sunt Sichimitæ, & infrà Israelitæ, ab eis rege pro inducibus affectato. Secundò, docemur sapientes uiros cauere ne à uulgò temerè oblatum imperium cum tranquillitatis suæ periculo capessant: sed suum statum boni consulentes, eum recusent quem Deo displicere intelligũt. Tertiò, à Deo imperia pro hominum moribus dispensari, alijs ab eo regiam potestatem, alijs optimates, alijs tyrannos rectores imponi: & sæpe in ijs qui parent, cũ moribus & ingenijs Dei certo consilio imperia mutari. Vt licet uidere hic in Israelitico populo accidisse, in quo tyrannus Abimelechus probis iudicibus successit. Sic Dauidi & Salomoni successit Roboamus, Ezechiæ Manasses, & alij impij reges. Quæ uicissitudo profanis etiam gentibus sub iusto Dei iudicio contingit. de quo Daniel his uerbis meminit: Ipse mutat tempora & ætates, transfert regna atq; constituit. Postremò cognoscimus ex hoc apologo, quem oliua & ficus, & quem Abimelechus sub figura spinæ adumbrarit. Ab eo illum nobis figuratum, de quo Messias cœlestis Gedeon ad Iudæos meminit: Si alius uenerit post me nomine suo, eum recipietis: significato aduersario, qui seruus peccati, ex serua impiorum ecclesia natus, liberos ex libera electorum ecclesia genitos crudeliter insectatur & occidit: ut Abimelechus Gedeonis liberos, quos dominæ & liberæ uxores genuerant, occidit & interfecit. A' Gedeone uerò sub specie oliuæ, ficus & uitis, uerum illum & cœlestem Gedeonem Christum Dominũ nostrum præfiguratum documẽto est, quòd is ipse delatum ad se regnum à Iudæis reiecit, quia sciret, fas non esse ut eo modo regnaret in Iacobæos, quo regnum delatum fuerat, cuius imperium non carnale, sed spirituale: non terrenum, sed cœleste esset futurum. Qui etiam cognosceret se oliuam esse fundentem spirituale ad exhilarandum oleum. de quo uates: Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Quod oleum ut ijs qui ex hoc mundo sunt carnalia & mundana expetentes non congruit, ita nec rex Christus talibus imperare sustinet, sed ijs qui ex mundo selecti, cœlestia curæ habent, non terrena. ut nec oliua macris arboribus & exilibus imperare uoluit, quibus rhamni imperium congrueret. Idem iudicium de ficu est, cuius dulcissimus fructus eam nobis dulcedinem repræsentat, de qua idem uates Dauid: Quàm dulcia faucibus eloquia tua. At hunc dulcorem non impertit omnibus ficus hæc. Notum enim est illud: Qui ex Deo est, uerba mea audit. Item: Vos non auditis, quia ex Deo non estis. Vitis postremò quem nobis significet, indicat uitis ipsa cœlestis quæ de se apud Ioannem dicit: Ego sum uitis uera, quæ uinum lætificans suppeditat. de quo Iesaias: Venite, emite uinum absque argento. Vinum, inquam, cœleste, de quo dispensator huius uini apud Marcum: Amen dico uobis, post hac non bibam de fructu uitis, usque ad diem illum, cum bibam nouum in regno Dei. Huius uini qui participes

pes sint, pijs ex liberæ libero spiritu natis, manifestum est.

Qua & dij utuntur.) Alludit ad olei in re diuina adhiberi soliti usum. Nam si sacrificia spectes, occurrent מנחות, id est dapalia munera oleo conspersa: sin tabernaculi apparatum, occurrunt lucernæ oleo puro puto fotæ, item reliqua uasa oleo deuncta, sin personas consideres, sacerdotes sacro unguento ex oliuo oleo confecto unctis se offerunt. De mystica ratione in legis explicatione meminimus.

Et homines.) Qui usus in condendis cibis, & facienda medicatione cernitur. Qua de re uideris apud scriptores rerum.

Vt inter ligna promouear.) Tropum Paraphrastes reddit ולמועבר מלכי, id est ad administrandum regnũ. Cuius molestias sibi auxerint, qui in eos regium imperium tentant gerere, quos tyrannide conueniat uexari. Quod est hic macris arboribus pinguis oleæ regnum non competere. Idem iudicium de ficu, quæ facilè suam pinguedinem & dulcedinem amittat, si se cum cæteris arboribus coniungat.

Quod lætificat Deum.) Alludit ad נסכים, hoc est ad libamina Deo libari solita.

Et homines.) De quo Dauid: Vinum exhilarat cor hominis. idq; fit propter liquorem igneæ ui temperatum, et cordi ad gignendos uitales spiritus accommodatum. Hinc Græcus uates uinum ὕδωρ ἀκεραπὸν ἀχόλης uocat. et Latinus: Adsis lætitiæ Bacchus dator. Sed est etiam uinum non exhilarans, sed mœrorem inducens, uinum uidelicet quod bibitur ex calice. de quo propheta Iesaias: Bibisti de manu Domini calicem furoris.

Ad rhamnum.) Destitutæ arbores imperio oluæ, ficus & uitis, spinetũ tandem quod imperet, exorant. Qui principatus sua sorte non contentis arboribus dignus sanè fuit.

Ignis de rhamno.) Spinis materiam ignis præbentibus. Sic enim uates Iesaias: Congregatæ spinæ igni comburentur. Submoue mysticæ narrationis uelum. Nam quales spinæ, qualisq; ignis hic adumbretur. sequentia docebunt.

Nunc igitur, si rectè.) ὑπομύθιον, hoc est explicatio apologi de spineto epilogi uice subiungitur. Arbores, ciues Sichimitæ sunt: spinetũ, Abimelechus: cedri, principes Sichimitarum uiri, qui sublatis Gedeonis liberis, Abimelechum ad imperium euexerunt. Ignis, iudicium Dei sceleratos consumens, ad uindicandam necem filiorum Gedeonis. Vtitur disiunctione apta ad imprecandas diras. Cæterùm in אמת fides notatur, contraria perfidiæ & fraudi: in תמים integritas & innocentia, nocendi & iniuriandi studio cõtraria.

Nunc ergo surrexistis.) malefacta benefactis referentes, cõtra naturæ legem, quæ monet benefactis benefacta compensanda esse, & de bene meritis bene merendum, non malè. Inuentus est qui diceret, non temerè à quoquam beneficiũ recipiendum esse: aut enim ut rependere possit, molestias habiturum, aut si non referat, in ingratitudinis reprehensionem incursurum. At ô uos Sichimitæ non solùm ut rependeretis Gedeoni digna factis præmia, non curastis, sed etiam malè mereri de benemerito de uobis studuistis. Submota umbra intueamur nostrum Gedeonem Messiam benedictum, cui ut sui Sichimitæ mala pro bonis retulerint, & etiam nunc referant, conqueritur is sub figura uineæ apud Iesaiam capite quinto, & sine figura capite primo.

Et interfecistis filios eius.) qui ut uos uiueretis, mortis periculo se exposuit. Sicut præcessit: Et uitã suam exposuit periculo. Reducto uelo noster Gedeon de se prædicat: Pono animam meam pro ouibus. Sed quæ gratia pro hoc beneficio ei est relata? Legis apud uatem: Sanctum Israelitarum blasphemarunt: & conuicijs non contenti, eum interfecerunt, ut id antea prædixerat Daniel: Et interficietur Messias. Sed nec cõtenti hunc peremisse, eius etiam liberos ipsius spiritu natos necare moliuntur. de quibus illud: Sicut ouis ad mactationem ducimur.

Et constituistis.) Explicantur arbores.

Regem Ahimelech.) Explicatur spinetum.

Filium ancillæ.) ad eum imperio legitimo iure nullo pertinente. Sed quales uos estis, talem nacti estis principem. Si spiritalia spectentur, alijs Christus, quos spiritu uitæ & ueritatis regat, alijs Antichristus, quibus per spiritum mortis, mendacij & tenebrarum imperet, conuenit. Qui Antichristus aduersarius Messiæ cœlestis Gedeonis & liberorum eius, uerè rhamnus ac spina est aculeis peccati & mortis pungens. De quibus suprà ex Osea uate: Vbi est ô mors aculeus tuus? Spinæ igitur quibus Gedeõ Succothenses ciues mi serè contriuit, meritò leguntur hic perfidis Sichimitis suo ipsorum malo, non bono, imperare.

Si ergo rectè.) Concludit disiunctionem epimythij.

Hodie lætamini.) Explicatur umbræ & spes, de qua suprà: Et sua umbra confiderent.

Sin autem peruersæ.) Altera pars disiunctionis, in qua ignis & cedri explicantur.

In

In Bera.) Locus Ciriarbitarim uicinus, inter Hierosolyma est & Azotum. uocatur & Beræa.

Ob metum Abimelech.) ut est periculosa improbitas uires nacta. Qualis tyrannorũ est improbitas armata potentia, qua metui uolũt, amari non curant: ut peruagata illa sententia à tyrannis iactata indicat: Oderint, dum metuant.

Itaq; regnauit Abimelech.) Non scribitur hic ut de cæteris וישפט, id est iudicauit: sed ישר, id est dominatus est, qui à Deo ad iudicandos, hoc est uindicandos à malis Israelitas missus non esset, sed se malo eorum ad imperium malo dolo ingessisset.

Tribus annis.) cum Gedeon quadraginta Israelitis præfuisset. Sic est tyrannis, quæ ut ui defenditur, & metu, ita diuturna esse nequit: ut ille ait: Malus custos diuturnitatis metus. Diuina enim prouidentia ut in natura uiolentum non fert, ita nec in rebusp. et religione fert, quæ intelligat nihil perniciosius esse tyrannis. Veluti quidam interrogatus quod esset ex animalibus pernicio sissimum, his uerbis respondit: Syluestrium tyrannus, domesticorum adulator.

Misitq; Deus spiritum pessimum.) expositis malis artibus quibus Abimelechus ad tyrannidem aspirauit. Iam qua ratione tyrãnus cum suis conspiratoribus perierit, exponetur. primò, immissum esse malum spiritũ autorẽ interitus: deinde, mutua dissidia ciuiũ cũ Abimelecho exorta: postremò, miserum tyranno allatum interitum ab ijs quorum ope imperium affectauerat. De singulis ex ipso scripto meminerimus. Quòd ad malum spiritum attinet, is Satan est. Qui bifariã à Deo mitti dicitur. uno modo, ut bonos tum aduersis, tum secundis rebus tentet: non eorum quidem, si diuinam uoluntatem spectes, malo, sed bono. ut sunt exemplo omnes pij. Sic enim in historia Iobi legimus, ut etiam Satan inter filios Dei tanquam minister ad exequendum quæ iussus fuerit, ante Dei thronum appareat. Altero modo à Deo Satan malus spiritus mitti dicitur, cum eius libidini impiorum animi à Deo permittuntur, quos ira, odijs, inuidia, discordia, & pernicio sis cupiditatibus ad perdendos eos exagitet. Cuius emissi praui spiritus exemplum hic ostenditur. Eodem modo spiritum mendacem, qui idem Satan est, in libris Regum ad decipiendum Deus mittere dicitur. Quomodo aũt boni & mali, & quo discrimine à Deo moueantur, ea de re alias monuimus. Nominatur Satan malus spiritus, qui dissidia spirans, odiorum & homicidiorum parens sit: contrarius illi spiritus est, qui amorem & beneuolentiã spirat. Hoc amore suprà Gedeon afflatus legitur: Spiritus autem Domini induit Gedeonem. Sed in quem usum induit? ut Israelitas à ui & tyrannide hostium liberaret, spiritu malo induente Abimelechum, qui suos quos regebat, & se perderet. Iam dissimiles sunt hi duo spiritus inter se à natura, facultate & exitu.

Qui cœperunt eum detestari.) וִיבְגְּדוּ, est fidem fallere & deficere. Verbum igitur hoc in proditores, desertores, & in eos qui à dominis suis deficiunt, ut fuerunt Sichimitæ, conuenit. Itaq; Paraphrastes, וישקרו.

Et scelus interfectionis.) In לְבוֹא exponitur causa defectionis: hanc excitatam, ut exorto inter Sichimitas & Abimelechum dissidio, Gedeonis liberis illata uis uindicaretur. Vnde intelligimus, conspirationem & fœdera improborum hominum aduersus probos diuturna non esse, sed tandem uindice prouidentia Dei dissolutum iri, sæpe inter illos ipsos exorta discordia, quos nefaria ad proborum necem societas coniunxerat. Exemplo hic sunt, Abimelechus & Sichimitæ. Exemplo nostris temporibus sunt, sceleratæ sceleratorũ pactiones in aduersarij regno aduersus Christum et sanctos eius initæ. Quæ rumpuntur per eum de quo uates: Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Cuius hæc sententia firma manet: Impij parant foueam in quam cadant. eos sua ipsorum improbitate capiente, ut est apud Salomonem in Prouerbijs. Deinde cognoscimus ex hac historia, ab ijs impios deijci, à quibus ad dignitates insontium uiuria euecti sunt: sed nõ sine etiam suo periculo & malo. Vt exemplo sunt ijdem Sichimitæ, qui Abimelechum, quem ad imperium extulerant, imperio spoliãt, bello eum persecuti. Atq; cum id facerent, interfectorum filiorũ Gedeonis scelus perfidiæ noxa accumularunt. Atq; id horribili iudicio Dei accidit, qui delicta delictis per delictorum architectum Satanam punire solet. Quod longè miserrimum supplicij genus est. Demum, intelligimus Deum utrosq; bonos & malos per malos plectere. Nam quamuis Abimelechus tyrannus dignus esset qui propter uiolatũ propinquitatis ius & contra uoluntatem Dei affectatum imperium periret: fas tamen non erat Sichimitis, eum quem semel regem creassent, imperio spoliare. Atqui cum Deus utrosq; bonos & malos per malos puniat, Sichimitæ digni uisi sunt ei per quos Abimelechus, quem ad tyrannidem euexerant, tolleretur. Itaq; pariter & de tyranno & de perfidis conspiratoribus pœnas expetendi ad ul-

cisce-

ciscendos liberos Gedeonis occasio à iusto iudice Deo sumpta est, de quo uates: Deus iustus iudex. Qua in re mirabilis huius æquitas cum summa bonitate cõiuncta cernitur. Nam is improbis per improbos punitis, Gedeonis familiam sic ultus est, ut ipsa tamen agnosceret, sua culpa, quæ aliena sacra coluisset, sibi uim illatam ab ijs quos de se bene meri conueniebat: sed sic uim illatam, qua non totum genus concideret, sed reliquiæ eius per diuinam clementiam reseruarentur. Contrà hostes Gedeonis genus delere, residui eius nihil facere moliebãtur. Qua ex re intelligere licet, quam dissimili sint cõsilio Deus, & ij quib. ille in puniendo tanquam lictoribus utitur. Etenim Deus eorum quos amat, crimina castigat, ut ipsos ad meliorem frugem reuocatos seruet: hostes uerò lictores in castigando non salutem eorum qui castigantur, sed exitium spectant, ut suas explentes cupiditates, ea quæ expetunt, assequantur. Exemplum in Aegyptijs, in Assyrijs, & alijs grauissimis Israelitarum hostibus, & hic in Abimelecho & Sichimitis, uidere licet. Quod dissimile consilium efficit, ut Deus in puniendo iustè agere, hostes iniustè dicantur. & ij qui puniuntur, seruentur: punientes uerò hostes cum suo crudeli consilio miserè tandem pereant. atq; id fit eo sæuorum consiliorũ uindice, qui dicitur occidere, non ut occidat, sed uiuificet: uulnerare, non ut uulneret, sed sanet: in infernum deturbare, unde in cœlum reuocet plenum diuinæ clementiæ splendore.

Vastantes uineas.) בריצו indicat ipsos uindemiam suarum uinearum fecisse, metuẽtes ne prior eas Abimelechus uindemiaret.

Et factis cantantium choris.) Præmaturum gaudium mox in luctum conuertitur, ut appareat uerum illud esse: Extrema gaudij luctus occupat. ut contrà piorum luctus in lætitiam conuertitur per eum, qui dignatus lugentium & lætantium formis nobis præire, ait: Beati qui lugent.

Ingressi sunt fanum Dei sui.) Baalis: quem coluisse, ex superioribus patet. Itaq; Paraphrastes טעיהתהון.

Maledicebant Abimelecho) cui antea benedixerant. Hæc est sors impiorum, ut exitum eorum maledictio excipiat. Itaq; uera est sententia illa Salomonis: Hæreditas ad quam festinatur à principio, in nouissimo benedictione carebit. Quod accidit Abimelecho, qui cum uita opes & imperium quod malo dolo comparauerat, à suis exagitatus maledictis, amisit. Itaq; rectè tragicus dicit:

—— τὰ γὰρ δόλῳ

τῷδ' μὴ δικαίῳ κτήματ' οὐ σώζειται.

Quis est ipse Abimelech?) De imperio auferendo ipsi Abimelecho, & eo reddendo ueteri familiæ Hemoris consultatio instituitur. Ex hoc Hemore Sichen natus, nomen & urbi & ciuibus iam ab antiquo, ut uidere licet in Genesi, de disse creditur, ubi sic legitur: Sichem filius Hemor Hiuæi principis. Deliberatio odiosa est, plena contemptu generis Ierobaalis. Vnde nonnulli colligunt, Gaalem non Israelitam, sed gentilem hominem fuisse, qui bene fauerit posteris Hemoris, malè Israelitis. Hæc igitur uidetur hic sententia esse: Quæ est conditio uestra, ô ciues Sichimitæ, ut pareatis Abimelecho? nunquid non est is ipse filius Ierobaalis? nunquid non ipse Zebul præfectus eius est homo obscurus de uestro genere minimè natus? Si igitur placet habere dominos quibus pareatis, potius ex familia Hemoris antiquissimo urbis huius fundatore principem cui obediatis eligitote: neq; subditi sitis Abimelecho, filio Ierobaalis, homini nouo, qui dominandi libidine se uobis, quibus imperaret, malis artibus insinuauit, regnum legitimè non possedit.

Dictumq; est Abimelecho.) De Gaale intelligunt interpretes, qui per apostropham ad Abimelechum absentem tanquam præsentem cõuersus, ei ludibundè dixerit: Coge exercitum, & accingere ad prælium: experiamur quid uterque possit. Arrogantis & nimium sibi fidentis, securiq; de malis hominis ingeniũ depingitur. Quam eius & Sichimitarum securitatem, conuiuium etiam cũ publica lætitia celebratũ indicauit. Quod certum imminentis interitus signum fuit.

Vbi est nunc os tuum.) Os Hebræis, ut Latinis, pro impudentia, & audacia.

In Aruma.) Suprà in descriptione tribus Manassensis huius loci non fit mentio. Locus est in agro Sichimitarum, quem Abimelechus ut insidijs aptum delegit, unde urbem seditiosam inuaderet.

Ita ut sal in ea.) Exemplum miseri interitus hominum perfidorum & seditiosorum nobis proponitur. Sparsus per diruptum oppidum sal, notauit desertum id fore & incultum in posterum tempus. Sic de frugifera ualle Sodomorum legimus, ut conuersa sit cœlesti incendio in paludem salis. Sal enim propter igneam uim quam cõtinet, terræ, in quam spargitur, genitalem succum exurit, atq; absumit. Itaq; tradunt scriptores rerum omnem locum in quo reperiatur sal, sterilem esse. Interdum igitur sal laudem habet, propter utilitates quas in condiendo, medicando, & in corpori-

bus à putredine uindicandis affert, interdum non habet. Cæterùm quibus sæpe cladibus Sichima urbs fuerit affecta, in Iosua explicatum est. Cogitauit tyrannus Abimelechus funditùs euertere Sichimam, nunquam instaurandam: sed falsus est. Nam posteris temporibus illam instauratam constat. Vnde intelligimus, aliam diuinæ iræ Sodoma euertẽtis, aliam humanæ, aliam Israeliticas urbes, aliam alias uastãdi rationem in diuina mente esse.

Ingressi sunt fanum Dei sui.) sed frustrà, à quo defendi, quo minus perirent, non potuerint. Verè igitur canit uates: Non est similis tui in dijs, Domine: quoniam magnus es tu solus Deus.

Vt fumo & igni.) ut imprecatus in apologo fuerat Iothamus: Sin uerò secus, egrediatur ignis de rhamno.

Ad oppidum Thebez.) Neq; huius loci in Iosua fit mentio, sed hic, & in libris Regum.

Et ecce mulier.) Miserrimi interitus exẽplum est: sed quo ut periret, dignus erat Abimelechus tyrannus. Is enim, quoniam liberatoris Israelitarum Gedeonis liberos mares peremerat, ut à muliere perimeretur, & suo ipsius gladio confoderetur, qui insontes confodisset, par fuit. Hunc Abimelechi casum cum animis suis orbis terrarũ tyrãni perpendant. Non aliter peribit aduersarius Gedeonis cœlestis.

Fragmen molæ.) Qui in lapide liberos Gedeonis peremerat, lapide perit. Deponendus typus est.

Et reddidit Deus malum.) Catastrophe tragici casus, in quo Deus iustus iudex declaratur: & iustè periisse intelligitur, qui se iniustè gesserat.

Sichimitis quoq;.) qui aduersus liberatorem patriæ conspirassent, in tyrãnidem Abimelechi. Quæ spiritualis ille Abimelechus suis cultoribus sit repensurus, indicat illud: Si quis adoraverit bestiam & imaginem eius, cruciabitur igni & sulphure in conspectu sanctorum angelorum. De mystico igni in apologo Iothami: Et egrediatur ignis de rhamno.

Venitq; super eos maledictio.) Quantam uim uindice Deo tum ad benedicendũ, tum ad maledicendum habeant sancti, Iothami & Elisæi imprecatio docet. Quò pertinet illud Zachariæ: Qui uos tetigerit, pupillam oculi mei tanget. Cogitent igitur impij orbis terrarum homines, ne cœlestis Gedeonis, Messiæ Domini nostri, liberos lædant: ne eorum diris obnoxijs facti, cum Abimelecho & Sichimitis pari interitu conficiantur.

IN CAPVT X.

POst Abimelechum.) Sublata tyrannide, & sopito intestino bello, pristinus reipub. status restitutus est, iudice excitato, qui Israelitas in uero Dei cultu, falso abolito, retineret, & eos contra hostes defenderet. Quod est hic extitisse post Abimelechum Tholam להושיע, id est, ad seruandos Israelitas. Quod munus Abimelecho non tribuitur: qui dominatorem gessisse in Israelitas, nõ seruatorem, legitur. Vnde quod discrimen tyranni & ueri rectoris reip. sit, cognoscitur. Alter honestis artibus imperiũ adipiscitur, alter inhonestis affectat. alter in suscepto dominatu uerum Dei cultum, quem tueatur, leges & uirtutes propositas habet: alter falsum cultum, contemptis legibus et uirtutibus, persequitur. ut Abimelechus exemplo est, cum impijs regibus, qui posteris temporibus remp. Israeliticam administrarunt. Baalis Berithi enim cultus, ut tempore Abimelechi inualuerit, ex superiore narratione patet. Alter præterea uanos et leues homines, per quos, uiolato omni humanitatis iure, in insontes grassetur, sibi adiungit: alter proborum & sapientum uirorum consuetudine oblectatur. alter reip. & communi suorum saluti consulit, & eam priuatis commodis præfert. Veluti hic de Thola legimus, ut defenderet Israelitas. Alter priuatæ utilitati operam nauat, & eam pluris facit, quàm id quod publicè bonum est. de quo tyrannorum iure infrà Sacer meminit. Sed quis utriusq; exitus est? Alter miserè perit inter suos, & à suis. Exemplo Abimelechus est, & gentium historijs nobilitati tyranni. Secus habet alter. sicut legimus de Gedeone: Mortuus est Gedeõ in senectute bona, & sepultus est. & hic de Thola: Mortuus est et sepultus in Samir.

Patrui Abimelechi.) Similiter Græci pro דודו πατρὸς αὐτοῦ reddunt. Quæ uersio si uera est, Phua pater Tholæ, frater Geedeonis fuit. Sed dicas. Mosæam legem obstare de non confundendis tribubus. Respondent qui hanc uersionem sequuntur, Gedeonem & Phuam unam matrem potuisse habere, non item unum patrem. Non autem prohibuisse legem Mosaicam, ne fœminæ in diuersas tribus nuberẽt, nisi essent hæredes relictæ. Sed sunt quibus דודו proprium nomen est, Phuam Dodonis filium fuisse. Atq; hanc sententiam suam confirmari uolunt, quòd Thola legatur Issacharianus fuisse, cum Gedeon Manassensis esset.

In Samir montis Ephraim.) Itaq; Samir locus ad limites Issacharianæ tribus ab austro Manassensi imminentis situs fuit.

Iaïr

Iair Galaadites.) diuersus à Iaire, qui in Numer. Manassæ filius dicitur: à quo, plures quàm trecenti anni ad hunc Iairem defluxerunt.

Et clamantes ad Dominum.) Arma placãdæ iræ Dei recensentur, precatio, agnitio peccati & pœnitentia. sed mirum uideatur fortassis, cur cum in nouo fœdere ubi precationis, remissionis peccatorum, & resipiscentiæ fit mentio, aperta Christi mentio fiat, ea in uetere quoq; nõ adhibeatur: cum nulla neq; diuinæ iræ placatio, neq; melioris uitæ adornatio, nisi in Christo & per Christũ conficiatur. Quæstio non ita difficilem habet explicatum, natura & discrimine utriusq; fœderis cõsiderato. Israelitæ in uetere fœdere, quia tutore ac pædagogo lege gubernabãtur, ad precationẽ, agnitionem peccatorum & eorum condonationem in Christo occultius pro ratione puerilis ætatis aspirabant. In nouo autẽ fœdere puerili legis pædagogia excussa, per adoptionis spiritum eadem illa apertius tentantur & sentiuntur. Qui adoptionis spiritus, quibus temporibus publicè dispensentur, docet Apostolus in epistola ad Galatas his uerbis: Sic & nos cum essemus pueri, sub elementis mundi eramus in seruitutẽ adacti. At ubi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum factũ ex muliere: factum legi obnoxiũ, ut eos qui legi erant obnoxii, redimeret, ad adoptionis ius accipiendum.

Et tamen reliquistis me.) Exprobrat defectionis perfidiam.

Idcirco non addam.) toties uobis à me in gratiã receptis, sed frustra. Verba hæc Dei sunt, non tanquam iudicis damnãtis ac penitus abijcientis hac castigandi seueritate rebelles liberos, sed ad meliorem frugem tanquam patris reuocantis. Itaq; mox infrà legitur, Condoluit miserijs eorum.

Ite & inuocate deos.) εἰρωνικῶς exprimitur aduersus contumaces filios indignantis patris affectus. In qua irrisione & Israelitarum uanitatem, & deorum alienorum inutilem cultum naso suspendit.

Peccauimus.) Deprecatione utuntur, cõfitẽtes peccata sua, ueniam eorũ postulando. Quod unicum sanandi tam grauis morbi remedium superfuit. de quo apud Ioannẽ: Si cõfiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Vbi Iohannes ad imitationem Hebrææ linguæ de iustitia bonitatis & clementiæ diuinæ, non de summo seueritatis iure loquitur, Deum fidelem uocans, qui fidem in liberalibus suis promissis præstandis seruet: iustum aũt, qui suis, quibus remittit delicta, suam iustificiam, emundatis uitijs, cõmunicet pro clementia & bonitate sua in filio Messia. Hinc etiã illud legitur: Si condemnat nos cor nostrũ, maior est Deus corde nostro, eius misericordia cõdemnantẽ pectora nostra, legis uim superãte per eum, qui in cruce per sanguinẽ suum deleuit chirographũ, quod damnatorio peccati et mortis iure cõscientias nostras obligabat. Vt maior est Mose Messias, lege gratia, ira misericordia, morte uita, peccato iusticia in eo qui peccatum factus est, ut suos Israelitas, hoc est scriptos in libro uitæ, peccato, restituta quæ amissa fuerat, iusticia, liberaret. Qualis aũt sit hæc iustitia, & quod nomen in sacris literis habeat, ea de re in Genesi, ubi explicatur causa iustificationis, sententia scripturæ exposita est.

Redde nobis quicquid.) Vox hæc pœnitentibus digna est, qua duo significant: unum est, se dignos esse, in quos Deus propter perfidiã grauissimè animaduertat: alterum, rogare tamen, non quid ipsi meriti sint, in se statuat, sed quæ digna sua clemẽtia & bonitate existimet esse faciat. Subijciunt enim: Tantum nunc libera, qui possis liberare: & ad liberandos miseros tuos Israelitas propensior sis, quàm ad ipsos perdendos.

Qui doluit super miserijs eorum.) Vsus pœnitentiæ, placatio diuinæ iræ est. Alternant igitur misericordiæ & iræ diuinæ uices electorum bono, non malo, quo maior refulgeat bonitatis Dei in medijs calamitatibus, gloria, sua salutis pondera cruce sub pœnitentia moliente. Itaq; pœnitentiæ tribuitur placatio iræ Dei, propter uim diuini spiritus ueteris hominis uitia abolentem, & probitatem in nouo afferentem. Vbi neq; eorũ qui scelerum pœnitudine ducuntur, neq; ullorum studiorum quæ extra agentem sui spiritus uim Deus spectet, dignitas, sed gratia diuina perpenditur. Sic in administratione noui fœderis pœnitentia remissionis delictorum & reconciliati Dei sensum præcedit. Sic enim legimus apud Euangelistam: Pœnitentiam agite, in propinquo est regnum cœlorũ: regnum uidelicet cõdonandi peccata, & tribuendorum ueræ iusticiæ & uitæ munerum per spiritum sanctum. pœnitentiam autem inchoat & regit antecedens gratia Dei per uim spiritus diuini, quam sacræ literæ timorem Dei principium sapientiæ et illustrationis animorum nostrorum uocat. Quæ antegrediens spiritus sacri uis legis pædagogiã in ostendendo peccato ad patefactionem clementiæ Dei in filio, & ad cõmunicationem donorum spiritus eius regit atq; gubernat. sed de hac re aliàs. Cæterùm qui suprà dixerat, Non liberabo uos: hic legitur cõdolere calamitatib. populi sui, ἀνθρωποπαθῶς dolore tributo ipsi Deo. Græci uertunt ἐπὶ ὀ-

λιγοψύχησεν ἐν πόπῳ, significantes Dei animũ præ dolore quasi contractum ac pusillum ex aduersis suæ gentis rebus redditum. Sonat enim propriè Hebræis רתקצר præcidi ac decurtari, ut eorum qui dolore & calamitatibus afficiuntur, animi contrahi, paruiq; reddi solent. Qua ratione loquendi summa Dei beneuolentia in fœderi suo ascriptos declaratur: quorum res aduersæ ei dolorem afferant, prosperæ lætitiam. Quem dolorẽ ostendit in filio suo unigena Messia, qui quos propter suos in cœlis scriptos Israelitas dolores pertulerit, eius uariæ afflictiones, quas in statu crucis cum multa acerbissima morte passus est documento sunt. Adhoc arcanum misericordiæ diuinæ mysterium non respiciunt qui aliter uerbum רתקצר uertunt.

IN CAPVT XI.

ITaq; illo tempore.) Nouus liberator patriæ Iephtha, à genere, fortunis, animi dotibus, rebusq; gestis describitur. Historia primò, deinde res mystica historia adumbratæ, expendendæ fuerint.

Vir fortissimus.) Laus à bellica fortitudine: per quem diuinus spiritus nobis eius Iephthæ fortitudinem repræsentare uoluit, de qua uates: Et fortium diuidet spolia.

Filius mulieris meretricis.) Ortus Iephthæ ignominiosus narratur, sed quem fortitudine & rerum gestarum gloria compensarit per eũ qui neq; origines, neq; sexus, neq; fortunæ cuiusquam rationem ducit, sed nouæ naturæ, ut qui ipse ex genere suo meretrices & adulteras nõ excludat. Sicut inter auias Domini nostri Iesu Christi, Thamar, Raab, Rutha & Beersebа numerantur. Alij pro זונה uertunt cauponariam, ut Paraphrastes: alij concubinam, ut Hebræi interpretes. sed hi redemptionis mysterium, quod nobis in hac narratione plena ueræ liberationis arcanis notis repræsentatur, negligunt. LXX, ut noster, πόρνης reddunt.

Eiecerũt Iephthę.) A' suis reijcitur Iephtha. de nostro Seruatore legimus à suis reiecto: In propria uenit, & sui eum non receperunt.

In terra Thob.) De regione Thob, ubi sita fuerit, interpretes ambigunt. Putant nõnulli, in tribu Gadina fuisse eum locum situm, quem uerisimile non sit ad alienigenas confugisse. Infrà fit mentio Mitzpæ, in qua habuerit domum.

Homines inopes.) nõ opulenti, nõ magni, clari & potentes cũ Iephtha coniunguntur. Quos sibi aggreget noster Iephtha, declarat illud: Non multi potentes, non multi nobili genere nati, &c. Si pro רקים uani homines placent & perditi, occurrit illud: Non ueni ad uocandos iustos, qui inter duos latrones crucifixus, alterum de cruce transtulit in paradisum. Pro Latrocinantes in Hebræo est ויצאו עמו: id est, Et cum eo excursiones faciebant. Apparet non in suam gentem excursionem eum fecisse, sed in exteras & hostiles, ut in Ammonitas. Quæ res ei occasio fuit ad res magnas gerendas: quarum commemoratio sequitur. Simile exemplum in Dauide occurrit: qui exul cum esset, ut Israelitarum hostibus infestus fuerit, in Regum libris proditum est.

Vt tollerent in auxilium sui Iephtham.) quem antea expulerant. Si Messiam spectes, ut hunc olim reiectum regem & ducem Israelitæ sint requisituri, indicat Dei spiritus apud Oseam uatem: Et post hæc reuertentur filij Israel, et quærent Dominum Deum suum, & Dauid regẽ suum: qui est Messias benedictus ex Dauidis stirpe natus, & hic abumbratus.

Et esto princeps noster.) qui erat ex meretrice natus, temporibus rerum difficilium & angustarũ dux creatur: quamuis lex Mosæa præscriberet, ex scorto genitum ad publica munera admittendum non esse. de qua lege in Deuteronomio fit mentio. Israelitæ intelligebant legem Mosæã ex sententia Dei interpretandam esse. ubi non lex, sed legislator: non uerba legis scriptæ, sed sententia ac uoluntas legislatoris ponderantur. Quam uolũtatem in eligendo Iephtha Galaaditæ Dei spiritu instinctu secuti sunt: partim ad iuuandam periclitantem remp. partim ut hoc modo futurorum typi tempore præformarentur. de quib. suis locis monebitur.

Nonne uos estis qui odistis me?) Argumentum à repugnantibus, ueri simile non esse se ab ijs ad ducis munus obeundum euocari, à quibus patria expulsus fuisset.

Necessitate compulsi.) rebus prosperis, ut fit, me à uobis neglecto. Sic quibus temporibus uerus uerorum Israelitarum seruator postuletur ad ferendam afflictis reb. opem, declarant tempora belli, quibus in acie aduersus spirituales illos Ammonitas, hoc est aduersus peccatum, mortem, infernum, & eorum principem Satanã, cum filio eius perdito aduersario Christi statur. In quo prælio petitur Iephtha dux. de quo Apostolus: Expoliatos que principatus ac potestates ostentauit, palàm triumphans de illis per semetipsum.

Dixeruntq; principes.) Oratio periculorum & æquitatis instructa locis.

Ob

Ob hanc igitur cauſam.) *ob quam æquum ſit laboranti patriæ te auxiliari, neque quæ à fratribus tuis & ciuibus Galaadi paſſus ſis, ſed quid patria dignum ſit, ſpectare. Cuius amor omnes priuatas iniurias uincere debet. Cumq; amicitia melior ſit & tutior, continenda erit in præſenti periculo reipublicæ ira, & amicitiæ iura præſtanda, odij memoria depoſita. Sic etiam ille apud uatem Græcum in ſimili caſu quendam hortatur:*

—σὺ δ' μεγαλήτορα θυμὸν
ἴσχειν· ἐν σοὶ ἔπειτα. Φιλοφροσύνη γὰρ ἀμείνων.

Ego ero ueſter princeps.) *Paciſcitur cum eis de ſuo principatu, quem ſibi confirment cõfecta uictoria. Quod fuit non ambitioſe ambientis imperium, ſed id ad res magnas figurandas Dei inſtinctu recipientis, ad quod adminiſtrandum infrà legitur Dei ſpiritu ornatus. Alia igitur Gedeoni in detrectãdo principatu, alia in recipiendo eo Iephthæ ratio fuit. Cur Gedeon recuſarit, ſuprà expoſitum eſt. Cur uerò eum admiſerit Iephtha, rationem indicat de Ammonitis reportanda uictoria ad liberãdos Iſraelitas, & reducto myſticæ uictoriæ uelo, præcipua cauſa in adumbrando imperio oſtenditur, quod erat noſter Iephtha deuictis principatibus tenebrarum inſturus. de quo is ipſe iam peracto triumpho: Mihi data eſt poteſtas omnis in cœlo & in terra. Itẽ uates Ieſaias: Factus eſt principatus ſuper humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis conſiliarius, Deus fortis, princeps pacis. Quem principatum ut is ipſe iuſſus ſit petere, oſtendit illud: Dominus dixit ad me: Poſtula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem.*

Dominus qui hæc audit.) *Confirmãt Iephthæ principatũ in ſe, iureiurando interpoſito. cuius formula quæ ſit apud Hebræos, ſatis liquet: Audiat Dominus, ſi non iſto modo faciemus. Audiat, inquam, Dominus tãquam ſeuerus iudex uiolatæ fidei, ſi non, &c. In qua formula ſtipulatum ac pactum reticetur, expreſſa conditione. Qua fide ſe ſui Iſraelitæ duci & Imperatori Iephthæ Meſſiæ obligent, declarat uates Hieremias, ubi ait: Ecce dies uenient, dicit Dominus: Suſcitabo germen Dauid iuſtum, & regnabit rex. Et hoc eſt nomen quo appellabunt eum: Dominus iuſticia noſtra.*

Coram Domino in Maſpha.) *Eſt huius nominis locus in tribu Iudææ: eſt item in Benia menſi, legitur & in Gadina tribu eius nominis locus. Qui unde nomen duxerit, indicatur in Geneſi. Itaque ſunt qui de Maſpha Gadina interpretantur, in qua Galaaditæ conuenerint ad creandum principem Iephtham. Alij accipiunt de Maſpha, cuius infrà capite uiceſimo, & in priore Samuelis libro capite decimo, & ſuprà in Ioſua capite undecimo ſit mentio. Et quia is locus celebris fuit comitijs Iſraeliticis, hic addi uolunt, Coram Domino: qui peculiariter in eo loco uerſetur, ubi ſancti nomine Dei conueniunt. Hinc Meſſias Dominus: Si duo aut tres, &c.*

Et miſit nuncios.) *Prius ius quàm arma ex ſententia legis Moſaæ tentat. De qua lege in Deuteronomio uideris: Si acceſſeris ad oppugnandam ciuitatem, ei primò pacem offerto. Exemplum igitur imperatoriæ prudentiæ ſtatim ab initio edidit, cuius interſit, cum pax bello potior ſit, prouidere ne bellum temerè ſuſcipiatur, ſecũ innumera mala apportans, quod oblata per iuris explicationem pace uitari magno reipublicæ bono poſſit. Rectè igitur ille de cauendo bello apud tragicum dicit:*

φεύγειν μὲν οὖν χρὴ πόλεμον ὅστις
σώφρονεῖ.

Legati autem Iephthæ primò ſuſcepti belli cauſas ab Ammonitarum rege ſciſcitantur: deinde falſas quas rex attulit, refutant, poſſeſſæ à ſe ditionis iuſtas reddentes. De argumentis ordine ex ipſo ſcripto monebimus.

Quid mihi & tibi eſt.) *Sciſcitatio cauſæ belli breuis & abrupta inſtituitur, quæ caret exordio ad controuerſiã aditũ aperiente. Talis oratio fortium uirorũ eſt ipſi cauſſæ, nõ orationis ſplẽdori confidentium. ſi profana exemplа requiris, exemplo Lacedæmones ſunt. Quorum breuis oratio in prouerbium abijt. Interpres Hebraiſmum* מה לי ולך. *Quid mihi & tibi? pro quo Latini, Quid mihi tecum?*

Quia tulit Iſrael terram meam.) *κατάφασις ac intentio regis Ammonitarum, Iniuſtè occupatam terram ſuam ab Iſraelitis.*

Non tulit Iſrael.) *Inficiationis ſtatu utitur, quo intentionem hoſtium depellat, neq; Moabitarum, neque Ammonitarum terram ab Iſraelitis occupatam, ſed Amorræorum, quam belli iure occuparint ab initio, & hodie iure poſſideant.*

Per ſolitudinem.) *Surem & Ethanem. Nam uni ſolitudini duo nomina erant. Sic enim legitur in Numeris: Et iter fecerunt tribus diebus in deſerto Ethan. in Exodo uerò de Sure capite decimoquinto: Et egreſſi ſunt in deſertum Sur, iterq; tribus diebus in ſolitudine fecerunt.*

Vt uenit in Cades.) *cum duplex ſit Cades, altera Barnea, altera Zin Idumæorum finibus uicina, in quam anno ferè triceſimooctauo ut egreſſi ſunt ex Aegypto, uenerunt. De hac altera*

Cades fit mẽtio hic. Ex qua ut legatos miserit Moses ad regem Edom, in Numeris cap. 20. traditur. Ex itineribus & rebus gestis confirmatur, Moabitas & Ammonitas bello non lacessitos. Quos etiam ne lacesserent, eis à Domino per Mosem mãdatum fuit. Sic enim in Deuteronomio legimus: Ne pugnato contra Moabitas, neq; inito aduersus eos prælium. Non enim dabo tibi quicquam de terra ipsorum. Quia filijs Lot dedi Ar in possessionẽ. Similiter de Ammonitis: Nõ enim dabo tibi de terra Ammonitarum.

Misit quoq; ad regem Moab.) Non legitur suprà à Mose ad regem Moabitarũ legatos missos, nisi quòd in Deuteronomio scriptum est, cap. 2. Sicut fecerunt filij Esau qui habitant in Seir, & Moabitæ qui incolunt Ar. Ex quibus uerbis colligunt, ad Moabitas quoq; missos legatos.

Et circuiuit ex latere.) Omittit interpres וַתֵּלֶךְ בַּמִּדְבָּר. Et iuit per desertũ, per desertum uidelicet ad mare rubrum ducens. de quo in Numeris cap. 21 uideris. Profecti autem sunt de monte Hor per uiam quæ ducit ad mare rubrum, ut circuirent terram Edom.

Arnon quippe confinium est.) de quo in Numeris his uerbis: Arnõ terminus Moab, diuidens Moabitas ab Ammonitis.

Itaq; misit Israel nuncios ad Seon.) Aliud ex dissentaneis argumentum: Terram quam possidemus, deditione Seonis regis Amorræorum cæpimus: non igitur de uestra, nam tum uos hanc regionem non possidebatis, sed Amorræi, qui eam iure belli occupatam obtinebant.

Tradidit ergo Dominus Deus.) summam diuidendi tradendiq; regna & imperia potestatem habẽs, qui Dominus cœli & terræ sit. Ab huius iure & in omnia dominatu, iustæ occupationis & possessionis argumentum ducit. Iephtha igitur docet, Deum iuris gẽtium, in quo bella, seruitutes, exilia, imperiorum translationes, usucapiones & sontium supplicia continentur, autorem esse.

Nónne ea quæ possedit Chamos.) Argumentum à iure Dei, quem Ammonitæ colebant, ductum tractat per comparationem maiorũ & minorum. Si daret tibi aliquid possidendũ Deus tuus Chamos, tu id possidendum tibi putares: quãto igitur iustius nos possidemus eorũ terram quos Dominus Deus coram nobis exterminauit? ut fuit Amorræus, quem noster Deus expulit: tuus autẽ expellere non potuit. Non sunt igitur hæc Iephthæ uerba deos alienos confirmantis, sed ex opinione eos colentium loquentis uerba. Nouit unum solum Dominum Deum, quem Israelitæ colerent, esse: deos alienos uanitatem esse.

Nisi fortè melior est Balach.) plus iuris habens Balaco, qui nec tum, cum terram hanc caperemus de Seone, neq; posteris temporibus eã belli iure repetiuit: quanto minus fas tibi fuerit repetere. Ab usucapione argumentum. Iam trecentis annis pacatè possedimus, igitur ius tibi non fuerit eam reposcere.

Per trecentos annos.) qui in hunc modum supputantur. XXVIII annos regnauit Iosua, Othaniel XL, Gedeõ totidem, Abimelechus III, Thola XXIII, Iair XXII. Quos annos si coniunxeris, ducenti septuaginta sex anni colligentur. His autem si accesserint XXVIII anni quibus Israelitæ Ammonitis seruierunt, & sex Iephthæ, trecenti existent anni. Atq; in hac annorum summa seruitutis, quam sub hostibus seruierunt, an ni continentur.

Igitur ego non pecco.) Conclusio.

Iudicet Dominus.) iustus regnorũ munditrio suo munera impertiens. Huius iudiciũ, quod nihil fugit ac latet, cum iustum sit & æquum, miel ligito, tu ô rex Ammon ab eo bonos præmijs, malos supplicijs affectum iri. Hac sententia ab æquita te diuini iudicij sumpta, quam sciret in omnium animis consignatam esse, defensionem suam concludere uoluit Iephtha: sed nihil effecit, ut sequitur:

Noluitq; acquiescere.) Cuius animus Mammona occupatus esset, Deo careret: quo cum fideret Iephtha, seruatus est cum suis, Ammone miserè afflicto: hoc suas cupiditates contra ius gentium, illo ius & æquitatem per spiritum Dei, de quo subijcitur, persequente.

Super Iephthe spiritus Domini.) quæ diuina sapienter administrandi remp. Israeliticam, et eam ab hostibus fortiter asserendi uis erat. Quæ si adest orbis terrarum principibus, bene gubernantur imperia: sin minus, malè. Hinc natũ sciũ illud apophthegma: Bonos principes omnes uno annulo sculpi posse. quo indicatur, magnũ quidem numerum principum esse, sed in his per paucos bonos, qui Dei spiritu ducti, imperium administrent. Legimus hic Iephtham Dei spiritu præditum tantas res gessisse. De nostro cœlesti Iephtha legimus: Spiritus Domni super me. Sed in quem usum Deus pater eum spiritu exornauit? Sequitur mihi: Vt medicinam afferrẽ contritis corde, ut ederem captiuis libertatem, & uinctis aperirem carcerem. Sed quem carcerẽ? Carcerẽ sanè peccati, mortis & inferni: ut Iephtha ea quæ angustissima Israelitis ab Ammo-

Ammonitis fuerãt, aperuit. Quò pertinet sacrum in uoce יפתח etymum. Qui nobis eum aperientem & patefacientem occlusa Iephtham repræsentat. de quo illud: Qui habet claues Dauid, aperit, nemine claudente. Item: Qui habet clauem inferorum & mortis.

Votum uouit.) De hoc uoto Iephthæ duplex fertur sententia. Vna, est eorum qui sentiunt hoc Iephthæ uoto homines etiam comprehensos fuisse, filiamq; ut domum rediit uictis Ammonitis, in holocaustum Deo immolatam. Atq; ut ita sentiant, primò eos mouet quod legitur hic: Quicunque egressus fuerit de foribus domus meæ, eũ holocaustum offeram. Deinde, quòd conspecta filia, ut reuertẽti occurrisset, turbatus sic dixerit: Heu filia mi. Qua querela indicarit, filiam suam ut seruaret, nuncupato semel uoto, Domino esse immolandam. Quam etiam immolatam his postremò uerbis Iephthæ declarari uolunt: Et fecit ei sicut uouerat. Atq; huius sententiæ est etiam Iosephus. Stultum autem hoc uotum Iephthæ, qui huius sententiæ sunt, fuisse confitentur, quòd & imprudenter sit nũcupatum, & scelerate mactata filia perfectum. Nullam enim legem extare diuinam de immolandis hominibus: sed contrariã, tantam immanitatem prohibentẽ. de qua in Deuteronomio his uerbis: Ne facito similiter Domino Deo tuo. oẽs enim abominationes quas auersatur Deus, fecerunt diis suis, offerentes filios & filias, & comburẽtes igni. Quæ lex indicat pecora apta esse ad immolandum, nõ homines, quos mactare immane sit & crudele. Neq; propterea licuisse Iephthæ, filiã Deo mactare in holocaustum, quia Abrahamus filium suũ Isaacũ immolare dedignatus non sit. hunc enim præceptũ ea de re habuisse: Iephtham, quod quidem sacra historia meminerit, non item. Neq; etiam quòd Dei spiritu Iephtha præditus fuisse, et ascriptus sanctis in epistola ad Hebræos legitur, obstare, quo minus per imprudentiam potuerit delinquere. Sanctissimos enim quosq; labi, errare, & peccare posse. exemplo esse Aaronem, Mosem, Gedeonem, Dauidem, Salomonem, Ezechiam, Petrum, & alios. Hæc afferunt, qui à Iephtha filiam immolatam statuunt. Atq; ea in re uicinos Ammonitas illum imitatum fuisse, quos suos liberos cremare solitos constat. ut etiam à Græcis & Romanis eum morem usitatum, in historijs est. Altera sententia, est eorum qui contraria confirmant, à Iephtha filiam non immolatam esse. Quòd is, quæ Deo placerent, aut displicerẽt holocausta, ex Mosaica lege, quã aut ipse legisset, aut ex Leuitis legis interpretib. quos Gadina tribus habuit, percepisset, scire potuerit. Probari, inquam, Deo pro holocaustis non homines, quibus litetur, sed animantia ratione carentia, ut in Leuitico libro ea res copiosè explicatur. Proinde Iephthã ea in uoto comprehendisse, quæ cognouerat fas esse uoto nuncupare. Quomodo autem argumentis, quæ prioris sententiæ interpretes afferunt, occurratur ab ijs qui hanc posteriorem sententiam comprobant, in ipsa scripti explicatione monebitur.

Eam holocaustum offeram Domino.) Heb. Erit Domini, & offeram id holocaustũ. Hæc uerba ut explicent qui prioris sententiæ sunt, liquet. Alteram autem sententiam confirmantes, in hunc modum interpretantur: Si fuerit idoneum, offeram ipsum holocaustum: sin minus, sacratum erit Domino: hoc est, separatũ ab usu profano, ad cultum Dei. Itaq; cum filia ad immolandũ apta non esset, eam non immolatam, sed sacratam Deo dicunt. Quare uanũ in והעיתיה pro disiungente, non copulante coniunctione reddunt: ut etiam in illo ualere dicunt: מכה אביו ואמו pro או עמו Qui percusserit patrem et matrẽ.

Heu filia mi.) Posterioris sententiæ interpretes hanc querelã non de immolanda filia fuisse, sed de ea perpetuæ uirginitati consecranda. Quæ consecratio notetur in illo: והיה לי. Deploratum igitur uolunt uirginitatis statum, in quo liberos non esset ex illa susceptura.

Non enim habebat alios filios.) Nõ uno modo uertitur מבלעדי. Paraphrastes pro מבלעדי uertit, ex filia non habuisse liberos. alij in hũc modum, Iephtham ex se non habuisse sobolem aliam. Lamentationem forti alioqui uiro auxit, quòd unicam, & nullos præterea liberos, haberet, neq; ex illa se augendum prole speraret. Nã uirgines, ut tradunt, consecratæ Deo, nuptum non elocabantur: sed reclusæ, perpetuam uirginitatem precibus, ieiunio, & corporis castigatione tuebantur. At quæstio hic est, An' ne tale uirginitatis uotum fuerit rectum, et ex sententia legis Mosaicæ, cum de eo nulla lex extet, & sterilitas in lege probro habita sit, commendata uerò fœcunditas? Præterea cum nullum exemplum perpetuæ uirginitatis literis proditum extet in uetere fœdere, imprudenter Iephtha tale uotum feciße existimatur. Sic enim aiunt: בי מה שעשה יפתח בטעות עשה. hoc est, quod fecit Iephtha, errore & imprudenter fecit. Neque uerò si errauit Iephtha, error eius in occultis Dei iudicijs causa caruit, quem suorum erroribus & peccatis ad magnas res significãdas uti cõstat. Si Iephtha spectetur, quid in filia eius uel uirginitati, uel holocausto

destinata Deus spectarit, perspicuum reddit lux ex nouo fœdere in has umbras ac tenebras illata. De uirginitate diuino usui consecrata legitur illud: Adiunxi enim uos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo. De holocausto uerò occurrit illa Apostoli adhortatio: Obsecro ergo uos, fratres, per miserationes Dei, ut præbeatis corpora uestra hostiã uiuentẽ, sed per quẽ ignem cremantem? Per ignem sanè spiritum ueterem hominem exurentem, & nouum perficientem. Vt hæc autem uirgo cum tympanis & choris suis Iephthæ Mesſiæ occurrat redeunti, uictis potestatibus tenebrarum, testatur sanctorum plena gaudio de uictoria, fides: & rursus ut ille ipse turbetur de afflictionibus huius uirginis, quas facta redemptione subit, carne, mundo, & principe mundi eam infestantibus, docet uox illa: Saul Saul, quid me persequeris? Sed percunctetur hic aliquis, an ne licuerit ipsi Iepthtæ uotum de uirginitate filiæ nõ præstare? sicut licuisset uotum de holocausto si fecisset, ut contra legem factum, rescindere: ita etiam fas fuisset de uirginitate nuncupatum uotum rumpere, si id uirgo, ut eius minimè capax, recipere in se recusasset. Non enim Deum, ut naturæ uis fieret, contra legem hanc in natura satam, Crescite, & multiplicamin: item, Non est bonum hominem esse solum: uouẽdi uirginitatem, rationem instituisse credere fas est. Atq; hæc præceptio, Vouete & reddite, de ijs rebus intelligitur quæ Mosaica lege de uotis tradita continentur. & quas ut seruet inte sit positum, non ignorato quid illud sibi uelit: Qui potest capere, capiat. Atq; hanc sententiam si neq; Iephtha, neq; filia eius perpendit, uotum istud errore factum & impletum existimari debet. Nam uoto nostro uirginitas nequaquam seruatur, sed diuina ui superante uires naturæ, de qua apud Euangelistam: Non omnes capaces sunt dicti huius, sed ij quibus datum est. Cæterùm quid propriè uotum sit, quotq; uotorum genera, et quæ uota Deo placeant, quæq; non item: & quæ in nouo fœdere celebrentur uota, quantusq; error committatur in uotis quæ pastor ille stultus in ministris suis monachis & sacrificulis excogitauit, & contra legem euangelij, eiusq; libertatem confirmat: ea de re alio loco disputatio instituta est.

Scidit uestimenta sua.) pro lugentis gestu. Sic suprà de Iosua lugente Israelitarum cladẽ: Iosua uerò scidit uestimenta sua. Interdum est indignantium, de quo exempla in libris Regum occurrunt. Laceratio hæc uestitus, pectoris luctu laceratí symbolum erat, quod gaudio reficitur.

Decepísti me.) In uerbo הבראת deiectio notatur. Animam meam quam uictoria extulerat, depressisti ac deiecisti: ut solet luctus lætitiam comitari: ne quis putet quicquam in his fluxis seculis firmum esse & sibi constans. De qua uicissitudine sapienter Salomon: Est tempus flendi & tempus ridendi.

IN CAPVT XII.

ECce autem in Ephraim.) Aliud exẽplum inuidiæ in superba & arrogante Ephraimitarum gente editur. Qui ut antea Gedeonem insolentius insectati sunt, ita hic Iephtham simili in causa, sed odio acerbiore insectantur. Arma enim intentãt in Iephtham, quæ in Gedeonem intentasse non leguntur. Hic igitur ויצעק uerbum usurpatur, in quo ad arma militaris conclamatio notatur, ut scriptio ipsa indicat.

Contra Aquilonem.) Respicitur situs Gilead terræ, quam trans Iordanem ad Ephraimensem regionem tenet.

Quare uadens ad pugnam.) Expostulatio uehemens, quam odium & inuidia confiuit in gente arrogantiore quàm bellicosiore. Quæ imminentibus periculis in acie contra hostem stare recusauit: illis autem sublatis, superato hoste, ex postulat se ad commune periculum nõ accersitam, in periculis ignauiam, in rebus prosperis fortitudinem præ se ferens. quæ arrogantium natura est & ingenium. Quàm superbi autem & arrogantes fuerint Ephraimitæ, uates etiã Iesaias ostendit his uerbis: Væ coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim.

Vocare nos noluisti.) Qui uocati fuerant, dicunt se non uocatos, contra quàm infrà legitur: Vocauiq; uos ut præberetis, &c. Quæ in re odij & inuidiæ natura quæ sit, ostenditur. Hos affectus, mendaciorum esse autores ad imitationem odij, quo pater mendacij Satã serpens ab initio flagrauit, ut contrà in charitate ueritas Deus ipse cernitur. de quo illud: Deus charitas est. Locus igitur hortatur nos ad dilectionẽ, & amorem quo inuicem nos amemus: & dehortatur ab odijs, et inuidia plena mendacijs & crudelitate, de qua sequitur:

Igitur incẽdemus domum tuam.) Explicatur sæua odij & inuidiæ uis: qua qui tentantur, non solùm molesti esse, sed etiã nocere ac perdere student. Hinc uates Latinus: Aut odium crudele tyranni. Duo loci hic perpẽdendi fuerint. unus, de inconstantia rerum prosperarum, & earum atq; aduersæ fortunæ uicissitudine. Exemplo Gedeon, & hic Iephtha & alij. Has uices temperat in crucis statu qui in uetere mundo transigitur, sapientia Dei in decretis suis uarietatẽ hanc consignans. de qua suprà ex Salomone meminimus:

mus: Omnibus suum tempus est, suum uiuendi & moriẽdi, suum gaudendi & dolendi. Secus res habebit in noui mundi statu. de quo illud: Et gaudebo in populo meo, & non audietur in eo ultrà uox fletus. Secundus locus est, etiam eos qui uno Dei fœdere tenentur, capitali dissensione dirimi ad tempus posse. Exempla sunt Ephraimitæ & Galaaditæ, Ephraimitæ & Iudæi. In his figura, in electorum ecclesia res & ueritas spectatur. ut præsentia & superiora secula documento sunt. Atque hi quo arctiore necessitudinis uinculo cõiuncti sunt, eo grauiore & uehementiore discordia ardent. Sicut hic legimus: Igitur incendemus domum tuam. Hinc sententia illa peruulgata circumfertur: Fratrum iræ acerbissimæ. Diximus eam dissensionem ad tempus inter electos locum inuenire: dirimendam enim suo tempore per amoris spiritum, oraculum illud Iesaiæ uatis docet: Ephraim non æmulabitur Iudam, & Iuda non pugnabit contra Ephraim.

Quibus ille respõdet.) Purgatio Iephthæ, qua per inficiationem depellit neglectæ necessitudinis crimen, narratur. Hæc igitur controuersia cum efficiat statum coniecturalem, quibus hic potius credendum sit, facilè duæ res indicarint. Alterum, spiritus Dei est, quo Iephtha præditus esse legitur: alterum, hoc spiritu duce res fortiter & feliciter à Iephtha gestæ.

Sed facere noluistis.) desertis fratribus uestris: non tamen ipsorum malo, sed bono, quo & eorum salus illustrior, & Dei gloria amplior appareret. Vt sequitur:

Posui animam meam in manibus meis.) liberandi meos & uestros fratres studio, non mea quidem, sed diuina ui fretus: erga quam uos ingrati & immemores,, non solùm tantum beneficium negligitis, sed etiã me & res meas euertere gladio & igni molimini. Hebræa phrasis eadem est cum Germanica, **Ich hab mein hertz in die hând genommen**. Phrasis de magno animo res contemptis periculis adorientibus. Exposui uitam meam periculo. Manus hic nominãtur ut res fortiter gerendarum instrumentum.

Et tradidit eos Dominus.) Contra quem pugnabitis, si aduersus me de parta uictoria, quæ mea non sit, sed illius, pugnare decreueritis. Non hic enim honor meus, sed Dei Israelitarũ agitur. Non mea uirtute, sed diuina tanta uictoria parta est: cui inuidere uos, nefas fuerit: fas autem, eam amplificare, & de communi salute fratribus uestris gratulari: & meos labores, atq; studia, quæ in communi Israelitarum hoste susceptа sunt, boni consulere. A persona uictoris Dei, & à communi Israelitarum salute, & ab innocentia sua, dehortatur eos à bello suscipiendo. ut sequitur: Quid commerui, ut me, &c.

Vt consurgatis.) In ascendendi uerbo עליתם spectatur situs aquilonaris Galaaditicæ regionis, aquilone de summo cœlo spirante, austro à decliui.

Quia dixerat, Fugitiuus est Galaad.) Causa prælij exponitur: quæ duplex erat. una, quòd Ephraimitæ priores bellum intulissent: altera in cõtemptione cernitur, quæ sæpe grauibus bellis causam dat. Iustè autem bellum à Iephtha gestum est, ut à legitimo iudice à Deo constituto: sed ita gestum moderatore Deo, ut adumbrandi occultioris prælij occasio non sit prætermissa. Cæterùm de fugitiuo bipartita interpretatio affertur. Vna est, initum prælium, quòd dixissent Ephraimitæ Galaaditas esse פלטים, id est fugitiuos inter Ephraimitas ac Manassenses uersari. altera, quòd פלטים, id est utilissimi inter Ephraimitas homines obiecissent Galaaditis, ipsos nullo in loco ac numero, sed abiectos haberi. Huius sententiæ est Paraphrastes, qui פלטים interpretatur משוביא, hoc est uiles de tribu Ephraim despexisse Galaaditas. sic enim reddit: ארי אמרו משוביא דבית אפראים מית אתון אשיבין רבית גלעד בנוי בית אפראים בנוי בית מנשה. Ab his contemptos Galaaditas, ut nulla existimatione homines, qui duce Iephtha spurio regerentur, quiq; trans Iordanem à promissa hæreditate, tabernaculo, sacro cultu, & sacerdotio insigni separati tanquam fugitiui uiuerent. Qui postremam hanc interpretationem sequuntur, eam probari dicunt ex eo quod sequitur: כי יאמרו פלטים אפרים: Vbi פלטים non Galaaditæ, sed Ephraimitæ dicuntur. Atq; huc etiam facere dicũt, quòd Ephraimensis tribus uicina Iordani fuerit, pastoribus sæpe pascuorum gratia transire solitis. pastorum autem ignobilis turba, ut ad rixas & contentiones procliuis sit, non obscurum esse ex sacris etiam literis. ut uidere licet in Genesi XIII & XXVI.

Occupaueruntq; Galaaditæ.) ne Ephraimitis fuga sibi consulentibus transitus patêret.

Dic ergo Seboleth.) Qui crassam literam Schin proferre non possent, per balbutiem sibilum Sin efferentes pro Schin, deprehendebãtur Ephraimitæ esse. Quod uitium illis peculiare fuisse tra-

se tradunt: ut etiam aliæ gentes alias literas ægrè enunciant. Hic legitur Ephraimitas ad cædem destinatos, qui Schin literã expimere nõ ualuissent.

IN CAPVT XIII.

RVrsusq; filij Israel.) Noua ob nouam defectionẽ à Deo importata calamitas describitur: sed quam, quæ diuina bonitas erat erga electos Israelitas, admirãda comitata sit liberatio, magnis mysterijs referta. In qua hæc fuerint perpendenda: sterili interprete angelo promissa proles, quæ Israelitas liberet, promisso signo ostẽtoq; admirabili cõfirmata: conceptus Samsonis purior ex puriore: educatio eius ad Nazaræi leges, quo eius uirtus illustrior appareret in uindicandis Israelitis: matrimoniũ præterea quomodo cum alienigena contractum sit: miranda stratagemata in Palæstinos edita: obitus ipsius Samsonis qualis fuerit: postremò quæ in historia hac mysticæ rerum sacrarum lineæ ducantur. De singulis suis locis meminerimus.

In manus Philistinorum.) his ab occasu uexantibus sacram gentem, quæ antea ab ortu ab Ammonitis uexata fuerat, & aliquoties à meridie & ab aquilone, ne ullus orbis terrarum cardo esset, à quo populi Dei fides non tentaretur. Nam à meridie Amalechitæ, ab aquilone Syri, ab ortu Ammonitæ, ab occasu Palæstini illum infestarunt.

In Saraa.) Loci huius mentio fit in Iosua, his uerbis: Et fuit terminus possessionis eius Saraa & Esthaol.

Habens uxorem sterilem.) Suprà Abdon uxorem numerosa sobole auctam habuisse legitur: hic Manoah sterilem, Deo fœcundas amante, ut quem suæ benedictionis non pœniteat: & steriles non reijciente, quas fœcundas efficiat, ad bonitatis & potẽtiæ suæ uim declarandã. Sic Sara sterilis cum esset, fœcunda reddita est. Idem Hannæ matri Samuelis, idem Elizabetæ matri Ioannis Baptistæ accidit. Quibus exemplis docemur, primò fœcunditatem Dei bonum esse, non naturæ beneficium: deindè, sterilitatem probro quidem datam in lege, sed quem immiserit Deus ad ostendendam bonitatem suam, conuersa illa in fœcunditatem, qua proles ederetur sacra in rerum præclarè gerendarum usum. Vt documento est Isaacus, Samson, Samuel, & Ioannes Baptista. Hinc Hanna in Cantico suo: Dominus pauperem facit, & ditat: deijcit, & extollit. At uerò in longè maxima dignitate est sterilis illa, de qua uates: Exulta sterilis, quæ non paris. Hæc non solum angelorum familiariter secum colloquentium, & defendentium utitur familiaritate, sed maritum nanciscitur Dei nomina tenentem. de quo illud: Nam maritus tuus erit conditor tuus. Dominus exercituum, erit nomen eius, qui est Messias benedictus.

Cui apparuit angelus Domini.) Præstantiam prolis gignendæ indicat legatus cœlestis genius, qui nuncium afferens, dicit: Cõcipies & paries filium. Idem de Isaaco, Samuele, & Ioanne legitur: & tandem de Messia filio Dei, uero illo Samsone liberatore. Huius diuinum & admirabilem conceptum & genituram his uerbis Gabriel angelus significauit: Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. Hoc ipsum est ministerium, quo sanctis & sanctorum capiti Christo cœlestes genij salutis conficiendæ gratia deseruiunt. Quod ministeriũ quanta Messiæ & sanctorum dignitas sit, declarat.

Sterilis es, & absq; liberis.) More Hebreæ linguæ nomini sua interpretatio subiungitur. Nã subiecta expositione עקרה exponitur: ילא ילדה Exemplum simile occurrit in Genesi רותחי שרי עקרה אין לה ולד.

Caue ergo ne bibas.) Nomine siceræ omnis potus, in quo inebriandi uis inest, accipitur, ut est uinum, ceruisia ex uuis passis, aromatis, arborum fœtibus, frugibus, & melle confectus ad ebrietatem inducendam liquor. Cur aũt hic prohibeatur uinum, & potus omnis inebriandi uim habens, alibi uerò commendetur, ratio alijs locis reddita est. Cæterùm ut Noa colendarum uinearum rationẽ inuenit ad procreandum uinũ, sic Osyris filius Chami, nepos Noæ, conficiendæ ceruisiæ ex arborum fœtibus, & ex ipsis frugibus rationem inuenisse, & eam etiam Gallos et Germanos in sua peregrinatione cum Iside sorore docuisse traditur.

Nec immundum quicquam.) De mystica ratione uideris apud Mosem.

Quia concipies & paries filium.) Cur interdicatur matri sicera & cibis immundis causa explicatur, quod conueniret ut procreãdus filius, qui Nazaræus Dei appellandus esset, purus legali puritate ex matre sanctè se gerente nasceretur: qui mystica puritate eum nobis sanctissimum partum repræsentaret, de quo angelus ad Iosephum: Nam quod in illa cõceptum est, à spiritu sancto profectum est. Item uates Isaias: Ecce uirgo concipiet & pariet filium. Hunc hic repræsentari ut uoluerit diuina sapientia, ea quæ sequuntur, ostendent.

Cuius non tanget caput nouacula.) In lege Nazareatus etiã id quod hic legitur de non

de non radendo capite, continetur. Huius ceremoniæ occulta ratio in Numeris explicatur. In quo hæc breuiter summatimq; obseruantur, quæ ratio nominis Nazir sit, quale uotum eius, ut nonnunquam temporarium, nonnunquam perpetuum fuerit: quæ res, dum consecratio duraret, uitatæ sint. Vt erat tonsura capillorum, omnis inebrians potus, attactus funerum, immundi cibi: quæ item fuerint sacrificia, quibus uiolati ritus culpa expiabatur: quibus item sacrificijs peracto iam Nazareatus uoto, liber Nazaræus declarari solitus sit.

Erit enim Nazaræus Dei.) repræsentans nobis Nazaræum Messiam, Samsonem illũ cœlestem. In quo si separationem spectes, occurrit illud: Ego non sum de hoc mundo. Sin consecrationem & sanctificationẽ de eo legimus: Quẽ pater sanctificat. Sin coronam regiam, quam in נזר etiam significari uolunt, consideres, qua noster Deo patri consecratus Nazir regia corona ornatus sit uictor & triumphator, declarat illud: Rex regum, & Dominus dominantium. & Nazir is ipse de se: Mihi data est potestas cœli & terræ.

Et ipse incipiet liberare Israel.) Consecrationis & purioris genituræ usus exponitur. De uero & cœlesti Samsone seruatore à conceptu & partu pura puta sobole, legitur illud apud Euangelistam: Paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis.

De manu Philistinorum.) Suprà legitur & Sangar filius Anath dimicasse contra Palæstinos, sed Samson illum secutus illustrior rebus contra Palæstinos gestis fuit.

Ad maritum suum.) matrimonij lege mulier maritum nihil celante, cui ciuili imperio subiecta sit.

Vir Dei.) Angelus humana specie oblatus. Vt in administratione ueteris fœderis, angeli apparere soliti sunt. Sic enim erat dispensatio temporum, in qua per prophetas & angelos suos Deus multifariam cum suis locutus legitur: qui postremis temporibus per filium, reiecto uelamine, clarè loquitur, patefaciente eius uoluntatem spiritu filij. Qua de patefactione apertiore Apostolus ad Corinthios his uerbis loquitur: Quoniam Deus est qui luxit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Iesu Christi. & in epistola ad Hebræos: Deus olim multifariam multisq; modis locutus est patribus per prophetas, extremis diebus hisce locutus est nobis per filium. Itaque ut in uetere fœdere sub uelamine legis Mosææ, & externa colloquentium angelorum, quam ad tempus assumerent, specie, parabolicis item sermonibus prophetarum pro captu puerilis ætatis ad gentem legi subiectam sermo Dei delatus fuit: sic in nouo fœdere, reducto Moseo uelo, neque per apparentes humana specie angelos, neque per tectas obscurasq; parabolas, sed palàm & apertè, filij Messiæ spiritu interprete & doctore, in sanctorum animis Deus loquitur, gloria patefactæ misericordiæ & bonitatis ipsius in facie non tecta, sed aperta Iesu Christi refulgente. Cæterùm huius disputationis ac loci non est explicare quæ angelorum origo sit, atque natura: an ita spiritus sint, ut corporibus omnino careant, aut eis præditi sint. Sicut nonnulli ueteres uoluerunt eos corpora habere, non quidem physica, qualia tenent res ex elementis concretæ, & ad interitum pronæ: sed tenuia, subtilia, atq; pura, quæ in aspectum non cadant: quæ tamen si cubi res & angelorum functio postulet, aspicienda præbeant. Sicut legimus Abrahamo, Hagari, Iacobo, Mosi, Gedeoni, & hic Manoæ uxoriq; eius, & alijs, humana forma apparuisse angelos. Neq; huius est instituti, explicare, an sint ordinibus suis distincti angeli, & quibus distincti sint, ut in uniuersum administri spiritus dicantur: an singulis hominibus bonis & malis sint tributi sui genij, à quibus defendantur ab ijs rebus quæ noceant, an bonis & pijs solum: item, an ne corũ administratio etiam ad animantia & stirpes, & ad cœli tempestates contra aeris principatum moderandas pertineat. Præterea an alij paci, alij bellis præsint, alij regnis & regibus, alij alijs regnis & regibus præfecti sint. Sicut proditum est apud Danielẽ de angelis, ut alius Israelitis, alius Persis, alius Medis, alius Græcis tributus sit tanquã tutelaris ac custos genius. Et cum duo genera sint angelorum, alterum bonorum, alterum malorum, quis malorum & qualis casus fuerit, & unde ortus sit, & quæ bonorum in bono constantia, & unde nata, & quæ & qualis pugna inter bonos & malos committatur. De his, inquam, & alijs quæ de angelorũ natura, ortu, uiribus, munere, generibus inquirũtur, hic prætermittimus tractationem, ad ea quæ huius instituti sunt, reuertentes. Satis fuerit in præsentia cognoscere, angelos bonos spiritus esse à Deo destinatos, qui ministri salutis sint eorum, quos Deus hæredes regni sui ab æterno scripsit, quos aduersus Satanam & ministros eius dæmones, & impios in terra homines defendant. Hos item præfectos regnis, ut ciuilis

societas, quam Satan odit, ut omnis ordinis infestus hostis, conseruetur: publica pax propter pios retineatur: publici motus, coercitis sceleratis, deuitentur. Horum item ministerio subiecta quæ in terra nascuntur, sata stirpes, animantia, aeris item tempestates, quarum principatum tenet Satan, qui aeris potestas appellatur. Cuius libido diuina prouidentia per angelos, ne extra præscriptos tyrannidis terminos egrediatur, inhibetur. Demum satis fuerit persuasum habere à bonis angelis, Christum caput omnis perfectionis spiritualis, et principem cœli et terræ agnosci, cuius throno assistant, ad expedienda ea quæ in terra militanti ecclesiæ electorum salutaria cœlestis pater fore cognouerit.

Terribilis nimis.) Terribiles dicuntur angeli, qui ministri sint terribilis iudicis, de quo uates: Dominus excelsus atq; terribilis rex, rex magnus super omnem terram. Rex inquam, & iudex, cuius Daniel uiderit thronum igneum, ad quem flammei spiritus administri ut assistant, indicat idem Daniel, cum dicit: Millia millium administrant ei. Is autem terribilis iudex Messias est, cui pater omnem iudicandi potestatem dedit. Huc pertinet, quod lex in dextra huius iudicis ignea per angelos ordinata uersatur. ut est apud Apostolum, ubi ait: Lex propter transgressiones addita fuit, ordinata per angelos per manus intercessoris Mosæ, uidelicet terribilis legislatoris, cuius aspectum non ferrent Israelitæ. Non adduco hic, ut Iacobus locum, in quo stabat, terribilem uocarit propter Domini angelos, qui ei in scala à terra ad cœlum usque pertingente descendentes & ascendentes apparuissent. Demum splendor quoque & dignitas formæ, qua se exhibebant, metum plenum ueneratione contemplantibus illum, attulit. Sicut hic angelum ab uxore Manoæ uirum Dei, qui præter cæteros homines diuina forma augustus comparuisset. Vnde intelligimus, quæ præstantia in specie humani corporis cernatur, in quo & mentes sacro spiritu exornatæ uersari, & cuius forma genios cœlestes repræsentari uelit Deus: & quod multo maximum est, id templum diuinitatis destinatum, quod in illo magno excitationis mortuorum ad uitam die excitandum sit, ad participatum gloriæ maiestatis diuinæ. Quæ res nos mouere debet, ut corporis nostri diligentem curam habeamus, ne id prauis affectibus, sed sacro Messiæ spiritui pareat, ad nomen Dei, pedibus, manibus, lingua, auribus & oculis amplificandum, & ad salutem hominum procurandam. At aliter terribilis angelorum aspectus est impijs, aliter pijs: illis, ut formidantibus terribile de condemnanda noxa iudicis Messiæ iudicium, quod sustinere se tum improbi dæmones, tum homines non posse sciunt. ut indicat uox illa: Venisti ne ante tempus ad torquendos nos? his uerò, quem imparem infirmitati suæ agnoscunt, in metu non desperationem, sed ueneratione Dei se præsentem exhibentis in angelorum figura meditantes.

Noluit mihi dicere.) Qui ad alia patefacienda missus à Deo uenerat, nominum, naturæ, & functionum angelorum patefactione in alia reiecta tempora, quibus illa aperiantur per eius spiritum, qui solus uelum diuinitatis aperit, & eorum naturam qui in cœlis habitant, explicat. De quo illud: Qui habet clauem Dauid, & aperit, nemine claudente: claudit, nemine aperiente. Quæ igitur hic clausa fuerunt Manoæ & uxori eius, patefacta sunt Apostolo, qui raptus in tertium cœlum, dicit se uidisse arcana quæ fas non esset loqui.

Ecce concipies & paries.) Hæc & denunciare angelum, & cognoscere Manoam & uxorem eius interfuit, salutis Israelitarum. Hæc igitur indicat, legatos Dei ea debere denunciare, quæ Deus iusserit: iusserit autẽ is ea denuncianda quæ & suo nomini gloriosa, & electis salutaria fore ipse iudicarit. Atq; is est Lydius lapis, ad quẽ probantur ueri ministri oraculorum Dei.

Nazaræus ab infantia.) Nazareatus igitur quidam temporarius, quidã perpetuus fuit, qualis Samsonis extitit: ut nobis eum Nazaræũ repræsentaret, qui à conceptu, partu, & tota uita uerè Nazir uixit, separatus ab omni labe & uitio. Etenim sic is de se apud Ioannem dicit: Quis ex uobis arguet me de peccato?

Mortis suæ.) qua Nazaræatus absolutur per separationem. de qua his uerbis Apostolus: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Huius attactum per cupiditates mortuas, funerum in lege præcepta uitatio Nazaræis præfigurauit.

Itaq; orauit Manoa.) Qui sciret per precationem ad Deum omnia salutaria opera perfici, quæ per nubes in cœlum penetrans, & ad thronum misericordiæ Dei ascendens, de cœlo in terram beneficia Dei deferat. ut sequitur.

Et apparuit rursus.) oratioui sancti uiri subiectus. Quæ dignitas est sanctorum hominum in terra uersantium, & uis precationis per fidem adornatæ, cui pareant cœlestes mentes.

Quid

Quid uis ut faciat.) משפר pro instituto & ritu, & מעשה pro officio & munere, ut Græcis suum ἔργον.

Et faciamus tibi hœdũ de capris.) בעמה coquere hic ac præparare est. Conuiuium indicat se ex capro paraturum angelo Dei, quem pro homine habebat. sicut sequitur: Et nesciebat Manoa, quòd angelus Domini esset. Similiter usurpatur עשה in Genesi לעשות אתו.

Non comedam panes tuos.) Angelus hic recusat uesci cibis à Manoa paratis, quos angeli, qui Abrahamo apparuerunt, dedignati non sunt comedere. Alia ratio hic agitur, alia illic. Hic enim angeli cœlestẽ suã naturã declarare, ut mox patebit, uoluerunt: illic ad usum eius, ut in rudiore seculo, cum quo negocium gerendum erat, se attemperarunt, idq; citra mendacium, quorum animus à decipiendi studio aberat, bona fide professe studebat.

Honoremus te.) de tua erga nos beneficentia significationem dantes, quod est honorare. Est enim honor σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης. Honor igitur habetur ob bonitatem et beneficia tum Deo, tum hominibus qui diuino spiritu impulsi, de altero benemerentur. Deo quidem, ut perenni omnium bonorũ fonti & autori. Diuinis aũt siue hominibus, siue angelis, per quos Deus ut instrumẽta benignitatis suæ, nobis benefaciat. Qua boni uiri præditi proximè ad diuinam naturam accedũt. Vnde à Germanis Deus gůt à bonitate, & filij Dei gůtter, imitantes diuinam naturam uocantur. Huc spectans Ioannes, ex Deo natos esse dicit, qui amore diuino ad benefaciendum alteri flagrant, & Deum ipsum qui natura propensus sit ad benefaciendum, amorem ac charitatem uocat: Deus charitas est, indicato in eo natura ad seruandum propensa, & à perdendo atq; nocendo abhorrente. cõtraria natura Satanæ est, & sobolis eius.

Cur sic quæris de nomine meo.) Arguit curiositatis. Hac reprehensione continetur, qui alia, quàm quæ referat ipsos scire, scire uolunt. Vxor moderatior præter muliebris sexus morem fuit, quæ suprà dicit se neq; percunctatam unde esset, & quod nomen eius esset.

Quod est mirabile.) פלא alij mirabile, ut LXX θαυμαστὸν, quos noster sequitur. Nam tale interdum uox Hebræa sonat. Alij uertunt נעלם, id est, occultum & absconditum. In qua interpretatione intelligimus angelorum naturam, ut cœlestẽ & spirituale homines terrenos & animales latêre, ut est apud Apostolũ: Animalis homo nõ percipit ea quæ Dei sunt. Paraphrastes Caldæus: Quoniam quæ mirabilia sunt, arcana ferè sunt, & ab humana intelligẽtia longè semota, pro פלא, reddit מפורש, hoc est, separatum. Cæterùm quoniam Messias corporata specie in angelis apparere solitus est, nomen eius suo tempore patefaciendum mirabile dicitur. de qua Iesaias: Et uocabitur nomen eius mirabile, &c.

Hœdum de capris.) Hic hœdus caprinus pro holocausto Deo placet, cui in nouo fœdere hœdi displicent. sic enim legimus: Et statuet oues à dextra, & hœdos à sinistra. Ratio mystica in Mosaica lege explicata est.

Et posuit super petram.) De petra uideris suprà in Gedeonis historia. Cæterùm ut de more solita sit cum holocausto cõiungi Minha, id notum ex Leuitico est: & quæ eius rei mystica ratio sit, illic expositum.

Angelus Domini pariter in flamma.) Hac in re naturam suam igneam declarauit, de qua uates: Ipse facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem flammeum. Nam ut ignis inter mundi elementa purissimus est, plenus luce ac splendore, agili natura, & ad agendum efficaci: sic cœlestes illi spiritus sunt. Vnde שרפים hi uocantur, de quibus Iesaias שרפים עמדים ממעל לו. Manoam igitur & uxorem eius errore liberare uolens angelus, naturam suam hic & sedem indicauit in ignis flamma media in cœlum è conspectu illorum sublatus. Sunt qui per angelum Messiam magnum illum angelum repræsentatum confirmant, qui holocaustum illud uerum & sacrosanctum factus, per igneum resurrectionis spiritum ad cœlestis patris gloriam ex medio transformatoris spiritus igni euectus sit.

Proni ceciderunt.) ostento angeli Dei obstupefacti. Qui uenerabundus stupor indicauit, quid sibi uoluerit angelus, cum diceret: Nomẽ meum arcanum.

In terram.) originis suæ memores.

Morte moriemini.) uetere & terreno homine non tolerante aspectum Dei, & eorum qui uident faciem Dei in cœlis. Quales sunt angeli diuinitate in ipsis uersante præditi. De quibus illud: Qui uident faciem patris mei qui est in cœlis. Dico, uetere homine. secus nouus habet, qui regenitus cœlesti spiritu, Dei cõspectum tolerat, in quo nimirum fuerat Dei lux, ad patefactionem gloriæ ipsius in facie noui & cœlestis hominis Iesu Christi. Itaque cum duo sint homines, exterior, & terrenus, interior & cœlestis: tantum interior homo Deum uiderit, quantum de uetustate ei detractum sit, & de nouitate spiritus

sacri accesserit, eum cœlesti & igneæ luci, qua Deus amictus est, assuefaciens, dum detersa eo quod ex parte est, in altero seculo cognoscamus Deum patrem in filio, ut cogniti ab eo sumus: hoc est, eo beneuolentiæ diuinæ sensu eum cognoscamus, quo ab eo ab æterno in Messia amanter cogniti sumus. Quantum uerò ad alterum hominem pertinet, sentiunt pij intra se uim sententiæ huius: Non uiderit me homo, & uiuet. Is igitur non prius uidebit Deum, quàm mortuus sit, & è mortuis ad ueram & cœlestem uitam ferentem aspectum Dei excitetur. In hoc uetere & terreno homine sentiebat Manoa agnito Dei angelo, & præsente in angelo Dei numine, hanc sententiam: Moriemur, quia Deum uidimus. Contrà Iacobus in nouo & cœlesti homine uidens Deum, dixit: Vidi Deum de facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Is Deum uidit, partim quòd is in angelo humana specie apparente præsens esset: partim quòd internis animi oculis diuina luce illustratis fide Dei beneficia sensisset. Vt autem contingat Deum bifariam uidere, in ænigmate uidelicet per speculum, & sine ænigmate, in parte & in toto ac perfecto, hoc est, qualis Dei aspectus in hoc seculo sanctis sub inuolucris rerum creatarum cõtingat per fidem, & qualis in futuro absoluto fidei & spei cursu, ubi claritatem Dei per claritatem eius uidebimus: de his inquam, uideris apud Apostolum in priore ad Corinthios epistola. Non igitur contrariæ sunt hæ sententiæ, Non uidebit me homo, & uiuet: Deum nemo uidit unquam: his, Vidi Deum de facie ad faciem: Qui uidet me, uidet & patrem.

Quia uidimus Deum.) Dicas, Manoam non uidisse Deum, sed angelum humana specie repræsentatum. præcesserit enim: Statimq; intellexit Manoa, angelum Domini esse. At non legitur, lætale esse uidere angelum humana specie præsentem. In angelo intellexit & Deum præsentem adesse, quem putauit se quoq; uidisse conspecto angelo. Quare uidere Deum, interdum est speciem aliquam externam uidere, in qua angelus aut Deus apparet. Sic Iesaias dicit se uidisse Dominum, hoc est speciem Domini gloriam repræsentantem, ut erat sedentis, solij, laciniarum, templi species: Sic hic Manoa se Deum uidisse dicit, qui in humana forma angelum Dei præsentem agnouisset. Itaq; siue accipias pro אלהים Deum, ut Græci, & noster: siue angelum Dei, ut Paraphrastes, qui reddit מלכא דיי, nullum fuerit periculum sententiæ. Nam אלהים cõmunis Deo, angelis & iudicibus terræ uox est, propter diuini muneris societatem, qua angeli & iudices terræ cum Deo coniuncti sunt.

Cui respondit mulier.) Mulier diuino spiritu incitata, interpretatur uiro aspectum illum Dei in angelo non esse lætalem, ratione ex sacrificio, quod Deo gratum fuisset, deprompta. Quo nimirum repræsentaretur sacrificium placatorium Dei, in quo liceret uidere Deum citra mortis periculum, quod de se dicit: Qui me uidet, uidet & patrem meum. Etenim si Dominus uellet nos occidere, de manibus nostris holocaustũ & Minham non accepisset. Significato tectè holocausto & Minha Messia, in quo sibi reconciliatos nolle Deum perdere, sed seruare: nolle occidere, sed uiuificare.

Et uocauit nomen eius Samson.) Quo nomine nobis repræsentat eum Samsonem, de quo Malachias uates: Orietur uobis sol iustitiæ. Quid enim notet שמש satis notum.

Et benedixit ei Dominus.) tributo spiritu diuino res fortiter gerendi aduersus hostes. de quo sequitur: Cœpitq; spiritus Domini esse cum eo. Vbi noster uertit, Cum eo esse: in Hebræo legitur, לפעמו quod Græci reddunt, συμπορεύεσθαι αὐτῷ. פעם enim in loco gressus est. Paraphrastes, confirmare placet, per ἀντίφρασιν uerbo usurpato. Nã alio loco frangi est ac debilitari. Sunt qui in hunc modum: Spiritum Domini cœpisse tintinabuli instar personare. Cuiusmodi sonat פעמון.

IN CAPVT XIIII.

DEscendit ergo Samson.) Samsonis cõceptu, partu, & Nazareatus ritu exposito, res memorabiles, quas spiritu diuino afflatus gessit, narrabuntur: in quibus personæ, loca, tempora, Dei consilia, rerumq; abditarum typi fuerint considerandi.

Thimnatha.) Huius urbis in Iosua fit mẽtio, quæ ab illo Daniæ tribui ascribitur, sed quæ nondum ab ea occupata tempore Samsonis esset.

Vidensq; mulierem.) non temerè ac fortuitò, sed certa sententia Dei oblatam, ut infrà legitur: Parentes nesciebant, quod res à Deo fieret.

Et nunciauit patri.) parens legi Decalogi: Parentes uenerator. quibus non consultis, fas non erat liberos matrimonia inire. Quæ de re ciuilis lex à Mose tradita est & Decalogi lege cõfirmata. Cuius obseruatæ exemplum hic in Samsone habes.

Nunquid non est mulier in filiabus.)

bus.) Aequa reprehensio, ut quã probet lex illa: Neq; sociabis cum eis cõnubia. Atqui ut interpretatio legis ἀκριβοδικαίως fieri nõ debet, literarũ angustijs obseruatis, sed ex sententia legislatoris, ita etiam lex illa Mosaica ex sententia diuini spiritus explicari debuit. Quo spiritu Samson incitatus, ea quæ fecit, ex uoluntate Dei fecit, non humana: & parentes diuinum consilium ut cœpere agnoscere, secuti sunt, cui primò ignorantes repugnassent.

Qui incircuncisi sunt.) per præputium & genus à Chamo ductum fœderi diuino aduersi, quod præcisi præputij fœdus est benedicti Semi liberis destinatum. De origine Palæstinorum uideris in libro de Origine mundi cap. 10. Dehortatio igitur loco iniquo nititur.

Quia placuit oculis meis.) Sub prouidentia diuina, quæ Samsonis oculos regebat per fidem, à qua is in epistola ad Hebræos cõmendatur. Oculi nominãtur ut sedes amoris, quiq; tanquam speculatores altissimum locum obtinentes, res expetendas & fugiendas denunciant.

Et quæreret occasionẽ contra Philistijm.) Non qua Deus egeret, qui à se, non à rebus humanis pendeat: sed cui ita placeat siue impuniendo, siue in præmijs largiendis, medijs rebus uti ad suam hominibus in terra uersantibus declarandam æquitatem. Sed dicas: Quæ illa æquitas Dei est, si de suo consilio præparat, quæ si præparata non essent, neq; delinqueretur, neq; commissa delicta pœna afficerentur? Nos legimus hic Dominum per Samsonem occasionem uoluisse quærere, qua in Samsonem committentes Palæstini punirentur. Igitur obijciat aliquis, in cõsilia Dei & ipsa Palæstinorum delicta & eorum supplicia cadere. Quod si ita est, Deum & autorem delictorum & iudicem statuemus, in quo eius æquitas periclitari uidebitur. Hæc quæstio quoniam alias tractata est, in præsentia eius explicatione supersedebimus. Sed perges percũctari hic, cur à Deo belli gerendi cũ ea gente quæratur occasio, quam ut euerterent Israelitæ sub iugũ missam, mandatum acceperant. Mandatum quidem acceperunt, sed quod Dei fœdus seruantes, non uiolantes perficerent. Etenim infestarum gentiũ subiugatio, cœli & terræ munera, & res fœliciter gerendæ, ex legis diuinæ obseruatione pendent, ut contraria eius uiolationem cõsequuntur. Itaq; ad Israelitas ut à Deo facto eius fœdere desciuissent, neq; mandatum de Palæstinis subigendis, neq; de seruitute tributaria excutienda potestas pertinebat. Seruandum igitur fuit iusiurandũ, quo Israelitæ Palæstinis obstricti tum erant de tributis pendendis, non temerè frangendum. Sicut neq; Iosua Gabaonitis Chananæis factũ iuramentum fregit, quamuis illi essent ex earum gentium numero, quas Deus excindendas mandauerat. Regem Sedechiam & Hierosolymam quantum in discrimen perfidia adduxerit, quòd iurisiurandi fide imminuta, à Nabuchodonosore Babyloniorum rege defecisset, historia Regum indicat.

Quapropter diuina cura prouisum hic legitur, ne prius Palæstini bello à Samsone lacesserentur, q̃ priores ipsi suscipiendi belli occasionem præbuissent. Qua in re & Israelitas suam innocentiã probare licuit: & Palæstini de rebellione illorum ut quicquam conquererentur, prohibiti sunt. Sedechias quia ob uiolatam religionem, susceptа defensáq; falsa, ut rebellaret Babylonio, à Deo præuisum est, ueluti sub finem quarti libri Regum proditum legimus: hic uerò ut Israelitæ in libertatem assererentur, ne Samson per defectionem prodita fide prior prouocaret Palæstinos, idẽ Dominus procurauit. Vnde intelligamus, siue peręũdum sit propter perfidiam, siue salus retinenda per fidem, id non temerè & casu, sed Deo ita prouidente accidere. Hic aperitur amplissimus campus prouidẽtiæ diuinæ, in quo exerceat se fides in lucta aduersus carnem & mundum, qui duce Satana principe mundi, Dei omnia moderantis consilijs infestus est.

Irruit autem spiritus Domini.) Primum fortitudinis Samsoniæ exemplum, quo quantum Nazareatus uim habeat, ostenditur. In uerbo תִּצְלַח cuncta feliciter expediens, Dei spiritus notatur.

Et dilacerauit leonem.) De cuius natura, ingenio, uiribus, sæuitia, clementia, generositate, & generibus apud rerũ scriptores uideris. Legitur hic à Samsone nullis armato armis, leonẽ interfectũ. De nostro Samsone, ut leonem illum Satanã rugientem, quærentemq; quem deuoret, discerpat, nullis humanis, sed solius sacri spiritus armatus armis, declarat uates: Spiritu oris sui interficiet impium, leone & dracone cõculcatis. de quibus illud: Conculcabis leonem & draconem. Spectantur hic in leone uitiosæ notæ quibus nobis sæuum mundi principem & eius ministros, tyrannos orbis terrarum, repræsentat. hoc est, sæuicies leonis & ingenium ad iram pronius spectatur. Nam crebrior huius animantis iracundia est. Notatur item cum crudelitate naturalis in isto animali coniunctus metus. Nam leones ferunt circumactis rotarum orbibus curribusq; inani-

inanibus, & gallinaceorum cristis atq; cantu, sed maximè ignibus terreri. Sic Satanæ ingenium est, & eorum qui illius spiritu feruntur, de quibus illud: Metuunt, ubi non est metuendum. Cernuntur etiam in leonibus laudata signa clementiæ. Nã leones tantum ex feris clementia in supplices uti, & prostratis parcere, traduntur. Et ubi sæuiunt, in uiros potius quàm in fœminas fremunt, & in infantes nonnisi magna fame. Non commemoro animi gratitudinem, quam erga bene de ipsis meritis ostendunt: non admirandam generositatem, quam in periculis declarant. Vnde accidit, ut propter has naturæ dotes nobis illum leonem referant, de quo Oseas: Quasi leo rugiet, quia ipse rugiet territurus impios, & seruaturus pios. Cæterùm uaria nomina sunt leonis, ab ætate ei indita: גור כפיר אראה לביאליש.

Et hoc patri & matri noluit indicare.) silentium hoc regente in Nazaræo diuina prudentia, ne ante tempus proderetur ænigma, de quo mox fiet mentio: & modestiæ exemplum ederetur in iuuene non temerè res magnas iactante. Accedit huc mystica ratio, quæ in Samsone Christo aperitur, qui non antea uictoriam de leone Satana uulgari uoluit, quàm gentium ecclesiam in matrimonium sibi conciliasset, insigni cum suorum Israelitarum salute, & hostium clade: quæ salus in hac quæ appropinquat, gentium plenitudine præcipuè apparebit.

Vt acciperet eam.) Nazaræi à uino & immundis abstinebant, non item à matrimonio. Quòd semel hac sententia Dei probatũ esset: Non est bonum hominem esse solum. Contra quam legem ut pastoris stulti incestus cælibatus pugnet, sentiunt qui illo tenentur.

Cadauer leonis.) מפלת Hebræis ut Latinis cadauer à cadendo ita appellatum. In cadauere repertum examen apum cum mellis fauo. Subducto uelo, ut in occiso leone Satana & filio eius Antichristo, à Samsone Messia inueniatur mel dulcissimum partæ uictoriæ de peccato, morte & inferno, notum pijs est. Qui sentiunt Deum pro sua bonitate in morte uitæ, in peccato gratiæ, in inferni tenebris cœlestis lucis suaue et amabile mel suis parari. Qui cœlestis Samson etiam ipse maledicti serpentis & leonis habitum induit, peccatum & maledictum factus, ut nos à serpentis maledictione et leonis crudelitate uindicaret. de quo illud: Vicit leo de tribu Iuda. in cuius mortuo corpore dulcissimum Euangelij mel inuenitur, de quo uates: Iura Domini dulciora melle. Nam non prius Euangelij fauus ex hoc mellario eximi depromiq; cœpit, quàm leo is mortuus esset. De cuius melleo spiritu apud Ioannem: Et spiritus nõdum erat datus, quia Christus nõdum erat glorificatus. Cæterùm tradunt scriptores rerum, ex bubulo corpore putrefacto apes etiam nasci. Vnde eas βουγενεῖς uocatas. Refert ad arcana intelligenda quæ hic in reperto in leonis cadauere melle adumbrantur, naturam apum cognitam tenere, quam curam & industriam adhibeant in confingendis fauis, & ceris, & in ipso melle contrahendo. Cognoscenda eaꝝ resp. ut regem suum habeant, cui obtemperent: ut fucos ignauos expellant, ut in commune reip. utilitati consulant: et si quæ sunt huiusmodi, quorum in tanta exiguo animante consideratio mirificam ænigmatis à Samsone Palæstinis propositi cognitionem aperit.

Conuiuium.) Locus de uetustate nuptialium conuiuiorum. משתה Hebræis à compotione conuiuium dicitur, ut Græcis, Latini uerò ex popularem accubationem amicorum, quòd uitæ coniunctionem haberet, conuiuium satis honestè nominarunt. Cæterùm quale conuiuium Messias Nazaræus cœlestis Samson paret, iam uicto leone, suæ sponsæ ex gentibus in matrimonium sibi iunctæ, sentiunt qui huius conuiuij conuiuæ sunt. uinum nouũ bibentes, de quo eius dispensator his uerbis: Dum bibam illud uobiscum nouum in regno patris mei.

Proponam uobis problema.) de more proponi solitis obscuris dictis in Syrorum gente ad dissoluendum, ut de Salomone & Hiramo rege ex historia Regum patet.

De comedente exiuit cibus.) Proponitur ænigma conuiuale, Palæstinis exitiale, et Israelitis salutare.

Cumq; uenisset dies septimus.) cõuiuij nuptialis, qui quartus erat propositæ quæstionis. Aenigma quod arte soluere ne queunt, eius soluendi rationem dolo & minis consequi, Samsonis uxore pertentata, moliuntur: qua interprete explicationem illius discerẽt. Submota umbra, occurrit sponsa ecclesia, cui nisi aperiat primò cœlestis Samson Messias uictoriæ de leone Satana partæ arcana, nemo ea intelliget. stat enim illud: Vestrum est mysteria regni cœlorum intelligere.

Incendemus te & domũ tuam.) Sæuæ gentis significationem minæ hæ habent, à qua nèue iuris hospitalis, nèue affinitatis, nèue nuptialis conuiuij, nèue initi de soluendo ænigmate pacti ratio ducitur.

Tandemq; die septimo.) Qui leonem uicerat, mulieri cedit: sed certo Dei consilio, de quo

quo aliquoties ex ipso scripto. Exemplum hoc indicat, quid in uiros possit muliebris impotentia. locus exemplis ex historijs depromptis illustrandus est. Nemo autẽ eam rem ita euenire miretur. Causa ex Genesi nota est. In quo libro traditur, ut mulier ex ossibus, firmiore corporis parte, extructa sit, loco molli carne repleto. Cuius rei mystica ratio in eo loco qui iam adductus est, redditur.

Si non arassetis in uitula mea.) Aenigmaticῶς dolos illorum, cõmodis metaphoris usus, reprehendit.

Itaq; irruit in eum spiritus Domini.) à dolo Palæstinos uexandi occasione arrepta. Si Samsonis facinus extra diuinum spiritum spectetur, crudelitate istud non liberabitur: sin Dei consilium & Samsonis munus, non humana, sed diuina ratione gubernatum, uitium hic aberit: humanis consilijs & factis à diuinis tantùm distãtibus, quantum terra à cœlo distat, ut est apud Iesaiam uatem. & hoc ipsum Samsonis exemplum docet. Sed uerius id nostri Samsonis doctrina, facta, & miracula comprobarint.

Quorum ablatas uestes.) Spoliat Ascalonitas uestibus, quas det conuuis, quibus ab uxore ænigma expositum est. Subducto uelo occurrit illud: Et quod habent, auferetur ab eis.

Vxor autem eius accepit maritũ.) uiolata cum Samsone contracti matrimonij fide. Quæ perfidia gentis leuitatem non obscurè declarauit. Sed hac perfidia sapienter Deus uti uoluit, qua nimirum sponsæ ecclesiæ, ex gentibus delectæ, in maritum suum Samsonem Messiã perfidia adumbraretur, adultero suscepto hodie satis noto.

IN CAPVT XV.

Post aliquantulum autem temporis.) ut iam remisisset ira & dolor, cuius medicinam tempus afferre solet.

Quòd odisses eam.) Excusatio patris, sed falsa, quem natura doceret, quæ res matrimonia dirimeret. Sed fœditas gentis huius suprà apud Mosem etiam exagitata est, & eam quæ sequuntur declarant.

Sed habet sororem.) Sororem in uxorem offert, contra naturæ legem à Mose in literas relatam: Sororem uxorem tuæ ne ducito. Sed quid aliud faceret gens ab improbo & flagitioso Chamo prognata? Cui promiscua & confusa matrimonia probantur, Samsoni improbantur: quem neq; natu minoris ætas, neq; uenustas commouit, ut eam duceret, relicta sorore eius quam primò duxerat. Itaq; iudice Deo mala Palæstinis inferuntur, de quibus subiungitur mentio.

Et cæpit trecentas uulpes.) A' quibus dolis & malis artibus superatus fuit, eos sanctis dolis & diuinis artibus uincit, in eum usum uulpibus, animante fraudulento, selectis. Vbi locum habuit prouerbium illud: ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα. Et quoniam Samson, si humanas uires spectes, Palæstinis inferior erat, quadrarit etiã in illum hæc sententia: Si leonina pellis satis non est, uulpina addenda. Item illud: Dolus, an uirtus, quis in hoste requirat? Sunt enim etiam diuini doli quibus diuina prouidentia suos armat, de quibus ipse Samson noster: Estote prudentes sicut serpentes. Qua cœlesti, non humana uafricie fretus Samson, in Palæstinorum agrum, segetes, uineas, & olueta uulpes in caudis earum colligatis facibus immisit, quæ omnia longè lateq; incendio disperderent. Subducto uelo, quas nobis uulpes fraudulentia sua exitiales Samsonis uulpes malè in sacris literis audientes significent. Ezechiel uates ostendit: Quasi uulpes in desertis fuerunt prophetæ tui, ô Israel: de falsis prophetis loquens, quos uulpibus comparat, per sepes in uineas, quas deuastent, irrumpentibus. Tales sunt falsi doctores uineam Domini uastantes. de qua figuratè in Canticis & eam perdentibus uulpibus: Apprehendite nobis uulpes paruas quæ lædunt uineas. Terrestre animal est uulpes, lucis fugitans, & habitans in antris: persequensq; cadauera, cæteris animantibus noxium. Tales sunt in regno Satanæ uulpes, falsi prophetæ & doctores, dignæ sanè uulpes quæ à Samsone in agros Palæstinorum cum facibus ardentibus ad omnia corrumpenda inferantur: cum facibus, inquam, in earum caudis alligatis. Quid enim cauda notet, declarat Iesaias uates: Propheta autem qui docet mendacium, ipse est cauda. Qui uulpina illa cauda est, de qua uulgò apud Germanos, **eyn fuchsschwantz**. Sed qualem ignẽ in caudis gerunt hæ uulpes? Ignem gerunt, de quo illud: Succensa est quasi ignis impietas. Est & ignis salutaris, qui lucet & purgat eos, quibus illuxerit. Hunc ignem probi doctores & prophetæ in ore, non in cauda ferũt. Vt exemplo est Iesaias, cuius labia carbonem ardentem de manu angeli acceperunt. exemplo item sunt Apostoli, quorum linguæ igneæ, ut ex Actis patet, uisæ sunt, quibus igneum & flammeum euangelij sermonem ad colendam uineam Domini. quæ scriptorum in libro uitæ ecclesia est, spargerẽt. Est & exitialis ignis, quem uulpes ad perdendum gerunt, de quibus iam meminimus. Talis etiam uulpes fuit ille, de quo Dominus apud Euangelistam meminit: Ite, dicite uulpi illi: Herode significato.

Et combusserunt tam mulierem.) Grauis ultio, sed non in tempore sumpta de socero Samsonis, & potius ulciscendæ præsentis cladis, quàm iusticiæ gratia susceptа. Ideo sequitur:

Licet hæc feceritis.) Si ab initio rapta mihi uxore hoc feciſſetis, de tanto scelere sumpta uindicta, bene egiſſetis: iam uerò cum serius quàm debuistis, pœnam expetistis, ego in uos quicquid peccatum est, uindicabo.

Ita ut stupentes.) Non est stupor in Hæbræo, sed ita habet, sic percussos Palæstinos, ut fugientes & cadentes, crura & pedes illiserint femoribus, aut crura cum femoribus ita eis labefactata, ut nec fugiendi nec resistendi uim haberent.

Nescis quòd Philistijm imperent nobis.) Imperium Palæstinorum præferunt, quos scire conueniebat Samsonem à Deo excitatum, qui Palæstinorum imperium dissolueret. At quoniã cum semel statuisset Deus in Samsone suæ fortitudinis exempla edere, & per illum ueræ redemptionis per Messiam perficiendæ mysterium adumbrare, certa ratione legitur Samson à fratribus Palæstinis ad interficiendum traditus, & ab eo solutis eius uinculis, mortui asini maxilla hostes superatos. Quod ad fratres attinet, noster Samson conqueritur apud Prophetam: Alienus sum factus fratribus meis. De uinculis & maxillam asini mox mentio fiet.

Sicut fecerunt mihi, sic feci eis.) sed ad ultionem Dei spiritu, non carnis instinctu impulsus, par pari retulit, ut qui Israelitarum à Deo designatus iudex esset. De nostri Samsonis uindicta, quam de suis hostibus sumit, uates: Ecce Deus noster ueniet cum ultione, uidebitis eius retributionem. Deus inquam, de quo idem uates Iesaias: Vocabitur nomen eius Deus fortis. Quòd ad aduentum attinet, de eo illud occurrit: Cum uenerit redemptor ex Sion, qui uidelicet Israelitas illos ueros redimat, & hostes euertat.

Ligare te uenimus.) Samson ab ijs ad quos liberandos uenerat, ligatur. Vt à suis ligetur mortis uinculis noster Samson, quem profanæ gentes in crucem adactum interficiant, declarat uates: Propter scelus populi mei percussi eum. Sed ut is abruptis uinculis uincat hostes suos mortui asini maxilla percussos, indicat uates idem: Et fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.

Et Philistijm uociferantes.) In יריע clamor notatur, qualem iubilantes hostes edunt, cum putant se uictoriam in manu obtinere. At falluntur hic Samsonis hostes. horum enim iubilationem luctus excipit. Verè igitur Iobus dixit: Exultatio impiorum breuis.

Et irruit in eum spiritus Domini.) Qui cœlestis illa uis est diuini Nazareatus, uincens omnia, mũdum, & omnem qui in mundo est principatum. Hoc spiritu uincula quibus ad mortem uinctus erat Samson, soluuntur. Hoc spiritu agente in nostro Samsone uincula soluuntur, de quibus in Actis apostolus Petrus: Quem Deus suscitauit solutis doloribus mortis, quale impossibile erat teneri illum ab ea.

Inuentam maxillam.) Insignis & memorabilis uictoriæ exemplum. Reducto uelo occurrit primò uictrix omnium mors onerarij asini, de cuius oneribus uates: Iniquitates nostras ipse portauit. Asinos geruli opera mirifica esse cõstat. Horum stupor, stultitia, improbitas, & contumacia uulgò traducitur. Si eum spectes qui hac imagine aliquo modo repræsentatur, occurrit illud: Peccatum factus est & maledictum. Item: Visum est Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Item: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Legimus hic asini ossea mandibula cæsos Palæstinos. qua mandibula roboris sui suos Palæstinos conficiat noster Samson, uictoria documento est, de qua fortis uictor ipse & apud uatem Iesaiam: Quia hæc dicit Dominus: Etiam captiuitas à forti tolletur: & quod ablatũ fuerit à robusto, saluabitur. Occurrunt item Apostoli mundo asini reputati, qui ueteri homini mortui, & Deo uiuentes nouo, ossea sua mandibula plena euangelij cœlestis uirtute ueros illos præputiatos Palæstinos uincunt. de quibus illud: Captiuam ducimus omnem cogitationem ad obedientiam Christo. De his asinis uaticinatus est Iacobus, ut essent ligandi ad uitem quæ de se dicit, Ego sum uitis uera: & donandi sessore Christo, de quo Zacharias: Ecce rex tuus ueniet tibi iustus, saluator & pauper, equitans in asino.

In maxilla asini.) Carmen triumphale coloratum repetitione, ad uehementem de insigni uictoria gratulationem exprimendam, quæ uicto coria parta sit non arcu, non equis, non militum copijs, sed mandibula asini, Deo fortissima mũdi per infirma, sapientissima per stulta uincente. Sunt qui חמור חמרתים uertunt aceruum aceruorum. ut sit sententia, aceruatim, hostium stragem factam, Paraphrastes prosternendi uerbum usurpat רבתיר. Redactos eos in aceruum. Nam pro חמרתים, reddit רגורין, elegante Paronomasia, quæ

sia, quæ cernitur in חמור חמורתים. Et similiter cadentibus uerbis בלחי חמתי carmen exornauit Hebræus poeta:

Et percussi mille uiros.) De millenario denarij cubo aliàs.

Tu dedisti.) Precatio fidei neruis intenta adornatur, qua primò Deo tantam uictoriam acceptam refert, eius ministrum, non autorem se cõfitens. Deinde agnoscit ab uno Domino Deo suo posse tanta siti se liberari: & se liberandum sperat ab eo, qui in cæteris quoq; periculis affuisset adiutor. Postremò in precando Deum gloriæ suæ admonet locis honesti usus: quæ periclitatura sit, ni si afferat opem. Sequitur ergo:

Incidamq; in manus incircumciso rum.) magno nominis tui dedecore, & meæ fidei, qua te colo, & salutis Israelitarum periculo. Vox digna Nazaræo Dei.

Itaq; aperuit Deus.) Victus precationis ui in Nazaræo quæ impetrauit, ut ex molari maxillæ dente, aquæ exirent, ad sedandam sesso expugna sitim. Ex ea maxilla eliciuntur reficientes aquæ, qua hostis uictus est. Submota imagine, occurrit uictor Messias, ex quo tanquam ex perenni fonte exeunt aquæ, de quibus uictor ipse: Quisquis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitierit in æternum. Sunt & dentes laude carentes, de quibus Dauid: Dentes peccatorum contriuisti: dentes, inquam, in sanctos impactos, quales cernuntur in bestia illa horribili, quam Daniel nobis hodie satis notam describit. His dentibus contrarius est dens maxillæ molaris, quo Palæstini cõfecti sunt: & dentes sponsæ, de quibus Salomon in Cantico: Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascendunt de lauacro.

Refocillauit spiritum.) corde refrigerato aquæ potu, quod uehementiore motu incaluerat. In quem refocillandi cordis usum pulmo, spirandi & respirandi officina, animantibus tributus est.

Fons inuocãtis.) fons qui exhibitus est ad inuocationem clamantis ad Deum Samsonis. Itaq; locis à rebus gestis nomina ad memoriã posteritatis indita sunt.

IN CAPVT XVI.

Abijt quoq; in Gazam.) Noui exempli fortitudinis edendi occasio per meretricem offertur. Suprà legitima uxor fortiter gerendi res ansam præbuit: hic meretrix, cuius hospitio Samson usus est. Vbi etsi commercium Samsonis cum meretrice temerè culpa liberari non debet, nisi quòd fecit, eum singulari instinctu Dei fecisse putes: tamen diuinam prouidentiam hoc facinore fortis & diuini uiri ad res gerendas magnas, & ad præfiguranda cœlestia usam credimus. Nam si Samson noster spectetur, quem in hac narratione mystica propositus Samson adumbrat, ut is sponsam suam in mundo, & fornicatoribus prostitutam inuisat, cognoscere licet ex prophetis. Etenim apud Hieremiam uatem legimus: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. At uerò quibus periculis se exponat, dum illam inuisit, declarant grauissimi hostes, de quibus in Psalmo XLVI, sub persona Dauidis, in hunc modum canitur à uate: Circundederunt me inimici mei. Sed ut decepti sunt Palæstini Samsonem circumdantes, de quibus hic, Et circundederunt eum: ita ut delusi nostri Samsonis hostes sint, ex eo patet, quòd sua obsidione efficere non potuerunt, quo minus conuulsis mortis atque inferni portis euaderet. De qua uictoria Oseas: Absorpta est mors in uictoria. ubi tua inferne uictoria? Cuius portæ cum uectibus euersæ sunt, de quibus Samson ipse uictor, Portæ inferorum non præualebunt ei. At hoc tantum mysterium hic adumbratum sancti intelligent, cum animaduerterint, quid sub uelo præ se ferat Samsonem Nazaræum urgentibus Palæstinis, capitalibus Israelitarum hostibus, ciuitatis Gazeæ portarum fores unà cum repagulis & ambobus postibus humeris impositis in montem transtulisse. Hoc redemptionis arcanum consilium non perpendunt, qui pro ורנה uertunt cauponariam, ut paraphrastes Chaldæus uertit. Melius LXX reddunt πόρνην. Iosephus cum Hebræis de cauponaria uidetur accepisse, ubi ait: ἐν ᾗ τινι τῶν καταγωγίων διέτριβε.

Circundederunt eum.) sed frustrà, consilium hostium confundente eo, de quo uates: Consilia gentium dissipat Dominus. Similiter de nostro Samsone apud uatem: Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerũt me laquei mortis. in afflictione inuocaui Dominum, & exaudiuit uocem meam.

Qui respicit Hebron.) uicinam Gazæ claram patriarcharum hospitio urbem, Abrahami, Isaaci, Iacobi: &, ut tradunt, etiam Adami, ante diluuium: & Noæ etiam, post diluuium, quẽ Ogygem Berosus, & post eum Metasthenes, Xenophon, Solinus & alij appellatum uolunt, & circa Hebronem iuxta ilicem nuncupatam Ogygẽ habitasse. Sic enim Iosephus libro primo Antiquitatum Iudæarum scribit: Ἄβραμος μὲν κατῴκει περὶ τὴν ὠγύτην καλουμένην δρῦν. ἔστι δὲ

ἢ χαναναίας χωρίου, ὃ πρόῤῥω τῆς ἐῤῥωνίου πόλεως. Cæterùm hic non in depressa loca euasisse Samson de portis Gazæ triumphans legitur, sed in montis in Hebronis aspectu positi fastigiũ. de nostro Samsone illud legimus: Expoliatosq; principatus ac potestates ostentauit palam.

Post hæc amauit mulierem.) Postremum periculum à tertia muliere, & ea meretrice narratur. In quo tandem periculo, sed nõ sine insigni hostium clade, uitam amisit. Quo autem Dei consilio id acciderit electis salutari & hostibus pernicioso, de eo inter interpretandũ monebimus. In hac narratione hæc perpendenda fuerint, qui insidiati sint, & quibus instrumentis usi ad decipiendum, tum qui exitus fraudis fuerit, postremò usus mysticæ historiæ quis sit, considerandum.

Principes Philistinorum.) Non uulgares, sed principes & potentes aduersus Samsonem excitantur. De nostro legimus apud uatem: Principes ineunt consilium contra Dominum & Christum eius.

Decipe eum.) Dolos tentant, & uafra consilia, quibus fortitudo et recta cõsilia deessent. De hostibus nostri Samsonis illud: Et qui quærebant mala mihi, dolos tota die meditabantur. Duabus autem rebus quæ ad decipiendum præcipuè ualent Palæstini utuntur, muliere & muneribus: his mulierem illaqueant, muliere Samsonem fallunt. Neq; id nouum exemplum est. Sic Euã proposita speciosa arbore serpens decepit, Eua Adamum. Sic Salomon sapiens à suis uxoribus circũscriptus est. Submoto uelo, ut noster Samson à sua sponsa præmijs quæ mundus offert, delusa, in mala & uarias calamitates inducatur, mox ostendetur. Huc pertinet apud Ezram de muliebri fortitudine instituta disputatio.

Centum argenteos.) Paraphrastes addit, סלעין רבסת. Precio hostium, quod accipiat Dalila, Samsonis uictoriosa mors paratur. Deponendum uelum.

In quo habeat tantam fortitudinem.) Tentant scire in quo tantum robur situm esset, quod labefactent, non labefacturi, ignorata eius causa. Nam præcipuè in consultationem uenit hostiũ potentiã et uires nosse, qua in re uersentur. Quod pertinet ad locum τὸ διωατὸν, quem deliberantes, tractant.

Quod si feceris.) A' præmio.

Si septẽ neruiceis funibus.) Hebræus habet: יקרים לחים, id est, recentes ac uirides restes. ut sunt ex uiminibus et termite confecti funes. Noster LXX sequitur, qui uertunt νευρείαις.

Infirmus ero.) Vt infirmus factus est, qui ruptis funibus per robur suum fefellit Palæstinos? Mendacio' ne se alligauit diuinus ille Nazir Dei? aut altius quiddam nobis hic Dei spiritus quàm littera præse fert, ostendere uoluit? Si nostrum Samsonem, cœlestem illum Samsonem spectemus, quibus is funibus recentibus & nouis ab ecclesia cõstringatur: & constrictus, infirmus nullo tamen roboris sui detrimento, reddatur, declarat eius conceptus è spiritu sancto, et partus ex uirgine. Nam conceptus robur continet, partus infirmitatem, propter eius meretricis improbitatem, de qua Ezechiel: Fornicata es, et suscitabo ego pactum meum tecum. Septem recentibus uiminibus legitur hic ligatus Samson ad infirmitatem, sed quam robur diuini spiritus in Nazaræo uicerit, falsis eius hostibus. Nostrum Samsonem septem illæ noui spiritus uires ueteris naturæ opus non expertæ ligant quidem, ubi est à carne infirmus, obsequens patri usq; ad mortem: sed ita, ut dum putatur ligatus, solutis restibus contra omniũ hostium suorum uoluntatem, liber euadat, in ipsa infirmitate fortitudine regnante, per quam omnia cœlestis Nazir uincit. Itaq; uerum est illud quod Apostolus in suo Samsone sensit: Virtus in infirmitate perficitur.

Odorem ignis acceperit.) leuiter ab igni afflatum. Tropus in ריח cernitur, qualis in Latina uoce odor. Cũ dicimus, Odor dictaturæ, odor consulatus, subodorari pro leuiter sentire. Et quoniam odor spirabilis naturæ est, apud Hebræos odor & flatus in eandem ferè originem cadunt, & hic cum igni flabilis odor coniungitur, & flatus, odor, & ignis naturæ quadam cognatione teneantur. Quam cognationem etiam odoratus sensus declarat, è naribus flatũ igneum edens, ut est apud Latinum uatem:

Semine ab æthereo, spiranteis naribus ignem.

Septẽ crines.) In capillis quidem ac cincinnis robur Nazaræi situ erat, sed quod nõ quouismodo tentatis illis recederet, sed nouacula deradis. Quod quid sit, ea de re in Numeris mentio facta est. מסבת alijs est tapetum, cincinnos tapete intextos: alijs est iugum textorium, cui tela applicatur, ut Paraphrasti qui uertit אבסנא. Nõ opus est adducere quæ in uniuersum in textoria arte tractantur, licium, stamen, iugũ, telam, pectẽ.

Defecit anima mea.) De nostro Samsone suæ Dalilæ sollicitatione fatigato legimus: Mœsta est anima mea usq; ad mortẽ. Qui sic uictus, summam infirmitatem subij, tut in hac firmissima & potentissima in mundo uinceret.

Ferrum nunquam ascendit.) Tandem à Da-

à Dalila inductus, suum in quo impositum esset, robur prodit, ea in re non casu, sed fatali Dei consilio dominante. Hūc cuius Samsonis in hac mystica narratione typos præformari cōueniret, nō latuit. Itaq; tot mysteria hic quot uerba ferè occurrunt. In Samsone mystico robur & imbecillitas inerat: hæc à natura, illud à spiritu diuino. Vt igitur uictoria amplior ederetur morte illius, quam cum uiueret, edita fuisset, robur ad tempus ponendum erat, ad adumbrandum eū Samsonem, qui fortitudine diuina, & imbecillitate humana præditus, talem se præstaret, qualem eū uates Iesaias cap. 53. & Apostolus ad Philippenses describunt: Qui cū esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo: sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilē præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem. Atque id ei accidit amore דלילה suæ, hoc est, pauperis & miseriæ meretricis sponsæ ecclesiæ, quā deterſa ignominia meretricatus, sibi nouis sponsalibus deuinciret. de quibus Oseas: Sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus. Et de hac paupercula Iesaias: Audi hæc paupercula. Huius sancto amore inductus noster Samson, posthabito robore suo, infirmus factus est: ut suam sponsam robustā redderet, oculos amisit: tenebras mortis & inferni sentiens, ut suam cæcam luce illustraret: carcere miseri huius seculi incluſus, laboribus & doloribus plenam uitam egit, ut suam ex miseria in beatitatem & quietem transferret: atq; tandem ludibrium suis Palæstinis factus est, ut uictoria parta, longè amplissima per mortem, suæ abiectæ sponsæ uitam plena gloria & maiestate tribueret, & exitium certum hostibus afferret. Tam abdita redemptionis consilia Deo uisum est in hac Samsonis historia contegere.

Super caput meum.) Quæ in Nazaræi pilis in uniuersum expendenda sint, ea re uideris in Numeris.

Eroq; sicut cæteri homines.) à natura humana, desertus diuina, hoc est spiritu fortitudinis diuinæ. De nostro Samsone legimus: Homo est doloribus affectus, & expertus infirmitates, imò infra cæteros homines abiectus. ut idem uates: Nec in ulla eum existimatione habuimus. Similiter in Psalmo, sub persona Dauidis: Ego autem uermis sum, & non homo.

Et rasit septem crines eius.) Quid sunt septem detonsi capitis cincinni, norunt qui septenarij mysterium intelligunt, ex Iesaia uate. His cincinnis etiam ornatur sponsa Messiæ in Cātico Salom. Cæsaries capitis tui sicut purpura, & sicut rex, regio splēdore et dignitate tributa spōsæ.

Quòd recessisset ab eo Dñs.) De nostro Samsone legimus, ut in altissimo crucis somno diuina fortitudine destitutus, clamarit: Deus Deus meus, quid dereliquisti me? Item: Aruit tanquam testa uirtus mea. Non accipi hic debet, in capillis propriè situm fuisse robur Samsonis. Hoc enim donum non naturæ, sed diuini spiritus fuit. Sed quòd capilli significationem roboris diuini darent, ex uoluntate Dei. hi igitur significatione robur tenebant, spiritus natura.

Erucrunt oculos eius.) ne uiderent amœnissimā cœli lucem, in tenebris mœsticiæ obsolescentes. Vt nostro Samsoni omnis consolationis lux adempta, & tristiciæ caligo offusa sit, declarat uox illa plena luctu: Mœsta est anima mea usq; ad mortem.

In carcere molere fecerunt.) ut tum mos erat in ergastulum captiuos detrusos molendo uictum quærere. uelut in Exodo legimus: Vsq; ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam. & mox infrà in eodem illo libro: Vsq; ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere.

Iamq; capilli eius renasci cœperāt.) Et cum his robur, de quo mox infrà. Tonderi igitur poterat caput Samsonis, sed radices pilorum euelli non item. Submoto uelo, noster Sāson occurrit. Is ad tēpus roboris sui cæsarie orbatus quidem est, sed quam cum fœnore renasci tandē senserit.

Dagon Deo suo.) Deum Israelitarum gloria sua priuant, ab eo omnia bona proficisci nō confitentes. Quam gloriam uano idolo tribuentes, dicunt: Tradidit Deus noster inimicū nostrū in manus nostras. Quos qui imitentur in regno bestiæ, non est obscurum. In hac igitur narratione hostium sanctorum Israelitarum ingenium depingitur. Hi primò honorem suum Deo uero detrahentes, dijs alienis qui dij non sunt, sed uanitas, bona quæ accipiunt, accepta ferunt: Deinde sanctos ueræ religionis odio, & amore falsæ, inimicè insectantur: postremò eosdē non desinūt odisse, & hostiliter persequi, dum eos in suam potestatē redigāt, & redactos miserrimè diuexēt: et si ita uisum sit, de rerum natura deleāt. Exemplo Samson est, is captus exoculatur, exoculatus in ergastulū detruditur, damnatus ad molā. Postremò hæc mala nō contenti intulisse, ludū ex Samsone publicè faciunt ad illudendū ac deridendum eū. Similia ut acciderunt nostro Sāsoni Messiæ, & omnib. accidēt qui in hoc mūdo piè & sanctè uiuere exemplo sui seruatoris student, satis est manifestum.

Lætantes.) De uicto Samsone, de nostro occurrit illud: Dilatauerunt super me os suum, dicentes: Euge euge uiderunt oculi nostri, &c.

Et ante eos luderet.) ludos errando, impingendo, labendoq; qui cæcus esset, præbens. De nostro uates: Subsannauerũt me, item: Factus sum ludibrio plebi. At uerò ut hanc suam illusionem impunè non habeant illusores, Palæstinorum miser interitus, & illud apud uatem declarat: Disperdetur de terra memoria eorum. sed cur id eis accidit? Sequitur imbi, Eo q, non tribuunt misericordiam afflicto, sed persequuntur pauperem. Locus is Messiæ & eorum qui illum colunt, persecutoribus memorabilis esse debet.

At ille inuocato Domino.) ut unico in rebus aduersis adiutore.

Domine Deus meus.) ex fœdere & Nazareatus iure, quo tibi uni consecratus sum.

Memento mei.) tanta miseria oppressi, qui soles miserorum pro naturali clementia tua misereri, & superbos deijcere. Hũc enim titulum misericordiæ tibi uindicas: Dominus Dominus Deus, misericors & clemens. Memento item officij ac muneris quod mihi iniunxisti, quẽ iudicem, qui clade Palæstinis affectis, Israelitas tuos liberem, constituisti. Quia igitur gloria tua & salus populi tui agitur, mihi Nazaræo tuo in hoc postremo militiæ meæ actu, deesse nolis, rogo.

Et redde mihi nunc pristinam fortitudinem.) renatis capillis Nazareatus, in hoc me tibi sacrato.

Vt ulciscar.) non priuata mea causa, sed publica & tua. Itaq; ô Deus quoniam per Palæstinæ in uxorẽ à me ductæ, & meretricis Gazææ à me uisitatæ, occasionẽ Palæstinos hactenus clade affecisti: rogo etiam nunc de illis uindictã exquirere me sinas, ut intelligãt te Deum uerum esse Deum, & Dagonem falsum: & te non præputiatorum, sed circumcisorum Deum uelle haberi. Hæc precatio à Deo his fidei machinis impulso impetrat quæ cupit. ut sequitur:

Et apprehendẽs ambas.) וילפת sunt qui uertunt: ויטח, id est, & inclinauit, citantes illud ex Rutha: ויחרר האיש וילפת. Item illud ex Iobo: וילפתו אראית דרכו.

Moriatur anima mea.) Vltrò se offert morti, ut de hostibus Dei & Israelitarum sumatur ultio. Deponendum uelum.

Multoq; plures interfecit moriẽs.) Narratur gloriosus Samsonis obitus, & miser Palæstinorum exitus, dignus fraude & insolentia hostili. Vera igitur est sententia illa Salomonis: Perdit stultos felicitas sua: comedant de fructu uiæ suæ, suisq; consilijs saturabuntur: sed reducto uelo, occurrit Samson Messias, cuius mors ut fuerit uictorioſa, declarat illud: Et fortium diuidet spolia, eo quòd exposuit morti uitam suam. Hactenus de Samsone, quem, quòd cũ meretricibus rem habuit, uitijs nõ liberamus. Nota enim est nobis illa Salomonis sententia: Domus meretricis uia est ad inferos, & iter ad mortẽ. Sed in hoc rerum à Samsone gestarum theatro, Dei sapientiam cum bonitate coniunctã prædicamus, qui etiam sanctorum hominum uitijs ad Messiæ filij sui uirtutes adumbrandas abutatur. Vt nihil in hoc mundo sit tam turpe, tam malũ quod ipse pro sua sapientia in bonum nõ conuertat. Quis inter uates diuinior Danuide? At huius adulterio et homicidio, ad quas admirabiles res significandas usus Deus sit, infrà in Regũ historia monebitur. Nemo sapientior Salomone fuit: at is mulierũ amore, nõ sine abdito Dei consilio desipuit. Idem forti Samsoni accidit, qui in sinu & amplexu meretricum recumbens, occulta mysteria significandi materiam diuinæ sapientiæ præbuit. Vt liceat hic exclamare cum Apostolo: Ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Suus igitur næuus fuit in Samsone uetere, ut nouus & cœlestis Samson robore suo omnes aduersarias potestates superans, expectaretur, qui nõ solum næuis omnibus careret, sed etiam ipse næuis & uitijs affectos puros & mundos redderet. Labe nõ caruit Dauid rex omnium circumquaq; hostium Israeliticæ gentis uictor, ut alter Dauid non terrenæ. sed cœlestis Hierosolymæ rex, omnis labis expers spe præsumeretur. Sic quoq; sapiens Salomõ sua uitia habuit, ut Salomon ille supracœlestis omnes diuinæ sapiẽtiæ thesauros habens Messias sacrosanctus cum magna expectatione sui, locum apud nos inueniret. Qui de se prædicat: Ecce plus quàm Salomon hic est. Vitia ergo in figura ut essent, certis Dei decretis prouisum est, ut in figurato Messia omnia integra & perfecta à pijs agnoscerentur. Cæterùm non attinet hic referre quæ nonnulli de Hercule, qui circa Samsonis tempora uixisse fertur, literis prodiderũt. neq; interest monere quæ in cæteris populis gesta sunt iudicibus & regibus remp. Israeliticam administrantibus. Nos enim in nostris cõmentationibus sacra, non profanarum gentiũ res profanas tractare, ad amplificandum nomen Messiæ, instituimus. Si quis igitur uelit scire quæ apud Assyrios, Aegyptios, Græcos & Romanos acciderint temporibus Iudicum & regum Israeliticæ gentis, is Chronica ea de re edita legat.

IN

IN CAPVT XVII.

FVitq; eo tempore uir quidam.) Quo tempore contigerint quæ sequente historia de Micha, Dania familia, & Leuitæ concubina nefarijs stupris cõfecta, narrantur, inter interpretes non conuenit. Sunt enim qui Chusanis regis Mesopotamiæ, iam mortuo Iosua, ea accidisse tradunt. Nõ enim in historia sacra gestarum rerum ordinem in narrando obseruari. Atque hi ut sic sentiant, pro ratione afferunt, quòd paulo infrà legitur: Idolum Michæ cum ephôdo mãsisse in Dania tribu, dum tabernaculum Domini uersaretur Silûnte: temporibus autem Chusanis regis, tabernaculum Silûnte uersatum, & uerisimile esse, Daniam tribum statim à Iosuæ obitu suam possessionem, in qua habitaret, occupasse, ut cæteræ tribus suam quæq; ditionem sorte destinatã occupasse leguntur. In hac sententia est Hebræus ille qui סדר העולם, id est Chronicorum librum scripsit, quem non pauci Hebræi interpretes sequuntur. Neque ab ea dissentit Iosephus, qui quæ hic commemorantur, in ea tempora reijcit, quæ statim Iosuæ obitum consecuta sunt. Sunt alij, qui ordine rerum gestarum seruato, in ea tempora referunt, quæ inter Samsonem & Heli interiecta sunt, quibus Israelitæ legitimo magistratu carentes, ex animi libidine omnia, ut solet fieri in anarchia, egerint. De qua anarchia hic fit his uerbis mentio: Tempore illo non erat rex in Israel, sed quisq; id quod sibi rectum uidebatur, faciebat. Errare igitur, qui Othonielis temporibus, hæc quæ hic narrantur, accidisse arbitrantur. Illo enim magistratum gerente, neque quod hic legitur, Non erat rex in Israel, neque libidinem Israelitarum effrenem locum potuisse habere. Argumenta autem adducta, satis firma non esse. Nam ubi obijcitur, mansisse idolum Michæ omni tempore quo fuit tabernaculum Silûnte, eum locum nihil confirmare, qui alteram sententiam tuentur, dicunt. Siquidem etiam concedendum fore, tempore Iosuæ Michæ idolum in Dania tribu fuisse, quòd uiuente adhuc Iosua tabernaculum diuinum Silûnte fuerit, septem nimirum annis quibus Chananæa subiugata est, & septem quibus eadem illa iam occupata, diuisa fuit. At Iosua tantum nefas in Israelitis laturus non fuisset. Etenim Israelitæ ut intellexissent à Gaditis & Rubenitis in altera Iordanis ripa aram ædificatam, arma ad uindicandum tantum defectionis crimen illico expedierunt, quanto minus alienum Michæ ephôdum & idolum tulissent? Præterea leguntur Israelitæ toto illo, quo imperauit Iosua, tempore sanctè Deum coluisse. Sic enim in Iosuæ libro sub finem legitur: Coluitq; Israel Dominum cunctis diebus Iosuæ. Quòd uerò ad Danios pertinet, id parum quoque roboris & momenti ad probandum habere dicunt. Legis quidem hic: Et tribus Dan possessionem quærebat, in qua habitaret, sed id exponendũ esse, similiter loco, de quo suprà apud Iosuam capite decimonono ויצא גבול בני דן ממיהם ut sit sententia: Daniorum terram quam primò subegerunt, angustiorem quàm quæ tantam familiam caperet, fuisse, ideo tandem eos extra fines suos egressos, quos ampliarent. Atque eandem sententiam habere id quod paulo infrà legitur: Et non cecidit ei usque ad hunc diem hæreditas inter Israelitas: id est, nondum totam hæreditatem, & tantam quanta per sortem ei debebatur, adijt. At hic quærat aliquis, Si quæ sequuntur, in tempore quod à Samsone ad Heli defluxit, contigerunt, quomodo igitur intelligemus ab ipso Iephtha centum quadraginta annos usque ad Salomonij templi ædificationem fluxisse. aut enim plures numerabuntur, aut inter Heli & Samsonem nullum interiectum tempus magistratu uacuum statuetur. Solum autem centum quadraginta annos à Iephtha usque ad templum à Salomone extructum defluxisse constat. Etenim traditur, ab exitu Israelitarum usq; ad templum, quadringentos octoginta annos supputari, & ab eodem exitu ad Iephtham trecẽtos quadraginta. A Iephtha igitur usque ad primum templum anni centum quadraginta fluxerint. At hos annos quo modo numerabimus? Si in hunc modum numeremus, ut Azanem septem annos, Elonem decem, Abdonem octo, Samsonem uiginti, Heli quadraginta, Samuelem uiginti, Dauidem quadraginta regnasse, & quarto regni Salomonis anno templum ædificatum confirmemus: sic sanè annis coniunctis, annos centum quadraginta nouem colligemus. nouem igitur anni supererunt, & etiam plures, si tempore inter Heli & Samsonem interposito magistratu caruisse Israelitas fatebimur. Obiectioni in hunc modum occurrunt interpretes. Autorem libri סדר העולם plures annos numerasse in Chronicis suis, quàm annorum numerus in sacris literis assignatus ferat, nouem etiam annos accreuisse illius supputatione summæ numerorum, quàm sacra historia ponit, quæ centum quadraginta annos numerat, cum ille centum quadraginta nouem numeret. Dicunt igitur annos imperij Samuelis partim in Heli, partim in Sauli regis tempora incurrere, atque ita fieri potuisse, ut Israelitæ magi-

magistratu destituti, pro libidine uiuerent. Nam Saulo regnante, de Samuele legimus, ut Israelitas rexerit, lib. 1. Reg. cap. 7.

Et uoui hoc argentum Domino.) Dominum nominat, quæ alienos deos coleret, hoc est, Dominum falso cultu coleret. Itaq; intelligitur hic primò, idolorũ cultu teneri quotquot Deũ non ex eius uerbo, sed de sua ipsorum sententia colunt. Deinde, in religionis causa concidere omnem humanam prudentiam & sapientiam, omnem bonam, quam uocant, oraculis diuinis non gubernatam intentionem. Demum, solum Dei uerbum esse certam & infallibilem regulam ac normam, qua caueamus idololatriam, & uerum Dei cultũ retineamus. Non igitur liberaberis idololatria, si cum Michæ matre dixeris, Deo consecraui: non si cum Micha fatearis, Deo templum ædificaui, ephôdum Deo feci. Videndum primò fuerat, an' ne id quod moliebare, uerbo Dei cõsentaneum esset, nec' ne, non ut tibi, ut tuæ intentioni rectum uideretur. Hoc modo corruunt in aduersarij Messiæ regno, templa, aræ, statuæ, unctum & rasum sacerdotium, eiusq; uestitus. cadit diuorum cultus, feriæ, uota monachorum, & omnia quæ præter responsa diuina sacris literis prodita religionis ergò à pastore illo stulto, quem Zacharias uates describit, excogitata sunt.

Vt faciat sculptile.) contra legem Mosæam: Ne facito tibi sculptile.

Et fecit ephod.) contra legem de sacerdotali habitu in Exodo traditam.

Impleuitq; manum.) מלא implendi uerbum pro consecrandi sacerdotio uerbo. Alluditur ad sacrificia quæ manibus eorum offerebantur, qui sacerdotio initiabantur. Ideo Paraphrastes: יקריב ית קורבן.

In diebus illis non erat rex.) Exponitur institutæ à Micha idololatriæ, & cæterorum quæ commissa sunt, scelerum causa. Intelligimus hic, quàm pernicioſa res sit remp. magistratu, qui omnia sapienter gubernet, carere, & in ecclesia desiderari sapientes & spiritu doctos oraculorũ Dei ministros, qui bona fide docendi & castigandi crimina, munus obeant. Qui si adsint, pacem sentiri, de qua uates: Quàm speciosi sunt pedes euangelizantium pacem. Sin absint, contraria sentiri, nimirum ea de quibus uates Oseas: Non est ueritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra, maledicta & mendacia, homicidia, furta & adulteria aucta sunt, & sanguis sanguinem tetigit. Legimus hic, quòd temporibus illis cũ magistratus abesset Israelitis, omnia in deterius collapsa fuisse, ut quisq; quod liberet, faceret. In quanta igitur mala Israelitæ inciderint postremis temporibus, declarat idem uates Oseas: Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, sine ara, & sine ephôdo. Quæ mala quàm longè lateq; pateant, submoto uelo, intelligunt, quibus profanatio spiritualis nota est, quam Antichristus in templum inuexit, de quo Apostolus meminit: Adeò ut in templo Dei sedeat.

Sed unusquisq; quod sibi rectũ.) nõ Deo. Notatio perfidiæ. Fœderis lex erat, ut nõ uiuerent de sua sententia, sed ex lege Dei in Sina mõte tradita. De qua pactione in Deuteronomio: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito. neq; addito quicquam, neq; detrahito.

Alter adolescens de Bethlehem Iuda.) Vt erant Leuitæ sparsi per tribus Israeliticas ex oraculo Iacobi: Dispergam eos in Iacob. Non igitur accipitur de familia Iudæa fuisse is adolescens qui Leuita fuerit. sententia ergo est, Bethlehemam esse de tribu Iudæa non adolescentem. Quòd dicunt nonnulli, eum ideo dici natum ex familia Iudæ, quia mater eius fuerit Iudæa: hi qui ita loquuntur, non perpendunt, non esse morem ut matres dent nomen familiæ: sed id uirorum munus esse, in quorum ius uxores & liberi transeunt. Vnde etiam contigit, quia Maria mater Domini nostri Iesu Christi ex desponsationis & matrimonij iure abijt in ius & nomẽ familiæ Iosephi, Messias uerè dicatur Iudæus esse, ex stirpe Dauidis natus.

Egressusq; de ciuitate Bethlehẽ.) Quod hic legitur ab illo Bethlehemam relictam, ut alicubi quæ commoda ad uictum forent, sibi compararent, documento est, legem tum de decimis ad alendos Leuitas non fuisse seruatam, quòd deesset magistratus qui leges tueretur, et populum, suis emolumentis alioqui nimis satis intentum, in earum obseruatione retineret.

Et esto mihi pater & sacerdos.) Agnoscit sacerdotes parentum loco esse, propter doctrinam & cultum Dei. quæ illorũ magna dignitas est. Hinc apud profanas etiam gentes in maximo honore sacerdotium habitum fuit, ut reges etiam sacerdotio fungerentur, & seniores sacrorũ curam obirent. Sic Latinus uates de suo Anchise canit:

Dum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, impleuitq; mero, diuosq; uocauit.

Acquieuit & mansit.) Exemplum gloriam Dei posthabentis Deo uentri, & ad quæstũ rebus diuinis abutentis in Leuita illo. Quam qui sequan-

sequantur in aduersarij regno, perspicuum est. Nõ uno genere noxæ obstrinxit se is Leuita. primò sustinet se consecrari in sacerdotẽ à Micha Ephraimensi, cum isto munere Aaronis familia, non extranea, fungeretur: neq; sacerdotium omnes Leuitæ, sed soli qui nati essent ex Aaronis stirpe administrarent. Deinde sacrificat in eo loco qui à Deo delectus, in quo res diuina fieret, non erat. idq; fecit contra legem, de qua in Deuteronomio his uerbis Moses: Sed in loco quem delegerit, Dominus Deus uester, &c. Is autem locus tempore Michæ non mons Ephraim, sed Silo fuit. Tertiò alieno ephodo indutus sacra facit. postremò sculptile à Micha factum, & templum eius approbat contra legem Dei, cuius Leuitam doctorem, non euersorem esse conueniebat. Stat enim illud Malachiæ: Lex ueritatis in ore eius.

Nunc scio quòd benefaciet.) Vanæ fiduciæ ex superstitione natæ exemplum in Micha. Huius generis hodie pastoris stulti regnum plenum est. in quo non solum terrena benedictio, sed cœlestis etiam illa hæreditas promittitur in aliena ara, in alieno loco, alienis sacris, alieno sacerdotio, alienis omnino sacris sacrificantibus. Hæc est fascinatio angeli tenebrarum in lucis angelum se mentientis, & θρησκείαν illa angelorum de qua Apostolus in epistola ad Colossenses meminit.

IN CAPVT XVIII.

IN diebus illis non erat rex) qui nouas res molientes cohiberet, in quibus Danij numerantur, quos apparet ad gubernacula nõ sedente præside primo deliquisse, quod Lais in Aseritarum regione sitam temerè, non consultò, Domino Deo Israelitarum occupare tentarint. Lais enim, de qua hic fit mentio, à Daniæ tribus hæreditate ad septentrionem longius remota fuit. Nam tribus illa occidentalem maris mediterranei oram ab Azoto usq; ad Doram, Aseritæ uerò omnem terram quæ à Ptolemaide ad Sidonem usq; pertingit possederunt: in qua terra & Lais urbs nõ procul à Libano sita fuit. Itaq; uerisimile est cum Amorræos expellere non possent, Lais ita ferente impetu, non oraculari monitione ab illis occupatam, cæteris Israelitis conniuentibus. Nam quod ad Amorreos attinet, suprà legitur ab his Danios in montana compulsos. Lais autem ad oppugnandũ opportunam fuisse, narratio ipsa declarat. Quantum uerò pertinet ad ipsam Dei sententiã ex hac non susceptam Lais obsidionem, consultus Leuita declarat. idololatra Michæ idololatræ cõductus sacerdos, deinde deliquit Dania tribus, quòd Micham sacerdote suo & idolis spoliauit, falsa religione & dissentanea illi quam Moses instituerat, recepta. Atq; his à Danijs commissis, mirum non est hic legi, tempore illo rege Israelitas caruisse. Et simul declaratur, quòd magistratus sit officiũ: hoc uersari in publica pace tuenda, quæ, nisi boni præmijs ornentur, & mali supplicio afficiantur, retineri nequit.

Quinq; uiros fortissimos.) In uoce מקותם quæ extremitatẽ significat, non uulgares homines, sed eximij notantur.

Vt consuleret Deum.) quem putarent sacerdotem Iehoua esse, de cuius in scisciendis oraculis munere Moses his uerbis in Numeris mentionem fecit: pro hoc si quid agendum erit, Eleasar sacerdos consulet Dominum &c, sed falsi sunt in Leuita illo Danij, qui falsus, non uerus sacerdos esset: quiq; ephodum non Dei, sed alienum gereret. Qui cum talis esset, ad diuinandũ theraphim adhibuisse uidetur, quæ ferunt instrumenta fuisse astrologica, ex quibus signatis notatisq; siderum locis, & eorum inter se affectione futuri euentus prædicerentur. At quoniam qui dæmonum responsa exquirunt, astrologi etiam ferè esse solent: uidetur is Leuita mathematicis artibus doctus, prædictiones suas edidisse. Nam tum apud Chaldæos, Siros & Aegyptios uulgaris ea disciplina fuit cum magicis artibus, quibus dæmonum responsa uarijs modis redduntur, coniuncta. Digni sunt ut dæmonum responsis ludificentur, qui neglecto Dei uerbo, sua cõsilia uentris gratia, in religione instituenda, sequuntur. Huc pertinent quæ de Theraphim interpretes tradunt. Hæc esse כלי נחשת חעשוי לרעת חלקי השעות וישפטו בהם עלרך המזלות. sunt qui in hunc modum: esse Theraphim על צורה בן ארם והיא עשויה לקבל בח חעליונה וחעך שחהרפים בן חתרפים ששמיח מבל בה שאול במטה עד שחשכבו שומרי חבית שהיא רור. Legitur paulo suprà, ut Micha ephodum & theraphim fecerit. similiter Oseas uates illa coniungit, quorum altero sacerdotium, altero oracularia responsa notari uidentur, cum dicit: Quia multos dies Israelitæ sine Ephodo & Theraphim sedebunt, sacerdotio uidelicet et prophetis carentes, ubi meliore ratione Ephodum & Theraphim quàm hoc loco usurpantur.

Dominus respicit.) נבחרי ad uerbum Græci, ϕώπριον λυγίζω ἢ ὀδὸς ὑμῶν. quibus uerbis augurem leuem ambiguum oraculum, ut in utram partem exiret, falsum non deprehenderetur, exposuisse uidetur. Dicit enim, In con-

ſpectu Domini uia ueſtra eſt. ſic ſoliti ſunt dæmones in Pythijs & Dodonæis reſpõſis ſuos cultores ludere. Quale fuit oraculũ illud Crœſo regi editum: Crœſus Halym penetrans, peruertet opum uim. Qua ambigua ſententia Crœſus deceptus, cum putaret à ſe hoſtium opes euertendas, ſuas euertit. Paraphraſtes pro נבח יד reddit אתקן in oculis enim dicuntur uerſari, quorum curam gerimus.

Securum & quietum.) quo magis fuit hoſtium inſidijs opportunus. Eſt igitur ſua ſecuritas probis et improbis: illis quidem, quam ipſis pietas efficit & fides: his autem, quam cum Dei cõtemptu rerum omnium copia, qua fidunt, parit. Altera exitialis eſt, ut declarat præſens exemplum: altera ſalutaris, de qua uates: Et habitabit Hieruſalem ſecurè.

Iuxta ſimilitudinem Sidoniorum.) qui bello ab Iſraelitis laceſſiti non fuerunt, ut finibus Chananeæ minimè comprehenſi. de his enim illud legitur, וירחיקו גבול לבנעני item de Zabulone ריקתו עלחיו.

Nullo eis reſiſtente.) Hic מבלים pudore afficiendi uerbum infeſtare eſt, tropo indeſumpto, quòd iniuria affectis & in ſeruitutem redactis, belli iure pudor offunditur. Itaque pro מבלים paraphraſtes, רגזיק.

Magnarumq; opum.) Videtur interpres pro ארץ עצר legiſſe. ſententia in Hebræo eſt, neq; ab hærede regni infeſtatos eos. Tyrannum, qui in eos moleſtum imperium gereret, abfuiſſe. igitur popularis illis fuit reſp. aut ea quæ communi nomine dicitur reſp. Qualis adminiſtratio illos quietos & ſecuros reddebat, ut liberos à ſeruitute & tyrannide homines, quæ omnia dura & aſpera ijs reddit, qui parent, & propter eius metum etiam uicinos infeſtos efficit. Hinc apud Tragicum uox illa iactata: ὁ λῳὸ τυραννὸς δυσμενέστερον πόλει.

Et procul à Sidone.) Quæ auxilium ferre in tam ſubito motu non poſſet: quod, ut apparet, ex hoc loco latura fuiſſet, niſi præteropinionem Lais obſeſſa fuiſſet. Potentiſſimi enim tum erant Sidonij, & procul dubio Iſraelitis infeſti.

Surgite, & eamus ad eos.) Hortatio locis utilium & facilium munita.

Vidimus terram opulentam.) Ab utilium loco argumentũ expromitur. Prædicant terræ bonitatem, qua incolæ ſecurè & ſine metu Dei uterentur. quæ ſecuritas in cauſſa etiam fuiſſe uidetur, ut diuino iudicio Lais euerteretur, agrorũ bonitate opulentiã, hac luxum, luxu ſecuritatem & Dei contemptũ pariente, hoc uerò certum & indubitatum interitum afferente, à quo opulenti & luxu perditi homines ſe minimè uindicent, ut ſapienter ſapiens Salomon his uerbis fatetur: הון לא ישיל חזן ביום עברה id eſt: Non prodeſunt opes tẽpore iræ: ſed his fidentes, uindice ira Dei corruunt. Sicut hic Lais corruiſſe legitur opibus relictis hoſtibus, ſic potentiſſima mundi regna conciderunt.

Nolite ceſſare.) moram occaſione rerum bene gerendarum nõ ferente. Ab occaſione et opportunitate.

Ad ſecuros.) quales facile ut incautos liceat opprimere.

Tradiditq; nobis Deus.) cui nulla uis reſiſtat. à facili.

Tulerunt igitur qui intrauerant.) Spoliatur Micha ſacerdote, Ephodo, Theraphim, & idolis quibus fiderat. Hoc eſt iudicium Dei in eos qui alienorum deorum cultum ſequuntur. ſed deteriores Micha Danitæ fuerunt, quòd falſam religionem receperunt, & contra ius Michæ ſpoliarunt ijs rebus, quas ipſe in bonis numerabat, & uera conſcientia Danios uti non licebat. ſed quid aliud fieret in rep. legitimo magiſtratu priuata? in qua uox illa locum inuenit: ſic uolo, Sic iubeo, ſit pro ratione uoluntas. Meritò quidem punitus fuit Micha: ſed immeritò per Danitas, qui illo tempore imperium legitimum in Iſraelitico populo non tenerent. In hoc Danitarum facinore falſæ religionis fructum cernere licet, iniuria afficere, uim inferre, auaritiæ & ambitionis ſtudio omnia facere. Intueamur tempora filij perditi, infinita huiuſmodi exempla occurrent.

Habeamus te patrem & ſacerdotem.) Similiter ſuprà Micha: Et eſto mihi patrem & ſacerdos. Sic prophetarum diſcipuli, filij appellantur.

An in una tribu & familia.) Ab honore & dignitate, qua facile capiuntur auari & ambitioſi ſacrificuli. ideo ſequitur:

Acquieſcit ſermonibus.) honeſtate & fide, qua erat Michæ obſtrictus, poſthabita utilitati, ſuperante in pſeudoprophetæ omnia auaritia & ambitione. Exemplum ſimul in Bileamo et ſacerdotibus Baal cernitur. In aduerſarij regno intueamur prophetas falſos & ſacrificulos. ut his omnia ob quæſtum & lucrum quod faciant, peccatorum remiſſio, probitas, cœlum, infernus, conuiuia, ſacramenta, profana & ſacra uenalia ſint, ſatis manifeſtũ eſt. De quorũ inexplebili auaritia Petrus: Et per auaritiã fictis ſermonib. de uobis negotiabuntur. Deos

Deos meos quos mihi feci.) Deos cõqueritur ablatos quos ipse fecerit: non conqueritur à se relictum, à quo ipse factus fuerat, & qui omnia fecisset, à nemine ipse factus. Micha igitur oblitus est Dei, de quo illud: Deus autem noster in cœlo, omnia quæcunq; uoluit fecit: oblitus item uanitatis eius Dei quem fabricasse ipse fatetur, de quo uates: Simulacra gentiũ, argentũ & aurum, opera manuum hominis. os habent, & non loquũtur: oculos habent, & non uident. Cum Micha hodie qui conquerantur magno cum luctu auferri sibi deos suos, perspicuum est: sed hi non contenti expostulatione, armis etiam eos repetere moliuntur, insontium sanguine fuso, ut impleatur illud Danielis de bestia plena aureis, argenteis, æreis, lapideis, ligneis idolis, uaticinium: Sanctos altissimi conteret.

Pereas.) Notus in אספה tropus est.

Veneruntq; ad Lais.) Describitur oppugnatio Lais, quæ Lesem in Iosuæ libro uocatur: Ascenderuntq; filij Dan, & pugnauerunt contra Lesem. Exertitur Lais. securæ malorum. Is est exitus securitatis mundanæ in media rerum omniũ abundantia. sic qui olim luxu & libidine perditi, Noæ non obtemperarunt, diluuio perierunt: sic Sodoma et Gomorrha perijt. sic Balthasar Babylonius, securus inter musicos & pocula perijt. Sapienter igitur Salomon à sapientibus capi urbem dicit, quæ secura uidebatur. Contrà securitas habet quæ in cœlo uersatur, non in terra: in spiritu, non in carne: & in opibus cœlestibus, non terrenis. de quibus opibus Dominus apud Matthæum meminit. Non offertur primò pax Lais, quæ inter terminos Chananææ sita esset, exitio cum cæteris Chananæis destinata. Qua de re uideris apud Mosem.

In regione Rehob.) Rehob fit mentio etiã suprà in libro Iosuæ. Eius nominis ciuitas est & regio Hermon monti subiecta, & ditionis Aserianæ tribus.

Et Ionatham filiũ Gerson, filij Mose.) Hebræus מנשה habet, non משה. similiter Græci et paraphrastes. in Hebræo suspensum Nun legitur: quod si exemeris, משה relinquitur. Interpretes uolunt hunc Ionathanem sacrificulum Mosæ nepotem fuisse, non Manassæ. sed מנשה nepotem hic dici non Mosæ, propter facinus indignum Mose commissum. Arbitrantur præterea Leuitam, cuius suprà mentio facta est, Ionathanem hunc fuisse, nomine & genere indicato, suprà prætermisso. Quod si ita est, cognoscimus hic Aaronis familiæ prælatam Mosaicam à Micha & Danitis superstitione & falso zelo, quòd putarent, Mose posteros digniores esse q̃ Aaronis, quem ille sanctitate & rebus gestis superasset. Sic enim humana prudentia & destitutus Dei uerbo zelus in religione & rebus sacris ludere solet. Sed quid opus est in re non admodum certa immorari?

Vsq; ad diem captiuitatis suæ.) Variant interpretes, alijs referentibus ad exilium in quod per Assyrios abducti sunt: alijs ad tempus quo arca Dei, iam sene ipso Heli sacerdote, à Philistæis capta est. De qua captiuitate in psalmo: Et repulit tabernaculum Silo, & tradidit in captiuitatem uirtutem eius & magnificentiã eius, in manus inimici. Item: Ad iram concitauerunt eum in excelsis suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem prouocauerunt eum. Vbi idola Michæ significari putant. Et hanc sententiam confirmari uolunt his quæ sequuntur in textu uerbis: Mansitq; apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. Præterea quomodo Dauid & Salomon sancti reges rerũ in tota republica Israelitarum potientes, falsi Ephodi & idoli Michæ in Dania tribu cultum contra legem Mosaicam tulissent: tulissent aũt, si usq; ad Sinnacherib tempora falsus ille cultus durasset. Alij demum in ea tempora hæc quæ hic narrantur, referũt, quæ statim Iosuæ obitum consecuta sunt: existimantes Danitarum transmigrationem factam esse tempore Iabin regis Chanaan. Tres sententias attulimus: singulæ habent suos autores, sed media uidetur uerisimilior esse.

IN CAPVT XIX.

NOn erat rex in Israel.) quod numeratur in maximis reipublicæ malis, ut præsentia exempla documento sunt, & uaticiniũ Isaiæ: Auferet à Hierusalem iudicem & prophetam, &c. contrà quantã utilitatem afferat rex, ea de re sapienter Salomon his uerbis monet: Rex sedens in solio iudicij, dissipat omne malum oculis suis. de rege loquitur, non tyranno. At quanto uerius in ciuitate Dei uera iusticia, uita & pax locum inuenit, dum in ea regnat rex Messias, qui ipsa ueritas, iusticia & uita sanctorum est, ut de se prædicat: Ego sum uia, ueritas, & uita. Cuius loco cum pastor ille stultus à Zacharia descriptus regnat, mala contingunt quæ hic sacra narratio absente præside in Israelitica republica contigerunt, falsis prophetis omnia defœdantibus.

Quæ reliquit eum.) contra legem Mosæam tolerata, quæ sic habet: Neque meretrix, neq; scortator esto in uobis. item: Adultera capite plecta-

plectatur. Sed causſa toleratorũ adulterorum & adulterarum exponitur hic : Non erat præses in Israel. At uerò quæ punita non fuit gladio ciuili, punita est iudicio diuino: de quo mox.

Reuersa est in domum patris sui.) non ferens mariti acerbiorem de libidine reprehensionem. Itaq; Iosepus: σκέψει σοωεχῆς αὐτοῖς ἐγίνοντο, ἡ γυνὴ πρὸς αὐτὰς βαρυομένη καταλιποῦσα ἐν ἄνδρα πρὸς τοὺς γονεῖς ἀπῆλθε.

Quatuor mensibus.) sunt qui putant abesse hic coniunctionem copulantem ימים וערבע חדשים annum & quatuor menses ימים more scripturæ pro anno usurpato. Neq; rarò fieri, ut coniunctio desideretur, ut uidere licet in שמיש וירח pro שמיש וירח.

Atq; blandiri.) ut solet amor, qui et interdum sæuit, ut est apud poetam.

Sæuit amor, magnoq; irarum fluctuat æstu.

Amor quo flagrauit Leuita in uxorem parum pudicam, uicit uim sententiæ illius quam Iesus Syrachus edidit: Similis est iugo boum mulier nequã, qui tenet eam, perinde facit ac si quis apprehendat scorpionem. Quantum autem malum amoris uis & Leuitæ dederit & reip. Israelitarum, mox patefiet.

Ad occasum decliuior.) Notatur in uerbo רפח remittens diei calor, sole à meridie in occasum deuergente. Nam ut orienti soli tribuitur, גבורה hoc est robur, sic hoc loco: occidenti remissior caloris uis tribuitur, quæ usq ue ad medium diem intenditur, deinde paulatim languescit.

Oppidum gentis alienæ.) Nam munitissima pars Ierosolymæ non fuit prius ab Israelitis occupata, quàm cœpisset Dauid regnare.

Et dies mutabatur in noctem.) in uerbis נטח & ירד notatur deuergens à meridie in occasũ cœli tractus. Latini uerbo inclinandi efferunt, cum sol incipit se infra finitorem abscondere.

Nullus eos recipere uoluit.) Exemplũ in hospitalitatis indignæ Israelitis, qui et fratrẽ et peregrinum non solum in noctem domũ nõ inuitarũt, sed etiã inhumaniter tractarunt contra naturale hospitalitatis ius. Quod gentilis uates à gentibus obseruari indicat:

νωῖ δ' ἐπεὶ ἡμετέρῃσι πόλιν ἠγαῖαν ἱκάνεις,
ὅτ' ὄν ἐδώτω λυήσαις, ὅττι τοι ἄλλο.
ὧν ἐπίοιχ' ἱκέτῃσι ταλαπείριον αὐπάσαντα.

Contrà se gessit illorum pater Abrahamus, qui peregrinos hospites suauiter exceptos non dimisit, prius quàm eos conuiuio ex bucella, butyro, uitulo et placentis parato refecisset. Quos cum exiret homines esse, angelos hospites habuit. Bestiamitæ uerò fugatis sanctis angelis dæmones impuros stuprum & cædem machinantes domi aluerunt.

Introduxítq; eum in domũ suam.) Peregrinus peregrinum excipit hospitio, ut qui si milia passus, misereri eorum quibus res aduersæ essent, sciret: ut solet miseratio exsimilib. casibus nasci. uelut illa apud uatem latinum fatetur:

Me quoq; permultos similis fortuna labores
Iactatam, hac demum uoluit consistere terra.
Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Huc lex de peregrinis edita à Mose spectat, quæ iubet Israelitas debere peregrinos benignè tractare, quòd & ipsi fuissent peregrini in Aegypto.

Filij Belial.) Horrendi flagitij exemplum. Quod multis circunstantijs grauatur. primò uis senis domui illata est & peregrini: neque ætatis, quam natura ueneratur: neq; peregrini, cuius lex Mosaica, quam ipsa natura dictat, miserescendum docet: neq; fessorum hospitum: neq; noctis, quam diuina prouidentia quieti, qua diurnis laboribus debilitatæ uires reficiantur, destinauit, ratione habita: & quod longè flagitiosissimum fuit, ad incœstum stuprum uirũ hospitem exposcere ausi sunt, exemplo Sodomitarum: quos ob huiusmodi scelera cœlestis ignis absumpsit. Rectè ergo ille dixit nõ esse pernicioſorem et seuiorem beluã quàm hominem suis cupiditatibus permissum, si desit magistratus q eũ coerceat. quò pertinet uox בליעל de qua alias. Itaq; quod diuina prouidentia in mundo est, ratio in homine, id magistratus in republica uera iudicatur esse.

Vt abutamur eo.) In uerbo ונדעה concubitus, noto tropo, notatur, quã significationem comprobant quæ sequuntur.

Nolite fratres.) Dehortatio honesti locis instructa. Appellat eos fratres, appellatione ad mouendum, nisi ad communem naturæ sensum obsurduissent, apta.

Malum.) A turpi.

Quia ingressus est homo.) iure gentium hospitij ius obseruante. de cuius autore & conseruatore sanctè Græcus uates:

Ζεὺς δ' ὠπιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἀριδείκετος ἔμμεν' ἀπάντων.

Habeo filiam uirginem.) Senex loco illo, qui in consilijs ponderatur, utitur. Sæpe incidere

dere tempora, quibus propositis duobus malis, minus toleretur ad uitanda maiora: quæ minora mala cum turpitudine coniuncta si ferantur, non autem probentur, eum qui fert illa aliquam prudentiæ laudem habere cum Lotho. alioqui stat sententia illa: Non est malum faciendũ, ut eueniat bonũ.

Et ibi corruit.) Flagitiosi stupri exemplum in populo fœdere cum Deo Leuitæ uxor, quæ in Israelitica anarchia impunè adultera fuerat, tandem turpis adulterij turpem pœnam uindice Deo luit. Cuius iustos oculos bonos & malos speculantes, nulla crimina effugiunt.

Arripuit gladium.) Miserabilis uindictæ exemplũ, sed tempore illo quo resp. Israelitarum iudice caruit, necessarium. Ad populum igitur qui uice magistratus erat, tantum facinus meritò delatum est, à quo ad placandam iram Dei uindicaretur, et meritò à Leuita legis doctore delatum est, cuius intererat depositò priuato ulciscendi studio curare ut de tanto crimine legitimè ultio ad expiandam remp. sumeretur. Et qua erat prudentia, usus est eo testimonio, quod ad probandũ & amplificandum scelus maximè accommodatum fore existimabat. testimonio inquam usus est, quod corpus stupratæ uxoris in duodecim dissectum partes, duodecim Israeliticis tribubus pbaret. atq; hoc sanè spectaculum maiorem uim ad commouendos populares iudicum animos habuit, quàm fortassis magnorum oratorum eloquentia habitura fuisset. Qui quoq; interdum ad excitandam miserationem fortium uirorum cicatrices, fœminas miserè laceratas & infantes malè tractatos iudicum oculis subijciunt. Quantopere autem cõmoti fuerint Israelitæ miserabili illa corporis in duodecim dissecti partes specie, quæ sequuntur, indicant.

Nunquam res talis facta est.) Criminis amplificatio à comparatione temporis.

IN CAPVT XX.

Itaq; egressi sunt.) Bellum ciuile longè grauissimũ inter Beniamitas & reliquas Israeliticas gentes gestum narratur. In quo quæ annotanda sint, inter interpretandum exponentur.

A' Dan usq; Beersabee.) Quæ latitudo terræ sacræ erat. Dane ad aquilonem, Beersaba, ad austrum sita.

Et terra Galaad.) A' qua usque ad mare magnũ longitudo eiusdem terminabatur, hoc ad occasum, illa ad ortum uergente. Itaq; ad tantum scelus ulciscendũ omnes sacræ terræ fines armabantur, quos probitas Israelitarum conseruaret, improbitas perderet.

Ad Dominum in Maspha.) Qui comitijs Israeliticis clarus locus fuit.

Omnes ἀγγ anguli.) Tropũ פנות in ראשי Paraphrastes quæ uox principes uiros notat, reddidit. Metaphora sũpta ab angulis, muros ipsos firmiter, ne luxentur, cõmittentib. tales sunt cõsilijs et fortitudine clari uiri. Hinc caput Israelitarũ Christus angularis lapis appellatur: Ecce pono in fundamento Sion lapidem, lapidem probatum, angularem. quem his uerbis Apostolus explicat: Sed & ciues sanctorum ac domestici Dei superstructi super fundamentum Apostolorum ac prophetarum sumnio angulari lapide ipso Christo Iesu, in quo omnis structura coagmentatur.

Veni in Gabaa.) Narratio, cui exordiũ ad præparandum iudicem non præmittit, qui existimaret illum satis attentum ad se audiendum, & ex ipso dissecti corporis partium aspectu ad uindicandum tantum scelus concitatum esse.

Volentes me occidere.) Non meminit stupri, quòd uoluerint offerre: sed cædis, pudoris fortassis gratia, qui maluerit mori, quàm contra naturæ leges turpiter pati. Hoc loco uidetur Iosephus motus, cur de stupro Leuitam appellatũ non scribat, sed ei nisi traderet concubinam ad turpiter abutendum ea, necem minatos. At interpretes compulsi ijs quæ in superiori narratione exponuntur, de בשגב interpretantur.

Incredibili furore libidinis uexantes.) Ex uno uerbo עגר tot uoces amplificandi gratia reddit. Quod significat per uim uitium afferre.

Quia nunquam tantum nefas.) non solum mihi dedecus apportans, sed totam rempublicam ignominia afficiens, & certum etiam nisi expietur supplicio iontium, ei sit exitium allaturum.

Adestis omnes filij Israel.) Cõclusio, qua breuiter admonentur iudices officij ac muneris sui quod tum in deliberando quid statuendum et quo supplicio tam nefarium facinus afficiendũ esset, tum in pronuncianda sententia & ea exequenda uersabatur.

Decem uiri eligantur è centum.) Prudentiæ militaris. in qua ordo commendatur, exemplum: ubi numeri denarius, centenarius & millenarius negligendi non fuerint.

Et miserunt nuncios.) Aequitatis exemplum. Sontes ad supplicium deposcunt, insontibus libenter parsuri si per illos ipsos licuisset. Nominãtur hic decem Beniamensis tribus familiæ, de quibus 1. libro Paralipomenon uideris.

Et auferatur malum.) in וּבַעַרְתָּ uerbo indicatur malum tanquam igni lustrandum & expurgandum. Notum enim est uerbum בער terram lustrari & expiari tanquam uictimis diuinam iram placantibus, de sontibus supplicio sumpto. de quo aliàs ex Ezechiele mentio facta est.

Qui noluerunt fratrum suorum.) scelere duplici se obligãtes, quòd neq; ipsi pœnam de sceleratis petierunt, neq; eos ad puniendum Israelitis tradere sustinuerunt. Quapropter & Beniamensis tribus tum conniuendo, tum immane scelus defendendo, se Gabaensium crimini affinẽ fecit, ita ipsa quoq; cum Gabaensibus misere uexata est. stat enim sententia illa: Nõ solum qui delinquunt, digni sunt morte, uerum etiam qui assentiuntur ijs qui flagitia patrant. Igitur tam horrendæ cladis & tam miserabilis diuinæ iræ in Beniamenses editi exempli magistratus admoneantur: ut discant paucorum scelera cum uel negligentia uel studio præterita non puniuntur, indubitatum sæpe reip. afferre exitiũ. ut de scortatore illo, qui cum Madianitide turpiter rem habuit: et de Achã sacrilega, atq; hic de Beniamitis exemplum occurrit. Hæc enim est æquitas iudicis orbis terrarum Dei, ut flagitia impunè abire non sinat. Hinc bella, pestes & fames, tria communia terræ lustramenta à diuina iusticia inuenta sunt, quibus mualescentia in rebus p. uitia lustrentur. In bellis ciuiũ cædes, orbitates, seruitus, exilia, euersiones atq; trãslationes imperiorũ, in fame rerũ omniũ aucta precia, & penuria, usuræ & monopoliæ. In pestuaria morborũ genera et ea noua cõtinentur. Itaq; hodie cur tot calamitatibus alias super alias ingruentibus obruantur resp. non est quod miremur. Committuntur passim, idq; impunè, scelera: & ab ijs, quorum interest in ea animaduertere. ut liceat cum uate Iesaia conqueri, A pedis uestigio, usq; ad uerticem nihil esse sani, omnia uulneribus uomicis ulceribusq; non malagmate curatis, non obligatis, nõ oleo mitigatis esse plena. Aegrotãt pariter qui parẽt & qui imperãt. Aegrotãt doctores pariter & discipuli. omnino sicut populus est cõpositus, ita & rex. sicut uulgus comparatũ est, ita etiã sacerdos, ut est apud uatẽ. Quid igitur hoc tẽpore, rebus omnibus tantopere afflictis & accisis, fiet? Aliud remedium non erit expectandum, quam quod hic legimus Beniamensibus adhibitũ, Deum uidelicet per Iudæum ducem, hoc est Messiam, adiunctis reliquis sanctis Israelitis, in iudices mundi constitutis, iudicium suum persecuturum, in rebelles ipsos Beniamitas turpiter cum adultera & scorto mundo fornicantes, ac adulterium committentes, dum paucis in hac orbis terrarum ruina cõseruatis reliquijs, deleantur. De quibus reliquijs iudex ipse apud Mathæũ capite XXIIII. meminit.

Ita sinistra ut dextra prælíantes.) Similiter pro אטר Græci ἀμφοτεροδέξιοι, de uoce Hebræa aliàs, quod est latinis aberrare à scopo id Hebræis est רחסא. Clari fuerunt Beniamitæ ab arte funditoria. Nam ita periti funditores hic fuisse dicuntur, ut ne pilum aberrarent. Sed quid profuit eis hæc exercendi fundibulariorũ artem peritia? Non profuit, sed obfuit: qui hac nimirum elati, contra ium & æquitatem pugnare ausi sint, non considerantes illud: Non liberatur fortis fortitudine sua.

Iuda sit dux uester.) Is qui prima castra & uexillum in deserti peragratione tenuit, & primò iussus est à Iosuæ obitu hostes adoriri, hic Dei oraculo in ducem eligitur, qui de Beniamitarum crimine pœnas expetat. nec id mirum quam uideatur. Etenim ex eo nascendus eratis de quo Iesaias uates: Iudicabit in iusticia pauperes, et inopes terrarum corriget ex æquo.

Egressíq; filij Beniamin.) Insignis meritatis exemplũ, contra quadringenta millia Israelitarum, uigintisex millia Beniamitas ausas acie dimicare, malè etiam sibi conscios, cum mala causa animos ferè non efferat, sed deijciat. Sed quid aliud facerent? Dei consilio, qui peccata peccatis punit, temeritas illa prouisa fuit, qua improbi iustè plecterentur, qui per improbitatem perire maluerunt, quàm probitate seruari.

Occiderunt de filijs Israel.) Quinefas defenderant contra fas, primò uincunt eos, qui contra iniquum ab æquo stant. unde discimus improbis interdum conatus suos improbos confici, neq; ipsam caussam à primo prospero euentu æstimandã. deinde ex hac narratione cognoscimus, eos qui ius tuẽtur, in defendẽdo illo delinquere posse, dum iniurios homines uel atrocius uel humanis præsidijs freti insolentius persequuntur, ad aliorũ uitia castiganda nimis oculati, ad sua emendanda cæcutientes. Nam uerisimile est in illa confusa & perturbata rep. in qua licuit cuiq; facere quod libuerit, grauibus sceleribus Israelitas quoq; contemptu Dei per idololatriam, intemperantia, luxu & fastu, ut Michas & Danitæ documento sunt, infames fuisse. Atq; ob ea uitia eos primò à Domino non exauditos, sed clade affectos, ut ad meliorem frugem redeuntes, tandem eos à quibus primùm uicti fuissent, uincerent. præterea fieri etiam potuit, ut Israelitæ militum numero confisi, aliquan-

ferociis & superbis Beniamenses bello, ut fieri solet, adorti sint, immemores illius: Non arcu tuo & gladio tuo eieci eos. Quare legitur in litera, ויתחזק העם id est robore auxit se populus. Postremò intelligimus cum iustæ causſæ defensione duo cõiungenda esse. alterum precatio est, qua Deum unum illum uerum & æquũ iudicem, rogemus opem ipse afferre uelit, ad obtinendum contra iniuriam ius: confidamusq; eum nobis adfore, qui promittat inuocantibus nomen suum se affuturum. Alterum est, depositis priuatis affectibus, nihil arrogantius nostris uiribus freti & crudelius in uindicandis iniurijs in improbos statuamus. Referamus hæc ad nostra tempora, quid acciderit ijs qui superioribus annis bellũ cum utraq; bestia altera ex terra, altera ex mari orta gesserunt confidentius, satis constat.

Ascendite cõtra eos.) cur iubet eos ascendere quos sciret clade afficiendos? certo Dei cõsilio ij qui diuino fœdere cõtinentur aggrediũtur ea facere, quæ aliquam calamitatem, afferunt, sed ipsorum bono non malo, luctum lætitia, res aduersas prospero exitu, ita prouidente Deo, excipient.

In domum Dei.) בית־אל Alijs nomen oppidi, ut Græcis, qui Βαιθὴλ habẽt: alijs domus Dei est, quæ tum Silunte erat. Nam cũ castra de Gilgale tempore Iosuæ mota essent, arca diuina Silunte cõsedit, ibiq; usq; ad obitum Heli sacerdotis mansit. Itaq; sacrum tabernaculum בית־אל aut בית יי uocari uolunt, sunt qui à Silũnte Bethelem translatam arcam putant, quæ uicina esset Silũnti.

Sedentesq; flebant.) Certa ad promissam uictoriam comparandam arma explicantur: Fletus ieiunium, preces, sacrificia, & patrocinium sacerdotis Phinehas. De singulis ordine. quod ad fletum attinet, flent et impij, sed inutili fletu, quem eis præsentium malorum sensus, non peccati odiũ & iustitiæ amor exprimat. de quo fletu Dominus, ibi erit fletus et stridor dentium: flent item et sancti, sed planctum atq; fletum extorquente illis pœnitentia, quæ studium innouandæ uitæ in melius est. Hoc fletu penetratis nubibus, pulsatur cœlum, his lachrymis absterguntur crimina, abluitur conscientia, uincitur prælucente fide Deus. Sic fleuit Ezechias, & à morbo liberatus est: Exaudiuit Dominus orationem tuam, et respexit lachrymas tuas. Sic fleuit Dauid, & exauditus est: Exaudiuit Dominus fletum uocis meæ. sic fleuerunt Israelitæ, & uictoria contra Beniamitas tandem potiti sunt. Neq; in his nouissimis temporibus, quibus mundus misere sub testimonio euangelij in omnes terrarum fines peruasuri, concutietur electi mala effugient aliter quàm his armis instructi quæ hic describuntur.

Ieiunauerunt.) ueteris hominis libidine per abstinentiam coercita, ut nouus aptior ad precationem fieret. Quæ salutem fide prælucente de cœlo ad amplificandam gloriam bonitatis diuinæ, & ad retinendum incolumen reip. statum impetrat. Ieiunijs enim carnis libido cohibetur, ut pareat spiritui, cuius uigor intemperantia retunditur. Itaq; Niniuitæ ieiunantes et precantes ab interitu uindicati sunt. Ezechias ieiunans defensus ab Assyrio fuit. Quæ autem ueræ ieiunandi ratio sit, norunt quibus uincendæ carnis et eius sub iugum sacri spiritus mittendæ rationes cognitæ usuq; perceptæ sunt. In Leuitico Moses in eo septimi mẽsis die qui propitiatorius & expiatorius uocatur, ieiunium requirit, quo ad expiandam culpam, & ad reditũ in gratiam cum Deo aditus aperiatur. non ignorabat sanctus legislator, una pœnitentia rectore spiritu Dei, uiam ad salutem muniri. Hoc ipsum perpendentes Israelitæ sese ad fletum, & ieiunia conuertunt, ut uictoria placato Deo potiantur. Referantur hæc ad nostra tempora, in quibus nisi ad preces & ad ieiunia, hoc est ad castigationem corporum per abstinentiam, atque ad pœnitentiam animos nostros conuertamus, hostis, quem sæuissimum ceruicibus nostris imminere cernimus, minimè à nobis depelletur. Itaq; præstaret præter priuata, etiam publica ieiunia cum publicis precibus institui, ut olim ingruentibus rebus aduersis sæpe instituta legimus, non quibus tanquam meritis Dei clementiam nobis cõciliaremus, sed quibus ad precandum & ad subiugandam carnem præpararemur. Siquidem constat, sobrijs et temperantibus Deum æquum esse, iniquum ebrijs & intemperantibus. Dominus apud Euangelistam dæmonium esse dicit, quod nõ aliter ab ijs quos occuparit, quam precatione & ieiunio uinci expelliq; possit. Hoc ebrietatis et intemperantiæ dæmonio, cum hodie correpta sit Germania, in tanta euangelij luce pœnitentiam scelerũ auersans, rogandus est Dominus assiduò, ut in Germanis ieiunandi studium depositâ ebrietate, & precandi contra tantam carnis securitatem, spiritum excitare uelit, ne idem eis accidat, quod ebrijs Iudæis accidit, aduersus quos uates Iesaias hanc querelam instituit: Væ qui mane surgunt, ut ebrietati indulgeant, ut statim à diluculo uino incalescant, in noctem usq; potationem protrahentes. Sed quid his euenturũ prædicit? Quã-

obrem

obrem expers cognitionis mei exulabit populus meus. Cum Iudæis quoq; indubitatum exitium ebrios Germanos, nisi in uiam redeant, manebit. Ad hæc tempora respiciens Dominus noster his uerbis ad effugiendã imminẽtem calamitatem, ad sobrietatẽ in genere hortatur: Cauete à crapula. Diuinis igitur temperantiæ armis superantur mala, nullis humanis alioqui uincenda. quæ autem de Germanis monuimus, ea cæteræ quoq; gentes ad se pertinere intelligant.

Et obtulerũt holocausta.) Aptum pœnitentiæ propter igneam uim quam continet, sacrificiũ. In holocaustis Mosaicis figura in Christo holocausto patri per spiritum igneum oblato. ad expurgandam noxam mundi, & in ijs qui Christo inserti, corpora sua igni sacrosacrosancto cremata cum cupiditatibus, Deo offerunt, ueritas spectatur. Quæ holocausta parat baptismus, de quo illud: Baptizabit uos spiritu & igni.

Atq; pacificas uictimas.) cum duo sint genera חשלמים, alterum, quod gratiarum & laudis ergò offertur: alterum uotiuũ, quod pro accipiendo beneficio non dum accepto, sed sperato offertur: de hoc genere accipiuntur uictimæ immolatæ. Cæterùm de his generibus & eorum usu, & discrimine in Leuitico uideris.

Arca fœderis.) Paulo suprà legitur, Corã Domino. hic arcæ oracularis fit mentio, ad quam Dominus præsens affuerit, cum hac preces, sacrificia, & sacerdotium coniunguntur. Quod res diuina & sacrificia nulla Deo placeant, quæ cum sacra arca propitiatorio notæ figuræ tecta coniuncta non sint.

Et Phinehas.) Si hæc quæ hic leguntur gesta in tempore inter Samsonem et Heli interiecto contigerunt, Phinehas tum trecentos annos & paulo amplius natus fuit: cui tam longam ætatem à Deo concessam uolunt propter præclarum facinus ab eo supplicio de scortatore sumpto editum, de quo in Numeris capite XXV uideris. Si tam diu uixit Phinehas, mirum est tam longæ ætatis exemplum, quod sine exemplo est, sacris literis proditũ non esse. Deinde mirum uidebitur, si usq; in ea tempora uixit, ut tot in Israelitico populo scelera ferre potuerit pro suo quo in Deum Israelitarũ flagrabat studio et zelo. Sunt igitur qui hanc historiã in proxima Iosuæ tempora reijciunt: sunt alij, qui hunc Phinehas nõ illum Phinehas, qui scortatorẽ interfecit, sed alium eiusdem nominis fuisse uolũt.

Consuluerunt igitur Dominum.) per Phinehas sacerdotem Vrim & Thumim in Hoschẽne gerentẽ. λόγιον id Græci, nostri rationale uocant, in quo Vrim & Thumim collocata erant cum duodecim gemmis. Tradit Iosephus, Deum ut ab eo responsum scisciatus esset sacerdos, uictoriam de Hoschẽne significare solitam lucentibus clarius quàm pro solito gemmis. Desiisse autem splendescere annis ducentis antea quam historiam suam conscriberet, Deo ab Israelitis ob perfidiam ipsorum abalienato.

Cras enim tradã.) Explicantur res quibus uictoria cõstitit Israelitis: promissio diuina, fides, prudentia, & fortitudo militaris exercitus fortiter pugnantis. De promissione legitur hic, Cras enim tradã cos in manus uestras: qua promissione ut principe caussa uictoria cõfecta fuit. promissio enim Dei beneuolentiam ostendit, cui ut fonti omnium bonorum salus omnis accepta fertur. Nam ubi promissio diuina est, ibi sola gratia locũ habet, nullum humanũ opus & meritum. quod ut cum liberali promittentis Dei gratia pugnet, ostendit Apostolus his uerbis: Quod si per gratiã, iam non ex operibus, quandoquidem gratia iam non esset gratia. Sin uerò fidem consideres, hæc quoniam una pij diuina promissione nituntur, ea alterum in comparanda salute & uictoria locum tenet. Etenim hæc non humana, sed diuina sacri spiritus uis est ac facultas, qua Deus credentibus suam iusticiam, suam sapientiã, suam uitam, suamq; fortitudinem communicat. At quoniam fides in ijs tantum locum habet quæ mente prædita sunt, & intelligentia, ad salutem obtinendam, sancti deliguntur, per quos ut instrumenta, Dei fortitudo et potentia declaretur, atq; patefiat. Hinc sæpe quæ Dei tanquam agentis sua ui caussæ propria sunt, ijs etiam per quos præclara ipse opera perficit, tribuũtur, ueluti hic legimus ab Israelitis Beniamitas uictos & miserè profligatos, per quos Deus, non humana neq; prudentia neq; uis, uictoriã pernecessa, in quo omnia sunt, uiuunt, & mouentur. fides pro facultate & ui agentis Dei. sancti qui agiuntur, pro instrumentis, per quos Deus suam sapientiam & potentiam declaret, habentur. Quæ maxima electorum dignitas est, & amplitudo. Dixi cas, legi hic antecessisse pœnitentiam, qua Deus spectata, dedignatus nõ sit suã promittere opem qua hostis uinceretur. Verum quidem id est: sed etiam ipsa pœnitentia Deum autorem habet, in cuius promissis ea continetur. Sic enim apud Hieremiam legimus. Timorem mei ponam in animis eorum, ut non recedant à me. Nam fœderi electionis diuinæ omnia referuntur accepta, quæ ad salutem conficiendã pertinent, timor dei, pœnitentia

nia, ſpiritus adoptionis, uictoria de hoſtibus & ſalus. Itaq; hic à Dei ſpiritu ex promiſsione illa data: Ego ero Deus eorum, excitata eſt pœnitentia Iſraelitis, quam noua promiſsio de uictoria, & promiſsionem fides, hanc uerò militaris prudentia & fortitudo, cum uictoria comitata eſt. Hæc eſt illa cœleſtis & diuina cathena ac ſeries ex ſe apta, in qua electio ſub præſcientia diuina per media uſq; ad finem & exitũ omnia agit et expedit.

Poſueruntq; filij Iſrael inſidias.) Aliud militaris prudentiæ exemplũ, quam diuina prouidẽtia rexit, quæ promiſerat: Cras tradã eos in manus ueſtras. Hæc ſicut prouiderat uictoriã, ita quoque omnibus quæ ad illam conſequendam commoda erant, prouidenter proſpexit, omnibus ad ſummam clementiæ diuinæ principijs, medijs, & fine ſe referentibus. Per prudentiam autem hanc militarem exercitus in tres partes ſolet diſtributus cernitur. una pars electa eſt, quæ Gabaenſes ad pugnam eliceret. altera, quæ in inſidijs collocata poſt factam ciuium eruptionem, urbem igni incenderet. tertia reliquum exercitum continebat. Non diſsimili ſtratagemate uſi antea fuerant in expugnatione urbis Ai. de qua uideris apud Ioſuam.

Vigintiquinq; míllia.) Is eſt exitus improborum, ut tandem miſerè puniantur, probis cõſeruatis, compenſante uindictæ tarditatem grauitate pœnæ iuſto iudice Deo etiam in ijs, quos ſibi fœdere iunctos habet. quanto uerius hæc diuina ſeueritas exercebitur in eos qui à Dei fœdere prorſus alieni ſunt. In quos propriè ſententia illa Iobi conuenit: Ad diem perditionis ſeruatur malus & ad diem furoris ducetur.

Et fugerunt in ſolitudinem.) Hæ ſunt cõſeruatæ reliquiæ quæ collapſam tribũ repararet. Quain re Dei amor cernitur. q nõ ſinat eos quos ſemel ſibi fœdere coniunxit. funditus perire, eo in ſcelera quidem grauiter animaduertente, ſed per ſonas penitus non abijciente: contrà in repudiatos compoſitus eſt, quos legimus ad internecionẽ cum tota ſtirpe deleri. ut eſt apud uatem, Semen impiorum peribit. In ſacris literis celebris ſit mentio reliquiarum quas Deus ex ſuis reſeruet, ne pereant. Nam & hic reliquias ex tanta clade Beniamenſis tribus euaſiſſe tradũtur: ſic tempore Noæ ex orbis terrarum ruina octo capita euaſerunt. & Aſſyrio obſidente Hieroſolymam, ſuæ quoq;, ne tota gens periret, reliquiæ conſeruatæ ſunt. tẽporibus item Apoſtolorum omnibus in deterius dilabentibus in gente Iſraelitica, reliquias ſalutem nactas Apoſtolus his uerbis indicat: Igitur & in hoc tempore reliquiæ ſuperſunt per gratuitam electionem. Atq; abſolutis temporibus profanationis templi, de quo Apoſtolus meminit in altera ad Theſſalonicenſes epiſtola, ſuæ quoq; ex tanta orbis terrarum uexatione electorum reliquiæ remanebunt. de quibus Dominus apud Matthæum capite XXIIII mentionem facit. Adeò Domino electi placent, repudiati diſplicent: his funditus pereuntibus, illis in hominibus per reliquias conſeruandis, ut exemplo ſunt hic ex uigintiſex millibus, ſexcenti Beniamitæ cõſeruati, qui Beniamenſem tribum ex pulchra Rachele propagatam, ab interitu uindicarent, ne ſemel initum fœdus cum Abrahami familia, irritum fieret. Ego ero Deus eorum: & promiſsio illa firma maneret de qua Hieremias meminit: Quidat ſolem in lumine diei, ordinẽ lunæ & ſtellarũ in lumine noctis: q turbat mare ſonantibus fluctibus eius. Dominus exercituum nomen illi. ſi defecerint leges illæ corã me dicit Dominus, & ſemen Iſrael deficiet. Is eſt cardo ſalutis in gratuita promiſsione Dei fixus, in quo unо ſalus electorum nititur.

In petra Rimon.) Reliquiæ in petra ſeruantur ſubmoto typo, ueritas nota. Nam in hac terra, omnia typum gerunt rerum cœleſtium, montes, ualles, petræ, urbes, flumina, metalla ſtirpes, animantia & homines.

Vigintiquinq; míllia & centum uiros.) In omne genus hominum graſſatum eſt, in mares, fœminas, ſenes, pueros, matronas & uirgines. Horrendæ cladis exemplũ editum cernitur, qua agri uaſtati, urbes uillæq; incenſæ, opes direptæ, animantia cæſa, et hominum ſtrages tanta facta legitur, ut deletis fœminis ad internecionẽ ex uigintiſex millibus uirorũ ſexcenti ſolum ſuperfuerint. Similia Sodomis & Gomorrhis, ſimilia Amorræis paſſa, hæc tribus uideri potuiſſet, quæ ſimili ſcelere ſe obſtrinxiſſet: niſi quæ eſt diuini fœderis fides, diſcrimen quoddam facere ſeruatis reliquijs Dei bonitas uoluiſſet. Atqui miretur fortaſsis aliquis, cur hic ſexcenti ſolum legãtur remanſiſſe ex tanta clade, cum ſuprà uiginti ſex millia & ſeptingenti Gabaenſes ciues lectiſſimi numerentur. cum quibus ſi contuleris uiginti quinq; millia deſiderata, & centum Beniamitas, ſuperfuiſſe ſanè mille præter ſexcentos iſtos memoratos poſitis calculis comperies. Apparet mille iſtos in prioribus prælijs confectos.

IN CAPVT XXI.

IVrauerunt quoq; filij Iſrael.) quòd Beniamitæ ſimilia Chananæis ſcelera commiſiſſent. At uerò non leui errore Iſraelitæ hic er-

rasse deprehunditur. quòd putarunt totã tribũ Beniamitarum delendam esse: qui scire debebãt eam delectam, quæ inter duodecim familias Iacobi sua benedictione ornata, locum nulla ui conuellendũ teneret: aliamq; rationem Chananæorum, aliam illorũ esse: alteros semel in Chamo deuotos et maledictos, alteros in benedicto Semo benedictos. Itaq; erroris huius tandem cõmonefacti, hãc quæ sequitur lamentationẽ ex diuini fœderis locis depromptam dignam populo sacro instituerunt.

Quare Dominus Deus Israel.) quem ex promisso tuo nunquam delere statueris, Ego ero Deus eorum, constantiam tuæ electionis neq; peccato, neq; morte, neq; ullis potestatibus labefactantibus.

Vt hodie una tribus.) cum duodecim elegeris, numero isto magnis mysterijs decretorũ tuorũ sacrato. Accedit huc Beniaminis ut ex speciosa Rachele nati intimus amor, cuius tribum cũ Iudæa tribu coniungere, & eam dilectæ tibi Hierosolymæ dilecti templi participem reddere uolueris. In hoc mysterio perpendendũ fuerit, quam speciosam Rachelem, speciosa Rachel Iacobi uxor, & quam Liam deformior Lia præfiguret: cur natum ex speciosa Rachele Beniaminem, omnia prius deformia, peccatum, crucis opprobrium, & miseram uastationem subire oportuerit, quàm gloriam templi & Hierosolymæ splendorẽ eius particeps factus, cerneret. Qui crucis mysterium notum tenent, in hac mystica historia considerandam commodè uersari poterunt.

Auferetur.) הִבָּקֵר in loco per antiphrasim excindi est.

Quis non ascendit in exercitũ Domini.) De Beniamensi tribu, quomodo hæc quasi ex ruderibus instauretur, deliberatio instituitur. Quam diuina prouidentia gubernabat, quæ his in rebus cernitur, quòd reliquiæ per eum seruatæ sint, ad collapsam tribum restituendam. deinde, quòd uirgines prouisæ sunt, quæ ex Galaditica familia superstites residuis Beniamitis nuberẽt. Sed in hac diuina cura etiã iusticia eius cõmendatur, per quam utriq;, & Beniamitæ & Galaditæ puniti sint. illi quidem, quòd infame crimen ulti non essent. hi uerò, quòd ad nefarium scelus cõniuentes, Israelitis opem ex fœderis iure nõ tulissent. Par enim erat, ut qui in communi necessitate ciues deseruissent, seq; sceleri dissimulãdo affines fecissent, tanq eius autores supplicio afficerentur. Itaq; iusurandum de quo hic fit mentio, diuina tum iusticia tum clemẽtia moderata est, pœna de perfidis desertoribus Galaaditis sumpta, et clementia in reliquias miserè afflictæ tribus declarata. Neq; hoc iusticiæ diuinæ exemplum caruit suo naturalis legis testimonio. Sic Solon honoribus priuandos statuit eos, qui orta seditione neutram partem defendissent. Metius Sufferius cum se mediũ inter Fidenates & Romanos gereret, corpus eius duabus quadrigis distractũ fuisse literis proditum est.

Ductiq; pœnitentia.) Hæc pœnitentia ex commiseratione afflictorum nata erat, non ex reprobatione iusti iudicij Dei, quo animaduersum fuit in sceleratos. Vt enim seuerè plecteretur, uoluntas Dei per oracula patefacta tulit, cui minimè licebat repugnare. Itaq; qui hic totis in eo uersantur, ut Israelitas crudelitatis reos agent, hi neq; facinoris puniti magnitudinem, neq; oracula & responsa Dei, neq; arcana consilia quæ Deus in deprimẽdis & extollẽdis suis agitat, animaduertunt. Neq; tamen negarim Israelitas aliter in puniendo affectos fuisse, aliter Deum. unde accidit, ut uictoriam non statim quam animo præsumpserant, neq; prius quàm clade una atq; altera emendati fuissent, sint consecuti.

Vnde uxores accipient.) quos nefas sit ex Chananæis ducere uxores, & nos nostras filias eis in matrimonium elocare iuramentum prohibeat.

Et percutite habitatores Iabes Galaad.) Iabes nomen urbis in Galaaditica terra, cuius in priore Samuelis libro his uerbis fit mentio: Egressi de Iabes quidam, & tota nocte iter facientes, uenerant ad ciuitatem Gethseam. Huius nomen hic adfertur, nõ item in Numeris. Miserabile cladis exemplum hic proponitur, simile illi quod in Madianitas in Numeris editum legimus. Sed altero Madianitæ, qui stupra, quibus polluerẽtur Israelitæ, adornassent: altero Galaaditæ, qui conuiuere ad tam probrosam libidinem sustinuissent, puniti sunt. Quod eadem pœna & qui facinus perpetrant, & ij qui ad istud quo minus puniatur, cõniuent, contineantur, si ipsorum interfit de publicis criminibus pœnas expetere. Non legitur quidem hic ex Dei responso tantam cladem Galaaditis illatam, sed neq; reprehensa qua Israelitæ in puniendo usi sunt, seueritas traditur, quam lex Mosaica de criminosis supplicio afficiendis defendebat. Publicorum enim criminũ publicæ pœnæ terrarũ & rerũp. piamenta sunt & lustrationes, quibus placato Deo rerump. incolumitas retinetur, non placato amittitur.

Omnes generis masculini.) Reliquiæ ciuium ex Iabes Galaaditica non seruantur, quo-

rum familia in dimidia tribu Manassæ reseruaretur. Alia igitur ratio Beniamensium fuit.

Quadringentæ uirgines.) De posito typo, quæ uirgines collapsam ecclesiam reparent, satis notum ex illo: Desponsaui uos tanquam uirgines.

In Silo.) Locus is indicat, quid de Bethele sit statuendum. Sacer tabernaculo & arca locus delegitur, in quo uirgines factis sponsalibus nuptum dentur. Hæc sanctitas est matrimonij sanctorum Israelitarum ad labefactam tribũ instaurandam. deponendus typus.

Quid faciemus reliquis.) Ducenti erant superarent carentes uxoribus.

Omnes in Beniamin fœminæ conciderunt.) Ex fœminis nulla superfuit, ex uiris superfuere. Si quis miretur, cur pueri etiam, cur uirgines, cur multæ honestæ matronæ tanto sceleri non affines tam miserè interierint, is mirari desinet, si ius quod figulus in uasa sua tenet, perpenderit, et ne infantem quidem unius diei mori innocentem pariter omni humano genere peroriginis uitium obnoxio facto morti. Sed nec mystica ratio hic abest, de qua pij cogitent.

Obstricti iuramento.) Sed cur nõ rescierunt iuramentum temerè antea initum, intellecto tandem totam tribum delendam non esse? uoluerunt prudentes uiri publicæ honestatis rationem ducere, quæ ut iusiurandum uiolaretur, non tolerabat. Ad hanc igitur conseruandam maluerunt minus malum ferre, hoc est ad uirginum raptum conniuere, quàm iuramenti uiolatione committere, ut Dei nomen per quod iuratum fuerat, contemptum populo fieret. q̃ religiose igitur iusiurandum habere conueniat, præsens exemplũ admonet: et illud quod supra in Gabaonitas declaratum est, in quod quia commisisset, Saulus, posteris temporibus ea uiolatio maxima clade uindicata est.

Ecce solennitas Domini.) Alij de Pesah, alij de tabernaculorum ferijs, alij de propitiatorio festo iuterpretantur. In quo tradunt interpretes morem fuisse, ut uirginum chori extra urbem in uineis agerentur. Sic enim dicunt: אר ביום בפורים שהיו בנות ישראל יוצאות וחולות בכרמים.

Et instaurantes ciuitates.) expiata iam noxa. Quas igitur urbes & uillas uigintisex millia occuparant, iam paucæ reliquiæ occupant. Hæ sunt sacrarum reliquiarum iam facta expiatione opes, quibus Dei bonitas tantam cladem cõpensare uoluit. Itaq; Israelitarum terra lustrationem fert, & expiato crimine pristino nitori & cultui restituitur: secus impiorum hostium terra habet. Quæ ita diuino iudicio disperditur, ut in cineres nunquam instauranda abeat. Sicut de Babylone apud Iesaiam uatem legimus: Et perdã Babylonis nomen, reliquias, germen & progeniem, dicit Dominus, & ponam eam in possessionem erinaceorum. Dicas idem accidisse sacræ terræ, quam ex oraculis diuinis propter rebellionem Iudæorum aduersus Messiam, in solitudinem redactam uidemus. Huius rei explicatio reijcienda est in prophetarum tractationem.

IN RVTHAM MARTINI BORRHAI COMMENTARIVS.

IN CAP. PRIMVM.



IN DIEBVS unius iudicis.) Historia hæc de Rutha, quoniã eas res cõtinet, quæ Iudicum temporibus contigerũt, ea rectè quoq; hoc loco explicatur. Quo autem præside rempublicã procurante, quæ in hac historia narrantur, acciderint, quoniam inter interpretes non conuenit, nos de eo magnopere nõ laborabimus. Alij in Eglonis regis Moabitarum, alij in Abesanis qui Iephtham secutus est, quem Booz ũ qui Rutham duxit, fuisse tradunt: alij in Heli sacerdotis tempora reijciunt. Quam sententiam Iosephus sequitur. Paraphrastes Chaldæus Rutham filiam Eglonis regis Moabitarũ, & ipsum Booz um Abesanem fuisse dicit. Quod ferãt ne temporis ab Eglone usq; ad Abesanem decursi ratio, calculus ipse ex chronologia positus, facile ostenderit. Sic enim

Paraphraſtes dicit de Rutha: רשום תניתא רות בת עגלון מילבא דמואב & de Booזo eum eſſe Abeſanẽ, ביומי בועז דמיתקרי אבצן. Cæterum cur res geſtæ hic tam diligenter ſacris literis proditæ ſint, duæ ſunt rationes: una, quòd id ad Dauidis genealogiam texendam utile fore uidebatur. Nam Rutha, cuius genus, peregrinatio, facta, & liberi hoc libro commemorantur, auia Dauidis fuit. Altera ut unde Chriſti Ieſu Domini noſtri genus ductum eſſet, cognoſceretur, quem ex Rutha natum Euangeliſta in deſcriptione generis ipſius his uerbis indicat: Booz genuit Obed ex Ruth. Obed genuit Ieſſe, Ieſſe aũt genuit Dauid regẽ, ex cuius tandem ſtirpe Chriſtus natus eſt. de qua uates Ieſaias: Et germinabit ſurculus de ſtirpe Iſai. Itaq; hæc hiſtoria propter Seruatoris noſtri genus quẽ uoluerit Deus ex moabitide Rutha naſci, et propter uocationem gentiũ in cõſortium Iſraelitarum, in Rutha adumbratam memorabilis eſt. Qui autem typo in Booζo Meſſiæet qui in Rutha eccleſiæ ſponſæ Meſſiæ, cõſiderentur, deeis interinterpretandum monebimus.

Facta eſt fames.) Diuina ratione, ad occaſionem nimirum magnarum rerum gerendarum: de quibus ordine ſuis locis meminerimus.

Abijtq; homo quidam de Bethlehem.) Cum tres præcipuæ ſint calamitates quibus Deus orbis terrarum ſcelera punit, bellum, fames, & peſtis: inter has pœnas quàm graue malum ſit fames, Dauid prælata peſte fami, & præſens exemplum oſtendit. Iſraelita oppreſſus annonæ angustia, domum, agros, cognatos, & quod acerbiſſimum erat, terra quæ tabernaculo & arca diuina cultuq; Dei inclyta erat, dimiſſa ad gentem profanam proficiſcitur. In qua peregrinãs Iudæus moritur, relicta uidua uxore Noemi. & liberi eius ductis uxoribus Moabiticis non meliorem fortunam experti quoq; moriuntur relictis uiduis Orpha & Rutha. Quare Iſraelitarum miſer ſtatus inter Moabitas fuit, ſed nõ felicior Moabiticarum extitit. Viduæ enim hæ cum eſſent, ſuis ut fit, contemptui fuerunt. Ad Ruthæ miſeriam acceſſit peregrinatio grauis pauperi & uiduæ mulieri, & peregrinanti cum inope & uidua ſocru. Sed hæc cum eſſent ſatis moleſta atq; dura, prouidentia tamen diuina omnia iſta mala proſperum exitum ſunt ſortita, cuius bonitate etiam quæ mala uidentur, bona efficiuntur. Atq; huc pertinet tam clara narratio, qua rerum geſtarum tempora, loca, cauſſæ, conſilia & euentus, non ſine magnorum myſteriorũ, de quibus inter interpretandum meminerimus, notatione exponuntur.

Qui acceperunt uxores Moabitidas.) Ducunt Moabiticas Iſraelitæ, quod lege prohibitum non erat, ut contrà Iſraelitidis fas non erat Moabitis nubere: quos nimirum ciuitate Iſraelitica donare non licebat. qua de re uideris in Deuteronomio.

Remanſitq; mulier orbata.) Grauis calamitatis exemplũ, mulierem apud exteros peregrinãtem marito et liberis orbari: quod malum inopia, qua premebatur, & ſenectus grauabat. Narrantur autem acerbiores hi caſus ut intelligatur hanc eſſe ſanctorum ſortem in hoc mũdo, ut aduerſis rebus iactentur, quibus uitioſæ naturæ admoneantur, & ſic deiecti tædioq; huius uitæ, fluxæ & caducæ affecti, ad eam uitam aſpirent, quæ ab omni labe libera ſit. Cuius quoniam figura admodum amabilis in ſacra terra repræſentatur, ideo ſequitur:

Vt in patriam pergeret.) cuius amor quantus ſit, indicat iactata etiam illa apud Tragicum ſententia:

ὦ πάτρις ὡς τοῖσι φίλτατον ἔφυς.

Neq; id mirum ſit. Nam patriæ debemus genus parentes, res neceſſarias ad uictum, religionem, neceſſitudinis & ciuitatis iura. Sed hic typus & figura cernitur, ueritas expreſſa pijs nota eſt.

Audierat enim quòd reſpexiſſet Dominus.) Cauſa reditus explicatur. Quam fames patria expulerat, eandem rerum copia patriæ reſtituit, ſed Domino has uices temperante. Legitur enim hic, quòd reſpexiſſet Dominus populum ſuũ. ubi uſurpatur פקר uerbum, in quo Dei qua is ſuos amplectitur, cura notatur. Atq; hanc curam agnoſcere non humanæ prudentiæ opus eſt, ſed fidei, qua ſola prælucente pij pariter res aduerſas & proſperas à Deo in ſe proficiſci fatentur.

Et dediſſet eis eſcas.) Dei ergo donum fuerit panis, hoc eſt res neceſſariæ ad uictum. De quo dono Vates: Omnia à te expectant, ut des eis eſcam in tempore. Sed hoc donum agnoſcere & de manu beneuolentiæ diuinæ accipere, fidei, non naturæ deprauatæ opus eſt.

Faciat uobiſcum Dominus miſericordiam.) Exemplum fidei erga Deum, & humanitatis erga nurus ſuas fidei quidem, quæ agnoſceret Deum præmijs ornare benefacta, & pœnis perſequi malefacta: humanitatem uerò declarat præſens ſocrus ad nurus oratio.

Sicut feciſtis cum mortuis.) filijs meis Mahalone & Chilione, quos cum uiuerent bene tractaſtis: & iam eis mortuis, honeſtate uitæ & bene

beneficijs. quæ in me propter eos cõfertis, ostendi tis, quàm illos charos, cum uiuerent, habueritis: atq; eam ob causſam de mortuis bene meritas eas fuisse, dicit socrus. Non enim hic sacrificia, non parentatio, nõ alia funebria notantur, quæ mortuis superstitiosè fecerint. Qualia ut neq; lege præcepta, neq; à pijs usitata, nequaquam laudatura fuisset sancta fœmina Noemi. Israeliticæ religionis gnara, & superstitionis gentilis fugitans.

Det uobis requiem.) Non optat illis amplas opes, nõ splendorem gloriæ, non cœlibatũ in quo deinceps degant; sed matrimonia, ut à Deo instituta, & exemplis sanctorum patrum commendata. Cum autem hic מנוחה id est tranquillitatis meminit, nõ optat talia matrimonia quæ omni molestia careant, cuam illis non abesse prudẽs mulier intelligebat: sed quæ ea molestia uacua forent, quam calamitates. sterilis uterus, abortus, coniugum uitia et liberorũ inobedientia afferunt, sic infrà eadem socrus loquitur: Requiẽ tibi mea filia uolo quærere.

Reuertímini filiæ meæ.) Dehortatio locis inutilibus instructa. filias uocat nurus, quæ sic amarent socrum suam Noemi, ut eius amori patriam, parentes, cognatos, aras focos post haberent.

Populus tuus, populus meus.) Consensio Ruthæ Moabitidis in religionem Israeliticam, sua gente, familia & religione abnegata exponitur, in qua ab negatione quam nobis Rutham adumbrarit, explicat uates, his uerbis: Audi filia, & uide & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuũ & domũ patris tui et concupiscet rex decorẽ tuũ, quoniã ipse est Dominus Deus tuus. Qui est Messias benedictus, in hac historia cum sponsa sua uariè figuratus. Ostendit Moabitis Rutha in hac sua abnegatione, à Deo neq; gentis, neque sexus rationem haberi, sed reuerentiæ & metus sui, ut Petrus in Actis dicit: Nunc re ipsa comperio, quòd non sit personarum respectus apud Deum, sed in quauis gente qui timet ipsum & agit iustè, acceptus est illi. Talis timor in Rutha hic cernitur, qui ut differat à spiritu adoptionis, & ab ea fide de qua Apostolus ad Galatas his uerbis meminit: Conclusi in eam fidem quæ erat patefacienda, aliàs indicatum. Itaq; alia ratio spectatur in electione illa æterna, qua Deus ante conditum mundum, suos quos beaturus est, in libro uitæ scripsit: alia in electione, quam mysticum circumcisionis carnalis fœdus continet. In illa nullius rei externæ, neue gentis, neue sexus neue ætatis, neue fortunæ ratio ducitur, ut quæ omnia, mundũ, gentes, & facta gentiũ antecedat: in mystico aũt fœdere gentis, ætatis et sexus haberi respectũ. Quare ab altera electione neq; Aegyptios, neq; Chaldæos, neq; Moabitas & Ammonitas, neq; Græcos & Romanos, neq; barbaros excluseris, Deo eos quos ab æterno in cœlis designauit cognitos tenente: in altero, multos qui in priore locũ nõ inueniunt, includeris. Exemplo sunt impij, fœderé et populo Dei mystico comprehensi. Firmum enim est illud Apostoli: Non is qui in manifesto Iudæus sit, Iudæus est: nec ea quæ in manifesto sit carnis circumcisio, circumcisio est. Proinde beneuolentia diuina ad circumcisionem præputij carnis non fuit alligata, sed deposito uelo mystici fœderis & populi, in Israelitis semper inuenti sunt repudiati à Deo, in gentibus electi ac destinati antè cõdita secula ad uitam. Exempli sunt Aegyptij, quibus Ioseph in Aegypto præfuit. Exẽplo Iethro, Rahab, Gibeonitæ, Naeman Syrus, iudua Sareptana, Niniuitæ, hic Rutha & alij. Vnde cognoscitur ex hac historia occultè in eo quòd Moabitis Rutha relicta gentilitate sua, & patrio Dei cultu ad Israeliticã religionem se contulit, præfigurátum, ut olim gentes Israelitis aggregati unũ Deũ in Christo ex Rutha nato culturi essent. Hoc mysterium coniunctionis commissionisq; gentiũ cum Israelitis in Messia angulari illo lapide hic sub figura repræsentatum & in prophetarum oraculis denunciatum nouissimis uerò temporibus palàm explicatũ est. Si porrò adumbrationẽ spectes, in hac historia narratur ut ex Rutha Dauid natus sit pater Christi seruatoris secundũ carnem si in oracula prophetarum, occurrit Iesaiæ uaticiniũ: Fluent ad eum omnes gentes. Demum mysterij huius publicam patefactionem. Apostolorum & nostra secula declarant. Hæc diuini consilij arcana de salute mundi in hac breui historia significantur, è quorum fontibus deinde omnium prophetarum oracula irrigata sunt.

Deus tuus, Deus meus.) non dij gentis meæ. Præclara confessio fidei est, qua confitetur Deũ Israelitarũ uerum, Deũ esse, nõ deos profanarum gentium. Similis confessio Raabæ fuit, de qua apud Iosuam: Dominus enim Deus uester ipse est, Deus in cœlo supernè, & in terra infernè.

Quæ te terra morientẽ.) in terra oraculis diuinis sacrata, Deum Israelitarũ uiuos et mortuos amore amplecti. Hinc apud ueteres hæc sententia iactata fuit: In futura uita partem non habituros, qui in populi sacri terra locum non tenuerint. quod quomodo sit accipiendũ, aliàs indicatũ.

Hæc mihi faciat Deus.) Hæc iurandi formula indicat, miserè perdendos qui uiolato iuramento Dei nomen profanarint. unde iuramentum אלה Hebræis quod execrationem sonat, appellatum est.

Ne uocetis me Noemi.) quæ marito, liberis & opibus priuata, minimè amœnitatem & iucunditatem tuear, sed digna potius sim, quæ ab acerbitate & mœrore מרה uocer. uocis Hebrææ uestigia in amara latina uoce apparent.

Quia amatitudine repleuit me omnipotens.) Deum sancta mulier autorem miseriæ suæ fatetur: eamq; nõ casu ac temerè, sed diuina ratione accidisse, sed quæ calamitates facile posit in res prosperas conuerti, quòd sit Deus שדי hoc est omni rerum copia affluens. Qui quos deiecerit, & ad inopiam redegerit, extollere & diuites reddere queat: qui uulneret, ut sane: tocidat, ut uiuificet: deprimat, ut extollat. tanta in sacro nomine notatur consolatio. ideo sequitur:

Egressa sum plena.) opum & liberorum diues & maritum habens. Ex terra sacra benedictio diuina exportatur, in eam inopia & orbitas importatur. Sed benedictio quæ extra illam amissa fuerat, in ea ipsa magno cum fœnore recuperatur. ut cernere licet in Elimelecho, qui extra Chananæam mortuus cum liberis in Moabitide per cõsanguineum Booz̃um generis sui amplissimam instaurationem consecutus est ex Rutha, ex ea Dauide, ex hoc Messia cœli & terræ Domino genito. Hoc ipsum est absconditum crucis mysterium, quod in Noemi & Rutha significari placuit diuinæ sapientiæ. In hac historia ocurrunt duæ mulieres: altera:, quæ liberos genuit, altera sterilis. Hæc Rutha est, illa Noemi. In his apta figura bipartitus ecclesiæ status repræsentatur: Vnus, qui sub lege degitur, in quo Ecclesia ex lege marito grauida facta filios generat, legalem spiritum habentes, quos unà cum marito amittit extra promissam hæreditatem, ut Moses legislator extra eandem illam mortuus fuit, in quam fas non esset eum ingredi, sed Iosuam ducem. Atq; huius status Ecclesiæ imaginem prætulit Noemi non sterilis, sed fœcunda mulier. Sed cuius fœcunditas in Arabia exoleuerit, in terram supernæ hæreditatis typum gerentem non importanda. Alter status Ecclesiæ est, quem sub marito nouo habet qui Messias est, desponsandus suæ Ruthæ per promissionis fidem. de qua Oseas uates: Desponsabo te mihi in fide. Hunc statum sterilis Rutha exhibuit. Quæ marito in promissa hæreditate matrimonio iuncta est, ex quo quæ sterilis fuerat, sobolem laudatam gigneret. Eadem figura in Agare & Sara spectata fuit. De quo mysterio Iesaias uates his uerbis admonet: Gaude sterilis quæ non paris, quoniam plures liberos fore desertæ, quàm eius quæ habuit maritum promittit Dominus. Quoniam autem talis ecclesiæ status personæ respectu caret, pariter gentes & Israelitas continens, Rutha hic diuino consilio delecta est, quæ nobis hanc ecclesiæ conditionem apposita figura redderet.

IN CAPVT II.

ERat autem Elimelechi consanguineus.) prouisus à Deo ex lege Mosaica, qui Elimelechi mortui sobolem citaret, de qua lege uideris in Deuteronomio.

Vadam iam in agrum.) permissu legis Mosææ, quæ sic habet: Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris ut tollas eum, sed aduenam, pupillum & uiduam auferre patieris. Rutha autem uidua & peregrina erat.

Accidit autem ut ager ille.) Si animus Ruthæ spectetur, casus fuit: sin Dei, secus.

Non uadas ut colligas.) Humanitatis in Rutham peregrinã et uiduam exemplũ, quod à Booz̃o eius spiritu afflato editum est. de quo uates: Pupillos et uiduas suscipit. Item: Oculi Dominí pauperem respiciunt.

Vt nemo molestus sit tibi.) ut peregrinæ & pauperi hominũ genus solet esse quales iuriæ expositũ, ut est etiam apud Græcũ uatem:

πολλ' ἐφέλκεται φυγὴ
κακὰ ξὺν αὐχεῖ.

Quæ cadens in faciem suam.) Quæ hac demissione indignam se fatetur, ut ab Israelita Booz̃o tam amanter appelletur, digna effecta est, ita prouidente Deo, ex qua rex regum Messias nasceretur, & eius sponsæ figuram gereret, de qua Iesaias: Non te pudebit, quia confusionis adolescentiæ obliuiscaris, & opprobrij uiduitatis tuæ non recordaberis amplius.

Adorans.) Hoc corporis gestu submissè honorem habens Booz̃o, tectè eam Rutham repræsentauit quæ marito suo diuinitatis gloriam adorando tribuit. de qua idem uates. Nam maritus tuus erit creator tuus, cuius nomen est Dominus exercituum.

Vnde mihi hoc.) Deposito typo occurret altera Rutha quæ erga suum Booz̃um Messiam non alia uoce utitur. Nam ad eum amplissiam non suam dignitatẽ & merita, sed omnia candum non suam dignitatẽ & merita, sed omnia abiecta cõmemorat, inopiã, peregrinitatem, & uiduitatem.

Et

Et nosse me.) תניר Non est leuiter nosse, sed cum tanquam eos quos ames, amanter agnoscere & rationem habere. Hac autem demissione sui quàm suaue responsum à Booz impetrarit, sequentia indicant.

Nunciata sunt mihi omnia.) Triae sponso hoc Booz i commendantur in Rutha. unũ fides est in Deum Israelitarum, de qua hoc: Et sub cuius confugisti alas. Alterum, abnegatio sui, per quam reliquerit præ Dei amore omnia, patriã, parentes & cognatos. Dicit enim Booz us: Et quòd reliqueris parentes tuos, et terram in qua nata es. Tertiũ, charitatis officia sunt quæ in socrum præstiterit. Quæ ut hic in Rutha Booz us laudat, & à Domino testatur præmijs exornanda, sic talia etiam in sua Rutha commendat Messias cœlestis ille Booz us cum dicit: Omnis qui reliquerit domos aut fratres, aut sorores, aut parentes, aut liberos, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem. Duorum seculorum præsentis & futuri meminit Messias, quibus Deus benefacta præmijs sit repensurus. Similiter illorũ paraphrastes meminit. Nam his uerbis reddit sequentem uersum יגמול גמול טב בעלמא חרין עלעוברך יי ליך גמול טב בעלמא חרין עלעוברך טב ויהי אגריך שלירומיא לעלמיא ראתי

Reddat tibi Dominus.) Hypothesim ad thesim reuocat uates: Qui reddis cuiq; pro factis ipsius. Dicas: Si ita, quid igitur faciemus illi apud Apostolum? Si ex operibus, iam non ex gratia. Opera seu facta bifariam cõsiderantur. primò ex sua ipsorum, et ex personæ ex qua proficiscuntur, dignitate. Hoc modo argumentatio Apostoli ex pugnantib. ducta ualet. Sin ex operibus, iam nõ ex gratia. item: Qui operatur, ei merces nõ imputatur secundũ gratiam, sed secundum debitum. Secũdò æstimãtur facta ex promittentis eis præmia, & spiritus sancti agentis in ipsis sanctis dignitate. hoc modo considerata ipsa facta, non pugnarint cum gratia, ex qua nimirum dimanent, et eius beneficio præmijs exornentur. Pugnarint autem cum gratia, si ita edantur, ut in eis debitum tanquam mercenario pactum spectetur, et is per quem eduntur, suos conatus, studia & facultatem metiatur, nõ eius de quo Apostolus: Non ipse iam uiuo, sed Christus in me uiuit, qui operatur uelle & cogitare. In rependenda igitur mercede bene factis, Deus in eis nõ meriti, sed liberalis suæ promissionis & spiritus sacri bonas cogitationes & actiones efficientis rationem ducit. ut merces ualeat idem quod præmium, nõ factum & debitum stipendium, quod factis tanquam meritis repen-

datur, Deo in nobis sua munera, non nostra coronante. Hæc si perpenduntur in ratione mercedis & operum, Deo suæ bonitatis gloria integra conseruabitur, pijs de salute nihil adimetur: sed potius sarta tecta defendetur in eo qui nõ fallit, extra quem omnia fallunt & infirma sunt.

Et sub cuius confugisti alas.) Translatione alarum plena consolationis, sæpe utuntur sacræ literæ. Sic uates: Sub umbra alarum tuarum protege me. aues porrò alis uolant in sublime, eisq; pullos suos tegũt, fouent et tuentur. Sic Dei præsidium est, quod auium alis notatur: Qui bonitatis & potentiæ suæ alis suos tegit & secum in altum ferens ad perennem lucem, uitam, gloriam relicta terra transfert. Quò similitudo illa aquilarum à Mose usurpata pertinet: Vt aquila nidum suum excitans, sese supra pullos suos uibrat, aliscq; pæsis exceptos pennis suis tollit, sic Dominus solus deduxit eum. Huius alis excepta Rutha, ex Arabum terra in Chananæam in edito loco sitam, delata est: in qua patrijs dijs relictis, Deum Israelitarum fide coleret & obseruaret, ut ipsa dixerat: Populus tuus, populus meus: Deus tuus, Deus meus.

Qui consolatus es me.) peregrinam, uiduam & pauperem. Vt suam afflictam Rutham Booz us ille cœlestis consoletur, is ipse indicat apud uatem Iesaiam: Vt consolarer omnes lugentes.

Comede de pane.) Neq; Ruthæ alteri deest panis à suo Booz o exhibitus. de quo is ipse apud Ioannem: Ego sum panis uitæ. neq; aquæ ad restinguendam sitim desunt, de quibus aquis idem ille apud eundem Ioannem: & uates Iesaias: Haurietis aquas de fonte salutis.

Ad latus messorum.) Legitur hic messis, messorũ et spicilegij mentionem fieri. Submoto typo occurrit messis cum messoribus suis, de quibus Booz us noster: Rogate Dominũ messis, ut extrudat operarios in messem suam. Messores, Apostoli sunt: messis, ipsa euangelij dispẽsatio qua ex manipulis excussum frumentum, quo animi ad usum uitæ æternæ aluntur, colligitur. In hac messe primum locum habent Israelitæ, ut naturalis oliua: & Apostoli, messores ex Iudæis selecti. Spicilegium autem facientes, Rutha sunt: hoc est ex gentibus delecta ecclesia, quæ manipulos euangelicæ doctrinæ Messiæ iussu relictos colligit, iussáq; ad messorum latus sedere, ad capiendũ cibum particeps eorum bonorum fit quæ Israelitæ ex Dei promissis possident. Nam horum est adoptio & gloria, & testamenti & legis constitutio & cultus

cultus & promissiones, & patres, & quibus natus est Messias. Totus igitur is locus mysticus est nobis ea arcana sub umbris indicans tectè uclatéq;, quæ apud uates de cõiunctione gentium cum Israelitis in unam religionem & cultum Dei per Messiam, exponuntur.

In aceto.) cuius in refrigerando uis nota est, cibos & sapores non alio magis succo commendante. Vnde acetarijs sua gratia est. Quantus autem tempore messis æstus sit, satis notum. de quo uates latinus: Et rapido fessis messoribus æstu.

Et saturata est.) Quod erat benedictionis diuinæ. contrà maledictio habet, de qua illud: Comedent, & non saturabuntur.

IN CAPVT III.

Filia mi quærã tibi requiem.) quam matrimoniũ tibi afferat. In quo tueberis requiem, cum maritum tuum coles, liberos paries, et eos honestè educabis. Hoc enim munus ut promissionem salutis, in qua uera requies continetur, habeat, testatur Apostolus: Mulier salua fiet per filiorum generationem, dum manet in fide eius, qui ueræ quietis autor est, ex ipsa Rutha natus.

Vt bene sit tibi.) ex sententia illa de matrimonij usu semel lata: Non est commodum hominem esse solum. Peregrina mulier, uidua carensq; liberis Rutha erat. His autem incommodis, uno coniugio, illam liberandam sapiens mulier Noemi cognoscebat peregrinæ enim nubentes Israælitis, in eorum nomen, familiam & hæreditatem transibant. uiduitatis autem & sterilitatis opprobrium, matrimonium abstergebat. Si alteram Rutham quæ marito Messiæ ex Booz o genito, spectes, quàm ei bene sit, & quam requiem consequatur ex sui mariti cœlesti matrimonio, indicat uates Iesaias: tuæ uiduitatis infamiam iam nõ recordabere. Nãmaritus tuus, creator tuus est nomine Iehoua exercituum. Is autem Messias est, æternum illud uerbum Dei patris, quo omnia condita sunt. ut est apud uatem: Dixit & facta sunt. & apud Ioannem: Nomen eius uerbum Dei.

Boos iste.) Narratur mirabile de contrahendi inter Boozum & Rutham coniugij occasione consilium. In quo non temeritas accusanda Noemi & Ruthæ, sed laudanda cura diuina, qua ad istam deliberationem Ruthæ commodam & electorum posteritati salutarem & Messiæ gloriosam, Noemi instituta intelligitur. Ad hoc consilium quod daret, & Rutha acciperet etiam lex ipsa de suscitãda propinquo mortuo sobole adhortabatur. At qui quod hic legitur contigisse, in exẽplum & morem conuerti non debet: ut nec quæ de Agare & Sara, de Lia & Rachele, & earum cõcubinis, literis prodita sunt, usurpare temerè liceat. Alia enim legis communis, alia occulta dispensationis prouidentiæ diuinæ ratio est.

Lauare igitur & ungere.) Quod per se impudicum & inhonestũ non erat. Is enim tum mos erat gentis. sed is etiam ornatus in sancta mulier prouidentia Dei deligebatur, qui repræsentaret nobis eum ornatum quo induta illa cœlestis Rutha sponso suo cõmendatur. Nam si lotionem spectes, legimus: Lauamini, mundi estote: si in unctionem, occurrit unctio unicè commendans nostram Rutham. de qua illud: Vnctio docebit uos omnia: sin uestitũ, legimus apud uatem: induit me uestimentis iusticiæ.

Donec esum potumq; furerit.) In hac deliberatione occasio. quæ à propinquitate, a tempore, ab hordei uentilatione, a potione & cibo captata est, pensitanda fuerit, & aptè ad mysterium accommodanda. ut qua uidelicet occasione, quoq; tempore Rutha ecclesia suo se Boozo adiungat. cernas enim & ibi suam arcam, suum uentilabrum, suum frumentum quod flabro spiritus Euangelij excutitur. de quo illud: In cuius manu uentilabrum. cernas item potionem & cibũ. de quo maritus ipse: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem patris. Inuenias & suam noctem, noctẽ inquã crucis, quam quietè & pacatè ferens, aditũ ecclesiæ ad se parat.

Et discooperies.) ad pedes detecto loco. Quod erat humilitatis, quam conueniebat dignitati & gloriæ quam in matrimonio Boozi habitura erat Rutha antecedere: sic non prius altera Rutha suo marito in matrimoniũ copulatur, quàm ad pedes eius iaceat demissa & deiecta. Quæ nõ ignoret illud: Deus humilia respicit & illud Salomonis, Gloriã præcedit humilitas. indicatur etiã tectè in detectis pedibus eo tempore quo gentium ecclesia Rutha Messiæ adiungitur, detectos pedes Messiæ submoto legis pallio apparere, hoc est eius erga nos uoluntatem, affectus & studia aperiri, præparatis etiam pedibus, de quibus uates: Quam speciosi sunt pedes euangelizantium pacem.

Et ipse indicabit tibi quid facias.) ex legis Mosaicæ, de excitanda propinquo sobole, sententia. uatem agit Noemi. Non cognituram Rutham quid faciat, nisi Boozus indicet, reducto uelo, ut altera Rutha nihil agat quod ipsi quidem salutare sit, nisi id suus Boozus patefaciat, ipsa libenter agnoscit, & fatetur, hanc uocem edens: Ego ad dilectum meum.

Iam

lã media nocte expauit.) *Sub noctem præter cogitationem Booz o paratur uxor. Sic dormienti Adamo Eua uxor parata fuit. Et in cruce consopitus Christus suam quoq; sibi Rutham parauit.*

Ancilla tua.) *Ancillã se demisse uocat, quæ domina erat futura & auia regis cœli & terræ.*

Expande palliũ tuũ.) כנפך *alã tuam. Hac loquẽdi forma pudicè significat se uelle ut se uxorẽ ducat. phrasim igitur Paraphrastes Chald. sic reddit:* ויתקרי שמך עלאמיהך *id est & uocetur nomẽ tuum super ancillam tuam. hoc est, in nomen familiæ & gentilitatis tuæ transeat. Metaphora unde ducta sit, notũ est, quæ etiam in illo Deuteronomij usurpatur:* בנת אבילא יגלה *sed quanto præstantius matrimonium est quod à Messia secum Rutha ecclesia iniri cupit super se illius ala expansa. Etenim hæc sponsa his uerbis sponsum suum alloquitur: Sub umbra alarum tuarum sperabo. In his alis præsidiũ aduersus omnia malia cernitur, ad earum rerum quæ ad incolumitatem tuendam cõmoda sunt, subministratio. Hæc alarum explicatio, est ille amplexus quo sponsus sponsam amplectitur. de quo eadem sponsa: Sinistra eius sub capite meo, & dextra eius amplexabitur me. Sed quod responsum Rutha impetrat à Booz o sic appellato? sequitur:*

Benedicta, inquit, es à Domino filia.) *Quæ se ancillam nominasset, à Booz o amanter filia appellatur. Benedictã à Domino uocat Rutham Moabitidem. quæ uerba aut optantis Dominum Ruthæ propitium uerba sunt, aut fatentis eam iam benedictam hoc est diuinis muneribus exornatã, ueluti ipse dicit: Scit enim tota ciuitas te uirtute præditã esse, at sacer spiritus eam præcipuè benedictionem significauit, quod Rutha delecta esset à Domino, ex qua Messias omnia in cœlo & in terra benedictione iusticiæ, uitæ, gloriæ repleturus nasceretur, Booz us hic suam Rutham celebrat ut suam noster celebret hæc eius uerba indicant: una est columba mea & perfecta mea: quam uidentes beatam prædicant mulierculæ. Quare ueteres mysteriũ ex inuersione literarum rimantes dicũt* תור רוה *idem ualere quod turturem sonans. de qua turture sic canitur: Vox turturis audita est in terra nostra.*

Et priorem misericordiam.) *Bonitatem in maritum cum uiueret, & socrum declaratam.*

Posteriores superasti.) *quæ matrimonium non asperneris meum, ut mariti mortui sine liberis familiam ab interitu unius honestatis studio, quæ iuuenes siue pauperes siue diuites, non se quaris uindices. Laus ab animi bonitate, quæ in amore & charitate cernitur, unico illo ueræ probitatis insigni, à quo ut suam commendet Ruthã alter Booz us, præmia quæ illi ob bene merendi studium rependenda dicit, declarant.*

Mulierem te esse uirtutis.) *In* חיל *fortitudo animi notatur affectionibus & cupiditatibus, non facilè cedens. Itaq; Paraphrastes Chaldæus interpretatur eam fuisse iustam & ea fortitudine præditam, quæ ferret iugum legis diuinæ, atq; talem habitam à magistratu in portis uersante. Sic enim reddit:* בל יתבי תרע סהנדרין רבא דעמי ארום איתתא צדיקתא אנת ואית בידחילא לסובדא ניר פיקודיא ריר *qua animi fortitudine & uirtute nostra Rutha sit prædita, cõprobat illud in Cantico Salomonio: Simile est turri Dauidicæ collum tuum propugnandi gratia constructæ. Hæc uirtus, hoc animi robur, fidei uirtus & robur est, qua cœlestis Rutha omnia uincit, mundum & principem mundi Satanã, carnem, peccatum, mortem, infernum, ut fortiter se gesserit mystica Rutha in abneganda patria, parentibus, cognatis, dijs patrijs, & omnibus quæ mundus is chara habet.*

Sed est alius me propinquior.) *Deposita umbra, ecclesiæ priore marito mortuo, qui lex est, duo illius propinqui occurrunt prophetæ & Messias, in quem lex & prophetæ quadã propinquitate collimant. prophetæ illam nõ ducunt, Christum spectantes, qui aptum maritum uindicem præstet. lex enim & prophetæ usq; ad Christum durant, ut hanc ipsam Rutham priore eius marito mortuo sine hæredibus, non propinquior ducit, sed Booz us. Maritos autem duos ecclesiæ esse legem & Messiam, docet his uerbis Apostolus in epistola ad Romanos: An ignoratis fratres scientibus enim legem loquor, quòd hæc tantisper dominatur homini quoad ea uixerit. Itaq; fratres mei uos quoq; mortificati estis legi, per corpus Christi ut iungeremur alteri.*

Et facto mane.) *Subducto uelo, suum mane propositum habet & altera Rutha, quo absoluto legis tempore, & exorta luce salutaris Euangelij matrimonium sui Booz i expectat. De quo illud: In lumine tuo ambulabunt gentes. Hoc autem lumen Messias est. de quo idem uates: Dabo te in lucem gentium. de qua lux ipsa: Ego sum lux uera.*

Viuit Dominus.) *Confirmatio fidei per iusiurandum. Non minori fide cum sua Rutha agit maritus, de quo Iesaias: Sicut tempore Noæ iu-*

rauì ne inducerẽ aquas ultrà ſuper terrã, ſic iurauì ut nõ iraſcerer tibi, mõtes cõmouebũtur et colles cõtremiſcẽt, miſericordia aũt mea nõ recedet à te.

Caue ne quis nouerit quòd huc ueneris.) Neque ante tempus altera Rutha ſuam cum ſuo Booz coniunctionem palàm oſtendit. Legimus enim, In uias gentium ne ingrediamini. Inſigne in Booz caſtitatis exemplum offertur, qui apud ſe iacentem in lecto Rutham pudicè tractarit, neq; antea cum ea rem habere ſuſtinuerit, quàm matrimonium uindex factus celebraſſet. Itaque Paraphraſtes de ſuo addit רבבש יצריה hoc eſt, domuit cupiditatem ſuam. Qua probitate figura quadam nobis eius probitatem repræſentauit, de qua uates: Eo quòd ſcelus non fecerit. Similis typus in Ioſepho cernitur. Quapropter quæ hic leguntur accidiſſe, diuino conſilio ſpiritu ſacro negocium gerente propter Meſsiam & eccleſiam finem decretorũ Dei accidiſſe credi debent.

Menſus eſt ſex modios hordei.) mane. Quod tempus accipiendis beneficijs aptũ eſt. Sic uates: Exaudiuit me Deus manè. Non carent figura ſex hordei quibus Booz Rutham futuram ſponſam munerauit modij. Quibus enim muneribus ornet Meſsias ſuam, dona ſpiritus ſancti indicant, quorum ſenarius ex Ieſaia uate notus eſt. ſed quo tempore donat? manè excitationis è mortuis ad dextram patris ſui, donat. de qua uates: Aſcendit in altum, & dona dedit hominibus. Quæ dona? Dona ſpiritus ſacri timoris, ſapientiæ, prudentiæ, conſilij, fortitudinis & ſcientiæ. Quæ ſex diuini ſpiritus dotes ſine modo uerſantes in Meſsia, ad menſuram tribuuntur membris corporis illius, quod eſt eccleſia per Rutham figurata. De Meſsia interpretes in hunc modum ex Ieſaia uate hic diſſerunt: רמז לה שעתיד לצאת ממנה בן שמתברך בשת ברכות רוח הכמה וביגה עצה וגבורה רוח דעת ויראת יי.

Nolo uacuam te reuerti.) Hæc eſt illa, ſubmoto typo, plenitudo Boozi Meſsiæ, ex qua omnes quiſq; ſuum diuini ſpiritus modum accipimus. Quæ ex Moabitarum regione inopiam & uiduitatem atq; orbitatem intulerat. Boozi beneficio contraria bona in promiſſa hæreditate recipit. Qua ex re intelligitur quid illud ſit: Lex per Moſem data eſt, gratia & ueritas per Ieſum Chriſtum exorta eſt. Moabitica enim terra in Arabia ſita eſt, in qua legem ad Sinam montem Moſes promulgauit. de qua illud Apoſtoli: Quotquot ex operibus legis ſunt, execrationi ſunt obnoxij.

Non enim ceſſabit.) inſtinctus à Deo, cuius uoluntas ineluctabilis cum ſit, tibi maritus procurabitur, ex cuius matrimonio naſcetur is qui ſuam pauperculam Rutham, ſterilem, uiduam opprobrio ſuo liberaturus ſit, de qua propheta: Pauperculam, tempeſtate conuulſa abſq; ulla conſolatione, & ex ea ſobolem ſuſcipiat ſterilitatis ignominia deleta. de qua idem uates: Vniuerſos tuos filios doctos à Domino.

IN CAPVT IIII.

Ascendit ergo Booz ad portã.) Pro more iudicis & præſidis, quem uetères interpretes Abeſanem fuiſſe uoluit proximè Iephthæ iudicem. porrò in portis ſolita ſunt iudicia exerceri, itaq; porta hic pro curia accipitur. Præſtat Ruthæ Booz quæ promiſerat, & data fidem liberat, nõ deterritus quòd eſſet inops & peregrina & propter Moabitas odioſa, quod conſtantis & fortis uiri indicium erat. Vnde ei nomen בעז diuinitus datum eſſe apparet. Quæ fides à Booz o Meſsia in ſuam pauperem & peregrinam Rutham præſtetur, eius merita & beneficia documento ſunt. Qui quam conſtantiæ & fortitudinis in ſeruandis promiſsis laudem habeat, indicant nomina eius à uate explicata: Deus fortis & princeps pacis.

Vocans eum nomine ſuo.) Hebræus habet פלני אל מני. quæ nomina de ijs quorum nomina reticentur, uſurpari ſolent, אלם uox nota eſt. Conſilium diuini ſpiritus hic tu expendito, quid ſit prætereuntem propinquum nomine ſuo à Booz o non appellatum.

Quibus ſedentibus.) pro more ſenatorum & iudicum qui dicuntur ſedere, cæteris ſtantibus ut uiderit Ieſaias in ſolio excelſo ſedentem noſtrum Booz ium, non ſtantem ex uiſo eius nomine. Necnon & is lectos iudices habeat in ſuis thronis ad ipſum ſedentes, qui teſtes ſint eorum operum quæ ipſe cum ſponſa ſua agit. de quibus ipſe his uerbis: Et uos ſedebitis ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael, et quod ſit teſtificãdi munus declarat illud: Vos eritis mihi teſtes. in quam rem? quomodo ego excitatus è mortuis aditum ſponſæ eccleſiæ ad me patefecerim.

Partem agri fratris noſtri uendet Noemi.) Ex lege ait Booz us. de qua in hunc modũ in Leuitico: Si præ egeſtate cõſanguineus de poſſeſsionib. ſuis uendiderit, ppinquus uindex rẽ à conſanguineo uenditã redimendi ius habet. Qua lege hæreditatũ cõfuſio uitabatur. Quoniã autem Noemi uidua erat, caret liberis, agro à maritò & liberis relicto utendi ius, dum uiueret, tenebat: eum' que, ſed propinquis mariti defuncti uen-

uendendi, si ita necessitas ferret, potestas non negabatur. non autem cuiquam extra familiam mariti, ullam hæreditatis partem uendere licebat. Sicut etiam filiabus, si fratres hæredes nulli essent in quamquam aliam tribum nubere nefas erat, ne quo pacto patrimoniorum in sacra terra per sortem distributorum confusio fieret. Qua de re uideris sub finem Numerorum.

Vt fuscites semen propinqui.) ex sententia legis, de qua in Deuteronomio uideris. Atq; hæc lex ab Hebræis obseruabatur: ad cæteras gentes non pertinebat: quaque natione suam rempublicam suas leges & consuetudines tenente, quæ pro rerumpublicarum finibus mutantur. Cum autem reip. Israeliticæ finis Christus Iesus est, & status ecclesiæ, multas ciuiles leges habuit illa plenas arcanis notis, quibus cæteræ gentes non tenebantur.

Neq; enim posteritatē familiæ meæ possum delere.) In Hebræo est: Ne fortè corrumpam hæreditatem meam ad nieos nimirū liberos, non ad eos quos ex Rutha tulero, qui non mei, sed propinqui mortui sint futuri, pertinentem. Dicit autem, se corrupturum hæreditatem propter educandi studium adhibendum Ruthæ liberis, & detrahendum suis.

Hic autem erat mos antiquitus.) Atque hoc cessionis ius in mysterijs etiam est obseruatum. Sic Moses calceos exuere iussus est, ut de ueteris hominis iure decedens, in nouo audiret secum Deum loquentem in rubo. Idem iussum Io suam legimus. In Deuteronomio legimus morem fuisse, si glos cum leuiro ageret de uindicis iure, & is istud negligeret, in eius faciem ab illa conspuitum, & calceum de pedibus detractum cum his uerbis: Sic fit homini, qui fratris sui domum non ædificat. At id hic fieri necesse nō erat, quòd propinquus de uindicis iure præstando non à Rutha, sed à Booz̄o sit appellatus.

Ne uocabulum eius de populo deleatur.) Hebræus habet: Ne defuncti nomen ex consanguinitate & porta deleatur. Quo significari uidetur familiæ dignitas. hanc excitandam quæ præsides, qui ad gubernacula reip. sedeant, subministret. Quod in Dauide impletum & eius posteris constat. Huc apparet Paraphrastem spectare, qui pro perta uertit: ורבותרע סנהדרין רבאתריה.

Respondit omnis populus.) Duo præstant senatores cum populo. primò testificantur Booz̄um Rutham Moabitidem sibi in matrimonium conciliasse, ad defuncti nomē in eius hæreditate excitandum. Si nostri Booz̄i matrimonium cum sua Rutha initum spectes, qui iudices & testes de eo testimonium dent, declarat illud Apostoli in epistola ad Ephesios: Quemadmodū nunc patefactum est sanctis Apostolis eius, & prophetis per spiritum, ut sint gentes cohæredes & eiusdem corporis consorteśq; promissionis in Christo.

Faciat Dñs hanc mulierem.) Alterū est precatio acclamatoria, qua congratulantes felicia optant, beneq; precantur sancto cōiugio. sed quæ optant? Primò, ut Rutha reddatur fœcunda instar Rachelis & Liæ. Secundò, ut paret opes et facultates augeat Ephratæ. Demum, ut clarum & illustre nomen Bethlemæ comparet. Quod in regio nomine Dauidis impletum est, & uerè in nomine regiæ dignitatis ipsius Messiæ ex Dauide nato. de quo nomine illustri ipse sic loquitur: Mihi data est potestas cœli & terræ.

Sicut Rachel & Liam.) Præponitur formosa Rachel, quam præcipuè amarit Iacobus, Lia per Labanis dolum primò Iacobo sub noctē supposita. de mystica ratione in Genesi mentio facta est.

Quæ ædificarunt domum Israel.) ex his duodecim familijs Israeliticis propagatis, quæ numerosa sobole cœli stellas æquent ex promisso Abrahamo facto: Suspice cœlum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum. Nostræ Ruthæ fœcunditas quanta sit, & quàm numerosam sobolem suo Booz̄o Messiæ generet, diuinus spiritus apud Iesaiam cap. 54 explicat. Cæterum metaphora scita in בנה ædificandi uerbo usurpatur de instruenda & paranda familia. & liberi doctè בנים, hoc est ædificia, familiaq; בית hoc est domus nominatur, in qua suæ bases, parietes, intergerini & mediani, sua loculamenta, suæ contignationes, infimæ, mediæ & summæ, suum tectum, & quæ sunt huiusmodi, inuenuntur. Cuius domus figuram in Salomonia domo cernere licet. de qua suo loco meminerimus.

Vt sis exemplum uirtutis.) In חיל facultates & opes significari uolunt nonnulli interpretes, precatos ut augeat opes, remq; præclarè faciat Ephratæ. Nam huiusmodi interdum significari in חיל ut patet ex illo: עשה לי חיל. De opibus & diuitijs non terrenis, sed cœlestibus, quas augeat nostra Rutha in matrimonio suo per benedictionem diuinam sui mariti, occurrit illud: Vt ostendat in futuris seculis suam tam diuitem beneficentiam. item: Qui benedixit nos omni benedictione spirituali, in cœlestibus.

Fiat que domus tua ſicut domus Pherez.) Coniungitur hic mentio Thamaris cum Rutha Moabitide, myſtica ratione non obſcura. Ex utraq; dedignatus non eſt Meſsias naſci ſeruator mundi. Quàm aucta autem ſit familia Pharis ex Thamare, documento eſt ampliſsima tribus Iudæa regno, templo & ipſo Chriſto inclyta.

Vt conciperet.) abſterſo opprobrio uiduitatis. Deo tribuitur conceptus, cuius donum liberos eſſe fides agnoſcit. Tanto maiore cura decuerit liberos educare, ut ſanctitate & probitate Deo probentur, non improbitate ab eo reprobentur. Cœleſtis Rutha quales liberos ex cœleſti Booʒo Meſsia concipiat & pariat, indicat illud: Qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate uiri, ſed ex Deo nati ſunt, concepti nimirum ex ſemine uerbi Dei immortali, & è ſpiritu ſacri ſeminis geniti. de qua genitura eius autor: Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt uidere regnum Dei.

Et uocaretur nomen eius in Iſrael.) pro quo Paraphraſtes : ויתקרי שמיה מן צדיקי ישראל, id eſt, Cuius nomen inter iuſtos Iſraelitas celebre ſit. Spectatur ſententia illa: Iuſtorum nomen manet. Cõtrà impiorum nomen habet: Nomẽ impiorum putreſcit. ſed maximè illuſtre euaſit nomen Booʒi propter Meſsiam ex eo natum.

Enutriat ſenectutem.) ex lege de colendis parentibus à Moſe tradita.

Suſcepitq; Noemi.) munus uiduæ obiens. de quo Apoſtolus ad Timothæum.

Hic eſt pater Iſai.) Hæc ad uerbum in genealogia Meſsiæ à Matthæo tranſlata ſunt. Quæres oſtendit quem uſum hæc hiſtoria afferat, de quo ſuprà ab initio meminimus.

Hæ ſunt generationes.) Sapientes annotant ſolum hic & in libro de Origine mũdi, cõdito iam & abſoluto mũdo תולדות uocem indicto illic propter mundi abſolutionem, integram ſcribi: hic propter Meſsiam ex Rutha natum, collapſi mundi inſtauratorem.

Salma genuit Booz.) ex Raaba, Matthæo interprete. unde cognoſcitur, ueriſimile ne ſit Booʒum Heli temporibus uixiſſe, necne: & quo tempore quæ hic narrantur, geſta ſint, non obſcuris coniecturis licet aſſequi.

Obed genuit Iſai.) Paraphraſtes Chaldæus hic monet noxam cum morte ab Adamo primo uſq; Dauidem in mundũ peruaſiſſe. Quod quidem uerè de eo Dauide accipitur, de quo Ezechiel: Et erunt mihi populus, & ero eis Deus, & ſeruus meus Dauid rex ſuper eos. Is autem rex Dauid, Meſsias eſt ex Dauide natus peccati & mortis per primum Adamum in mundum illatæ uictor, atque ueræ iuſticiæ & uitæ reſtitutor. Quæ ſanè præclara uictoria eſt, qua peccatum per peccatum, & mors per mortem, per eum ſuperata eſt, cui dedignatus non eſt ex Thamare, Raaba & Rutha naſci, peccatũ & maledictum factus, ut nos à maledictione peccati & mortis aſſertos, in benedictionem iuſticiæ & uitæ transferret. Cui ſit gloria & honor in æternũ, Amen.

IN

IN REGVM HISTORIAM AD LECTOREM MARTINI BORRHAI

Præfatio.



VDICVM res gestas Regum historia excipit, in qua primò quæ regum in Israelitica gente origo fuerit, quasq; res quisq; gesserit: deinde, quandiu regiũ sceptrum durarit, & cur sublatum sit, & quæ de eius fine apud diuinos uates oracula extent: demum, quem sacræ huius historiæ lectio usum afferat, expendendum proponitur. Si regiæ administrationis ortum consideres, huius post procurationem qua iudices remp. procurarunt, duplex causa fuisse intelligitur: una in populo, altera in diuina uoluntate cernitur. Populus liberorum Heli libidinis, iudicumq; uarij imperij tædio affectus, regem, qui gentiũ more splendidè regnaret, postulauit. Vt solet uulgus ad res nouas, ueteres pertæsus, spectare, & in mundo sublimia magnificaq; suspicere, demissa & humilia despicere. Deo autem uisum est eam reip. formam in suo populo instituere, in qua unus imperium tenens, eum nobis regem adumbraret, qui cœli & terræ princeps esset futurus: qualem prophetæ partim tectius, partim apertius, Apostoli uerò longè clarissimè describunt. Qui est Messias cœlestis non terreni, spiritualis non carnalis regni rex, in solio diuinæ maiestatis sedens, uiuorum & mortuorum, præsentis & futuri seculi Dominus. Qua in re quàm admirabilis sit diuina sapientia cum summa bonitate coniuncta, facilè licet intellígere. Is enim populi sui non prudentia & à se grauiter reprehensa consilia in exitum illi ipsi & omnibus in orbe terrarum gentibus salutarem qui in Christo Domino nostro de regia stirpe nato declaratus est, cõuertit. Vt solet is pro sua bonitate etiam ea quæ mala sunt humana temeritate commissa, in finem & suis commodum & sibi honorificũ commutare: uelut uidemus id in uitijs ueteris naturæ, in calamitatibus, & in morte ipsa atq; inferno contingere. Res uerò gestæ quæ in hac historia explicantur, pro regum, quorum alij boni, alij mali fuisse leguntur, uarietate, uariæ narrantur. Harum causæ, consilia, loca, tempora, exitus si expenderimus, magna nobis lux ad res præclaras cognoscendas, de quibus inter interpretandum admonebimus, aperietur. Quòd ad sceptrum regium attinet, huius duplices rationes sunt: unæ in perfidia contumacis populi, alteræ in Dei uoluntate spectantur. Nam Deo uisum est terreno & externo regno abolito, cœleste & spirituale Messiæ regis cœlestis imperium excitare. de quo illud Iacobi antiquissimi uatis oraculum extat: Non auferetur sceptrum de Iuda, donec ueniat Silo: hoc est, sospitator Messias. Demum autem quis sit lectionis historiæ Regum usus, Apostolus his uerbis admonet: Nam quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Vsus autem is longè lateq; patet, multas partes continens. Quarum una est, qua quæ legis à Mose traditæ uis sit, intelligitur. Nam cum etiam sanctos homines legem non præstitisse, & alicubi minùs deliquisse uidemus, hac historia admonemur, legem Mosæã nequaquam promulgatam, quæ ueram probitatem, uitam, & gloriam suis cultoribus afferret, sed salutem ex promisso olim & nouissimo à patre Deo constituto tempore in mundum misso Messia petendam esse, quam nobis fides in illum cum omnibus cœlestibus opibus communicaret. Altera utilitas bipartitum hominum genus esse ostendit. Vnum eorum qui per hypocrisim, & fictæ probitatis speciem præstandæ legi operam nauant, quales Saulum, falsos uates &

doctores, eorumq; discipulos fuisse, sacra hæc narratio iindicat. Alterum genus uerò eorum est, qui fidei face prælucente, legem seruare elaborarunt. in horum numero Dauid, Salomon, Iosophatus, Ezechias, Iosias, sanctiq; uates, & qui eorum doctrinæ paruerunt, continentur. Qui fide in Messiam seruatorem mundo postremis temporibus patefaciendum in custodienda lege uersati sunt, ad eam iusticiam aspirantes, quam diuina gratia, non natura, meriti insontis uictimæ, non legis facta tribuerent. Itaq; tertia utilitas in promissis, quæ de sacrosancto Messia tradita, & diuinis literis consignata sunt, cernitur. Quò pertinent uariæ adumbrationes, quibus regnum & sacerdotiũ Christi adumbratur: quas partim in sanctorum Regum persona, potestate & factis, partim in templo Salomonio, & eius uarijs uasis, partim in sacerdotum & Leuitarũ personis designare diuina sapientia uoluit. Ex hac utilitate quarta, quæ ex ipsis exemplis percipitur, utilitas nascitur, quorum magna copia in hac sacra narratione offertur. Nam horum quędam scelera & sceleratorum miserum exitum indicant. Qualis in Saulo, Absalone, Achazo, Achabo, Zedecia & alijs apparuit. Quædam uerò rectè factorum exempla, qualia à probis regibus, & nonnullis alijs sanctis hominibus edita sunt, occurrunt. Quorum quamuis non pauci ab impijs in hac uita malè tractati, & tandem crudeliter interfecti leguntur: eorum tamen fides, constantia, & benefacta literis mandata sunt, quæ posteri imitarentur, ad non fluxa fragilia & momentanea quæ terra præbet, sed firma ac stabilia quæ in cœlis reposita sunt, bona comparanda: quæ sub pædagogo lege ij, qui in uetere fœdere uitam egerunt, spe præsumpserunt. Proinde ex talibus etiam exemplis discimus, qualis sit piorum & impiorum status, quid inter utroq; intersit, quis afflictionum usus in pijs, quæ eas felicitas, quæq; calamitas impiorum res prosperas consequatur. Quæ exempla ad confirmandos sanctorum animos in ipsis aduersis rebus, quantam uim habeant, satis in hac schola crucis mediocriter exercitatis perspicuum est. Qui persuasum habent horum temporum miseriæ beatitatem, luctui gaudia, morti uitam successuram, contrà fore ut impijs falsus Dei cultus, perfidia uiolati fœderis, scelera & odium quo pios hostiliter infectantur, certum exitium afferant. Qua ex re cognoscimus, quantum inter sacram historiam & profanam ab origine, rebus gestis, personis, & usu sit discrimen. Etenim si originem spectemus, profanæ historiæ hominum inuenta sunt & monumenta, in quibus sæpe fides desideratur, ut quos multa fugiant, ac fallant: quiq; affectibus obnoxij adulandi gratia non pauca, quæ falsa sunt, pro ueris posteritati produnt. Sacrã autem rerum gestarum commemorationem Dei spiritu elaboratã agnoscimus, qui nec fallere, nec falli queat. Res gestæ uerò quæ diuinis literis mandatæ sunt, quantum differant à rebus gestis, quas profanæ profanarum gentium narrationes exponunt, ostenta ipsa quæ in Aegypto, in mari rubro, in Arabum solitudine, in ingressu in Chananæam, & ipsa Chananæa iam occupata sub iudicib. & regibus edita sunt, declarant. quæ alia in exteris gentibus exhibita non leguntur. De quibus Moses diuinus & antiquissimus legislator his uerbis meminit: An audiuit ulla alia gens uocem Dei loquentis de medio igni ut tu audisti, & tamen uixit? aut tentauit ullus Deus uenire ad desumendam sibi gentẽ de medio alterius gentis per tot miracula, cum robusta manu, porrecto; brachio? Personarum autem dissimilitudinem fœdus diuinum, quo Israelitæ comprehensi sunt, cæteræ gentes excluse, comprobat. Cuius sanè fœderis dignitas quanta fuerit, & quam illustrẽ Israeliticã gentem reddiderit, Moses his uerbis ostendit: En populus sapiens & prudens, gens magna, &c. Qui igitur hanc historiam cum fructu legere uolunt, considerare debent Israeliticam gentem singularem quandam & eximiã gentem esse, quam Deus præ cæteris gentibus delegerit, cuius foret adoptio,

gloria,

gloria, testamenta, legis constitutio, cultus, patres & ex his quod longè præstantissimum munus est Christus Iesus Seruator mundi natus. Vnde quoq; intelligere licet quantum inter utramq; historiam usus discrimen faciat. Tradunt scriptores, historiam esse testem temporum, lucem ueritatis, uitam memoriæ, magistram uitæ, nunciam uetustatis. Hæc quidem præclara laus est historiæ: sed quæ in externarum gentium historia locum non inueniat. Nam in hac multa deprehenduntur falsa & à ueritate aliena: multa etiam in ea laudantur, quæ si uerè iudicemus, meritò uituperari debeant, ut cum simulata probitas pro uera, malicia pro prudentia, superbia pro magnitudine animi, audacia pro fortitudine, opum effusio pro liberalitate, & superstitio pro religione cõmendantur. Sic enim Hercules, Achilles, Hector, Themistocles, Epaminundas, Alexãder Magnus, Pyrrhus, Hannibal, Scipiones, Pompeius, Lucullus, Crassus, Iulius Cæsar, Augustus, orbis terrarum magni prædones, literarum monumentis celebrati sunt. Commendatur historia quæ temporum testis & lux ueritatis sit. At quot mendacia historici pro ueris tradiderunt? De Græcis iactatur illud peruulgatum: & quicquid Græcia mendax audet in historia. De sacra autem historia longè secus res habet, quam uerè testem temporum, lucem ueritatis, magistram uitæ esse dicas, quæ nobis dicta & facta iam inde ab origine mundi eorum narret, ex quibus discamus quæ uera, quæq; falsa religio sit: qui ueram, quiq; falsam, tum ante, tum post diluuium secuti sint. Necnon ex eadem sacra historia mundi originem, & annorum à condito mundo seriem, regnorũ mundi initia & conuersiones, harumq; causas certas cognoscimus. Quas ex nulla alia historia cognoscere licet. In Israelitica gente etiam exempla proponuntur, quorum personæ, res gestæ, terra, cæremoniæ, regnũ, sacerdotium, cœlestia bona repræsentant, & animos nostros earum rerum cognitione formant, quæ firmam & æternam uitam afferunt. Quorum nihil simile in gentium externarum historia reperias, quæ præter cruentas pugnas, uastationes terrarum, temeritatem fortunæ, libidinem regnorum mundi, idolatriam, ambitionem, auaritiam, audaciam ducum & immanitatem, scelera principum & regum terrarum, aut fictas & simulatas uirtutes, hoc est, uitia specie uirtutum tecta & adumbrata, nihil ferè narrant. In sacra autem antiquitatis commemoratione ueræ probitatis exempla commendantur. uitia autem & falsa probitas seriò grauiterq; reprobantur: & promissa de mundi seruatore Messia, qui nobis æternam probitatem & uitam apportet, sæpe proponuntur: quod in nulla alia historia fieri solet. Quæ res nos ad diligentem & accuratam sacræ historiæ lectionem inuitare debet, ut eius luce illuminati ea meditemur, & in uitæ nostræ usum transferamus, quibus nostram salutem conficiamus, & Deum patrem in filio Messia redemptore nostro amplificemus. cui sit gloria & honor æternus. Amen.

IN

IN PRIOREM REGVM LIBRVM MARI
TINI BORRHAI COMMENTARIVS.
IN CAP. PRIMVM.



VIT quidam uir.) Samuelis genus, educationem, uirtutes, resq; præclarè gestas narraturus diuinus spiritus, à parentibus eius exorditur: quorum nomina, patriam, genus, breuiter describit, à patria initio facto.

De Ramathaim Sophim.) Non una affertur hic interpretatio. Nonnulli in hunc modum interpretantur: Ex altera Ramatharum se inuicem spectantium. Duas enim Rhamathas fuisse, dualis etiam numeri uox רמתים indicat. Alij aliter, & in hunc modum: Ex altera Rhamatarum de natione צופים, id est prophetarum. Nam uatem in loco per צופה significari, patet ex illo: צופה נתתיך. Hæc sententia probatur Paraphrasti Chaldæo. Dicuntur enim uates diuini צופים, hoc est speculatores, qui de prophetici muneris specula eorum ad quos mittuntur, mores & studia speculantur. Vestigia Hebrææ uocis in Græca σκοπέω apparent. Græci ut noster, pro proprio loci nomine relinquũt, ὅρος ἔρημα θαὶμ σίφα. Sunt qui צופים pro nomine gentilitatis uertunt. Fuisse Elcanam de genere צוף, cuius in priore Paralipomenon libro capite sexto fit mentio.

Et nomen eius Elcana.) de genere Leuitico, ex familia Caathina. De quo uideris in Paralipomenis loco iam citato.

Euphratæus.) Cognomẽ Elcanæ est, nõ à familia Ephraimensi, qui Leuita fuerit, sed à loco in quo uersatus est, ductum, qui hic legitur in monte Ephraimitarum habitasse. Nam Caathinæ familiæ, à qua Elcana originem ducit, in montem Ephraim urbes assignatæ sunt, ut est apud Iosuam cap. 21.

Et habuit duas uxores.) in quibus nomina, uita, liberi & eorum conditio, mysticæq; lineæ considerandæ fuerint. De singulis suo loco.

Et ascendebat uir ille.) ex lege & consuetudine, qua in anno locus, in quo arca Dei uersabatur, adiri ter solebat: in Pesah uidelicet, in Pẽtecostes & Tabernaculorum festo. De qua lege uideris in Exodo & Deuteronomio.

Et adoraret.) solennem Deo cultum à Mose præscriptum præstaret. Quod in loco est השתחות. Similiter usurpatur apud Ioannem: Patres nostri in monte hoc adorauerunt. id est, solenniter coluerunt.

Domino exercituum.) Qui supernè ex angelis, in mundo hoc aspectabili ex sideribus ordine suo tanquam instructa acie militantibus, in terra ex stirpibus, animantibus & hominibus, & præcipuè ex legionibus sanctorum Israelitarum, hoc est electorum, descriptum exercitum, ut dux & Imperator regit atq; moderatur. atque eum contra contrarias potestates defendit & tuetur. Atq; is imperator Iehoua Messias est, qui de se dicit: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. quod est hic, Domino exercituum. Propter hunc sacrificabatur in uetere Testamento, ad dandum testimonium & significationẽ, Messiam illud esse gratum Deo patri sacrificium, cuius sanguine omnia tum cœlestia, tum terrestria pacificarentur. Vt aũt is dicatur חטאת עולה ורשלמים, & quæ sit singulorum horum sacrificiorũ mystica ratio, explicatum id est in Mosefico.

In Silo.) Qui tum insignis sacra arca locus erat, ubi illa statim à Iordanis transitu Iosuæ iussu reposita fuit, & sub Heli in alium locum transfusa. De qua translatione & eius causis mox mentio fiet.

Itaq; uenit dies.) solennis et festus. Hinc Paraphrastes: יום מיערא.

Deditq; Phenennæ.) Victima pro pace ac salute oblata. De quo sacrificio pectusculum cum dextro armo sacerdoti, reliqua familiæ eius qui uictimam obtulerat, ad uescendum cedebant. De qua lege & tota eius mystica ratione uideris in Leuitico & Deuteronomio.

Partem unam.) quæ liberis careret.

Tristis.) Tristiciæ huius duæ causæ erant. Vna, quòd eam amaret, cui maluisset per amorẽ, si res ita tulisset, potiora munera dare. Altera, quòd careret liberis. ambæ explicãtur in scripto.

Quia Hannam diligebat.) amorem sterilitate non abolente. Quem nimirum coniunctio illa ante natam sobolem, maris & fœminæ indat, de qua illud: Hoc os ex ossibus meis. Quẽadmodum submoto typo, nec suam Hannam, cum de

primò sterilis est, minus amat Christus maritus. de qua Iesaias: Iubila sterilis.

Dominus autem concluserat.) non malo ipsius, sed bono, ut per sterilitatis opprobrium, agnoscer et fœcunditatem Dei donũ esse, non naturæ beneficium: & nos agnoscerem eã nobis sterilem adumbrare, de qua Iesaias & apostolus Paulus mysticum Iesaiæ uatis oraculũ explicans, meminerunt. Nam quod arcanum in Agare & Sara sterili quam amabat Abrahamus adumbratur, idem in Phenenna liberos habente, & in Hanna sterili designatur, siue nomina, siue ingenium & mores, siue mariti animum, siue Dei uoluntatem, siue liberos spectemus. Hebræi periphrasi sterilitatis & fœcunditatis qua Dei omnia procurantis prouidentiam exprimant, utuntur, cum dicunt uteros ab eo claudi & aperiri, ea loquendi forma fidem nobis commendantes, qua persuasum habeamus, omnia è manu Dei, siue aduersa, siue prospera ad nos dimanare.

Affligebat quoq; eam.) irritando eã, & ad iram prouocando, obiecta insolentius sterilitate. ut solet contemptio iram excitare in eo qui contemnitur. Et quoniam iucundum est ijs quorum res bono statu sunt, eos despicere qui aduersis rebus infestantur, quòd id sibi honori quẽ ambitiosius quærunt, esse putant: idẽ hic à Phenenna quæ suas res meliore conditione putaret, factitum legimus. Sic ab Agare Saram, à Lia Rachelem contemptui habitam legimus, & reducto uelo, sic ecclesia, quæ legis spiritu inflatur, eam quæ unius misericordiæ Dei fide nititur, uexat atq; infectatur. Huic mysterio congruũt nomina Phenenna & Hanna. Nam Phenenna à facie nomen habens, aptè nobis eam ecclesiã repræsentat, quæ legis iusticiam persequitur externa factorum specie se uenditantem. Qualis hypocritarum iusticia est ficta, & simulata iusticia ac probitas. De qua Christus Dominus noster: Dico enim uobis, nisi abundauerit uestra iusticia plus quàm Scribarum & Pharisæorum, &c. Hanna autem nomen à gratia sortita est, nobis ecclesiam eo nomine referens, cum salutem suam non ex lege, neq; ex factorum legis apparatu, sed ex liberali clementia & gratia Dei quærendam sibi in ipsa afflictione proponit: atq; sterilitatem suam fide in Messiam maritum, quem Dominum omnium agnoscit, abolere studet, intenta ad gignendos liberos quos exẽplo demissæ Hannæ, Deo Nazaræos nõ mundo, cœlo non terræ, spiritui non carni consecret, in ipsa afflictione submissa, fide firma, amore Dei ardens, in rectè faciendo sedula & assidua.

Itaq; surrexit Hanna postquam comederat.) Dicas præcedere, Et non comedebat. Interpretum sententia ה in אבלה non iudicat fœminam, sed paragogicum est. Sensum igitur esse, eam surrexisse ut Elcana cũ suis sumpsisset cibum. Sed fieri potest parum cibi ab ea sumptum fuisse, ut maritus eam ne nimio mœrore se conficeret, admonuisset.

Amaro animo.) מרת pro tristi & ægro. Interdum in malo usurpatur, ut cum Abacucus Chaldæos populum מיר uocat. Vbi acerbitas animi nocere studens accipitur. hic uerò mœsticia & ægritudo ex rebus aduersis nata. Describitur igitur hic crucis status, quo fuerit Hanna, qui ei supplicationem ad Dominum salutarem expressit, de qua sequetur mentio.

Ei uotum uouit.) Nazir uotum. de cuius ritu & ceremonijs mysticis uideris in Numeris, & in libro Iudicum, in historia Samsonis. At ita id uotum ratum erat, si maritus in id consensisset, ut patet ex Numeris cap. 30.

Domine exercituum.) A' facili & facultate. Domine, cui omnia supernè et infernè parent, facilè præstiteris quæ ego te oro.

Afflictionem famulæ tuæ.) qui soles humilia & deiecta in terra respicere. Admonet Deum naturæ suæ qui de se prædicet: Dominus Dominus Deus misericors & clemens. In עני accipitur deijciens animos afflictio electis salutaris, ut hic Hanna exemplo est.

Et recordatus mei fueris.) patefacto mihi utero, quo clauso sensi te mei oblitum. Loquitur scriptura uerbis humanis, non Dei natura, sed nostra expensa. Nos Deum nostri oblitum arbitramur, cum in rebus aduersis nos non statim adiuuat, recordari rebus ex sententia affluentib.

Sexum uirilem.) Virilem sobolem sibi dari precatur, à qua intelligeret generi nomen dari, & publicas functiones tum sacras tum ciuiles obiri, non à fœmina. Hæc dignitas maris est.

Dabo eum Domino.) cui se Nazaræum profiteatur. quæ dignitas quia marium est, non fœminarum, præcessit mentio de masculo prole.

Omnibus diebus uitæ eius.) Talis Nazir Samson fuit, & reducto uelo, uerè Messias benedictus.

Vt Eli obseruaret os eius.) non animum, cuius scrutator est sacerdos ille, de quo uates Dauid: Sacerdos secundum ordinem Melchizedeci, qui in templo non manufacto & terreno, sed sine manibus elaborato & cœlesti se-

det, cordium scrutator & iudex.

Porrò Hanna loquebatur in corde.) precationem spiritu Dei regente, non simulatione, quæ sæpe ore ostenditur, pectore non orante, sed peregrinante. Hic ergo dicimus aliam orationem esse hypocritarum, aliam eorum qui uerè orant. hi spiritu & fide orant, illi ore. alteri uerba numerant, alteri Dei bonitatẽ & gratiam ponderant, se & sua omnia deijcientes. Hos igitur Deus exaudit. de quibus illud legimus: Cor contritum & deiectum non despicies. Illos non exaudit, de quibus illud: Clamabunt, & non exaudiam.

Et existimauit ergo eam Elí temulentam.) Sed quæ ebria ab afflictione esset, non à uino. de qua ebrietate uates Iesaias meminit, loquens de ea quam Hanna adumbrauit: Audi hæc paupercula, & ebria non à uino. Intelligitur hic, morem tum non fuisse ut בלחש, id est occultè & tacitè supplicationes fierent. Cuius consuetudinis abusum reprehendens sacerdos Christus, sic ait: Cum supplicas, ne esto hypocritarum similis, &c.

Respondet Hanna.) Obiectum temulentiæ crimen diluit inficiatione.

Mulier infelix ego sum.) non uino pota aut temeto. Varia loquendi formula usurpatur animi ægritudinem & mœsticiam exprimens: ירעלבב מרת נפש קשחרוח. Affert contraria ebrietati argumenta, mœsticiam & ægritudinem animi ex ærumnis natam, quam uinum excutiat, ut habet illa peruagata sententia: Vinum exhilarat animum hominis.

Sed effudí animum meum.) exponens animi angorem per supplicationem. Similiter Paraphrastes אמורית עילבו נפש בצלו קדם יי.

In conspectu Domini.) quem iudicem corda & renes rimantem fero.

Quasi unã de filiabus Belial.) Quæ metus Dei iugo in sacro loco Deum & sacra eius ludam. Indicat igitur sancta mulier quæ mala creet ebrietas, nimirum quæ בלי עול, hoc est iugum legis diuinæ excutientes, filios creet. Exempla omnibus nationibus, & præcipuè Germaniæ, nota sunt.

Ex multitudine doloris.) In uoce שיחי hic animi occupatio plena angore innuitur. & ira quam בעס significat, quoniam molestiam quandam & dolorem affert, noto tropo pro dolore sumitur.

Tunc Elí ait.) Hannæ facta supplicatione felicia precatur sacerdos Eli, quod erat sacerdotalis muneris. De quo in lege Mosaica uideris.

Deus Israel.) Qui suprà Deus exercituũ appellatur, hic Deus Israel dicitur, partim q̃ Israelitæ, hoc est scripti in libro uitæ, sint ille sacer Dei exercitus, qui duce Messia in militia aduersus mundũ, & principẽ mundi Satanã regitur atq; gubernatur: partim quòd Israelitæ soli illi sunt, quos supplicantes Deus exaudiat, non alienos & sacri fœderis expertes. stat enim illud: Non pro mundo oro, sed pro ijs quos dedisti mihi pater. Hi autem sunt Israelitæ, hoc est scripti in tabulis cœlestis uitæ & hæreditatis. quos nobis figura Israelitæ secundum carnem exhibent. Quis autem sit liber uitæ, & quid scribere sit in libro uitæ, qui dicunt se ignorare, ignorare etiam se illud fatebuntur: Quemadmodum elegit nos in ipsis. Itẽ: Gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlo. Ex quo qui dicunt deleri unquam posse qui in ipso semel scripti sunt, super arenam ædificantes, salutis firmam ancoram conuellunt.

Det tibi.) honesta petenti, ab eo qui pauperum precationem de cœlo exaudit. Sunt qui hæc uerba non precantis esse dicunt, sed ex munere prophetandi denũciantis Hannam exauditum iri. Hinc illã lætitia, quæ in scripto narratur, affectã.

Et comedit.) Secus suprà: Flebat, & non cupiebat cibum, tantum discrimen afflictione & consolatione efficiente.

Vultusq; illius.) Vultus pro mœsticia, hanc in hilaritatẽ conuersam quæ de throno gratiæ diuinæ per supplicationem impetrata sit. Quoniam animi affectiones in uultu apparent, interdũ pro ira & mœsticia usurpatur: ut Latini hominem uultuosum, difficilem ac morosum uocant. Quò spectat uox Hebræa פניה.

Et peperit filium.) promissi diuini beneficio. Quod nominis etiam שמואל etymõ declarat, de quo suprà: Et Deus Israel præstet tibi quod petijsti. Tales sunt liberi, submoto typo, Hannæ ecclesiæ primò sterilis. de quibus illud: Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Hoc est, ex promissionis spiritu, qui fidei spiritus est. Eadem figura cernitur quoq; in Isaaco. de quo his uerbis Apostolus ad Romanos: Sed in Isaac nominabitur tibi semen: hoc est, non qui filij carnis, hi filij Dei sunt: sed qui sunt filij promissionis. recensentur in semine.

Et uotum suum.) Gratulatoria hostia erat de genere uictimæ שלמים qua agebantur gratiæ Domino pro acceptis beneficijs. de quo & generibus hostiarum שלמים Leuitici septi-

septimo uideris. Atq; hanc uotiuam uictimam ultrà anniuersarium sacrificium, quod indicatur in uoce ימים, obtulit.

Vt appareat ante conspectũ Domini.) Siluntе ministerio sacro tabernaculi fungens.

Iugiter.) ex uoto. de quo suprà: Tradã Domino cunctis diebus uitæ eius. עולם uocem hic usurpatam interpretantur de quinquaginta annorum spacio, quo Leuitæ tabernaculi ministerio detinebantur, ut in Numeris cap. 9. licet legere. Sed discrimen dicunt fuisse inter Samuelem & cæteros Leuitas. Hi nati uiginti annos & amplius incipiebant ministrare in tabernaculo, ille uerò à puero. Ad hæc Nazaræi leges seruabat Samuel, quibus cæteri Leuitæ non tenebantur.

Et tribus modijs farinæ.) Hebræus habet, Et una epha farinæ. De epha uideris in Exodo. Pars ephæ cedebat ad uictum, pars ad faciendam מנחה, ad quam pro uno boue tres decimæ ephæ sumebantur, ut in Numeris traditur capite decimoquinto.

Et amphora uini.) dimidium hinis ad taurum pro libamento accipiebatur.

Viuet anima tua.) Confirmandi locutio est, in qua uitæ precia ponderantur propter eum qui uniuersæ naturæ & uitæ perennis fons est & origo. Quod declarat uox יחיה ab Apostolo explicata his uerbis: In ipso sumus, mouemur & uiuimus.

Commodaui eum Domino.) In uerbo השאה לה׳ notatur Hannam sobolem, quã à Domino sibi dari postulauit, domino addixisse, ut donum & munus ab ipso profectũ: indicans, filios è promissionis spiritu per supplicationem natos, non mundo, sed Deo cõsecrandos, ut gratiæ, non naturæ liberos.

Et adorauerunt ibi Dominum.) Hebræus ostendit Elcanam adorasse, hoc est gratias Deo egisse. Quæ animi gratitudo in adoratione, hoc est Dei cultu continetur, qua eius bonitas, qui uoluerit benefacere: & potentia, qua potuerit: & ueritas, qui promissa præstiterit, celebratur. Qui summus Dei cultus est diuina fidei uis perfectus. Quæ fidei uis omnia Dei munera, probitatem & uitam cum uniuersa salute nobis à Deo in Christo communicat, & communicatã cum gratiarum actione prædicat atq; celebrat. Itaq; de Hanna sequitur:

IN CAPVT II.

Et orauit Hanna.) Gratulatorium carmen ab Hanna canitur, in quo erga se Dei collata beneficia celebrat. Et quoniam in eo etiam futura nunciantur de uictoria quam Israelitæ de hostibus suis erant reportaturi, & de regno Messiæ inter electos in orbe terrarum excitando, & de impijs delendis: legitur hic Hanna in medio triumphali carmine, quo futura beneficia tanquam præsentia decantantur, supplicasse, quod est יתפלל, ut quæ essent futura, Deus suo tempore impleret.

Exultauit cor meum.) quod antea mœstum fuerat & conturbatum. ueluti suprà legitur: Et erat tristi animo. Deposita umbra, occurrit lætitia Hannæ ecclesiæ sterilitate sua liberatæ, de qua Iesaias: Exulta sterilis quæ non paris.

In Domino.) in nemine alio, à quo solo beneficia hæc cõfectæ mihi salutis profecta sunt. In Domino dicit se lætitia gestire & exultare, quem suprà rogauerat: Domine exercituum. Itaque Apostolus: Gaudete in Domino. Sunt quorũ animi in mundo, in mundanis opibus, potentia, & existimatione popularis probitatis & sapientiæ lætantur. Hanna dicit hic: Exultat cor meum in Domino, unica sanctorum Israelitarum uita, iustitia, sapientia & gloria. ut qui de se dicat: Ego sum uia, ueritas & uita. In quo ut exultet alterius Hannæ cor, ipsa in carmine illo Salomonio his uerbis testatur: Trahe me post te, curremus, introducet me rex in conclauia, exultabimus & lætabimur in te.

Et exaltatum est cornu meum.) quæ antea contempta iacui, spreta à pellice, iam attollitur salutis meæ mihi cornu per Dominum. In sacris literis per cornu notatur robur, potentia, imperium, tropo sumpto à quadrupedibus quæ cornibus se tuentur, pugnant & uincunt. Inde frequentia illa: Protector meus & cornu salutis meæ: hoc est, propugnaculum & præsidium meum. De quo cornu exaltato imperij & regni per Messiam Dominum, glorietur Hanna altera, cœlestis illa Hanna, satis manifestum. Habent etiam hostes huius cornua sua ut bestia. de qua apud Danielem & Ioannem in Apocalypsi. Sed cornu regni & imperij quod Hanna dicit sibi elatum, bestiæ cornua confringit, ut est apud uatem, Et cornua impiorum confringam, elatis cornibus iustorum. de quibus illud: Attollentur cornua iusti. Quibus is contra mundum & eius tenebrarum principatum pugnans, sub Iehoua Messia Domino exercituum omnium uictor euadit.

Dilatatum est os meum.) quod antea angor & mœror hostiumq; metus clauserat. Dilatatio oris, loquendi libertas est: & dila-

tatio cordis,hilaritas,nota metonymia. Vt enim per læticiã cor pandatur,& per triſticiã contrahatur,ſatis conſtat.Suprà cordis fit mẽtio,hic oris,q; ore ſermoneq; pectoris lætitia declaretur: & quorum corda exhilarans ille Dei ſpiritus occuparit,hi ipſi ſibi non temperent,quin diuina beneficia ore prædicẽt. hinc illud:Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & loquebantur ſermonem Dei cum fiducia.Itẽ:Locutus ſum, quia credidi.hoc eſt,quia Dei in me beneficia uitæ & ſalutis expertus ſum fidei ſenſu,ideo ea celebro.

Super inimicos meos.) Si literam ſpectes & hiſtoriã,Pheninna occurrit, & liberi eius perſequentes odio Hannam: ſin expreſſam ueritatem, occurrit illud Apoſtoli: Sed quẽadmodũ tunc is q ſecundũ carnẽ natus erat,perſequebatur eum q natus erat ſecundum ſpiritũ, ita & nunc.

Quia lætata ſum.) nõ lætitia quã mũdus, quamq; fragilia eius bona præbent,quib.afficiuntur de quibus illud,Cor ſtultorũ, ubi lætitia: ſed lætitia perfundor, quam tuũ præſidium & ſalus à te mihi tributa affert,de qua ſequitur:

In ſalutari tuo.) Si myſticam Hannã ſpectes,occurrit ſalus quæ in abſterſo ſterilitatis opprobrio declarata eſt:ſin alteram Hannam eccleſiam,occurrit ſalus per eũ exhibita, de quo illud: Is enim ſaluum faciet populum ſuũ à peccatis ſuis, qui ſuam ſponſam quã uindicat ab ignominia ſterilis uteri, augẽt numeroſa ſobole, de qua uates: Quoniã plures ſunt filij deſertæ, quàm eius quæ habet maritũ.Cæterùm ſunt qui quæ hic de inimicis & ſalute legũtur,de ea ſalute quam Dominus per Samuelem daturus erat Iſraelitis de hoſtibus ipſorũ liberatis accipiunt, atq; ita hæc ab Hanna oraculari gratulatione dici intelligunt.de qua ſententia uideris apud Paraphraſtem. Neq; dubium eſt, quin ſancta mulier non tam lætetur quòd filium nacta ſit, quàm quòd eo filio aucta ſit, qui Iſraelitas uictis Palæſtinis in libertatem aſſerturus eſſet. Atqui ut in iſta uictoria,in iſto Samuele Nazaræo umbra cernebatur:ita in uictoria altera,quam alter ille Samuel uerus & cœleſtis Nazir Meſſias de ſuis & ſuorum Iſraelitarum hoſtibus reportat,ueritas cernitur. Vt licet in fine carminis huius myſtici cognoſcere, ubi de Meſſia afferuntur oracula.

Non eſt ſanctus ut eſt Dominus.) Meminerat Domini, in quo animus ſuus exultaret,cornu attolleretur,& à quo ſalutem accepiſſet.iam qualis is ſeruator ſit,explicat, hunc uerè ſanctũ,uerè fortem eſſe,cui nulla cõtraria uis reſiſtat,& cui nemo alius neq; ſanctitate,neq; fortitudine conferatur.Sanctum quidem,cuius naturæ intemerata ſit,& inuiolabilis. Tale enim eſt קדש apud Hebræos,ut apud Latinos ſanctum, quod uiolare non liceat,ut ſanctius ærarium. De Dei porrò ſanctitate legimus:Mutabis ea,& mutabuntur:tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.Quod ſi etiam alij ſancti,alij dij & domini nominantur,ita tamen ſancti et dij & domini nominantur,ut à ſe & ſua natura tales nõ ſint, ſed à te & tuo beneficio: cum non ſit alius præter te natura,& à ſe ſanctus Deus & Dominus, cæteris ſanctitatem, diuinitatem & fortitudinem donans.

Et non eſt fortis.) qui ex ſterili fœcundam reddat,qui fortiſſima in mundo confringat, qui deiectos ex puluere in regium ſolium attollat, qui mortuis uitã reddat.Ex hoc fonte manat lex de amando Deo ſuper omnia, Hac anchora fidei ſanctorum nititur: hac confeſſionis machina labefactantur omnia fortitudinis, potentiæ,iuſticiæ, & ſanctitatis extranea præſidia, ut in uno numine Dei,quem hic prædicat ſancta Hanna,ſi dem atq; ſpem collocandam eſſe diſcamus,cauentes cum illa: Non eſt alius æquè ſanctus ut Dominus:& nõ eſt quidem ullus præter te, nec eſt æquè fortis ut Deus noſter.Cæterùm in צור firmitas,robur, fortitudo notatur, tropo ſumpto à petra,quam Hebræa uox ſignificat. De fortiſſima petra peccatum, mortem, & inferni portuma euertente,legimus illud:Petra aũt erat Chriſtus. Quam fide agnouit & ſpe eius pateſactionem præſumpſit ſancta mulier.

Nolite multiplicare loqui ſublimia.) corã Deo ſublimi, qui humilia attollit,& ſublimia deturbat. Qui quoniam in cœlis uerſatur, nos ſuper terram, nobis ſermo pro conditione noſtra eſt moderãdus.ueluti ſapienter ſapiens Salomon monet: Dominus in cœlo, & tu ſuper terram:ideo pauci ſint ſermones tui.Perſtringit, ſi hiſtoriam ſpectes, Hanna ſuperbiam & arrogantiam glorioſius de ſe prædicantis Pheninnæ, & hoſtium arrogantiam: ut altera Hanna ſuæ Pheninnæ de iuſticia ſua, ſanctitate, fortitudine, liberis ſuis gloriantis ferociam reprehendat,ſub typo hic intelligitur.Nam ut huius os multum ſuperbè loquatur, Phariſæus ille documẽto eſt, qui apud Lucam his uerbis oris ſui petulantiam declarat:Gratias ago tibi,quòd non ſum ſicut cæteri homines,raptores,iniuſti,adulteri.Qua gloriatione quid arrogantius & inſolentius? In hac reprehenſione etiã ſunt potentes huius mundi & ſapiẽtes homines,qui quæ ſapiunt et agunt,ſuæ ſapientiæ

tiæ & potentiæ tribuunt, & eam superbè cum Assyrio illo prædicãt: Meæ manus uiribus, meâque sapientia atq; prudentia effeci, &c.

Recedant uetera de ore uestro.) Interpretibus Hebræis עתק est חזק, ut sit sententia: Facessat ex ore uestro ferocia. Asperitas & ferocia Phenennæ in Hannã suprà exposita est. Sed nec interpretis nostri interpretatio absurda est. Ne exeant ex ore uestro uetera, uidelicet cõuicia, quibus me sterilẽ Hannã, ea quæ habet liberos, affecit. Græci uertunt μεγαλορρημοσύνη.

Quia Deus scientiarum est Dominus.) quem nihil lateat, quo minus in impiorum superbos conatus, consilia & facta uindicet. Vna uoce Hebraismũ reddas, Omniscius est. Sãcta mulier Dei oculos omnia in cœlo & in terra perlustrantes nihil fugere, contra impios asserit, qui audent dicere: Non uidet nos, nõ pensitantes sententiam illam sapientis Salomonis. In omni loco oculi Domini speculantes bonos & malos.

Et ipsi præparãtur cogitationes.) Interpreti nostro affirmatio placet ex לו, nõ negatio ex לא. Similiter Græcis. Quæ interpretatio si probatur, prior sententia his uerbis confirmatur, apud Deum omnia scientem appensa esse, ac uelut trutina libratas cogitationes & conatus hominum, quos uel ratos uel irritos ex nutu suo reddat. Sin uerò negans aduerbium לא recipitur, sententia erit ad sequentia hærens, impiorum conatus ac studia irrita esse. Nam quia scribitur לא, & legitur לו, & affirmatio & negatio suam interpretationem sustinet, nullo gratulatorij carminis sententiæ periculo, alterutrum interpretere.

Arcus fortium superatus est.) Ordine numerat humanos conatus, ut hos irritos faciat Dominus, per distributionem Dei potentia amplificata. In arcu notatur potentia & fortitudo. Hunc arcum frangi. Sunt hostes qui arcũ potentiæ carnalis intendunt aduersus filios Dei. In horum numero potentes homines, principes & reges orbis terrarum numerantur. Sunt qui spiritualis potentiæ arcum intendunt, in quo sagittæ maledicentiæ & falsarum doctrinarum ponuntur, quibus conscientiæ confodiuntur. de quibus sagittis Dauid: Quorum dentes sunt lancea & sagittæ, lingua gladius acutus. Qui arcus sagittas peccati & mortis è neruo mittens, à forti illo Satana intenditur, quem uincit is de quo uates: Et fortium diuidet spolia.

Et infirmi accincti sunt robore.) Tractat sententiam contentione, hoc est cõtrariorum comparatione, quo maior potentiæ diuinæ uis appareat. Fortes confringi, infirmos robore accingi atq; armari, in cinctura expedita ad fortiter gnauiterq; agendum quippiam uis notatur. hinc illud: Sint lumbi uestri cincti. Laudantur milites accincti, uituperantur discincti. Hanna quæ infirma & abiecta fuerat, domestica dignitate & gloria ob sterilem uterum destituta, aucta filio, succincta est robore, eam uincens à qua opprobrio affecta fuerat. De nostra Hanna reducto uelo legimus: Quia ut mulierem derelictam & mœrentem spiritu uocauit te Dominus, & uxorem ab adolescentia abiectam. Sed quid tam infirmæ, contemptæ, abiectæq; accidit? In eodem uate inijcitur: In misericordia sempiterna misertus sum tui, in iusticia fundaberis, longè aberis à ui. Verè ergo Apostolus dicit: Infirma mundi elegit Deus, ut confundat firmiora. Itaq; Hanna ecclesia in cantico illo diuino fatetur quidem se fuscam esse nigrore infirmitatis, per crucis calorẽ contracto: sed hunc colorem abiectæ formæ sibi fraudi non esse, quam sponsus suæ iusticiæ, uitæ, gloriæ communicata pulchritudine formosam reddat, & splendorem gloriæ suæ absoluto crucis cursu ei sit tributurus, ut ipsè eam in Cantico Salomonio alloquitur: Surge, propera amica mea, formosa mea, & ueniam enim hyems transijt, imber abijt, &c. Hic hæret spes sanctorum, qua se cõtra mundi, & principis mundi Satanæ, & eorum qui Satanæ spiritu fruuntur, munitiones armant.

Repleti prius pro panibus.) Alia ἀντιπαροιμία. Saturos fame, præ qua se uendunt, premi, & famelicos saturos reddi. Est fames, qua corpora conficiuntur: est item fames, qua animi carentes uerbi Dei pane, infestantur. de qua Amos uates his uerbis: Mittã famem in terram, nõ famẽ panis, neq; sitim, sed audiendi uerbũ Domini. Est præterea seruitus, cui se qui fame corporis premuntur, mancipant. est item seruitus, in quam incurrimus fame oraculorum Dei affecti. Quæ seruitus peccato & morti obnoxios reddit. de qua illud: Sub peccatum uenditus sum. Vtraq; fame, utraq; seruitute liberat Deus suos quos amat, & saturos diuitijs, potentia, iusticia & sapientia mundi, ad miseram inopiam et seruitutem redigit. Quò pertinet illud sanctæ Mariæ: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Donec sterilis peperit plurimos.) Si literam spectes, legitur in textu de Hanna: Visitauit ergo Dominus Hannam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias: quibus adnume-

rati duo filij Samuelis septem,efficiũt.Sin rem sub typo Hannæ adumbratam consideres, occurrit illud:Lætare sterilis, &c. Quid hodie fœcundius & hilarius Pheninna pariente liberos,iustitia & sapientia legis inflatos? At hæc, sterilis et tristis redditur,cum audit illud: Perdam sapientiam sapientum. Item: Quæ stulta erant secundum mundum, elegit Deus ut pudefaciat sapientes. Sub throno igitur cœlestis sponsi Messiæ omnia in mundo sublimia,magnifica ruunt:abiecta in Hanna sua sponsa extolluntur,& splendida reddũtur.Hac enim in mundo quid superioribus seculis sterilius & tristius fuit? At hæc sterilitate in fœcunditatẽ,& tristicia in hilaritatem conuersa, audi quid hic canatur à mystica Hãna:Donec sterilis septem pariat,hoc est iusti numeri sobolẽ. & quæ fœcunda est reddatur desolata, effœta, audiens cum Agare:Eijce ancillam & filiũ eius.

Dominus mortificat.) ut mortis & uitæ,tenebrarum & lucis, inferni & cœli Dominus. Hæc ex contrarijs conflata sententia de diuersis & ijsdem personis accipitur. De diuersis quidem,ut cum impios occidit, & pios uiuificat: de ijsdem uerò, cum eos quos carne mortificat, spiritu uiuificat:dum tandem etiam caro è pulueribus terræ,in qua tanquam frumenti granum reponitur,excitata uitalem halitũ recipiat. Hæc igitur sententia in Messia ut primogenito ex mortuis,plenè impleta cernitur,qui mortuus,reuixit: & descendens ad inferos, ad gloriam cœlestem reuocatus est.Hac contentione totum crucis mysterium contiñetur,quod intelligent ij qui fidei face prælucente,sentiunt in statu crucis Deum in morte uitam,in opprobrio gloriam, in ira gratiã, in peccato iusticiam, suis meditari. Hunc ludum & scholam aperit solus crucifixus Messias, nulla philosophorum secta.

Deducit ad inferos.) שאול propriè fouea ac sepulchrum est, in quo mortuorum corpora ponuntur,ut est apud uatem: Non relinques animam meam in inferno:id est, non sines corpus meum in sepulchro iacere dum putrescat. Sicut inibi sequitur: Et sanctum tuum non uidere foueã interitus.Hinc quoniã sepulchra tenebris,squalore, putredine cadauerum & uermibus scatent,et omnia in eis horrore & confusione plena sunt, ut est apud Iobum, Vbi umbra mortis & nullus ordo,sed sempiternus horror uersatur:fit ut שאול primò accipiatur pro statu quocunque rerum aduersarum in quo prosperitatis lux non affulgeat, ut se hic Hanna in inferno uersatam & inde reuocatam confitetur,dicens: Exultat per Dominum cor meum, quod antea absente consolationis luce mœstum fuerat. Deinde accipitur pro eorum statu,qui diuini fauoris luce priuati, in tenebris uersantur, furoris Dei ignem per iudicium accusantis & damnantis conscientiæ de culpa sentientes.At neq; huius inferni par ratio & exitus est. Nam eum & electi & repudiati experiũtur: sed alteri suo malo,ad æternum exitium:alteri suo bono in Christo & per Christum,ad salutem. Etenim is ut electos ex tartaris liberaret,tartara quoque subijt,dum inter duos latrones in cruce pendens clamaret:Deus Deus meus, cur dereliquisti me? A Deo autem deseri,quid aliud est,quàm inferni cruciatum sentire? Qui miser status quoniam à luce beneuolentiæ diuinæ discessus est & descensus in tenebras,unde potius orcus æstimandus sit,à locóne,an ab auersione clementis uultus Dei & ostensionis irati,facilè pij iudicabunt. Vt enim sancti in terra degentes homines, in cœlo suam conuersationem habere dicuntur, cum eorum res bono statu sunt, affulgente eis splendore beneuolentiæ diuinæ in Christo:ita impij quocunque loco sunt, in inferno sunt ac luce priuati, & contrarijs furoris Dei tenebris circumfusi. Sic Cain in orco uersabatur,cum diceret: Maior est culpa mea,quàm ut remittatur.Idem de Saulo, Iuda & alijs iudicare licebit. Beati qui in inferno uersati cum sunt,cõfiteri possunt: Deturbat Dominus in infernum,& reuocat: & cum Dauide dicere:Liberasti animã meã ab inferno inferiori.

Dominus pauperem facit.) Inflatos opibus depauperat, ut solent opes superbos reddere & insolentes,qui neq; Deum, neq; homines curæ habeant, sed freti diuitijs & potentia audeant dicere:Non mouebor.

Et ditat.)pauperẽ, demissum factũ ex tenuitate.Hanc sententiã confirmãt ea quæ sequũtur:

Humiliat.)insolentes.depressorũ exẽpla in Cainorũ familia diluuio absorpta,in Sodomis & Gomorrhis, in Pharaone Aegyptio, in Assyrio, in Babylonio Nabuchodonosore,qui ausus fuerat superbè dicere,In cœlum ascendã,&c.et in alijs superbis tyrannis occurrunt.& in his nouissimis temporibus spiritualis Babylon audiet illud:Cecidit Babylon.

Et subleuat.) depressos. Exemplo sunt Israelitæ,qui ex abiecto statu quo in Aegypto uixerant, ad splendorem regni euecti sunt.de quibus Moses:Cõstituit eũ super excelsam terrã.& Iesaias:Filios euexi. Hæ deiectionis & exaltationis formæ,ut in capite sanctorũ Messia cernãtur, indicat Apostolus his uerbis: Sese adeò deiecit, ut o-

ut obediens fuerit usq; ad mortem, quapropter Deus eum extulit, &c.

Suscitat de puluere.) Amplificat sententiam priorem, à puluere terræ infimi elementi ipsius mundi translatione mutuata. In puluere terræ iacere dicuntur, qui contempti sunt & neglecti. Quid enim abiectius puluere terræ? Huic se comparauit Abrahamus, cum coram Deo uilissimum se faceret: Qui cinis sum & puluis. Hanc sententiã eisdem uerbis expressit Dauid: מיסים מיעפרל. Atqui non est unum genus paupertatis, ut neq; diuitiarum. Est enim paupertas quædam ab externis opibus quæ in mundo cernuntur apud Crœsos & Crassos. est item ab opibus animi: & in hoc genere inopes quidam carent diuitijs animi, quæ in natura spectantur: quidam eis quas spiritus Dei de cœlo exhibet. si primum genus spectes, inuenias tenues qui ad summas opes & potentiam euecti sunt. exemplis communis uita plena est: sin alterum genus, reperias uacuos sapientia, qui eius opes assequantur. At laudata paupertas est, de qua illud: Beati pauperes spiritu. Hi ditãtur opibus. de quibus idem Dominus: Recondite uobis thesauros in cœlo. In hac uicissitudine quoniam diuinæ potentiæ & sapientiæ gloria agitur, qui deijciuntur, cogitent se suo bono, non malo, deijci. hic enim legimus: Deus deprimit & euehit. Et qui à pedore attolluntur, admoneantur, ne prosperis rebus insolescant aduersus eum, qui neq; pares, neq; superiores sustinens, alta deijcit, ut ipse solus altus & sublimis in cœlo & in terra adoretur. Sicut hic canit Hanna: Nemo alius est præter te.

Vt sedeat cum principibus.) Est principatus & solium regium, in quo principes huius mundi sedent terrenis opibus & potentia florentes. est item cœlestis principatus & thronus. Deq; uterq; uerum est quod hic legitur: sed posterior maximam dignitatem habet, ad quem efferuntur tenues, de quib. iam meminimus: Beati pauperes spiritu. Hi ex pulueribus terræ excitati, in solijs regijs sedebunt. de quibus Messias summum solium tenens his uerbis monet: Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel: per patefactum uidelicet, siue in hoc, siue in futuro seculo, eorum cordibus euangelium quod uos prædicatis, in quo uno omnes uiuorum & mortuorum iudicij rationes cõtinentur, ut apostolus Paulus his uerbis comprobat: Quo die iudicabit Deus occulta hominum ex euangelio meo per Iesum Christum. Cæterùm principes in Hebræa lingua נדיבים appellantur à liberalitate ut quibus opes materia beneficentiæ & liberalitatis suppetant, quam ipsos in alios præcipuè declarare conuenit.

Domini eñ sunt cardines terræ.) Cõfirmatio à iure possessionis cardinum terræ. de quo iure uates: Domini est terra & plenitudo eius. Terræ in medio uniuersitatis liberatæ ob firmitatem & soliditatem, fundamenta, cardines et columnas quibus habitatus terrarum orbis cum suis incolis, ut sunt stirpes, animantia & homo ipse mundi caput fulciatur. Nam תבל terra bene culta & animantibus exornata est. Hanc in potestate Dei esse, ut eam quibus uelit, partiatur, & auferat. In uoce מוצק robur notatur, quod in fundamentis, cardinibus & columnis ædificiorum molem sustentantibus cernitur. Hinc quoq; nota translatione fundamentum terræ iusti appellantur, quorum probitate mundus sustentetur. ut est apud Salomonem הצדיק יסוד עולם Debent igitur impij cogitare, non propter ipsos mundum conditum esse, sed proptor pios, quibus deletis, & tanquam columnis euersis, ipsi cum mũdo non subsisterent.

Pedes sanctorum seruabit.) Qui terram conseruat ne moueatur loco, idem sanctos suos columnis immotis fidei nixos tuebitur, ne ui aliqua impulsi de statu moueantur. Vt est apud Salomonem: Radix iustorum non mouebitur. In pedibus affectus notantur, per quos ne labantur sancti, caueri à Domino. sed quo cauet? apud uatem legimus: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. hæc lux Messias est de se dicens: Ego sum lux mundi. Qua luce cum careant impij, de eis sequitur:

Et impij in tenebris conticescent.) Memorabilis utriusque pijs & impijs contentio, hos tenebris perdentibus, illos luce seruante. In luce uita & salus, in tenebris mors & interitus notatur, metaphora sumpta à luce primo die condita: qua exorta, omnia in terra cœperunt uirescere & animari: contrariam uim tenebris habentibus, quibus terram obsidentibus, cuncta horribili confusione squalebant. Silendi uerbum pro perire, tropo satis noto. Quæ enim silentio & obliuioni traduntur, nusquam esse & periisse dicuntur. Itaq; interpretes ירמיו pro ירתיר uertunt.

Quia in fortitudine non roborabitur.) Domino pro tribunali aduersus impios sententiam dicente, his suam potentiam, uires & opes, quibus pios opprimunt, nihil profutu-

futuras, ne quis arbitretur, eos iudicium diuinum euasuros. Quò pertinet occupatio hæc, à sacro Spiritu usurpata. Huc ergo spectat præclara illa sententia Hieremiæ uatis: Ne glorietur prudens in prudentia sua, neq; potens in potentia sua, neq; glorietur dives in suis divitijs, sed in eo glorietur, q; Dominũ intelligit. Sed quærat hic aliquis quo tẽpore impij cum potentia sua sint euertendi, tempus hic assignatur, eo nimirũ tempore adfuturũ, quo Messias iudiciaria potestate sit functurus. De quo sequitur oraculum.

Dominum formidabunt.) quem cõtemptores dicentes: Quis est Dominus Deus? in uerbo ירחתו. Vtrumq; significatur conteri & formidare, quòd cum rebus aduersis secundas res conterentibus pauor coniunctus sit. Messias Iehoua est, quo sedente in solio maiestatis suæ sublimi, perduntur impij cum potentia sua, pijs seruatis: non solum non profuturam impijs suam potentiam, sed etiam obfuturam qua cum ea funditus sint conterendi.

Aduersarij eius.) Dei aduersarij יבים מיר quorum omne studium uersetur in eo, ut in omnia Dei dicta, facta, & consilia inquirant ac tanquam in ius uocantes accusant, reprehendant & damnent. Forense enim accusantium & litigantium uerbum est ריב. Itaq; Græci uertunt ἀντιδίκους. Hic legimus aduersarios Domini frãgendos, sed qui sunt illi aduersarij Domini? Piorum aduersarij sunt, quos Messias suos aduersarios, propter societatem & communionem, qualis inter caput & corpus, inter sponsum & sponsam intercedit, appellat. Ex qua coniunctione natum est illud apud Zachariam: Qui uos tetigerit, pupillam oculi mei tetigerit. Quæ uox plena consolatione est, qua una fide arbitra mũdus & princeps mundi, peccatum & mors, cum ipsius orci portis uincuntur. Quî enim superentur pij ab ulla aduersaria potestate, qui Messiæ pars sint eius uitæ, iusticiæ, gloriæ consortes? Regnat Messias rex æternus, regnabunt & eius membra, & ciues & reges & sacerdotes, regio & sacerdotali spiritu præditi. Quare indignum est hoc regno dicere, eos qui semel in huius regni libro scripti sunt, deletum unquam iri. Huius spiritu citra modum exornatus à patre Messias eum terrorem impijs affert ad suos redimendos, de quo sequitur:

Et super ipsos de cœlis tonabit.) Notatur in tonandi uerbo seueri iudicij exercendi à Messia iudice in improbos terror. Hinc lex quæ condemnationis & horribilis iudicij ministerium tenet, cum tonitruis tradita legitur. Et cœlum etiam igni, tonitru, grandine, sanctis aduersus impios deseruire, documento est Sodoma, Aegyptus & Chananæi reges Iosua duce cœlesti ui domiti & euersi. Pluralis numeri uox מריבי præcedit, & singularis sequitur עליו, in quo cõsueta syllepsis cernitur, quæ hoc modo digeritur, על כל אחד מריביו ut uniuersi & singuli accipiãtur, cœlesti diuini iudicij tonitru feriendi, nemine quãlibet potente ultrices illas sententiæ iudicis Messiæ diras euasuro. Legitur בשמים pro משמים, ideo Paraphrastes מן שמיא. Terra iudicijs humanis permines ex terra natos, cœlum uerò iudicio Messiæ diuino, qui de cœlo cœlestis homo sit, assignatur. ideo legimus hic: De cœlo tonabit. & de iudicio sequitur:

Dominus iudicabit.) ius ex euangelio suo dicet, ut ipse fatetur, cum dicit: Sermo meus quem locutus sum, iudicabit eos. Et Apostolus: Ex euangelio meo iudicabit arcana hominũ per Iesum Christum. His uerbis Apostolus & iudicem & iudiciariam legem, ex qua sententia dicenda sit, exponit. Ex quibus uerbis clarè colligetur omnibus ratione præditis naturis ante extremum generalis iudicij diem euangelium manifestatum iri. in quo uno sententiæ ut in iudiciario libro in omnes dicendæ sententiæ contineantur.

Fines terræ.) impios terræ. intra terræ fines & terminos comprehensos, qui non cœli in quo lux, uita, innocentia, sed terræ, in qua tenebræ, mors & noxa uersentur, sint incolæ.

Et dabit imperium regi suo.) Indicatur per quem Deus iudicaturus sit fines terræ. Hunc Messiam regem esse, q de se dicit: Omne iudiciũ dedit filio. Hoc iudice quia pij liberãdi sunt, de quo Isaias: Et iudicabit in æquitate tenues & ipsi improbi condemnati noxæ, perdendi, legitur hic robore armandum regem Messiam. quo robore? Spiritu fortitudinis. de quo meminit idem Isaias: Et requiescet super eum רוח הגבורה. Noster interpres pro עז uertit imperium. Hebræa uoce significatur fortitudo. qua sit confirmandus à patre rex Messias.

Et sublimabit cornu.) regiam maiestatem. itaque Paraphrastes: גבל בית. Cuius cornu efferri hic legimus, eum etiam infra omnia deiectum scimus. De demisso Messiæ statu & humili uates: Despectus & nouissimus uirorum. De statu uerò augustæ maiestatis propheta Dauid: Ascẽdisti in altum, cæpisti captiuitatem: qui locus explicat exaltatum cornu. Quod tribus

bus in rebus ſpectatur. unum eſt poteſtas in uniuerſitatem hanc quam excitatus è mortuis accepit, de qua is ipſe: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Alterum eſt triumphus de poteſtatibus mundi & imperio Satanæ actus, ut in cœlos aſcendit, occupato ſolio maieſtatis diuinæ patris ſui, de qua parte iam ex Dauide uate memi nimus, & de ea Ieſaias: Et fortium diuidet ſpolia. Tertium in diſtributione munerum ſpiritus ſancti cernitur, quibus eccleſia ſterilis per uerbum immortale grauida facta numeroſam ſobolem generat, quæ hic in hoc carmine celebratur. Expenditur ergo exaltatio cornu huius ab ipſo ſtatu glorioſo ad quem Chriſtus ex humili translatus nomen adeptus ſit, ſuperãs omne nomen, in cuius nomine omne genu ſe flectat cœleſtium & terreſtriũ & infernorum, omnis q; lingua confiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriam Dei patris. In hoc ampliſsimo ſtatu uerſans Chriſtus ſublimior cœlis materiatis factus, in cœlo diuinitatis ſplẽdore illuſtri ad dextrã Dei patris in omnia pertinentem rex & Dominus cœli & terræ in ſolio nulla creata natura cõcluſo ſedet. Quod ſoliũ tam longè latè alteq; patet, quàm imperium Chriſti & patris dextra patet, quæ hanc uniuerſitatem rerum ambit atque complectitur in Meſſia & per Meſſiam benedictum, qui adimplet omnia in omnibus. Atq; hunc glorioſum ſtatum Chriſti celebrans Hanna in hoc oraculari carmine canit: Attollet Chriſti ſui cornu.

Chriſti ſui.) qui eſt Ieſus filius Dei unigena ſeruator mũdi regali & ſacerdotali ſacri ſpiritus unctione ſine menſura & modo delibutus. Et is unctus ac Meſſias Dei uocatur, quẽ amplitudine & maieſtate potentiæ & ſapiẽtiæ æquet nomen filij Dei, nomẽ Domini cœli & terræ, cui ſupera, terreſtria, infera genua flectãt, ſortitus. quò pertinet cõfeſsio hæc Petri Meſſia glorioſa et nobis ſalutaris: Tu es ille Chriſtus filius Dei uiuentis. Nam in hac confeſsione duo continentur nobis ſalutem conficientia: unũ, eſt quòd eum Chriſtum confitetur, in quo plenitudinem ſacri ſpiritus, è qua nobis ut membris corporis ſui ſuũ cuiq; ſpiritus modum ad ueram probitatem, uitam & gloriam impertiat, agnoſcit reſidere: alterum eſt, quòd eum filium Dei uiuentis confirmat, in quo, quoniam eum parem patri ſapientia, potentia, & gloriæ maieſtate, omnium nimirum bonorum eius, ut filium unigenam, hæredem confitetur. Significat eos qui in eius coniunctione & conſortio ſunt per regenerationem cohæredes eius fore uictores omnium aduerſarum poteſtatum. Hunc illud Apoſtoli plenum conſolatione: Quòd ſi filios, etiam hæredes, hæredes inquam Dei, Chriſti autem cohæredes.

Porrò filij Eli.) Narratur rebellio filiorum Eli, ad explicandam occaſionem finiendi imperij iudicum, & inchoandæ regiæ poteſtatis. de qua ſuo loco mentio fiet. In uitijs autem filiorum Eli primò contemptio legum ipſius ſacerdotij: deinde ſtupra, tertiò paternæ admonitionis deſpectio, poſtremò eorum interitus memoratur, ſeuero Dei iudicio propter flagitia eis illatus. De ſingulis ordine ex ipſo ſcripto.

Filij Belial.) Vniuerſum uitiorum genus primò proponitur, mox partibus ſuis explicandum.

Neſcientes Dominum.) Exprobratur deſpectio legis diuinæ, fons & origo omniũ ſcelerum. Hos Domini leges & iura deſpectui habuiſſe. Pro לֹא ידעו igitur Paraphraſtes uertit: לא חוו ידעין למירחל קרם יי. Sacerdotis munus erat docere populum legem Dei, arbitrum gerere inter ipſum & Deum precando & ſacrificando, ſed hoc munere prætermiſſo, Deum contempſerunt, & populi ſalutem per auaritiam neglexerunt. de quo ſequitur:

Neq; officium ſacerdotum.) Interpres repetit negationem לא quod ſæpe accidit. Alij in hunc modum: Eli filios ſacerdotij ius contrario Moſaico uſurpaſſe, ut cum aliquis offerret, &c. Notatur deteſtabilis omnia uaſtans libido et auaritia. Quã ut ſacrificuli ficticij in beſtiæ regno ſatis noto imitentur eccleſia Chriſti miſerè à filio perdito pfanata, magno ſuo malo experitur.

Dũ coquerent carnes.) חשלמים, hoc eſt uictimæ de ſalute. de qua cum pectus & armus ex lege Moſaica ſacerdoti cederet, puer etiam de reliqua carne, quæ offerentibus debebatur, undecunq; libuiſſet, tollebat.

Antequam adolerent adipem.) cõtra legem de qua in Leuitico, qua cauebatur ne prius ſacerdos ſuam partem acciperet, quàm ſparſus ſanguis & adeps crematus igni eſſet.

Alioqui tollam ui.) Tyrannis notatur quæ hanc ſententiam in animo & ore geſtat: Sic uolo ſic iubeo ſit pro ratione uoluntas. Itaq; ut ea quæ ui fiunt neq; in natura, neq; in ipſis imperijs ſunt diuturna, ita multominus uim religio tolerat, ut argumento ſunt hic filij Eli, & idem breui experietur ipſe Antichriſtus euangelio quod aboleat uim intentans. Quæ eius principis æterna & inuiolabilis lex eſt, qui in omnia ſupera & infera imperium habet.

Erat ergo peccatum puerorum.) Delictorum magnitudo à personis eorum qui delinquunt, ab ijs in quos delinquitur, & à damno quod infertur, æstimatur. A' singulis his ponderatur criminis filiorum Eli grauitas. Si personas horum consideres, sacerdotes fuerunt, quorum munus quanto amplius erat, tanto eius neglectio detestabilior fuit: sin eos consideres in quos peccatum est, occurrit maiestas diuina, in quam spretis eius sacris deliquisse hic Eli filij leguntur, occurrunt item Israelitæ diuini fœderis consortes, quorũ sacrificia quibus placaretur eorum Deus, ritè non tractata in ipsa historia narratur. Postremò damnum si æstimes, non leue hic agitur, siue contemptam religionem communi reip. clade, siue conscientiarum ludificationem, siue fraudem in direpta sacrificiorum parte, spectes. Ex contrario autem sacrificiorum usu quantum illatum sit damnum, discere licet. Qui in expianda noxa, in placanda ira diuina, in gratiarum actione, & publica beneficiorũ celebratione, in adumbrando sacrificio sacrosancto Iesu Christo, cernebatur. Hunc usum filij Eli sacerdotis euertebant. Rectè ergo hic eorũ crimen his uerbis exaggeratur. Erat ergo peccatum puerorum grande. Sed coram quo erat grande? Sequitur:

Coram Domino.) Sunt quorum per hypocrisin scelera apud homines teguntur, & pro uirtutibus habentur, secus Deus habet. Aliud igitur est corã Deo, aliud corã homine delinquere.

Sacrificio Domini.) מנחת fertur generatim hic pro sacrificijs. Itaque Paraphrastes קורבנא.

Ephodo lineo.) Duo genera Ephodi fuerunt. alterum summi pontificis, ex auro hyacintho, purpura, coccoq; bis tincto, & byssо retorta contextum. Alterum ex lino factum cæterorum sacerdotum & Leuitarum, quo in sacro ministerio utebantur, commune fuit. Infrà in hoc libro octogintaquinq; sacerdotales uiros ephodo lineo indutos à Saulo occisos legitur.

Et benedixit Eli.) pro munere sacerdotali. de quo apud Mosem, ubi quid inter benedictionem qua Mosæus sacerdos, & inter eam qua Iesus Christus sacerdos benedicit, interfit, explicatur.

Visitauitq; ergo Dominus.) præstans promissum quod est in loco פקר. sic in Genesi: Visitauit Deus Saram, memor uidelicet promissæ sobolis.

Quomodo dormiebant cum mulieribus.) Is est fructus contemptus legis diuinæ, & rebellionis aduersus legitimam muneris à Deo impositi administrationem: auaritia, ambitio, stupra parentum despectio. Intueamur filij perditi in ambitiosis & auaris sacrificulis regnũ.

Quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.) De mulieribus narratur hic, ut instar exercitus ad tabernaculum uel orandi, uel à partu ex lege Mosaica sacrificia sua offerendi cõ fluxerint, atq; id esse צבאות. De ritu autem post expletum purificationis tempus, offerendi agnũ pro holocausto, & pullum columbæ siue turturem pro piaculari hostia, uideris in Leuitico. ut hic צבאות tribuitur mulieribus, sic etiam de Leuitis in Numeris legitur יבוא לצבא צבא. Similiter de mulieribus ad tabernaculi ostium instar exercitus excubantibus, ac quasi militantibus in Exodo אשר צבאו פתח אהל.

Ad ostium tabernaculi.) in tabernaculum non ingredientibus mulieribus.

Quare facitis.) Reprehensio filiorum, sed leuior quàm pro flagitijs eorum, quos non tam blanda appellatione reprehendere, sed carcere, uerberibus, gladio plectere Eli pro autoritate iudicis conueniebat, & quibus rebus Pontificem clarum esse decebat in Hoschene Vrim & Thumim admoneri potuit.

Vt transgredi faciatis populum.) quem doctrina legis in pietatis officio retinere oportebat. de quo munere illud: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius. Magistratus igitur & sacerdotes officium suum non facientes, duplex crimen admittunt, alterum in se, alterum in eos quibus præsunt. qui si quid delinquunt, illorum uitio delinquunt. Hic enum legimus: Vt transgredi faciatis populum Domini.

Populum Domini.) cum eo sacro fœdere iunctum ad honestatem, non ad turpitudinem uitæ. Magnitudo sceleris à persona eorum qui ad nequitiam abducuntur, amplificatur. ideo sequitur:

Si peccauerit uir in uirum.) A' magnitudine noxæ, quæ temerè expiabilis non sit, reprehensio. Tectè duplex delictorum genus, de quo iudex ipse Messias apud Matthæum meminit, indicat: altero in homines, altero in Deũ delinqui. In hunc delinqui, cum eius doctrina scienter reprobatur, ut fuit à filijs Eli reprobata: tunc arbitro ac pacificatori locum non esse, qui reum iudici Deo conciliet, ut qui nisi colatur uerbum eius, placari nequeat. Itaq; quod Christus sacerdos noui fœderis peccatũ in spiritũ sanctum qui doctri-

doctrinæ & uerbi Dei spiritus est, uocat, id mysticus sacerdos Eli peccatum in Deum hic nominat. Delinqui autem in hominem, intelligitur, cum non palàm, reiecto uerbo Dei, eius que cultu, & contrario cõtumaciter suscepto, delinquimus, sed impulsu uitiositatis innatæ alterum lædimus. Huius generis peccata uel imposita à iudice mulcta, uel sacerdotis precatione & sacrificijs piacularibus in uetere fœdere expiabantur: in nouo uerò, arbitri Christi sacerdotis intercessione per piacularem sanguinem eius lustrantur. Contemptus uerò uerbi Dei qui obstinatè fit, & prudenter, nullo tempore ad placandum Deum corrigitur. Quale crimen hic in filijs Eli, & tempore Messiæ in Phærisæis & doctoribus legis Mosaicæ, et nostris seculis in Antichristo & eius defensoribus hypocritis cernitur.

Quis pro eo orabit.) in loco יתפללו est disceptare, arbitrum agere. Itaq; sunt qui sic reddũt: מי יבוגר למשפט pro מי יתעלל בעבורו עם חשם יתעלה, id est, Quis uenietpro eo in iudicium cum Deo: hoc est, Quis arbitrum aget & disceptatorem? Noster Græcos sequitur, qui uertunt, τίς πρεσβεύσεται. Similiter Paraphrastes Chaldæus.

Et non audierunt uocẽ patris sui.) qui similes illis essent, de quibus sacerdos Messias: Vos non auditis, quia ex Deo non estis. & tales cum essent, sequitur de sententia diuina:

Voluit Dominus occidere illos.) ut destinatos exitio, ea Dei uoluntate de qua illud: Deus quorum uult miseretur, & quos uult indurat. Sed dicas, quomodo Deus uoluit interficere filios Eli, qui de se dicat: Nolo mortem peccatoris? Ad pœnitentiam scelerum aspirantes Dominus perdere non uult, sed seruare, ut uiuant. sicut legimus apud eundem uatem: Si impius auersus fuerit à delictis suis, feceritq; rectè & iustè, certò uiuet, & non morietur. Contrà filij Eli se gesserunt, qui ad frugem meliorem redire noluerunt. Scribitur enim hic: Et patri dicto audientes non fuerunt. Dicas, tradi hic, illos non quia nõ obedierunt patri, interijsse: sed quia Deus statuerit eos occidere, non obedijsse: igitur potius uolũtas Dei interitus impiorum causa uidebitur esse, quàm nolle pœnitentiam agere. Vt salutis, sic etiam interitus duplex causa est: altera prima, altera secundaria & media. si prima spectetur, sicut intelligimus ex sacris literis, non ideo quenquam amari à Deo ut seruetur, quia ipse prior amet, & bene per fidem de diuina misericordia sentiat, sed quia à Deo ametur, ab ipso amari Deum & ei credi, ut uiuat & seruetur. Stat enim illud: In hoc est charitas Dei, non quòd dilexerimus eum, sed quòd ipse dilexerit nos. Sicut inquã cognoscimus ex sacra scriptura, in ratione salutis conficiendæ amorem Dei omnia in nobis antecedere, nos ipsos, fidem, amorem, pœnitentiam, rectéq; facta: ita in ratione interitus eorum qui perituri sint, expediendi, reprobatione Dei, ipsos impios & eorum perfidiam, rebellionem & scelera præuerti. ut accipiamus, nõ ideo primò impios reprobari, quia perfidi sunt & rebelles, si prima causa spectetur: sed quia reprobãtur ab æterno, & quia eos ante conditum mundum præscierit Deus perdendos, rebelles eos suo tempore euadere, & pœnitentiam aspernari. Atque id ipsum esse quod hic de filijs Eli proditum est: Non obtemperarunt patri, quia Deus uoluit eos occidere. Prima igitur interitus impiorum causa, uoluntas Dei est: media, contemptus Dei, & in flagitijs contumacia pœnitentiam omnem excutiẽs. Huc pertinet illa sententia suprà citata: Deus quẽ uult miseratur, & quem uult indurat. & de Iacobo & Esao: Antequam fecissent quippiam boni & mali. &c. Sed de hoc argumento aliàs, in Exodo uidelicet, ubi indurationis causæ explicantur, uberius & copiosius dictum est. Pergamus.

Puer autem Samuel proficiebat.) progressus & ætatis & uirtutis faciens.

Tam Domino.) probos amanti, improbos odienti: ut exemplo hic filij Eli sunt, quibus sacra narratio per contentionẽ Samuelem opponit.

Quàm hominibus.) probis, ut uiuis in terra simulachris.

Venit autem uir Dei.) Quis is uir diuinus fuerit, incertum est. Sunt qui putent Elcanam fuisse, patrem Samuelis, quẽ in prophetis numerant. alij Phinehah: alij alium fuisse autumant.

Domui patris tui.) Aaroni & Mosæ, prophetis Israelitarum in Aegypto ad Pharaonẽ. Exprobratur ingratitudo in prætermisso sacerdotij munere olim Aaronis familiæ commendato.

Vt ascenderet super altare.) In uerbo לזבוח pro לזבוח, notatur holocaustorum immolatio.

Quare calce abiecistis.) Non leuis contemptus significatur in uerbo תבעטו, sed talis, qualis est in ijs qui, quæ aspernantur, pedibus conculcant.

Et magis honorasti filios tuos ẽ me.) Commisit igitur primò Eli contra primam legem, Deum præ omnibus non diligens: deinde quòd munus parentis in castigandis liberis negle

xit.demum, quòd officium Pontificis in sacris sacerdotij seruandis nõ fecit.sicut hic legimus:Quare conculcatis sacrificia mea?Itaq; exemplum Eli docet, primæ legis neglectionem omnium criminum,quæ in reliquas leges committuntur, fontem esse & originem.

Propterea ait Dominus.) Exemplum seueri iudicij Dei in Eli, eiusq; liberos,& eorũ posteros.Eli senex conturbatus tristi de arca à Palæstinis capta nuncio,de sella retrò lapsus, subitò obijt, filij præmatura morte extincti: posteri sacerdotali dignitate priuati. Tantũ crimen est,nimium indulgendo liberis, munus suum negligenter curare, Dei amore liberorum amori posthabito. Impleri hic legimus id de quo Dominus apud Mosem:Vindicabo parentum culpam in nepotes & pronepotes.

Vt domus tua.) de Eleazari genere sacerdotio in familiam tuam translato. Cur autem translatum sit, sacræ literæ non ostendunt: neq; alio loco quàm hoc ipso legimus quicquam de promisso sacerdotio Eli ex Ithamare Aaronis filio nato.Eleazaro aũt sacerdotium cõmendatum in Numeris traditur.Sed uerisimile est, ut interpretes uolunt,tempore illo quo Israelitæ ἀναρχοι uixerunt,sacerdotibus de familia Eleazari indiligẽter officium suũ obeuntibus, ad Ithamaris domũ sacerdotij functionem peruenisse.Quæ in illa tãtisper maneret, dum bene se gereret: tolleretur autem,si malè. Malè aũt omnino se gesserunt filij Eli,ut interirent,& ita sacerdotium Eleazari familiæ restitueretur.cui semel istud promissum fuerat,& in Pinehas filio confirmatum,quod posteris eius firmum permaneret. Sic enim de Pinehas in Numeris literis proditũ est:Ecce do ei pacẽ fœderis mei,& erit tam ipsi q̃ semini eius pactũ sacerdotij sempiternũ.Aliter igitur Eli familiæ, aliter Pinehas sacerdotium promissum accipimus. Alteri, si bene se gereret, sed quem intelligeret pro præscientia sua se malè gesturum:alteri uerò, quia semel apud posteros eius sacerdotium mansurum statuerat,prouidit etiam ut posteri eius probi forent,& apti qui promisso fungerentur sacerdotio.De Eli igitur liberis legimus: Non dicto audientes fuerunt patri suo. De Pinehas autem posteris:Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem.

Absit hoc à me.) Dei igitur decreta & promissa irrita fiunt?Absit. præstat quidem promissa sua Deus, sed bene se gerentibus,non malè. Alijs enim quàm per fidem bene se gesturis, promissa diuina non præstantur.Dicas:Promissa igitur nostris factis nituntur & confirmantur,cum non præstentur nisi credentibus, & per fidem diuinæ uoluntati obtemperantibus. Si ita, ubi igitur gratiæ erit locus? Stat enim illud:Quòd si per gratiam,non iam ex operibus. Antecedunt promissa Dei,fidem & rectè facta: sed ita, ut sicut Deus promittit salutem, quam nobis sit daturus, ita etiam prouideat ea quibus promissam salutem expediat,fidem,& fide communicatam rectè faciendi probitatem,quæ est diuina uis spiritus amoris:atq; ita in eandem beneuolentiam & gratiam cadunt diuinæ promissiones, fides, probitas, benefacta,salus.In promissis igitur ut salus ipsa continetur, ita in eisdem ea quibus salus conficitur, quoq; continentur. Hinc illa orta sunt: Dabo eis cor nouum: scribam legem meam in animis eorũ, ut diligant me, & ambulent in præceptis meis. Quare ut perditurus erat Dominus filios Eli, ita etiam eis quæ ad salutem comparandam, & eam retinendam pertinebant,fuerunt subtracta:& posteris Pinehas tributa. Omnia igitur in parandæ salute tanquam ad summã clementiæ diuinæ præstinantis,uocantis, iustificantis, & benefacta per iustificatos edentis spiritus sui ui, & tandem glorificantis,referuntur: ne quis in se, sed in solo Domino glorietur.

Quicunq; honorificauerit me.) fide per amorem mei,omnem mihi sapientiæ,potentiæ & bonitatis gloriam tribuens, & secundum me homini,uiuæ meæ imagini, salutaria procurans. Nam eodem amore quem fidei lux accendit,et Deus,et q eius cognatione tenẽtur,amãtur.

Erunt ignobiles.) ut accidisse Eli familiæ, infrà in historia Regum legimus.Salomon igitur repudiauit Abiathar, ne esset sacerdos Domini:ut impleretur sermo Domini,quem locutus est in domum Eli Silunte.Sententia tractatur contentione.Opponitur יקללו ipsi יכבד.

Ecce dies uenient.) Impletum hoc tempore Salomonis,quo deiecto de summo sacerdotio Abiathare,qui fuit de genere Eli:Zadocus de genere Eleazari pontifex creatus est.

Brachium tuum.) firmum & bene ualentem sobolem, & de ea sacerdotalis dignitatis robur.Sequitur enim:

Et non erit senex.)Maledictionis est,ut longior uita benedictionis. de qua illud: Timor Domini apponit dies.In sene apparet sacerdotem magnum notari.

Et uidebis æmulum.) Posteritas magno suo dolore, qualẽ inuidia & æmulatio interpares gloria & dignitate parit. Quoniam parentes in liberis & nepotibus quasi reuiuiscunt, dicitur

tur Eli uisurus æmulum. Itaq; Iesus Syrachus: Si obijt pater eius, perinde est ac si mortuus non esset. Nam sui similem reliquit superstitem.

In uniuersis prosperis Israel.) temporibus Salomonis, de cuius felici statu & Israelitarum illud: Habitabuntq; Iuda & Israel absque timore ullo.

Veruntamen non auferam.) eo maior futura æmulationis acerbitas. Eos quidem ministros aræ fore, sed ignobiles & inglorios, sacerdotio summo ad alios translato, quod eos uret & mordebit. Atq; id ipsum est hic in Hebræa lingua לבלות את עיניך. Quantus enim morbus sit inuidia, indicat is locus, & ille Salomonis: Putredo ossium inuidia.

Et magna pars morietur.) Videtur id impletum eo tempore, quo à Saulo octoginta sacerdotes in Nobe interfecti sunt.

In uno die morientur ambo.) à Palæstinis occisi.

Sacerdotem fidelem.) Si historiam spectes, occurrit Zadocus, qui sacerdotio fungi cœpit Dauidis, tempore cum Absalomum filium fugeret. Veluti infrà legimus: Et dixit rex ad Zadocum: Reporta arcam Dei in urbem. Veritas submota umbra in Messia sacerdote cernitur. cuius fides quanta sit, declarat illud: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Domum fidelem.) Fidelis sacerdotis fidelem familiam fore, hoc est firmam et stabilem. Nam tale in loco est apud Hebræos נאמן, ut apud Latinos fidele: ut fidelis materies buxi ad perpetuitatem, hoc est firma. Quot summos pontifices habuerit domus Zadoci, satis id ex Paralipomenõ libris manifestũ. Domus stabilis nostri pontificis sanctorũ ecclesia est, de qua illud: Ecclesia Dei uiuentis columna & stabilimentũ ueritatis.

Et ambulabit corã Christo meo.) ipse Zadocus coram Salomone rege, & posteris eius coram alijs regibus. Notatur ministerium sacerdotij, quod strenuè sit obiturus docendo & admonendo de lege Dei, & uoluntatem eius per Vrim & Thumim explicando. Sicut legimus de sacerdote Eleazaro in Numeris: Eleazar sacerdos consulet Dominum, ex cuius præscripto egrediatur & ingrediatur ipse et omnes filij Israel cum eo. Submoto typo Mosaici sacerdotij, in ipso Messia uerè sacerdotium cum regno coniunctum cernitur. Qui regio sacerdotio non in Hierosolyma terrena, sed cœlesti, sedens ad dextram Dei patris, fungitur, orans seriò pro sacerdotali munere, & suos quid agant spiritu docens, & eos pro regia potentia fortiter aduersus principatus tenebrarum defendens.

Vt oretur pro eo.) Adorandi uerbo להשתחות tectè uidetur significari dignitas rei sacerdotij Messiæ, de quo illud: Ac donauit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat. Alioqui obscurum non est, in uerbo hoc etiam honorem qui principibus uiris summisse tribuitur, significari.

Nummum argenteum.) Paraphrastes לְמַעֲרֶכֶת. In Hebræa igitur uoce uacat aleph.

Ad unam partem.) obolo & frusto panis contentos se fore, modò admittantur ac coaptentur ad quodcunq; sacerdotij ministerium, qui amplissimo sacerdotio abusi fuerant.

IN CAPVT III.

PRecios us.) Noto tropo, preciosum pro raro. nã rara in precio habentur. Vnde Samuelis uatis præstantia maior apparuit. Et obiter etiam tum mali Israelitarum status causa redditur, incolumem remp. prophetis & legis doctoribus tuentibus. Itaq; Iesaias cum uaticinaretur Israelitarum remp. collapsuram, inter cætera sic dicit: Auferam prophetam.

Manifesta.) נפרץ uerbum contrarium גדר est, quod clausum macerie est. à dissipata ac diruta sepe sumptus tropus: uelut intra sepem decretorum Dei clausa fuisse oracula diuina, non aperta & patefacta: sepem hanc inter Deum & Israelitas delictis facientibus, & aditum ad oracula claudentibus. De qua, separante Deum ab Israelitis maceria, uates Iesaias: Sed improbitas uestra separat Deum à uobis, & peccata uestra abscondunt uultum eius à uobis.

Lucernam Dei.) De lucernis candelabri loquitur, fulgẽtibus noctu in tabernaculo, usq; ad mane, de quarum paratione, & de candelabri materia, ornatu, situ in tabernaculo diuino, uideris in Exodo. Dormienti Samueli Deum locutum nõ mane iam exorta luce, sub quã lucernæ sacræ extingui solitæ sunt, ut uespere accendi. Splendẽte lucerna oracularis lux Dei illuxit Samueli, face cœlesti eũ illuminante, quæ de se prædicat: Ego sum lux uera, quæ in uero illi & cœlesti tabernaculo diuinitatis lucet. de quo illud: Habitabo in uobis. Hi sunt sancti qui ad cognitionẽ Dei illustrantur luce in tenebris emicante. de quibus apud Ioannem: Lux in tenebris lucet. Rursus eadem illa diuina lux, ut exortum est lumen (de qua apud eundem Ioannem: Nunc autem cum dicitis, Videmus, peccatũ uestrum manet) absconditur.

Cæterùm in uiſo Samuelis, locus, tempus & res ipſa cuius uiſum admonuit, animàduertenda fuerint. de ſingulis ex ipſo ſcripto.

Nec poterat uidere.) acutè. Similiter in Geneſi de Iacobo loquitur, לא יוכל לראות, & tamen ſequitur inibi ירא ישראל את פני יוסף.

Samuel aũt dormiebat in templo Domini.) Interpretum ſententia hæc pars ſuperiori adhæret: Atq; lucerna Dei nondum extincta in templo Domini. Non enim Samuelẽ in templo diuino, ſed in cubiculo adhærenti templo, ubi Leuitæ uerſabãtur, cuſtodientes ſacram Dei ædem, dormiiſſe uolunt. De quibus Leuitis his uerbis in Numeris: Excubabãt in cuſtodia tabernaculi teſtimonij. Hanc ſententiam expreßit Paraphraſtes Chald. his uerbis: ושמואל שביב בעורת ליואי וקלא אשתמיע מה בלא דיי והמן אריגא דיי.

Nec dum ſciebat Dominum.) oraculorem Domini rationẽ, qua erga uates ſuos utebatur. Hanc interpretationem præbent ſequentia uerba. Hic diſcimus, bipartitã Dei eſſe cognitionem: alteram religionis, alteram propheticam, hoc eſt, uoluntatis diuinæ de rebus futuris patefactionem. Illa omnibus pijs communis eſt, hæc prophetarum propria.

Venitq; Dominus & ſtetit.) Apparet intelligendum, per angelum ueniſſe, & aſtitiſſe pro more ueteris fœderis, in quo per angelos ſolitus eſt cum ſuis loqui, ut per filium pro ratione noui fœderis apertius & clarius loquitur, ut eſt in epiſtola ad Hebræos: & pij ipſi per ſpiritũ adoptionis, qui clarè in pectoribus noſtris loquentis patris Dei ſpiritus eſt.

Ecce ego facio uerbum.) Captiuitas arcæ ſignificatur. Explicãtur quæ uiſo cõtinentur.

Tinniẽt aures.) Tropus de ſtupore, quo Iſraelitæ de capta arca à præputiatis, ſint corripiendi.

Iudicaturus eſſem.) ultionẽ de ea ſumpturus. Tale eſt שפט Hebræis in loco. Itaque Chaldæus מית פרע. Quare in ſacra lingua שפט interdum eſt uindicare à malis ac defendere, interdum damnare & punire: quòd iudicũ ſententijs boni defendantur, & mali puniantur.

Propter iniquitatem.) & ſuam & liberorum. Mali igitur parentes cum liberis flagitioſis per indulgentiam ſuam pereunt, ut boni per ſeueritatem diſciplinæ, cũ ſanctè educatis liberis ſeruãtur, ut ſapiẽter filius Syrachi admonet: Qui diligit filium ſuũ, frequẽtat flagella, ut lætetur ad extremũ. Sed ſunt liberi rebelles, quos parentum uerbera non emendant. hi ſuis in peccatis pereũt, patrẽ defendente diligẽtia corrigẽdi, ut eſt apud Ezechielem: Pater improbitatẽ filij nõ portabit.

Eo quòd nouerit.) crimina amplificãte ſcientia, ſi ſciẽter & cogitato ſint cõmiſſa. Augebat etiã Eli culpã uitæ cõditio, q̃ põtifex eſſet et iudex.

Indignè agere filios ſuos.) Sunt qui in מית קללים להם, Græcos ſequentes uertunt, καὶ ὁλογῶν τῶν θεοῦ, pro לי legi putãt. Alij de Iſraelitis accipiunt, qui maledixerint filijs Eli propter ſtuprum mulieribus ante tabernaculum excubantibus illatum, & per uim uictimarũ partem ablatam.

Et non corripuerit eos.) ſeriò & in tempore. Suprà leguntur quidem reprehenſi à parente, ſed iam ſene, & nõ pro criminibus ſeuere. Quare Ioſua filius Syrachi rectè monet, cũ dicit: Curua ceruicẽ eius in iuuẽtute, & tunde latera eius dum infans eſt, ne fortè obſtirmatus non credat tibi. Locus de diſciplina domeſtica, qualis parentum in liberos eſſe debeat, memorabilis: quo continentur etiam magiſtratus, paſtores eccleſiarum, doctores literarum, ac morum magiſtri.

Quòd non expietur iniquitas.) ex ſententia etiam Eli, quæ ſuprà expoſita eſt.

Victimis & muneribus.) Hinc crebra illa de impiorũ hoſtijs apud prophetas: Ne offeratis mihi ultra ſacrificium fruſtra. Item: Victimæ impiorũ abominabiles Domino. Exẽplo Cain & hic liberi Eli ſacerdotis. Cõtra uerò piorum ſacrificia Deo probantur. Exemplo Abel, Noa, Abrahamus, & reliqui pij, qui ante legem & ſub lege uixerunt, homines. Submota umbra legaliũ uictimarum, nec Chriſtus uictima omniũ improbitatẽ expiat, ſed eorũ de quib. illud: Quotquot aũt receperunt eũ, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelicet his qui credidiſſent in nomen ipſius.

Aperuitq; oſtia domus Domini.) ſacerdos.

Timebat indicare.) ut durum & aſperum oraculum, qui noſſet illud: Veritas odium parit. & qui cognitum teneret quanta eſſet Pontificis autoritas, & filiorum eius libido & tyrannis. Sed uicit humanum metum diuinus oraculum lucis ſpiritus, cui mundus & omnis in mundo potentia ſubiecta ſunt.

Dominus eſt.) ius ſeruandi & perdendi habens. Digna cõfeßio in Põtifice, & ad præſens neceſſaria, non quidem ad declinandam ſententiam Dei iam in domum eius pronunciatam, ſed ad cauendum iudicium alterius ſeculi. de quo Salomon

nõ meminit tectis in Ecclesiaste uerbis: בי עת לכל חפץ ועל כל מעשה שם.

In oculis eius.) non meis, & meorũ. Agnoscit Pontifex alios Deo, alios homini esse oculos. Illos iustos, hos iniustos: alteros sanos & integros, alteros uitiosos.

Et Dominus erat cum eo.) Messiæ spiritus eius animum, os, facta regens.

IN CAPVT IIII.

ET euenit sermo Samuelis.) Sunt qui hæc uerba sequentibus annectunt, hũc in modum ea interpretantes, à Samuele iussos Israelitas aduersus Palæstinos bellum gerere, quo filij Eli, ut prædictum fuerat, interficerentur. legi enim hic: Sermo à Samuele habitus est ad omnes Israelitas. non autem uideri alia de re eum habitum, quàm de ea de qua subiungitur in hæc uerba: Et egressus est Israel. Neq; uerò egressos Israelitas ut perirent, sed ut castigati uno atq; altero prælio, tandem excusso iugo seruitutis uictores euaderent. Sicut etiam suprà eos bello Beniamitas adoriri iussos legimus, non in quo statim, sed tandem suo tempore in decretis diuinis prouisam uictoriam emendati referrent. Alij aliter, qui tradunt temerè sine responso Dei Palæstinis ab Israelitis bellum illatum. & hæc uerba, Habuit Samuel uerba ad Israelitas, ad superiora pertinere. Huius sententiæ est noster interpres. Quæ autem causa fuerit suscepti belli aduersus Palæstinos, signatè non explicatur. At si uerè iudicare licet duplex causa assignabitur: una antecedens & prima occurrit quæ uoluntas Dei est, cui semel Eli filios & populum propter delicta decreta displacuerit afficere: altera proxima, quæ in crimine cernitur: utri uerò alteris bellũ priores cœperint inferre, in historia non indicatur. Vsus autem & finis suscepti belli, si uoluntatem Dei spectes, reuocatio populi erat ad meliorem frugem, quæ rebus aduersis conficitur, secundis & prosperis impeditur. Non igitur suo malo, sed bono sacer populus Palæstinos sibi infestos habuit hostes. De quo sæpe suprà in libro Iudicum. Vexatus enim fuit is, ut tandem sub Dauide longè lateq; Palæstinis, Chananæis, Moabitis, Ammonitis, Idumæis, Amalechitis et Syris usq; ad Euphratem imperaret. Ad has uictorias cõparandas Dei bonitas per Samuelem aditum, ut ex ipsa narratione cognoscemus, patefacere uoluit.

Iuxta lapidem adiutorij.) Per anticipationem locus, sic appellatus à posteriori pugna per Samuelem aduersus Palæstinos feliciter gesta.

In Aphec.) Tribus Iudææ urbs est, de qua apud Iosuam.

Quare percussit nos Dominus.) circumcisionis fœdere sibi iunctos.

Coram Philistæis.) præputiatis, hostibus & domini & nostris. Admiratio populi non interiorem Dei cultum & ueras fœderis leges considerantis. Quæ in fide, amore Dei, & proximi, in q; Dei pœnitentia criminum uersantur. Eadem admiratio hodie in ecclesia cernitur, cum uident hostibus suis aduersus se pleraq; feliciter cedere. Quod cum faciunt, non cogitant à cultoribus euangelij Deum in filio Messia stare, qui non ore crepant euangelium & tota uita exprimunt Sardanapalos & Epicuros, sed qui illud prælucente fidei face animo spirant, ore contra mundi potestates constanter confitentur, benefactis ostendunt atq; declarant. Non igitur proderit iactare sine pœnitentia & studio mutandæ uitæ in melius nomina populi Dei, baptismum, cœnam sacram: sed magis oberit: ut Israelitis nõ profuit, sed obfuit, citra fidem & amorem numinis diuini legem, arcam, propitiatorium, cherubim, tabernaculum ostentare. Quos arca oracularis tãtum abfuit ut defenderet, ut etiam ea in castra allata maiore clade affecti sint, quàm acceperũt, illa ipsa etiam capta, qua sine pœnitentia & fide considerãt, quos considere oportebat ei qui propitiatorio arcæ repræsentabatur, qui est Messias benedictus cœleste propitiatorium, cœlestem arcã ecclesiam, legem uiuam: hoc est spiritum sacrum in pectore gerentem, contegens, ac eam aduersus peccatum, mortem, infernum, aduersus principatum peccati & mortis defendens.

De Silo arcam fœderis Domini.) De qua his uerbis in Numeris: Cum arca proficiscebatur, dicebat Moses: Exurge Domine, et dissipentur hostes tui, fugentur à te osores tui.

Et saluet nos.) Conuertunt mentem ad arcam è lignis factam, neglecto conditore uniuersitatis. Qui inter cherubim super propitiatorium residens eos exaudit. de quibus uate: Deus preces iustorum exaudit, non rebellium & perfidorum.

Vociferatus est.) הרועה, id est iubili clamore, sed ad uictoriam inutili, ut pœnitentia non tincto. cuius clamor nõ solum castra implet, sed etiam per nubes penetrans in cœlum, ipsum thronum Dei.

Timueruntq; Philistiim.) metũ hunc nõ amore, sed seueritate iudicij diuini tot ostentis declarari, afferente. Sic metuit Pharao, sic Chananæ

nanæae gentes, sic cæteri uicini hostes. Sic etiam Satan cum suis dæmonibus metuunt Deum Israelitarum & iudicem Dominum Messiam, ut ex Euangelista cognoscimus & ex illo: Dæmones credũt & cõtremiscunt, sed quid efficit is metus in alienis à rep. Dei? efficit sanè ut arcam per huiusmodi metum crudelius persequantur deteriores eo metu redditi, non meliores, ut mox liquidum fiet.

Qui percusserunt Aegyptum omni plaga in deserto.) Quidam asyndetum uitant inserta coniunctione: Qui percusserunt Aegyptios in Aegypto cum omni plagarum genere, & eosdem in solitudine in mari rubro deleto Pharaone cum exercitu extinxerunt. Sunt quibus מדבר non solitudo, sed uerbum est. Aegyptios uerbo Dei per Mosem & Aaronem cæsos. Citant similem locum ex Cantico Salomonio: ומדבר נאמיר.

Confortamini & estote uiri.) Hortatio locis honestatis ciuilis & utilitatis munita, natura abhorrentibus cunctis à seruitute, & amantibus libertatem. Quantum enim malum sit seruitus, sciunt hi qui ea premuntur, olim experti pacem quæ uerè dicitur trãquilla libertas. De seruitute igitur rectè Græcus uates:

ὦ ὦ δ' ὅλῃ ὡς κακὸν ϖεφυκέναι,
ϖολμᾶθ' ἃ μὴ χρὴ τῆι βίᾳ νικώμενον.

Ne seruiatis Hebræis.) Existimarunt seruitutem extremum malorum esse, igni & ferro abarcendum: potiusq; cum dignitate cadendũ, quàm cum ignominia in seruitute uiuendum, sed cum hæc animo agitarent, minimè cogitarunt de sententia diuina qua semel esse ut ad seruitutẽ destinati, eorũ ditio per Iosuam Hebræis distributa.

Et arca Dei capta est.) occisis sacerdotibus, quorum culpa tanta clade Israelitica respublica affecta fuit. Submoto uelo, quid hæc captuitas arcæ & eius ad præputiatos translatio figurarit, cognosci potest ex illo Apostoli: Adeò ut in templo Dei sedeat, ostentans seipsum esse numen Dei. Ad hunc præputiatum Palæstinum capitalem Messiæ & ecclesiæ hostem ut arca ecclesia translata sit, & quãto iam tempore in templo Dagonis misèrè deturpata uersetur, satis hodie res ipsa docet etiam sine interprete.

Duo quoq; filij Eli mortui sunt.) Hos neq; sacerdotio, neq; arca quo minus perirẽt, defendente, Deo non externam speciem, néue dignitatis, néue cultus sui, sed animos, fidem & timorem nominis sui respiciente.

Conscissa uestę.) Is deplorantium miserum statum habitus erat, cui scissa ac lacera uestis & terræ puluere caput conspersum conueniebat. Lacera uestis animi planctu lacerati, puluis terræ originis humani generis ex terra orti, & in terram conuertendi admonebat.

Pro arca Dei.) qui intelligeret sacerdotij dignitatem, & populi salutem ex diuino splendore ad arcam præsente pendère.

Et oculi eius caligauerant.) כהה standi uerbum pro caligabant, noto tropo, quòd absumpto humore oculi obrigentes, & in profundo subsidentes caligent. Similiter infrà legitur: וקמו עיניו.

Qui nunciabat.) Ex hoc loco liquidum fit מבשר dici de eo qui siue aduersa, siue felicia nunciat, latius ergo patet quàm εὐαγγελίζειν apud Græcos. Nisi quis existimet uerbo מבשר diuinum spiritum usum propter lætum & salutarem tantæ cladis exitum, qui captam arcam & interfectos filios Eli consecutus est. ut Deus de more res salutares sine magnis motibus moliri non solet.

Fugit, inquit, Israel.) Ordine ad augendam cladem apto narrantur res gestæ. Primò enim populi, deinde liberorum, postremò arcæ improuisa & horrenda exponitur clades. Nam populus fœdere diuino, & Eli filij sacerdotio insignes erant, in arca autem legis tabulæ, Aaronis uirga, manna continebãtur. Adhæc arca propitiatorio tecta erat, ad quod diuina responsa dari, & placari Deus solebat.

Fractis ceruicibus.) Qui nimia indulgẽtia ceruices liberis dum pueri essent, nõ fregit, ut Deo obtemperarent, ipse fracta ceruice Deo pœnam persoluit. Rectè igitur Iesus Syrachi filius ait: Curua ceruicem filij tui in iuuentute. Hebræis קשה ceruix à crebris קרקים appellata.

Senex enim erat.) semo ad tales casus per imbecillitatem naturæ opportuno. Perniciem etiam terrorem subitum atq; dolorem reddidit oraculum diuinum, quo ipsi Eli exitium destinatum fuerat. Atq; hæc uis est responsorum oracularium ad maturandam cladem ijs qua Deus improbos afficere decreuit.

Nurus aũt eius uxor.) Omnia hic sunt tragica. Quæ ostendunt quale sit stipendium & præmium peccati prouidentia diuina ad res absconditas significandas prouisum. Erat tempus in tabulis decretorum Dei consignatũ de gloria Mosaici sacerdotij abroganda, & ueri sacerdotij gloria alteri, hoc est cœlesti sacerdoti Messiæ assignãda. Hũc nobis figura quadã à Zadoco, q ex

Eleazari

Eleazari familia procreandus erat, diuinæ sapientiæ adumbrari placuit, ut sacerdotium abolendũ eidem illi uisum est figurare in sacerdotio Eli. Itaque quemadmodum tempore nouissimo, quo legale sacerdotium finiendum erat, atq; transferendũ in nouum sacerdotem Messiam, magni horrendiq; motus in Israelitica gente extiterunt, dum hæc partim trucidatur, partim exilio mulctatur, templum incenditur, Hierosolyma uastatur, gloria legis cultusq; omnis exterior aboletur sic umbra quadã hæc ipsa nouissima tẽpora in hoc misero et luctuoso casu qui hic narratur, exhibita uidemus. Eli sacerdotio translato, arca capta, liberis cæsis, nuru ecclesiã legalẽ nobis figurante ex partu diffi cili cum hac lamẽtatione extincta: Translata est gloria ab Israel, eo quòd capta est arca. Is est exitus gloriæ, quæ in uetere sacerdotio et cultu legis externo cernitur, ut gloria & maiestas locum inueniat apud eum de quo mystice in hac historia: Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui omnia ex animo & sententia mea gerat.

Prægnans erat, uicinaq; partui.) in ללת tradunt interpretes desiderari Daleth literam, atq; poni pro לרת. Itaque Paraphrastes: לְמֵילַל. Sunt qui in hunc modum, uicinum erat tempus ad ululandũ, propter dolores imminentis partus, ut ללת uox decisa dicatur à uerbo ילל, eadem forma qua רדה à ירד deciditur.

Icabod.) אין כבוד pro אי כבוד uel pro אי־הכבוד.

IN CAPVT V.

PHilistini autem.) Narratur translatio captæ arcæ in templum Dagoni idolo Palæstinorum sacratum. In qua narratione uis arcæ oracularis & sanctitas, turpitudo & infirmitas fœdi idoli, profani populi, quem sacra arca nõ ferret, clades, eiusq; ratio, demum quid aurei podices & mures notent, considerandum fuerit. De quibus ordine ex ipso scripto.

In templum Dagon.) tanquam trophæum ac spolium ope Dagonis partum. Is erat contemptus arcæ diuinæ, sed uindicatus magno opprobrio Dagonis et malo Palæstinorum, ab eo de quo illud: Quis Deus præter Dominum? quis Deus præter Deum nostrum? Qui Palæstinos imitentur in regno bestiæ, satis manifestũ. In hoc enim uictores de capta arca, cum eius cultu dijs suis acceptam referunt, & illam in templis suorũ idolorum collocatam omnibus deridendam exponunt. At ut impunè id eis non sit futurum, declarat præsens historia præputiatorum illorum miserum casum mystice præfigurans. Cæterùm de Dagon idolo uideris in Iosua capite XXIIII.

Dagon iacebat pronus in terra.) ut terrenũ idolum, cœlestis numinis uim nullam habens.

Ante arcam Domini.) super eam residente qui exercituum Dominus uocatur, de quo suprà: Tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis inter Cherubim. Itaq; is qui deos Aegyptios legitur iudicasse, hoc est prostrauisse, hic quoq; Palæstinorum Dagonem in terram de sede sua deturbauit, ut pronus iaceret, qui antea erectus, sed omni ui carens steterat.

Et restituerunt eum in locum suũ.) Quem putarant alios iuuare posse, ipse ut iuuetur opus habet. Hæc est gloria deorũ quos præputiati colunt, & stulticia eos adorantium, de quibus satis falsè ut uerè uates: Pedes habent, & non ambulant. Vt hic in Dagone trunco inepto, qui se leuet, patet. Tales trunci sunt omnes dij, qui extra Christum præter & contra uerbum Dei adorantur: Genij, diui, sidera, sapientia, & iusticia humana, opes, potentia.

Dagon iacentem super faciem.) Talionis lege cum idolo turpi agitur. Hoc ipsum enim cum nec suum, nec suorũ, à quibus colebatur, uultum in cœlum leuare posset, meritò humi prostratum est, ad intelligendum deos profanarum gentium longè à ui numinis cœlestis abesse: & eos qui muta, surda atq; manca idola adorant, degenerare ab ea natura de qua uates latinus:

Pronaq; cum spectãt animantia cætera terrã,
Os homini sublime dedit, cœlũq; uidere, &c.

Caput autem Dagon.) Deus Palæstinorum capite & manibus priuatur. hoc est, totus inutilis ad opem ferendam declaratur. In capite enim principatus consilij & mentis, in manibus uis & facultas efficiendi quæ mens statuerit, cernitur.

Dagon solus truncus.) Similiter Paraphrastes: גרפית. Græci ῥάχις. In Hebræo quoniam דגון legitur, sunt qui arbitrantur idolum illud superiori parte hominis, ex quo hic legitur id duas manus habuisse, & inferiori parte piscis formam tenuisse. Et uerisimile est Palæstinos, qui ad mare mediterraneum habitarunt, procul dubiò mercaturam maritimam exercentes, Deum suum ad similitudinem partim piscium, partim hominũ effictum coluisse, ut idololatria omnis aquatiliũ, reptilium, quadrupedum, uolatiliũ atq; hominum formas persequitur contra diuinam à Mose traditam legem. de qua re uideris apud Apostolũ in epistola ad Romanos

Et percussit in secretiori parte.) punito uanissimo deo, populũ quoq; punire aggreditur, qui confisus uano uani idoli præsidio arcam sacrã cæpisset. Non autem leuis plaga notatur in תבבריר: sed grauis, ut quæ occultas podicis partes ficu morbo aut mariscis, aut, ut alij uolunt, dysenteria infestarit.

Non maneat arca.) hanc nec populo experte fœderis diuini, cuius tabulæ in arca seruabantur, nec terra profanata idolis, nec diis alienis à sedente super arcam damnatis, tolerantibus. Nam stat illud: Quod consortium Christi cum Belial? luce cum tenebris? Pernicio sum est ergo eius arcam, uerbum cultumq; capere uelle, qui eos à quibus putatur captus, capit, uastat, perdit. Similia euenient Palæstinis illis ueris, qui bestiam satis cognitam hodie adorant. Qui cum capta illa nõ terrena, sed cœlesti, sed peregrinante in terra arca arbitrantur se tempora & leges mutare posse, ab eo eo ipso qui tanquam propitiatorium arcã suam tuetur, in ipso cursu uictoriæ suæ uincẽtur, & uicti cum idolo suo uano exitialibus mariscis non podices & sedes, sed conscientias misere depascentibus, uexabuntur, in flammatione excitata ab eo, de cuius flammeo throno uates: Thronus eius ignis.

Quoniam dura manus eius.) Tria notantur hic. Vnum est, impios Deum quoq; cognoscere, sed tanquam iudicem, non patrem. Sic malefici Pharaonis Deum Israelitarum cognouerunt, cum dicerent: Ecce digitus Dei est hic: & Pharao dicens: Rogate pro me. sic impij dæmones duram manũ Dei sentientes dicunt: Quid rei nobis tecum est, Iesu fili Dei? uenisti huc ante tempus ad cruciandum nos? Alterum est, eum qui super arcam habitat, non Palæstinis præputiatis, sed Israelitis propositum esse quem ferant familiariter secum uersantem. Tertium, noticiã Dei quã lex format per iudicium peccati meliores non efficit, quo minus deos suos colere pergant, Dei, quẽ Israelitæ colunt, cultu suscepto, ut hæc quæ sequuntur uerba indicant.

Et super Dagon Deum nostrum.) Magnum insaniæ exemplum. Deum uenerari nõ cessant, quem sine spiritu & halitu inutile pondus & truncum humi iacentem uiderunt. Hæc est cæcitas eorum, qui cum Deum cognoscunt, eum tamen ut Deum non honestant. sed eius gloriam immortalem non solum ad mortalis hominis uerum etiam ad brutorum animantium similitudinem effictum, mutant. Cuius stultitiæ hic luculentum exemplum in Palæstinis cernitur. Quos qui in bestiæ regno referant, nõ est obscurum. qui sanè plures quam quos numeres deos colunt. Laurentium & Florianũ, qui domum abigni seruent: Antonium, qui ab igni sacro: Vrbanũ, ab ubere fructu uini quem afferat: Georgium, qui integros ex præliore ducat: Margaretã, ad tuendum puerperiũ. Iobum qui scabiem curet, Valentinũ, qui caducum morbum sanet: Sebastianũ et Rochũ, qui peste liberent: Leonardum, qui uincula eximat: & alios alias ob res.

Et circumduxerant arcam Dei.) non commoti clade Azotiorum, ut singulæ ciuitates Palæstinorum punirentur, quæ uniuersæ captæ arcæ autores fuissent.

IN CAPVT VI.

SAcerdotes & diuinos.) quibus oraculari arca apta non erat ex qua responsa acciperent, suorum deorũ sacerdotes & diuinos ex dæmonũ responsis futura prædicentes cõsulunt.

Pro peccato.) De אשם in Leuitico. Agnoscũt delicta sua: sed quam agnitionem pœnæ grauitas expresserit, non reuerentia Dei Israel. Infrà enim dicunt: Sin minus, intelligemus quòd manus eius nos non percusserit, sed casu acciderit. Ergo arcam cum podicibus & moribus tenandi, non uenerandi Deum Israelis studio dimiserunt, confessiq; sunt Deum Israelitarum ut Pharaonis confessus legitur in Exodo: Peccaui etiam nunc: Dominus iustus, ego uerò & populus meus impij. Itaq; qualis cognitio Dei in Palæstinis erat, talis quoq; pœnitentia & delictorum noticia in eis cernebatur. cæterùm אשם hic pro mulcta.

Curabimini.) corpore, animos diuini fœderis cum Israelitis iniit spiritu sanante, nulla alia uia.

Iuxta numerum prouinciarũ.) quæ quinq; fuerũt: Azotum, Getha, Caza, Ascalon, Accaron. (podicum.

Quinq; anos aureos.) propter cladem

Mures aureos.) propter depastas & eo sas fruges digna mulcta in circũcisis Palæstinis. Quæ porrò fœdior in corporibus natib. podice rentur, ex Mosaica lege patet. pars est? Vt mures in immundis animantib. nume

Et dabitis Deo Israel gloriam.) Nõ hæc fidei uox erat sequitur enim: Et à diis uestris & à terra uestra. quorum cultum laudata fides non tolerat.

Si fortè releuet manum suam.) ירקל contraria uox illi superiori רתבבר. Est igitur manus grauis, ad percutiendum est etiam leuis, ponderè supplicij minimè grauans. Hanc pœnitentib. scelerũ adhiberi, illã contumacib. intentari. Ideo sequitur: Quare

Qvare aggrauatis corda.) *ut depressorebellionis põdere minimè se in cœlum leuent ad placandam Deum, eius gloria diuinam arcam circumdante.*

Sicut aggrauauit Aegyptus.) *detinendo populum Israeliticum inuito eius Deo. Nota habent exempla potentiæ diuinæ pro Israelitis in Aegyptios edita, sed iudicio humano, non fidei expensa, quam submoto typo non in Palæstinis, reperias, sed in ijs de quibus Apostolus: Credide runt, quotquot ordinati erant in uitam.*

Non'ne postquam percussus est.) העלל est מיעשה השחה id est exitiali clade afficere. Sic in illo: התעלתי במצרים: אשר Notantur decẽ plagæ, Aegyptijs incussæ.

Facite plaustrum nouum.) *Plaustrũ nouum, & uaccæ expertes iugi arcæ sanctitati congruebant. Qua in re sacerdotes Palæstinorum legem Mosaicam imitantur.*

Et duas fœtas uaccas.) עלות *idem est quod lactantes. Habebant enim fœtus quos lactarent,* Qui עוללים *Hebraice uocantur. Duo hic deliguntur ad periculum faciendũ, num à diuinitate super arcam residente tanta clade affecti essent. Vnum lactantes uaccæ erant, si hæ ad fœtus suos redire non gestirent: alterum, si iugum cui assuetæ non erant, tolerarent. Ex his signis cognoscere uoluerunt, casũ ne an Dei Israelitarum manu ad arcam præsentis, tam perniciali malo infestati essẽt, ut sequitur: Sed casu accidit.*

Ibant autem in directum.) *eas gubernante cura diuina, quæ pro arca sua ad salutẽ gentis suæ excubabat, Dagõe inutili trũco dormiẽte.*

Et mugientes.) *ut apparet desiderio fœtuum, & hoc quamuis tenerentur, nihilominus tamen rectum iter seruabant, neq; ad dextram, neq; ad sinistram declinantes. Quod Dei prouidentiæ, non fortunæ & casus opus erat, diuinitatem arcæ & uanitatem Dagonis comprobans.*

Et satrapæ Philistinorum sequebãtur.) *ad uidendum quò ueheretur arca, & ubi consisteret. constitit aũt ut uenisset in fines Bethsamitarum, in agro Iosuæ Bethsamitæ: ultrà non progressa, terminũ præfigente eo, qui ad diuinam arcam præsens aderat. Atq; is quoniã gloriam suam per uaccas uerbo suo parentes patefacere uoluit, indicauit uerum id esse quod Apostoli ore posteris temporib. locutus est: Verùm quæ stulta sunt secundum mundum, delegit Deus, ut pudefaceret sapientes: & quæ erant imbecilla in mundo delegit Deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta. Sic pudefacti sunt principes Palæstinorum per infirmas uaccas, per quas Dei gloria & diuinitas tegens arcam ab illis & eorum sapientibus tentata fuit. Legimus hic restitutam arcam uaccarum ministerio Israelitis ab ijs à quibus capta fuerat. Idem postremis his temporibus eueniet, in quibus arca ecclesia electorum quoq; in magno motũ & conturbatione ab ipsis incircũcisis animo, labijs, manu & pedibus, quos miserè infestabit is, qui diuinam suam arcam non gladio terreno, non armis huius mundi, sed oris sui gladio, ministerio eorum qui peripsemata in mundo habentur, uindicabit. de quo uates: Spiritu oris sui interficiet impium. ut arca mystica non humanis armis, sed Dei fuit asserta, & in locum suũ restituta, cum magno arcæ & propitiatorij eam contegentis hostium opprobrio.*

Et gauisi sunt cum uidissent.) *ut dolore affecti fuerant ea amissa. Molestè dimittunt arcam Palæstini, cum gaudio uerò recipiũt eam Israelitæ. At horum gaudium uitio non carebat, q; gestientes contenti nõ fuerunt uidisse arcam, sed etiam interiora eius, contra legem, cõtemplari curiosius sunt ausi: idq; magno suo, ut iam narrabitur, malo.*

Vaccasq; imposuerunt.) *quæ plaustrum uexerant. Fœminam contra legem pro holocausto immolabãt, quod sacrificiũ mare cõficiebatur nõ fœmina, ut in Leuit. cernere licet. quare sunt q arbitrãtur à Palæstinis suas uaccas Deo Israelitarum immolatas.* (meris.

Leuitæ autem.) *ex officio, de quo in Nu*

Victimas.) *de salute restituta præter holocausta.*

Vsq; ad Abel magnum.) *Lapis à luctu nomen accepit in quo populus fuit tanta clade accepta, ut infrà legitur: Luxitq; populus. Nota enim est uox* ויתאבלו & אבל.

Quæ erat in die illa.) *Refertur relatio ad* אבן *hoc est ad lapidem, non ad arcam.*

Percussit autem Dominus.) *Exemplum insignis cladis propter temerè inspectã arcam cõtra legẽ. de quo in Numeris cap. 4 uideris.*

Eo quod uidissent arcam.) באורן *id est in arcam. patefactam apparet ab eis arcam ad contemplanda eius interiora. Quod propter sanctitatem eius erat piaculum.*

Septuaginta uiros.) *Hi numeri fuerint considerandi. De septuaginta iudicibus accipiũt.*

Quis poterit.) *Homo de terra terrenus.*

Stare.) *consistere quin corruat, impar nimirum cœlesti splendori uidendo, de quo sequitur:*

In conspectu.) *præsentis ad arcam.*

Domini Dei.) *natura, luce & potentiæ, & maiestatis gloria à terrenis lõgè remotissimi.*

Tria nomina Dei usurpant. unum Iehoua est, quo notatur Deus Israelitarum à se & sua natura Dominus omnium esse. alterum אלהים est, nomen Deo potentia & robore omnia domanti & maiestati suæ subijcienti cõgruens. Tertium קדוש est à sanctitate ei tributum, qui inuiolabilis sit & ab omni labe intactus. A' qua sanctitate quoniam homines in terra uersantes & ex ea geniti longè maximè absunt, hos scire illud expedit: Non uidebit me homo, & uiuet. Quod non expenderunt, qui interiora diuinæ arcæ rimari contemplando moliti sunt.

Cariathiarim.) urbe celebri in ditione Iudeæ tribus, de qua suprà in Iosua.

IN CAPVT VII.

ET reduxerunt arcam Domini.) quæ prius ab ipsius Iosuæ temporibus fuerat Silunte. Accidit igitur ob delicta filiorum Eli, ut reiecta Silunte arca, translata sit in Iudæam tribum, ut in eo loco tandẽ uersaretur, ubi regnaturus esset Dauid rex, indubitatam Messiæ regis figuram præferens: qui qua cura suam cœlestem arcam prosequatur, propitiatorij arcam cõtegentis, nomẽ declarat. Cæterùm celebrẽ fieri huius trãslationis arcæ mentionem, ex Dauidis Psalmis et Hieremia cognoscere licet.

In Gabaa.) Deest אשר, qui habitabat Gabaæ. Sunt qui גבעה pro editiore loco urbis Chiriathiearim interpretantur, in quem reposita fuerit arca, atq; eum possessum ab Aminadabo Leuita. alij de uicino loco exponunt.

Sanctificarunt.) consecrarunt eum ministrum, qui ut sanctè & purè haberetur arca, operam daret. Nihil legitur hic de tabernaculo Mosæ, ubi fuerit, ut pro quo templum in Sione monte erat fabricandum.

Erat quippe iam annus uicesimus.) Variant in numerandis his annis interpretes. Alij eos numerant ad reditum Israelitarum ad uerum cultum Dei, abiecto falso. Alij putant totum tempus hoc numero indicari quod usq; ad Dauidem defluxerit, per quem arca in domũ Obed Edõ deducta fuit. Hieronymi uerba quæ in quæstionibus in historiam Regum facit, uisum est hic memorare: Et factũ est ex qua die mansit arca Domini in Ciriathiarim, multiplicati sunt dies, id est uiginti anni, à tempore quo reprobatum est sacerdotium Eli usq; ad Samuelis ducatũ, uiginti fuerunt anni miseriarum referti, peracto uicesimo anno trãslata est eadem arca à Samuele in Masphat, & de Masphat transtulerunt eam Samuel et Saul in Galgala. Inde trãslata est à Saul in Nobe, de Nobe in Gabaa. De Gabaa translata est à Dauid in domum Obed Edom. De domo Obed Edõ transtulit eam Dauid in Sion.

Et requieuit.) in uerbo וינחו planctus ac luctus notatur pœnitentiam declarans. Solito more salus hic cõparata narratur, luctu de seruitute, pœnitentiã criminis, hac precationẽ sub interceßore Samuele, precatiõe certã salutẽ expediẽte.

Ait autem Samuel.) Hortatio Samuelis, locis honesti instructa, in qua & prophetæ munus & usus eius cernitur. Munus quidem in docẽdo uero Dei cultu, & alieno dedocendo: usus uerò in procuranda salute, quam auferat idololatria.

Ex toto corde uestro.) non parte eius dijs alienis, parte Deo uestro accõmodata: quam animorũ sectionẽ lex diuina non ferat, quæ iubeat Dominũ Deũ tuũ toto pectore á te amari debere.

Ad Dominum.) à quo defecistis ad deos alienos, dum sacerdotes suo munere non fungerentur, & prophetia abesset, ut suprà legitur: Rari erant prophetæ in Israele.

Auferte deos alienos.) ex fœderis iure.

Et præparate corda uestra.) per spiritum pœnitentiæ & deprecationis.

Et eruet uos de manu Philist. ĩm.) iuquor um seruitutem incideratis ob rebellionem.

Congregate.) ad communem fundendam orationem, ut in communi fuistis defectione.

In Mitpha.) loco comitijs Israeliticis & publicis precationib. sacrato. De quo suprà in Iosua & libro Iudicum mentio facta est.

Vt orem.) oratione uos ad pœnitentiã accinctos liberatura, & hostes euersura.

Hauseruntq; aquam.) Locutio de precatione, per quam cor suum coram Domino tanq; aquã effuderint. Itaq; Paraphrastes ירשפכו לבחון מתשובא במויא קדם יי Similiter Dauid: Effundite coram illo corda uestra. Sunt qui interpretãtur de aquis execratorijs & lustrãtibus adulterium, quas conuenisse dicunt idololatris. de quibus aquis in Numeris. Videris etiã hac de re Hieronymum in quæstionibus in hãc Regũ historiam paratis.

Iudicauitq; Samuel.) tum ius dicendo, tum docendo uerum cultum Dei. De quo Iesus filius Syrachi: Lege Domini populum gubernauit.

Ne cesses clamare.) Qui Naz. æus Dei cum esset, eum intercessorẽ nobis repræsentauit, de quo Iesaias: Et pro transgressoribus orauit. In precatione quã regeret spiritus diuinus, reponũt spẽ suã: nõ in multitudine militũ, equitatu, armis.

Agnũ lactentem unũ.) qui quem agnũ subrumem, holocaustũ per mortẽ & resurrectio nis igneũ spiritũ factũ adumbrarit, declarat illud:

Ecce

Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Qui immolatus, Israelitas suos à grauissima peccati, mortis et inferni seruitute et Palæstinis suis, hoc est à potestatibus tenebrarum, & ab eis qui illarum spiritu feruntur, liberat.

Integrum.) בלילי, id est qui totus igni cremetur, sola pelle relicta sacerdoti ex lege holocausti, de qua Leuitici VI.

Exaudiuit eum Dominus.) qui Eli & eius liberos non exaudisset, eorũ sacrificijs et tabernaculi cultu reiecto. Tantum discrimen inter personas, precantes & sacrificantes, fides & timor Dei, atq; contraria uitia efficiunt: ut exemplo sunt Cain & Abel, filij Eli hic et Samuel, Dauid & Saulus, & alij.

Intonuit autem Dominus.) De cœlo pugnatur aduersos Palæstinos, dum per oration em fulgura & tonitrua in hostes Israelitarũ armantur. Similis pugna supra legitur in Sisaram & in reges Chananææ Iosua duce edita. Huius uictoriæ de cœlo aduersus Palæstinos partæ, inter ostenta meminit Iesus filius Syrachi: Et intonuit de cœlo, & sonitu magno tonitrui uocem edidit.

Lapis adiutorij.) qui tam insignis uictoriæ ad posteros esset monumentum, & figuram eius saxi auxiliaris ostenderet, de quo illud: Petra autem erat Christus.

Et humiliati sunt.) tributarij redditi ijs qui antea tributa penderant. In uerbo enim בוע nõ leuis depressio notatur, sed qualis cernitur in ijs qui in seruitutem, cum domini fuissent, rediguntur.

Et redditæ sunt urbes.) quas ab initio, eo obitu Iosuæ Iudæa tribus occuparat sorte sibi designatas, ut est apud Iosuam.

Reuertebaturq; in Ramath.) uoto matris translata arca liber factus Siluæ in tabernaculo ministrandi Deo.

Aedificauit etiam ibi altare.) nondum patefacto à translata arca certo loco, ubi sacrificarent. Ea igitur libertate usus est Samuel, qua ante legem Noa, Abrahamus, Isaacus, & Iacobus usi fuerunt. Patefacto autem ipsi Dauidi loco, ubi Dei cultus perageretur, obseruari cœpit lex Mosaica, de qua in Deuteronomio: Locum quem elegerit Dominus.

IN CAPVT VIII.

POsuit filios suos iudices.) quos existimaret suo exemplo remp. bene gubernaturos. nec eorũ imperiũ ab initio detrectarunt Israelitæ, qui cogitarent ex bonis bonos nasci, & bene educatos bonos fore.

In Beersabe.) in australi fine terræ sacræ, quò per senium Samuel iuris dicendi gratia non ueniebat.

Et non ambularunt.) neq; generi, neq; educationi respondentes, superante materia ambitionis & auaritiæ, spem in qua erant, rectè administrandæ reip. Quo suo exemplo cõprobarũt peruulgatam sententiã illam: Magistratus declarat uirum. item hanc, Heroum filij noxa.

Post auaritiam.) Imitantes filios Eli, non patrem Samuelem, spreta lege Mosaica, de qua in Exodo: Ex omni populo uiros auariciæ inimicos dispicito. Attingitur pestis rerũp. altera. nam duæ præcipuè ostendũtur: altera auaritia, altera ambitio. sic Athemensiũ, sic Lacedæmoniorũ resp. labefactata est. De Lacedæmone iactatum fuit hoc oraculum: ἁ Φιλοχρηματία σῶ πάντων ἦλοι, ἄλλο δὲ ἀδύ. Romani imperij ruinã non meminero, intueamur tẽpora inclinationis illius, & hæc nostra. His uitijs suorum præsidũ impulsi Israelitæ, regem petere ausi sunt, sed nõ sine uitio, ut ex hac historia patebit.

Ecce tu senuisti.) Duas rationes afferũt petendi regis, quæ quidem in speciẽ honestæ uidebantur: sed malas eas reddebat animus fide carens. More enim gentiũ qui imperaret, regem postularunt, spreto Deo rege, à quo hactenus iudiciũ ministerio gubernati fuerant. Atqui cum Deus antea destinasset illis regem dare, certam ob rationem, de qua suo loco monebitur, is pro sua sapientia & bonitate & filiorum Samuelis uitia & Israelitarum in requirendo rege malum animum in salutarem exitũ conuertit, rege illis assignato suo tempore, ex quo nasceretur rex Messias, de quo apud Lucam ex Iesaia uate: Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regni eius nõ erit finis. Itaq; uerum est, diuina prouidentia omnia bona effici, & suum usum in decretis illius tenere, etiam quæ mala iudicantur, ut in bonum exitum ordinata.

Et peruerterunt iudicium.) iudicium animi in eis auaricia deprauante, & à recto tramite & uia in prauã & deuiam detorquente. De quo malo antea præmonuerat Moses: Munera excæcant oculos sapientum, & mutant uerba iustorum. Atq; hæc sententia etiam gentium consensu cõprobata est. In historijs est, Phocionem Atheniensem, quamuis tenuis esset, Alexandri tamen centum talenta ad se missa cum hac interrogatione respuisse: Ob quam caussam ea mihi donat? qui cum responderent, Quoniam te præ cæteris Athenienſibus bonum honestumq; uirum iudicat: Sinat igitur, inquit, me talem esse.

Constitue nobis regem.) Explicatis causßis mutandi imperij, iam noua administratio, quam petunt, indicatur, quæ est regia potestas. Quam quia comprobaret uetustas et celebritas, dicunt: Sicut & uniuersæ habent nationes. Accedit huc, quòd maximè secundum naturam regnũ uideatur esse. Sic ab initio qui cæteris ætate & prudentia anteibat in una aliqua familia, imperiũ tenebat. Familiæ autem in ciuitates ut excreuissent, in eis qui sapientia & bene merendi studio præcellebat, imperium in cæteros gerebat. Quæ administrandi ratio etiam in hac uniuersitate, cõmendatur. Nam in cœlo unum solem, non plures, in toto mundo unam diuinam mentem cæteras gubernantem cernimus. Hinc nata est illa uox apud Græcum uatem, εἷς κοίρανος ἔστω.

Displicuitq; res in oculis Samuelis.) partim filiorum improbitatem, partim in Israelitis honoris diuini contemptionem grauiter ferens, quòd regem, qui cæterarum gentium more remp. administraret, petijssent, quam hactenus per iudices, non humana ratione, sed diuina Deus gubernasset. Quapropter iudices aspernari qui diuinis oraculis instructi imperium gesserant, perinde erat atq; Deum aspernari.

Et orauit Samuel.) ut moneret Deus, quid de rege creando statueret, an ne noua reip. forma mutata uetere, inducenda esset. Nam intelligebat prudens uir, periculosam fore mutationẽ reip. Deinde in hoc populo sine oraculis ac respõsis diuinis nihil immutandum.

Audi uocem populi.) Si uoluntatem populi spectes, permittentis Deo is sermo fuit, non laudantis: sin regiã potestatem, laudem hæc meretur in Dauide & cæteris sanctis regibus propter Messiam ex Dauide procreandum.

Sed me.) meas res curantem, qui diuinitùs delectus sis iudex Israelitarum. Quòd si filij tui à te degenerant, non tamen propterea temerè nouũ reip. statum me inconsulto petere, priore abrogato, illos licuit: multo minus te uiuente res nouare conueniebat, quem non ipsi, sed ego iudicem constituerim.

Ne regnem.) per uerbum & oracula mea: sed mundus per libidinem, et eius princeps per dæmonum responsa et perreges luxu, libidine & tyrannide more cæterorum regum perditos.

Super eos.) in quos ex fœderis cum eis initi iure præter me neminem alium oportebat regnare. Quod ius prima Decalogi lege continetur.

Iuxta omnia opera sua.) Amplificatur rebellionis crimen, qui semper rebellarint, neglecto meo regno. Notatur populi sub lege dura & lapidea pectora formante status. Alia pectora sunt quæ lex noui fœderis fingit, de qua apud Hieremiam uideris capite XXXI.

Sicut faciant etiam tibi.) immemores, te præside Palæstinorum seruitutem solutam, & restitutam libertatem, uerum mei cultum reparatũ, falsum deletum. Reprehenditur ingratitudo. Locus de dignitate sanctorum prophetarum et Iudicum. hos loco Dei in terris haberi, quos qui respuat, Deum respuat.

Verùm contestare eos.) Obtestatio oracularis est, qua quæ mala eis ex regio imperio euentura sint, prædicere iubetur, exposito regio iure in qua admonitione quanta sit æquitas & beneuolẽtia Dei erga Israelitas suos, cognoscitur. Bonitas quidẽ qui de malis ex regali administratione importandis uoluerit suos præmonere: æquitas autem, qui fœderis sui fidem seruans, noluerit committere ut in scienter Israelitæ in mala inciderent, de quib. nõ essent præmoniti ab eo qui prior illos in fœdus suscepisset.

Hoc erit ius regis.) cum duplex sit unius dominatus: unus, in quo τάξις, hoc est legitimæ administrationis ordo cernitur, quæ ex uirtute, non ex libidine geritur: alter, in quo ordo uerè rectionis non seruatur, sed omnia pro domini libidine geruntur. Quod ius tyrannis est & hic ferè describitur, quo publica negligũtur tanquam aliena, priuata curæ habentur. Atq; hoc ius scitè uocatur ἀόριστον, hoc est nullo iuris & legum præscripto ac terminis definitum imperium. Quo qui funguntur, sententiam illam perniciosam in animis & ore gerunt: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uolũtas. Hinc tyrannis in sacris literis affinguntur crudeles & immanes bestiæ, ursi, panthoræ, leones, tygrides, lupi. Contrà rex se habet, regnum non ex animi libidine, sed θεοφιλῶς καὶ φιλανθρώπως administrans. id est, ita regnum administrat, ut Deo suus honos tribuatur, & amor erga homines declaretur, eadem diligentia rempublicam maiore curans q̃ rem priuatam. Talem quidem regem requirit Deus in populo suo, qui ex sententia legis Mosaicæ imperet, ut id ex Deuteronomio patet. At uerò quia cognoscebat Deus populũ suũ natura rebellem esse, Samuel ipsius iussu prædicit fore, ut tyrannos loco uerorum regũ ferè sint habituri similes eorum qui gentibus præsunt qui non per tyrannidẽ gentem Israeliticã, sed ex Dei lege rexerunt, ut exemplo est Dauid, Salomon, Ezechias, Iosias.

Filios uestros tollet.) facturos ex eis aurigas, equites, & satellites. Secus rex institutur apud

Mosem: Ne efferatur cor eius super fratres suos.

Agros uestros.) ut fecit Achabus.

Decimabit.) fructus agrorum & uinearum, præter decimas Leuitis debitas.

Vosq; eritis serui.) qui sub Iudicibus liberi eratis Notatio præcipua tyrannidis, cuius imperium non in liberos homines, sed seruos geritur. Quid autem seruitus sit, & unde orta, & quotuplex sit, ea de re in Exodo mentio facta est. contrà regia potestas, quæ uerè talis est, habet. cõtrà 10 item optimatum potestas & popularis rectio in ea repub. quæ communi nomine dicitur Resp.

Et clamabitis.) tyrannide oppressi, qua nullum grauius iugum. Quòd agnouit etiam ille apud Tragicum:

τυραννὶς ἀνομωτέρα θεῶν.

Et non exaudiet uos Dominus.) ut rebelles & contumaces, quibus clamorem & eiulatum non Dei amor, sed grauitas malorum sit expressura. Notantur tempora legis & populi 20 seruilis conditio usq; ad ea tempora durans, quibus legis graui iugo excusso & præsidium tyrannide sublata, rex Messias per euangelium clementi imperio cœpit regnare. De quo imperio pleno pace & tranquillitate Iesaias: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.

Noluit autem audire.) Sed cur noluit? Eadem caussa ex decretis Dei tradi potest, quæ supra traditur his uerbis: Et non audierunt patrẽ 30 suum, quia noluit Dominus occidere eos. Dicat aliquis quomodo quis pronũciet eos reiecisse Deũ petito rege, quem petere nefas non esset, quemq; Deus eis erat assignaturus? Legitur enim in Deuteronomio: Cum ingressus fueris in terram, & dixeris, Constituam super me regem: eum constitues quem Dominus elegerit de numero fratrum suorum. ut ex Mose uerbis intelligitur, ideo reprehenduntur, quòd regem ad formulam in Deuteronomio præscriptam non postularunt. Hic enim, 40 nusquam audis eos loqui. Constitue nobis regem qui multitudinem equorum non curet, qui modestè in omnibus se gerat, qui argenti & auri non sit appetens, qui ex lege Domini nobis præsit, & iura dicat. Deprauato etiam animo postulatum. ab illis regem declarat post tot enumerata incommoda responsum Samueli datum: Nequaquam rex enim erit super nos, ut nos simus similes cæteris gentibus.

Et pugnabit bella nostra.) obliti illius: Dominus pugnat pro nobis.

IN CAPVT IX.

NOmine Cis filius Abiel.) Primi Israelitarum à genere, forma, & occasione, qua creatus est regis descriptio narratur Libro primo Paralipomenum legitur: Et Ner genuit Cis. & infrà huius libri capite XIIII: Et Ner pater Abner filius Abiel: Quomodo igitur, dicat aliquis, Ner pater Cis. & eiusdem frater erit. Interpretes hunc explicantes nodum, dicunt ipsi Abieli duo nomina fuisse, Ner & Abiel, qui habuerit filium nomine Ner patrem Abneris, & alterum nomine Cis.

Iemini fortis robore.) Ad laudem Sauli hæc dicuntur, narratione indicante ex fortibus fortes nasci. In uocibus גבור חיל militaris & heroica fortitudo notatur.

Electus.) בחור Paraphrastes, Iuuenis est: similiter Iosepho, qui uertit νεανίας: quòd iuuenes selecta ciuitatis pars sint: sicut ille dixit, Perinde esse iuuenes de ciuitate tolli, atq; uer de anno. Notantur in Saulo uulgares regis dotes, ex fortibus maioribus ortus, iuuentus apta gerendis bellis, corporis robur, proceritas & pulchritudo.

Et bonus.) טוב ut bonum latinis & ἀγαθὸν Græcis, communis uox est utili, pulchro, honesto. Hic formosum & pulchrum sonat. Itaque Chaldæus pro טוב reddit שפיר similiter Iosephus μορφῶ ἀρίστῳ. Pulchritudo quæ in apta membrorum corporis compositione posita est, in regibus cõmendatur. Hinc illud: Species Priami digna imperio. Et Homerus Agamennona regem sic describit:

——μετὰ δὲ βρέσφι ἀγαμέμνων
ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος διὶ τερπικεραύνῳ.

Et latinus uates de Aeneæ principis forma:

——Claraq; in luce refulsit
Os humerosq; Deo similis.——

Melior illo.) pulchrior Paraphrastes מיכריח שפיר. commendatio noui regis Israel à corporis specie, quem conueniebat commendari ab animi pulchritudine. de qua illud in Deuteronomio: Legetq; illud omnibus diebus uitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum. à qua pulchritudine ut alienus fuerit is rex, ipsa narratio ostendet. Nos legimus infrà: Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas. Facilè igitur falluntur, qui pulchros animos pulchris corporibus includi, deformesq; animos turpiore corporum specie circundari existimant.

Et quære asinas.) Saulus dum asinas curæ habet, deligitur ad res magnas: Dauid, ut infrà traditur, dum oues. Quantũ igitur discrimẽ esset

esset futurum inter hos duos reges asinarum & ouium cura declarat: altero genere in laudato animante, altero non item numerato. Qua de re uideris in lege Mosaica.

Per montem Ephraim.) in quo Samuel, uncturus Saulum in regem, habitabat.

In terram Zuph.) De hac suprà ab initio.

Et solicitus sit pro nobis.) naturæ lege parentibus primam curam pro liberis, quæ patria coniunctio est: alterã pro seruis, quæ δεσποτικὴ societas est: prostremam pro animantibus cæteris, & pro ijs rebus quæ ad conseruandã familiam pertinent, curam gerentibus. At in societate domestica principatum tenet γαμικὴ, quæ inter coniuges coalescit, consociatio.

In ciuitate hac.) Ramatha.

Quid feremus ad uirum.) Deliberatio de munere ad uatẽ mittendo, quem putarũt forte falsorum uatum more pro mercede uaticinari, sed errarunt. Nam infrà Samuel de se his uerbis prædicat: Si de manu cuiusquam munus accepi. Itaq; rectè Iosephus: οὐδὲν γὰρ ἀγνοίας τὸ μὴ λαμβάνειν τὸν προφήτην μισθὸν ἐπλανῶντο.

Quarta pars stateris argenti.) drachma. Nam Iosepho, autore siclus quem statêrẽ dicunt, quatuor Atticas drachmas habuit, semissem aurei nostratis ualens. Græci τέτραχμον. Sollicitus fuit Saulus de drachma, quam uati daret, cui mox regnum tribuendũ erat. Sic sunt res humanæ, quæ Dei nutu ex infimis ad summa præter cuiusquam spem & expectationem extolluntur.

Olim in Israel.) Verba sunt scriptoris libri huius, qui per digressionem quo nomine olim Prophetæ appellati sint, indicat. Interpretes uolunt Samuelem hunc scriptorem fuisse. Sententia est, iam inde ab initio prophetas Videntes appellatos, non quòd cessarint sic uocari tempore Samuelis.

Videns.) quod Dei uoluntatem cognoscerent diuino spiritu patefactam & futuras res per uisa præuiderent.

Inuenerunt puellas egredientes.) Dei cura oblatas. ut olim Abrahami seruo cum ageret negocium de Isaaci matrimonio, & filiæ sacerdotis Madian ad puteos in deserto, ipsi Mosi cum esset deligendus dux Israelitarũ occurrerũt.

Quia sacrificium est.) de pace, ex quo cõuiuium sacerdoti & offerentibus parabatur. Atq; hoc conuiuio excipiendus erat Saulus, quem ex responsõ Dei prænouerat ea hora ad se uenturum.

In excelso.) Quod tum nõ erat trãslata ipsa arca prohibitũ, & loco certo in quo res diuinæ fierent, nondum monstrato. Prolixam indicationem de propheta faciunt uirgines, uel quòd pulchritudine iuuenis commotæ, uel sic occultiore Dei motu incitatæ essent, ut omnia hic in curam diuinam intelligantur cadere amissio asinarũ, iter, tempus, serui consilium, uirginum occursus, paratum conuiuium, Samuelis uisum. cæterum במה generatim locus fuit in quo sacrificabatur extra destinatum à Deo locum sacris faciendis. במה nomen uidetur sortitum ab ara super terram extante & eminente.

Et ipse benedicet hostiæ.) laudaturus beneficia Domini, benéque precaturus, ut paratum ex sacrificio conuiuium sit salutare. Qui modus loquendi etiam in noui fœderis scriptura seruatus est. Nam sic calix Domini, benedictionis calix uocatur. cuius nimirũ usu sancti Dei beneficia celebrant per mortem Domini nostri Iesu Christi declarata. Qui uerè est illa pacificatoria uictima, per quam pax inter pios & Deum cõciliatur, & cuius esu uita paratur epulantibus. Similiter Christus apud Euangelistam legitur sublatis in cœlum oculis benedixisse, hoc est pro munere patri gratias egisse, et precatum ut id utentibus proforet. At qui quoniam mos fuit ut benedicens discumbentibus conuiuis frangeret panem, ac cibos diuideret, ideo Paraphrastes Chaldæus pro יברך uertit פריק. Similiter legimus apud Matthæũ euangelistam: Benedixit, & cum fregisset. Similiter apud Lucam: Accepit panem, & benedixit, & fregit. Non secus hic: Quia ipse benedicet, & deinceps comedent qui uocati sunt.

Quia hodie.) in היום igitur Caphan nõ est similitudinis nota, sed confirmationis, sicut etiam in illo: השבעה לי היום

Apparuit Samuel egrediens.) sic prouidente Deo. de qua cura sequitur. Itaq; quod hic est prouidentia Dei, apud homines casus fiat ac fortuna. Quod enim magis casui simile fuisse uidetur, quàm id quod in hac historia legitur, Saulũ uidelicet asinas quærentem obuiam factum egredienti Samueli, ut ungeretur rex. Casus autem nõ fuit, si eum spectes de quo sequitur: Dominus autem reuelarat auriculã Samuelis, &c. igitur quòd amissæ sunt asinæ, quòd profectus est Saulus ad eas quærendas, quòd admonitus fuit pro seruo, quòd diuertit in urbem uidentis, quòd egressus est domum Samuel sub eam horam, qua Saulus urbem intrabat, quòd is illũ in porta adit, quòd percunctatur de uidente: omnia ista certo & firmo pro-

propoſito Dei contigerunt. Audis ſiquidem hic: Cras mittam uirum ad te. Quapropter de fortuitis, quæ cõtingentia uocant, quid ſtatuendum ſit, ut hæc ponenda, ut etiam neganda, & quatenus ſint affirmanda & neganda, ex hoc & alijs locis licet cognoſcere.

Reuelarat auriculam.) Phraſim Hebræam reddit Paraphraſtes: גלה אזן, monere de aliqua re. Latini dicunt aurem uellicare. Dominus patefacit ac aperit aurem, cum auditum mentis excitat, atq; ſpiritu ſuo parat, ut uerba ſua audiat. De quo auditu uates: Et audiam quid loquatur in me Dominus. Et quod de auribus hic legitur, idem de oculis Pſalmo CXVIII legitur, quo modo Deus eos aperiat: Aperi oculos meos, & conſiderabo memorabilia tua. Duo enim hi ſenſus, aſpectus & auditus, quoniam ad cognoſcendas res deputati ſunt, transferuntur ad mentem, quæ ſuos quoq; oculos & auditum ad intelligendas res diuinas dicitur habere.

Quia reſpexi populum meum.) cõſiderãs nõ quæ ipſe ob uitia pœnas mereatur, ſed quid bonitate & clemẽtia fœderis mei dignũ ſit.

Venit enim clamor eorũ ad me.) de terra ad thronũ miſericordiæ meæ. ἀπολογίαν impiorũ tyrannide oppreſſis memorabilis, & hoc tempore ut ſalutaris, ita neceſſaria.

Vngas eum ducem.) quem populus reſpiciat, & eius conſilijs utatur. Tale ſonat Hebræa uox נגיד. Similiter regem apparet ab Hebræis dictum à conſultando: quòd ſapientia prudentiáq; regis, populum qui paret, regi ac gubernari conueniat. Sic etiam dicit ſapientia Meſſias, apud Salomonem: Per me reges regnant.

Iſte dominabitur populo meo.) עצר retinere ac cohibere, pro regere ac imperare, tropo noto. Regum enim eſt, retinere ſuos in officio, & intra imperij & legum terminos, ne extra eos egrediantur, coercere. Sic ſuprà in libro Iudicum עיר eſt, מלוכה hoc eſt regnum, ubi legitur בארץ יורש עצר.

Et de aſinis quas nudiuſtertius perdidiſti.) Tres dies in narratione expoſiti ad tempus perditarum aſinarum referẽdi non fuerint, ſed ad id tempus quo amiſſæ quæri cœperunt. Similiter Paraphraſtes.

Et cuius erãt optima quæq;.) Alludit tectè ad regnũ, uſus cõparatione maiorũ et minorum: Si optima quæq; Iſraelitarũ tibi cedent, quanto minus ſollicitus de aſinis eſſe debes? in חמדה uoce notãtur res expetendæ, in quibus præcipuè regnum continetur, in quo regis ſunt quæ populus precioſiſſima habet, ſerui, liberi, agri, uineæ, pecora & reliquæ opes, ut id indicat regium ius à Samuele expoſitum. Itaq; Græci pro חמדה uertunt ὡραῖα.

Nunquid non filius Iemini ego ſum?) Humilitatem animi præ ſe fert, ſed talem, qualem hypocritæ præ ſe ferunt. Superbum enim animum & inſolentem hypocriſi, hoc eſt, ſimulatione iuſticiæ tectum, tum facta, tum ipſe obitus Sauli declarat.

Ego ſum de minima tribu Iſrael.) et quæ nuper tota ferè fuit exciſa & labefactata.

In capite eorum.) In אמיש ſummus locus notatur, tropo non obſcuro, indicia regiæ poteſtatis oſtenduntur.

IN CAPVT X.

Lenticulam olei.) Primò ut inũctus ſit Saulus in regem, deinde ſigna ex quibus de regno cognoſcere potuit uoluntatẽ Dei, exponũtur. In ſignis autem numerantur, obuiam duo uiri facti, denunciantes aſinas inuentas, & alij tres cum hœdis, pane & lagena uini: poſtremò occurrens prophetarũ laudantiũ Deum cœtus, & inter ipſos Sauli mutatio in prophetã. Demum narratur, ut ab uniuerſo populo Saulus proclamatus rex ſit. Cæterũ quo oleo unctus ſit Saulus, oleóne ſacroſãcto quo ſummi ſacerdotes tingi ſoliti ſunt, an ſecus, non arbitror hic anxiè diſputandum eſſet. Interpretes uolũt, non fuiſſe oleũ quo Dauid & Salomon uncti fuerunt. Alterum enim deprõptum ex פך, hoc eſt oleario uaſe: alterũ ex קרן, hoc eſt cornu. de altero item legi, ut ex tabernaculo allatum ſit: de altero non item. Itaq; Dauidẽ & Salomonem unctorio oleo unctos tradũt, quo Pontifices uncti fuerunt. De huius autem confectione, materia, pondere, & uſu, ex libro Exodi diſcere licet. ut hic fit mentio פך, ſic infrà eadem uox quarto Regum libro, capite nono, uſurpatur in eo loco, ubi narratur quomodo Iehu iuſſus ſit ab Eliſæo in regẽ decem tribuũ ungi: cuius quoq; regnum ut Sauli firmum non fuit, Dauidis autem firmum fuit, & Salomonis, de quo legimus ſecundo Regum libro: Et ſtabiliam thronum regni eius in ſempiternum.

Et effudit ſuper caput eius.) Innuitur principatus. Nam in capite ſedem ſuam mens, corpori in membris eius imperans, habet.

Et oſculatus eſt eum.) more uetere gẽtis: quod beneuolentiæ ſignum erat. Animus igitur oris tum oſculo, tum ſermone amoris ſignificationem oſtendit. In altero mutũ, in altero loquens indi-

udicium cernitur. Sed ut sermo sæpe fictus & simulatus ficti animi interpres est, ita oscula quoque sæpe simulati fauoris simulatũ testimonium habẽt. Quale fuit osculum Iudæ, quo Christum Dominum prodidit. De quo genere osculorum Salomon: Fidelia sunt uulnera amantiũ, & dura oscula odientiũ. Osculum Samuelis agnoscentis regiam dignitatem diuinitùs oblatum erat. Itaq; sequitur: Nũquid Dominus unxit te possessionis suæ ducem? Hinc osculari transfertur ad uenerari, ut est in Psalmo: Osculamini filium. Hoc est, Messiam, mundi seruatorem, & cœli atq; terræ imperatorem, sanctè colite. Sic osculari manum apud Iobum, pro magnificere opera sua. Sed dicas: Cur Samuel osculo erga Saulum amorem et reuerentiam declarauit, quem Deus ut hypocritam nõ amaret? Samuel osculo eũ amplexus est, quem ad præsens intelligeret Deo probari, qui regnaret in Israelitas: de occulto Dei iudicio, quo reprobaturus Saulum erat, non sollicitus. simulatione igitur sanctus uir, qui in abdita Dei iudicia non inquireret, liber tum fuit: quæ ut cœpit agnoscere, osculo abstinuit, hac asperitate in eũ usus: Pro eo ergo quòd abiecisti sermonẽ Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex.

Super hæreditatem suam.) Israelitas uocat hæreditatẽ Dei, ut in quib. habitet, quosq; solus ut hæreditatem possideat. Solent patres familiâs hæreditarias suas domus sartas tectas tueri, agros hæreditarios conserere & colere, ex quibus fructus uberes capiãt. Sic sunt Israelitæ, hoc est, electi Dei. Hinc illa de hæreditaria domo: Ego habitabo in eis. item: Vos estis templum Dei. & de hæreditaria uinea: Vinea fuit dilecto meo. & de hæreditario agro, eiusq; cultore: Pater meus agricola est. Nomine ergo hæreditatis summus Dei erga Israelitas suos amor notatur.

Iuxta sepulchrum Rachel.) Meminit Rachelis, ex qua Beniamin minimus natu Iacobi natus sit, ab eo nomine Beniamensi tribui dato, in qua regem creari Saulum Deus uoluit. Cæterùm sepulchrum Rachelis non procul à Bethlehema, Iudææ tribus ciuitate, fuit, uelut legimus in Genesi: Mortua autem est Rachel, & sepulta in uia quæ ducit Ephratham, quæ est Bethlehem.

In meridie.) צלצח nomen loci est in tribu Beniamensi, cuius etiam in Iudicum libro fit mentio. Ordine exponũtur signa, ex quibus Saulus uerum uatem Samuelem, et Dei erga se de regno uoluntatem cognoscere ualuit.

Ad Deum in Bethel.) quæ & Luza est. Hæc urbs quoniam iam ab antiquo celebris fuit ara à Iacobo patriarcha extructa, legimus hic: Ascendentes ad Deum in Bethel. Videris de loco in Genesi, capite XXV. Genesis item XXVIII Iacobus Bethelem portam cœli & domum Dei appellat, quòd in eo loco de cœlo quædam arcana diuinitus patefacta essent, in terra olim perficienda.

In collem Dei.) qui erat in Cariathiarim, ubi arca uersabatur, quiq; prophetis frequẽs erat.

Statio Philistinorum.) ut solent captæ urbes præsidijs firmari, ne defectionem moliantur. Fuit autem Cariathiarim uicina Palæstino agro, urbs et cæteris munitior, & amplior.

Gregem prophetarum.) Tertium signum. Hunc prophetarum cœtum apparet fuisse ex lege doctis hominibus descriptum, in quo procul dubiè bona pars Leuitici ordinis fuit, ut cui commissa esset tabernaculi, arcæ & legum docendarum cura. Arca autem oracularis eo tempore in excelsiore Cariathiarim parte uersabatur, à qua grex iste prophetarum descendisse hic legitur. Cæterum inter celebres uates numeratur ab Eli sacerdote: אלקנא ושמואל רגר ונתן ואסת ותימן וירותן

Ipsosq; prophetantes.) Deum tympanis, tibijs, citharis celebrantes. Itaq; Paraphrastes pro מתנבאים reddit, משבחים. sic Asathum, Iduthunem, & Hemanem citharædos laudes per psalmos celebrando, prophetasse in Paralipomenis legũtur. Nam ut uaria prophetiæ sit notio, manifestum.

Et insiliet in te spiritus Domini.) Quartum signũ. Sed quis & qualis spiritus corripuit Saulum? propheticus & regiæ administrationis spiritus. Qui ut etiam improbis & hypocritis tribuatur, quos Deus charos non habet, Bileamus & ipse Saulus documento sunt. Non uno igitur modo accipitur spiritus Dei: uno nimirum modo pro munere prophetandi, altero pro facultate res prosperè gerendi: demum pro ea ui qua erga nos beneuolentia Dei patefit, certumq; datur testimonium in animis nostris, nos Dei filios esse, in cœlestem hæreditatem adoptionis iure in filio naturali Christo cooptatos. is spiritus, adoptionis spiritus est, electorũ et filiorũ Dei proprius: cum superiores spiritus etiam improborum sint communes, quos accipere & amittere possint. spiritum autem adoptionis solum scripti in libro uitæ electionis gratia, ex qua proficiscitur, obtinere queunt, ueluti id aliàs indicatum est.

Et mutaberis in uirum alium.) Nam qui antea propheta non fuisti habitus, iam habeberis,

beris: qui antea pecora rexisti, iam accepto regij muneris obeundi spiritu rex habeberis, quo populum meum feliciter ab hostibus uindices in libertatem. Non igitur hic mutatio in nouum hominem & cœlestem, qualem adoptionis spiritus efficit regenerator, sed ciuilis mutatio accipitur. Nam qualis Saulus homo fuerit, & quàm longè alienus ab homine cœlitùs regenito ad nouam uitam & uitam, declarant eius facinora & miserandus exitus.

Quæcunque inuenerit manus tua.) Phrasis Hebraica diuinam curã indicat, ut apud Salomonem: Qui inuenerit uxorẽ bonam, inuenit bonum. Hoc est, diuina ratione obtigerit uxor bona.

Dominus tecum.) ut solet etiam cum ijs esse in prophetando & in rebus gerendis prosperè, quos non amat: ueluti declarant improborum hominum prosperi successus, qui illam beneuolentiam æternam, qualem Deus in filios suos gerit ut pater, non comprobant: sicut nec res aduersæ maleuolentiam in eos quos amat, ostendũt. Quã in re fallitur iudicium humanum, quo homines falsò fauorem diuinum ex rebus secundis, et alienum eius animum ex aduersis metiũtur: cum contrà res habeat, ut documento sunt Israelitarum, hoc est ecclesiæ electorum hostes.

Et descendes ante me in Galgala.) Locus celebris erat, et sacer propter arcam, quæ primùm ibi à transitu Iordanis desederat. Tempus autem quo expectauit Saulus Samuelem, infrà exponitur.

Cor aliud.) qui spiritum oracularem sentiret, quem antea non senserat.

Et quis pater eorum.) Duplex sententia affertur. Vna, quis magister & doctor eorũ? si spiritus Dei docuit istos prophetare, quid mirum igitur, si & Saulus prophetet, quem æquè diuinus spiritus corripere potuit, atq; reliquos? In hunc modum Paraphrastes, qui pro אביהם uertit רבהון. Altera sententia est: Si prophetæ isti acceperunt facultatem prophetandi quasi hæreditariam à parentibus suis, cur igitur uos tantopere miramini Saulum filium Cis prophetantem? Sin uerò non accipiunt, sed à Deo, quid obstat quo minus & Saulus uatem præstet, Dei spiritu ad nullam personam se obligante, sed liberè sese, cuicunq; uelit, insinuante?

Propterea uersum est in prouerbium.) de eo qui subitò & præter expectationem ad aliquam dignitatem peruenisset.

Nunc ergo state coram Domino.) Ad uitandam æmulationem & inuidiam sorte usus est, ut solent honores & regius splendor inuidiam, inter pares præsertim, excitare. Est enim regnum in earum rerũ numero quæ magni fiũt, & maxima contentione ab ambitiosis hominibus expetuntur. Apparet Vrim & Thumim præsente pontifice in dirigenda sorte adhibita fuisse. quod uidetur indicare לפני יי.

Et sors cecidit.) quam diuinum consilium regebat, non humanum. Itaq; Salomon: In sinum conijcitur sors, sed à Domino est eius iudicium. hoc est, ratio dirigendæ eius in Domino posita est, non in humano consilio, aut siderum aliqua conformatione.

Absconditus est domi.) Hebræus habet, eum inter בלים, hoc est uasa seu impedimẽta latuisse. Honorem quem uidit ex sententia Dei sibi delegatum, primò recusauit: quem deinde contra uoluntatem illius retinere uoluit, hostis Dauidi, quem Deus elegerat, qui in Israelitas regnaret, factus. Sic est hypocritarum ingenium comparatum, quale nobis in Saulo non obscurè adumbratur.

Et altior fuit.) De proceritate corporis mẽtionem repetit, eas dotes nõ commemorans, quas Deus in eo rege requirit, quem Moses in Deuteronomio describit. De Dauide non legitur, Procerior fuit: sed hãc cõmendationem habet, Quæ fuit Dominus Deus uirum ex animo sibi charum.

Viuat rex.) Hebraica acclamatio. Paraphrastes, יחי מלכא, hoc est, prosperè habeat rex, et incolumis sit. Verbum uiuificare in hac lingua pro seruare incolumem. Quæ ratio loquendi seruata est etiam in nouo fœdere, ut ab hominibus Hebræis. Veluti legimus apud Euangelistam, ζωοποιεῖ ἑαυτόν.

Legem regni.) ius regium. de quo suprà.

Et reposuit coram Domino.) in arca, in qua quæ ad testificandum de Dei sententia aduersus populum pertinebant, reponi soli ta sunt.

Quorum tetigerat Deus corda.) timore sui. Locus admonet, opera Dei ijs placere, quorum ipse corda sui amore affecerit, reliquis displicere. Similiter Paraphrastes: דאיתיהב דחלא מן קדם יי בלבהון.

IN CAPVT XI.

ET ascendit Nahas.) Bellorum quæ inter Ammonitas et Galaaditas orta sunt,

suprà in Iudicum libro caussa exponitur. inflammabat hoc odium, contemptus quo Ammonitæ & reliquæ uicinæ gentes ab Israelitis, ut dæmonum cultores contemnebantur. His caussis usa diuina Dei prouidentia, Ammonitas in Galaaditas excitauit, ut nouo regi Saulo materiã res prosperè & feliciter gerendi præberet: & hostes Israelitarum intelligerẽt, præter sacræ gentis Deum neminem alium esse neq; in cœlo, neq; in terra, qui suos cultores aduersis rebus liberet.

Aduersus Iabes Galaad.) cuius ciues paulo antea clade maxima affecti fuerant ab Israelitis. Iam ab exteris quoq; malis uexantur, sed redimendi à nouo rege ex Beniamitis delecto, quorum gratia iam antea tam dira perpessi fuissent.

Habeto nos fœderatos.) populus qui Dei fœdere sacer & liber erat, profitetur se seruum fore eorum quos Deus ciuitate Israelitica excluserat. At hanc diuino fœdere indignam uocem, necessitas illis periculorum occulta Dei salutem in maxima calamitate molientis, machinatione extorserat.

Vt eruam oculos uestros.) Sæui & superbi hostis adumbratio proponitur. Ammonitæ, qui antea in Arabum desertis, negato transitu & uictu, conductoq; Bileamo augure, qui Israelitas diris agitaret, immanitatem suam in consanguineos longis perplexisq; peregrinationis itineribus fessos ostenderunt: iam ea crudelitate non contenti, seruitutem etiam & oculorum orbitatem intentant. Eàdem ingenij asperitate præditi fuerant propinqui Amalechitæ, Ismaelitæ, & Idumæi, ex carne Israelitarum fratres. His enim uerbis indicant suum hostilem animum in consanguineos suos Idumæi: Nudate nudate usq; ad fundamentum terræ: Sed æquè infestum ingenium in Ammonitis declarauit degener ortus, qui spurij nati ex filiabus Lothi, spurium & degenerem animum semper in Israelitas honestè genitos declararunt. Vt mirum non sit, à Mose lege cautũ, Ammonitas & Moabitas ciuitate Israelitica nõ esse donandos. Quos autem hi figura quadam adumbrent, non est difficile ad perpendendum. Habet enim electorum quoq; cœtus suos Ammonitas hostes, fratrum speciem præ se ferentes: sed quorum germani fratres non sint, sed nothi: nec spiritu propinqui, sed carne. Crudelitatem enim exercent in electos filios Dei, qualem Ammonitæ leguntur exercuisse in Israelitas. Intueamur superiora secula, & hæc nostra. Negarunt Ammonitæ Israelitis panem & aquam. Negant nostri Ammonitæ Israelitis in cœlo scriptis, panem illum cœlestẽ qui de se dicit, Ego sum panis uitæ. Negarunt illi aquam ad bibendum. Negant nostri Ammonitæ spurij aquas illas uitales, quarum fons in uitam æternam scaturit, dum Euãgelium, quod nobis panem illum cœlestem & aquas uiuas ostendit, tollere student, et loco earum aquas turbidas humanarum doctrinarũ exhibent. Ammonitæ illi Arabes suis uxoribus & filiabus ad fœda stupra exposítis, ad scortandum Israelitas compellexerunt. Nostri Ammonitæ, ut studeant ompellexerunt. Nostri Ammonitæ, ut studeant omnia polluere idolorum stupris, res ipsa docet. Carnalia stupra, hoc est omne genus famosæ libidinis prætereo. Demum Ammonitæ non contenti Israelitas in seruis habere, oculos etiam dextros eis effodere student: quorum quantus ornatus, dignitas & usus in humano corpore sit, totius naturæ, quæ quidem oculorum luce comprehenditur, noticia declarat. Nostri Ammonitæ pollicentur ita in fœdus & amicitiam suam nos recepturos, si priuati oculis animi, solis aspectum, qui Messias est, amittamus, & tenebras loco lucis amplectamur. Aspectum inquã lucis perdamus, de qua lux ipsa: Ego sum lux mundi. item uates: Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Hanc autem lucem cum non sinister oculus, qui rationis & prudentiæ carnis oculus est, sed dexter, quem diuinæ sapiẽtiæ spiritus formar, contempletur: legimus hic dextrum oculum petitum ad effodiendum, non sinistrum, qui spuriorum Ammonitarum oculus est: ut dexter sanctorum Israelitarum, cum luce ipsa Messia, prius indicatur. Hæc est malitia sæuorum Ammonitarum. Horum rex non temerè serpentis appellatione nominatus est, qui apud Hebræos נָחָשׁ uocatur. serpentis autem crudelis uafricies, qua primos parentes & eorum posteros miseræ peccati & mortis seruitute affecit, satis mundi pernicie nota est.

Ponamq; uos opprobrium.) Hoc opprobrio Ammonita ille serpentis ueteratoris, qui diabolus est, spiritu impletus, effossis fidei oculis, electos Dei notare elaborat. De quo Apostolus: Cuius est aduentus κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ.

Egrediemur ad te.) Deditio notatur uerbo egrediendi.

Venerunt ergo nuncij Gabaa Saulis.) concessis inducijs à Nahas, quod fuit securitatis in hoste ipsi perniciosæ, & salutaris Israelitis, ita à prouidentia diuina prouisæ.

Et fleuit.) salutari fletu, de quo Salomon: Melior

Melior est luctus lætitia. & alter Salomon: Beati lugentes.

Sequens boues.) aratores, ex quibus par iugo cõiunctorũ infrà sumpsisse legitur, quos in fruita secaret. Qui suprà dicitur domum redisse, iam quas res domi curarit, indicatur, hunc intentum agriculturæ fuisse. Quod uitæ genus nouo regi honori fuit, nõ dedecori. Proditũ literis est, apud profanas gentes maximos duces & imperatores agros coluisse, & pecuariam exercuisse.

Spiritus Dei.) spiritus imperatorius ac heroicus.

Et iratus est furor eius.) eos fortitudinis. Laudatæ iræ exemplum, quam diuinus spiritus excitarit ad liberandum Israelem, et ad uindictam de hostibus sumendam.

Et inuasit timor Domini populum.) qui intelligeret illud Salomonis: Furor regis quasi nuncius mortis. Locus indicat, diuinitùs regis metum subditis iniici, quo disciplina ciuilis ad tuendam pacem publicam conseruetur.

In Bezech.) De hac urbe suprà in Iudicũ libro mentio fit.

Fueruntq; filiorum Israel.) Hæc narratio indicat, ante etiam decem tribuũ à regno Dauidis defectionem alios Iudæos, alios Israelitas nominatos.

Manè exibimus ad uos.) Ironia hac usi sunt ad securos reddendos hostes, ut incauti à Saulo facilius obruerentur. In stratagematis igitur sacris etiam suum locũ inuenerit illud: Dolus an uirtus quis in hoste requirat?

Non occidetur quisquam.) Prudentiæ regiæ exemplum, qui maluerit à clementia regnum auspicari, quàm à sæuitia. Opus id erat spiritus diuini, de quo suprà: Corripuit eum spiritus Dei.

Victimas pacificas.) gratulatorias de uictoria & pace restituta. In Hebræo enim est, זבחים שלמים.

Coram Domino.) Apparet ibi arcam fuisse.

Et lætatus est Saul, & cunctus.) qui suprà fleuerant. Hæ sunt uices fletus & risus, de quibus sapiens Salomon: Est tempus flendi, est tempus ridendi. Quas uices pijs in hoc mundo in crucis mysterio, Deus per Messiam, crucis & gloriæ peritum ducem, temperat.

IN CAPVT XII.

Ecce audiui uocem uestram.) Oratio Samuelis, qua innocentiã suam, ab officiorum suorum in ingratos exhibitorum commemoratione exorsus, comprobat.

Regem.) malè quidem à uobis postulatum, sed æquo iudicio à Deo uobis tributum: quod secutus ego, morem uobis gessi, nec meæ, nec liberorum meorum dignitatis rationem habens.

Ego autem senui.) functus difficili & diuturno administrãdæ reip. munere, uestra cum salute, & mea magna molestia.

Et nunc rex ingreditur ante uos.) regio imperio utens. quod indicatur in uerbo ingrediendi.

Filij mei uobiscum sunt.) quos apud uos degentes, quo minus sperneretis, mea in uos merita non effecerunt. quòd si peccarunt, poterant eorum delicta aut corrigi: aut alij iudices, qui Remp. gubernarent, à Deo peti, et petiti expectari, non nouus & insolitus principatus more profanarum gentium à uobis postulari.

Loquimini de me.) Probaturus innocentiam suam aduersus ingratos, ipsorũ de se iudicium appellat, & eos fert iudices, si quid habeant de quo coram Domino expostulent. Respondendi uerbum עני pro testificandi usurpatur. Itaq; Paraphrastes, אסתהדו.

Coram Domino.) quem iudicẽ & animi mei & factorum meorum fero.

Et coram Christo eius.) Tectè sub typo uncti Sauli, significat Messiam illum uerè unctum Dei, iudicem uniuersitatis, qui nosset ex oraculari luce illud: Pater dedit filio omne iudicium.

Vtrum bouem cuiusquam.) per auariciam, quam scio in iudicibus à Deo odio haberi: contrà quàm ius regium habebit, de quo suprà: Et asinos uestros auferet.

Si quenquam calumniatus sum.) In Hebræo uerbo uis & iniuria notatur. Si quenquam per uim bonis suis fraudaui. Opponit hoc ciuile & moderatum imperium suum regio, quod suprà descripsit, ab Israelitis expetito.

Si de manu cuiusquã munus accepi.) cõtra legem illam: Munus ne accipito. Non accepi dona, quibus cuiusquam crimini placarer. id sonat Hebræa uox כפר.

Et cõtemnã illud hodie.) Hebræus habet:

bet: Vt oculos meos absconderem. hoc est, connuerem ad culpam, corruptus muneribus, ut solent munera sapientum oculos cæcare. ueluti est apud Mosem: Munera sapientum oculos cæcant. Hac suæ innocentiæ probatione docet, quòd ueri magistratus & iudicis officium sit, quod Moses antea in Deuteronomio descripserat. Id quod publicè bonum est curare, personarum in iudicando rationem non habere, munera ad conniuendum in crimine cuiusquam non accipere. Huius rei coram nouo rege admonuit, ut Israelitæ intelligerent, quos antea habuissent iudices, & qualem magistratum in regibus essent nacturi: & rex ipse cognosceret, quas bonum principem leges in gubernanda republica conueniat sequi. Simili innocentiæ suæ probatione usus legitur Moses in Numeris, cum ait: Tu scis, quòd nec asellũ quidẽ unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quenquam eorum.

Dominus qui fecit Mosem.) instruxit parauitq; Mosem & Aaronem spiritu suo ad liberandum uos. Tale significat in loco עשה. Probata sua innocentia, uehementem aduersus populi ingratitudinem, reprehensionem parat.

Nunc ergo state.) tanquam in ius uocati coram Deo, pro tribunali more iudicis sedente. Huc spectat uerbum יתיצבו. ideo sequitur:

Vt iudicio contendam.) In uerbo ואשפטה ostendit Samuel, se Dei iudicium posse ferre, séq; pati ut condemnetur, si iniquam aduersus populi ingratitudinem expostulationem instituat. Qui antea innocentiam suam probarat etiam ingrati populi testimonio, iam in arguendo eiusdem ingrato animo non recusat ferre, si immeritò arguat, seuerum aduersus se iudicium Dei. Itaq; Paraphrastes pro ואשפטה, reddit ארתבוח. Hanc igitur seueriorem reprehensionem bona coram Deo conscientia Samueli expressit. Qua freti pij homines, cum Dauide precari possunt: Iudica me pro iusticia tua. Qui sciunt æquitatem in sanctis, & innocentiam fidei spiritu, qui Dei spiritus est, non humanus: diuinæ iusticiæ spiritus est, non humanæ placere ac probari, eiusq; iudicio satisfacere contra omnes aduersarias potestates.

De omnibus misericordijs.) beneficijs & meritis. Nam in loco צדקה benignitas est ac beneficium. sic enim Iesaias: Ibit ante te iusticia tua, hoc est, beneficentia tua. præcesserat enim, Frange panem esurienti. nomine צדקה cõtinentur generatim omnium uirtutum genera. Itaq; quod est Latinis bene mereri, beneficijs afficere, Hebræis est צדקה עשה. Enumerator bo exorsus, qui in libro de Origine mundi, famis tempore cum septuaginta capitibus in Aegyptum ingressus, optimum agrum Gosen, in qua cum suis patrijs legibus ad tempus commodè uiueret, nactus legitur.

Et clamauerunt.) Aegyptia seruitute et tyrannide sequentiũ regum à mortuo Ioscpho oppressi.

Et misit Dominus.) promissi sui quod fecerat memor: Generationem autem quartam reuertentur huc.

Mosem & Aaron.) qui liberatis uobis, magnis ostentis Aegyptiorum seruitute nouam rempublicam constituerent, legibus meis sacris illustrem.

Et collocauit eos.) qui Moses & Aarõ collocarãt eos, monstrata uerè colendi Deum ratione, qua promissam terram obtinerent. Alioquin Moses & Aaron extra Chananæam mortui leguntur.

In loco hoc.) rerum omnium copia per benedictionem diuinam affluente: qui ut uobis cederet, unus & triginta in eo reges sunt cæsi.

Qui obliti sunt.) pro benefactis, per defectionem à fide, mala reddentes.

Domini.) à se & natura boni & clementis. יחוה enim legitur.

Dei sui.) fortis & potentis, qui satis sit suos ad liberandum ab omnibus malis. id enim uelet אלהים.

Et tradidit eos.) non perdendi, sed reuocandi ad pœnitentiam studio, ut sequitur.

Clamauerunt ad Dominum.) afflati diuini fœderis spiritu: cuius ui numinis diuini inuocatio impellente cruce, & liberalis delictorum confessio ad innouãdam uitam, nullo nostris uiribus perficitur.

Nunc ergo erue nos.) pro tua bonitate, et fœderis nobiscum initi fide: cuius memor, quæ tua clementia digna sint, perpende, non quid nostra perfidia mereatur. Itaq; infrà Samuel: Et nõ derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnũ. Quare sequitur:

Et misit Dominus.) Iudices numerat diuinitùs missos ad liberandum populum miserè uexatum, ut huius ingratitudinem & Dei bonitatem amplificet.

Hiero-

Hierobael.)Gedeonem.

Badan.) Samsonem בדן appellatum,quòd esset tribu Dania natus.

Et Samuel.)Non dicit,Et me.Hæc loquẽdi consuetudo Hebræa est.Sic in Genesi: Audite uocem meam uxores Lamech. Similiter Dominus ad Mosem:Ascende ad Dominum.

Videntes aũt quòd Nahas.)numeratis beneficijs populi,aduersus ea ingratitudinem redarguit.

Cum Dominus Deus uester.)humilia & demissa amans,elata aspernans.

Regnaret.) per iudices demisse imperio frangentes:quibus spretis,& Dominum spreuistis.

Nunc ergo præstò est rex uester.) εἰρωνικῶς.

Quem elegistis.)non Deo,sed uestris cupiditatibus in consilium adhibitis.

Ecce dedit uobis Dominus regem.)uestris cupiditatibus,quas damnat, indulgens,regiam potestatem per se nõ reijciens.Nam & reges uestros,si uere eum colent,& uos metuentes nomen eius,tuebitur,ut sequitur.

Et super patres uestros.) regibus,sacerdotibus & prophetis uestris propitius.Hi patres uocantur,quòd populo id præstare debeant, quod parentes liberis præstant. Quare uates latinus:At pater Aeneas.

Nunquid non messis tritici.)Reprehensionem signo comprobat:quod ex ea cœli parte petitum est,in qua Deus præclara opera cõficit. Qualia sunt fulgetra, tonitrua, pluuia,ros, grando. Signum autem hoc duas partes continebat:altera tonitrus erat, altera pluuia: hæc diuinam gratiam(de qua illud,Et non relinquet Dominus populum suum)illa iram de crimine contitatam ostendebat.de quo idem Samuel:Et uidebitis quantum peccatum commiseritis. Tonitrua autem diuinæ iræ significationem habere, documento est tonitrus in Aegypto, in monte Sina, cum lex iræ ministra promulgaretur,editus.Atque ut hic pluuia insolito tẽpore data est: ita præter expectationem, dum minimè sperabatur, Deus suos liberat. Quod hic legitur, mirabilem rem fuisse tonitrum, cum pluuia messis tritici tempore editum: non nostrum cœlum, sed Syriæ æstuosum respicitur. Nam tonitrua ex caloris & frigoris conflictu creantur, qui neq; hyeme superante frigore, neq; æstate superante calore conficitur Comprobat hæc narratior primò, naturã rerum in Dei arbitrio positam esse, quam pro nutu & uoluntate sua tractet atq; moderetur: deinde,eandem naturam sanctorum precationi,sed in Deo,obedire ac parère.Sic Mosæ mare rubrum, ad delendũ Pharaonem, & ad uiam Israelitis aperiendam,petra ad fundendã aquam,Iosuæ ad stãdum in uno loco Sol obtemperauit.

Et scietis quia grande malum.)cœli testimonio criminis conuicti.Quod cõtra uos testimoniũ dicturum prædixerat Moses: Audite cœli.item: Cœlo æreo utemini. Atq; idipsum cœlum est, quod hic tonitrua & pluuias iam inuocato Deo exhibuit.

Petentes regem.)cuius fiducia hostes uestros uinceretis.

Et timuit populus.) Qui metus ut est principium sapientiæ,precationem cum criminis confessione ei expressit, ut sequitur.

Ora pro seruis tuis.) Hos,ut se Samuelis seruos agnoscerent, prophetæ constantia & cœli tonitru effectũ est. Vt enim cœlo sua tonitrua sunt, quibus terror incutiatur ea audiãtibus: sic etiam diuini uates prophetici sui sermonis tonitru omnia concutiunt & perterrefaciunt, qui uocem non suam, sed Dei, in sacris literis tonitrum appellatam,edunt.

Ne moriamur.)mortem ira diuina, cuius tonitrua significationem dabant,intentante.

Nolite timere.) Consolationẽ impetrat agnitio peccati.ubi & pœnitentiæ uim,& muneris prophetici dignitatem animaduertere licet.

Nolite recedere à tergo Domini.) Hebrææ linguæ phrasi, declinare à tergo Domini, p deficere, ac fidem frãgere.Militaris locutio, sumpta à militibus,qui proditis signis ducem, quẽ sequi conueniat,deserunt.

Post uana.)ut sunt dij alieni:hoc est,omnia præsidia in creaturis posita,opes,amici, prudentia ac sapientia humana.Hæc omnia quoniam uana sunt,& in rebus aduersis eis fidentes minimè iuuant, תהו uocãtur:modò terræ, quæ ab initio omni specie carens, & ornatu, תהו appellata est.

Propter nomen suum magnum.) Consolatio à nomine Dei, hunc suos semel in fœdus susceptos non deserturum propter nomen bonitatis & fidei suæ:quæ malè auditura sit, si suos non seruet. Dicturas enim profanas gentes,ab eo deseri populum Israeliticum, quem seruari nõ possit.Cõsiderat hic Samuel Mosæ & Iosuæ precationes, quas à nomine magno potentiæ, fidei & bonitatis diuinæ instructas, ad Deum pro Israelitis aduersus ipsorum hostes habuerunt.

Et

Et non relinquet Dominus.) Consolatorius locus. Etiam si Israelitæ peccarint, non tamen eos penitus abijcit propter Dei fœdus, in quo cõtinentur. Hæc Samuel ex fonte prophetarũ Mose hausit, qui in Leuitico sic ait: Ego enim sum Dominus Deus eorum, & recordabor fœderis mei pristini. Quod quoniam irritum fieri nequit, sequitur:

Absit autem à me hoc peccatum.) Consolatio à munere prophetico, quod cernitur in reprehẽdendis uitijs, in docenda lege diuina, precando, & in denunciandis futuris casibus. Hæc munera ut obierit Samuel, hic ostenditur.

In ueritate.) אמת opponitur hypocrisi et simulationi. Ideo sequitur: Ex toto corde tuo.

IN CAPVT XIII.

Filius unius anni erat Saul.) Non una interpretatio hic affertur. Vna est, Saulũ cũ inciperet regnare, ut puerũ unum natũ annum cum pace crimine caruisse. Hanc sententiã reddit Paraphrastes Chaldæus: בבר שנא דלית ביה חוביו בן שאול בר מלך. Altera interpretatio, unum annũ regnasse Saulum, cum hæc fierent. Tertia est eorum qui mutilum hunc locum esse putant, qui dicunt scriptum hic fuisse, quot annos natus Saulus regnum inierit, quotq; regnarit: sed temporum iniuria, numerum intercidisse. Media sententia receptior est.

Duobus autem annis regnauit.) Dicas in Actis legi, quadraginta annos regnasse Saulum: & apud Iosephum sub finem libri sexti, ἐβασίλευσε δὲ σαμουήλῳ ζῶντος ἔτη ὀκτὼ πρὸς τοῖς εἴκοσι, τελευτήσαντος δὲ μόνῳ ἐνιαυτοί. Nodum soluit ipsa narratio, duos quidem Saulum annos regnasse, si regium quo Dauid creatus rex est, ius spectetur: de quo hic & infrà capite XVI fit mentio. Sin uerò regni possessio, plures annos Saulum regnasse.

Et elegit sibi Saul tria millia.) cum adhuc Gilgalis esset, ad eum Israelitis confluentibus, ad confirmandum ipsi regnum. Non igitur sententia est, tria millia illa delecta à Saulo, cum duos annos regnasset.

Et percussit Ionathas.) heroicó ne spiritu afflatus, an oraculo admonitus, hanc cædem ausus sit facere, narratio non indicat.

In Machmas.) Huius loci fit mentio in finibus Ephraimensis tribus, apud Iosuam.

In Gabaa.) Beniamensis tribus ciuitas, de qua apud Iosuam capite XVIII.

Et erexit se Israel.) in גבאש, translatio à fœtore sumpta. Palæstinos tanquam fœtorem ab Israelitis contemptui habitos, ut præputia rem ab Israelitis contemptui habitos, ut præputiatos et incircumcisos: sicut infrà Goliathus per cõtemptum à Dauide præputiatus appellatur.

Sicut arena maris.) ὑπερβολικῶς.

Et expectauit septem diebus.) ex mandato Samuelis, de quo suprà capite decimo: Et descendes ante me in Galgala, ego quippe descendã ad te, et offeras sacrificium. Septem diebus expectabis, donec ueniam ad te, & ostendã tibi quid facias. Itaq; partim paruit Saulus Samueli, qui expectarit septem dies: partim non paruit, quã iniussu eius sacrificarit. tum exactis septem diebus debuisset Samuelem expectare, ex quo cognosceret quid in bello tam periculoso fieri conueniret. Primò igitur hic describitur tentatio Sauli, ut fuerit periculi tempore tentatus, cum uideret dilabi populũ, & Samuelẽ expectatũ nõ uenire. Deinde diffidentia et inobedientia, qua cõtra uerbum Dei rẽ diuinã fecit. Itaq; hypocrisis quæ hactenus latuerat in Sauli pectore, hic tandẽ cœpit se prodere. Vnde intelligimus, simulatã probitatẽ temporibus rerum aduersarum se minimè occultare, quin hypocrita diffidens Dei uerbo ad sua consilia & opera deflectat.

Quid feceris.) Interrogatio ad confessionem peccati, quòd acriter reprehẽderet Samuel, exprimendam apta. Non enim interrogauit Samuel de facto quod ignoraret, sed ut extorta per interrogationem criminis confessione accusandi damnandiq; Sauli occasionem haberet. In hunc usum sacra illa ἐρωτήματα instituuntur. Sic Dominus Adamum omnia sciens interrogauit, Vbi es?

Respondit Saul.) Respõsionem hanc simulatio, non ueritas, hoc est fides, quæ nisi uerbo Dei nitatur, non subsistit, finxit. causatur primò dilapsum militem: at id nõ debebat in caussa esse, cur quid contra mandatum Dei faceret, qui obedientibus sibi citra arma et militum uim uictoriã expediat: ut exemplo sunt Israelitæ ab Aegyptijs defensi, exemplo Gedeõ: exemplo Ionathan, qui infrà dicit: Nihil interest ad uictoriã, siue paucis, siue multis armatus sis, si Deus opem ferre uelit. Deinde causatur cunctationem Samuelis, qui ad diem non uenerit præscriptum. Sed falso causatur. non enim promiserat Samuel se intra septem dies, uenturum: sed iusserat, ut expectaret septem dies dum ueniret ipse, & ostenderet quid facere deberet. Præterea ueri simile est, ut interpretes uolunt, Saulũ nõ septem integros dies expectasse: sed manè septimi diei, cum non uideret Samuelem uenire, & populum dissipari, sacrificium fecisse,

ciſſe, qui debuiſſet uſq; ad ueſperam, finẽ diei expectare. Sub finem autem ſeptimi diei, ut pactus fuerat, Samuelem ueniſſe, uidentur indicare quæ hic narrantur de eo, ut uenerit, ſimulac abſoluiſſet Saulus ſacra. Poſtremò, quòd in reſpondendo dicit, ſibi precatione placandum fuiſſe Deum: placandus quidem erat, ſed ex uerbo eius, nõ ex tua ſententia & conſilio. Samuel iuſſerat ſuprà, ita monitus ſpiritu Dei: Expectato donec ueniã ad te, ut ſacrifices. Graphicè igitur hic depingitur ingenium hypocritarum, ut hi ſe aduerſus uerbum Dei gerant: quomodo erga id compoſiti ſint, utq; ſua conſilia atq; facta de crimine reprehenſi excuſent, ea ſimilationis fuco colorantes.

Et faciem Domini non placaui.) חלה uerbum precãdi eſt, quo hic utitur, quòd cum holocauſtis preces ad Dominum funderentur. Græci igitur, ἐξιλάσθω. Et Chaldæus, יְצַלֵּי.

Neceſsitate compulſus.) Aptum uerbum אתאפק hic uſurpatur, quo indicatur, Saulum aliud præcipiente uerbo Dei, aliud præſente neceſsitate conſulente, contrà quàm ferret conſcientia, egiſſe. Eſt אתאפק hic animo ſuo uim facere, & ſecus quàm lex diuina dictat, obfirmatè quicquam moliri. Quod faciunt ſuas commoditates ſpectantes homines, et à Deo nõ pendentes, q præſentia pericula magis timent, quàm Dei uerbum reuerentur. Iuſta eſt igitur reprehenſio Samuelis, quæ ſequitur, in omnes hypocritas ualẽs.

Stultè feciſti.) Reprehenſio à ſtulticia, quam à rege longè abeſſe oportebat, cuius munus ſapiẽtia peragitur. Indicatur ergo hic, quo honore mũdi ſapientia apud Deum habeatur: quã cum ſequeretur Saulus, ſtultè egiſſe à Samuele dicitur.

Nec cuſtodiſti mandata.) quæ ſeruare, ſapientiæ ſit: negligere, ſtulticiæ. ut eſt apud Eccleſiaſticum: Verbum Domini, fons ſapientiæ.

Domini Dei tui.) qui ad regiam hanc dignitatem te extulit, quem parendo eius uerbo honeſtares, non rebellando dehonestares. Qui qui dem benignus eſt ſe amantibus: ſeuerus uerò iudex non amantibus, quem nobis diuinum nomen אלהים notat. De cuius munere ſequitur:

Sed nequaquam regnum tuum.) Sententia diuina in Saulũ de neglecto uerbo Dei dicitur. Ex qua primò cognoſcimus, in terra reges regna ſua precariò habere: regem uerò cœli & terræ Meſſiam non precariò, ſed natura, ut naturalem filium Dei, regij imperij ius in omnia obtinere. Deinde intelligimus quàm perniciosa reſit, humanam prudentiam in rebus diuinis perſequi, neglecto uerbo Dei. Exemplo eſt hic Saulus Beniaminenſis, & Ieroboamus Ephraimenſis, ambo Rachelis pulchræ filij. cæteros prætereo. Verùm hic fit quod Samuel rebellibus minatus eſt: Quòd ſi malè feceritis, & uos & rex ueſter peribitis. Libera fuit monitio, ſed non minus uera. quod indicat euentus & exitus.

Quæ ſinit Dominus.) Oraculum de regno Dauidis. Fatalis prouidentiæ diuinæ ordo hic oſtenditur. Quoniam Iſraelitæ non rectè regem petierant, ideo improbus eis rex datur, cuius regnum firmum non foret, ut Dauidis de genere Iudæ erat futurum, ad implendum oraculũ, ab ipſo Iacobo longè retrò ſeculis editum: Nõ auferetur ſceptrum de Iuda, donec ueniat Silo, hoc eſt, Meſsias ſoſpitator. Qui quoniam erat ex Iuda proditurus, non ex familia formoſæ Rachelis, ob certam myſterij crucis rationem. neq; Beniaminenſi tribui, neq; Ephraimenſi regnum firmum fuit, ſed Dauidi ex Iuda, deformis Leæ filio, nato.

Vírum iuxta cor ſuum.) Submota umbra, occurrit uerus ille Dauid Meſsias. de quo Oſeas: Poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum. Et Ezechiel: Et ſeruus meus Dauid rex eorum. Itaq; pater de hoc ſuo filio Dauide: In quo mihi complacitum eſt.

Ad terram Saul.) שערעל nomen loci.

Porrò faber ferrarius.) Exemplum miſeræ ſeruitutis. Reducto myſticæ hiſtoriæ uelo, occurrunt hoſtes eccleſiæ, qui ut hanc ſuis armis ſpoliare ſtudeant, artibus & omni liberaliore doctrina ac cultu ingenij, & maximè ipſo euangelio, exemplo Iulianus eſt: & hodie Antichriſtus, cum ſuis miniſtris.

IN CAPVT XIIII.

VEni, & tranſeamus.) Heroici ſpiritus in Ionathane exemplum, qui per comparationem cum patris abiectione, ſpiritu & animo tractãdus eſt. de quo inter interpretandum.

Patri autem ſuo hoc non indicauit.) Dei inſtinctũ, qui patrem reiecerat, ſequẽs. Itaq; hac in re neq; in parentem, quem non conſuluerit, peccauit: neq; militarem diſciplinam, qui imperatoris iniuſſu pugnam cum hoſtibus tentarit, diſſoluit: qui ſub ſignis non humanis, ſed diuinis imperatoris cœleſtis militaret, cuius ſpiritu afflatus, ut cœperat, ſic perrexit Palæſtinorũ præſidia adoriri. Aliam igitur rationẽ ſacra ſtratagemata Iſraelitarũ, aliam profana gentium rationẽ habẽt: in quibus capitale erat, iniuſſu Imperatoris prælium cõſerere cum hoſtibus, ut Romani exemplo ſunt.

Quæ erat in agro Gabaa.) Hebræus habet, Quæ erat in Migron. Cuius loci etiam mentio fit apud Iesaiam cap. 10. LXX habent μαχεδώ.

Et Achías filius Achítob.) Qui men iniſſet regis, mentionem quoq; Pontificis facit. ſine cuius reſponſis fas non erat quicquam publicè geri, ut ex Numeris patet. Narratio hæc indicat, non ſtatim familiam Eli ſacerdotio, ſummo priuatam, ut ſuprà minatus ei Deus fuerat, ſed honorem hunc uſq; ad Zadocum prorogatum.

Fratris Iehabod.) qui natus fuerat iam patre Phinees in prælio aduerſus Palæſtinos geſto, deſiderato, & auo Eli mortuo.

Ephod.) In ephodo includitur & hoſchenis, Vrim & Thumim mentio.

Sed & populus ignorabat.) uterque & quem pater Saul, & quem Ionathã ſecum retinebat. Porrò ſuprà legitur, ut exercitus biparti tò diuiſi, una pars penes Saulum, altera penes Ionathanem fuerit.

Erat autem aſcenſus.) Præclarum Ionathanis facinus narratur, quod duæ res amplificabant, quòd ſolus id tentauit, & quòd per iniquum locum, ad hanc laudem & exornationem extollendam ſingulare Dei præſidiũ & diuinus motus acceſſit.

Ex aduerſo Machmas.) ubi erant hoſtes.

Contra Gabaa.) ubi erant Iſraelitæ.

Veni, tranſeamus.) Hortatio inſtructa locis honeſti & facilium.

Incircumciſorum.) quos turpe ſit circumciſos tributarios habere. Nititur fiducia fœderis ſacri aduerſus eos qui eo carebant: Ego ero Deus eorum. in quo fides regnat & triumphat. de quo ſequitur:

Si fortè faciat Dominus pro nobis.) Non eſt neq; tentantis Deum, neq; de eius bẽeuolentia dubitantis ſermo, ſed orantis cum expectatione nondum uiſæ ſalutis. De factis ſanctorum hominum iudicandum eſt ex fide eorum. Fidei autem ſpiritu incitatum Ionathanem ad adoriendum Palæſtinos, eius præclarè de Deo Iſraelitarum ſermo et exitus declarat. Quod Hebræi dicũt, יעשה לנו, Latini nõ diſſimiliter facere à nobis, ſtare à nobis. Paraphraſtes addit ניסא.

Quia non eſt Domino difficile.) Confeſsio potentiæ diuinæ, digna Iſraelita. Vnde inſtruit facultatis ſuperandi hoſtem locum. Contrà ſuprà pater compoſitus fuiſſe legitur. qui cum uideret populum dilabi, cui fidebat, puſillanimis factus, contra oracula diuina ſacrificauit.

Ego ero tecum.) Memorabile fidei in ſeruo exemplum.

Ecce nos.) Exponitur uictoriæ ſignum: ex quo intelligimus, ſanctorum uictoriam nõ deſcenſu per decliuia, ſed aſcenſu & tranſitu per ardua conſtare. De qua ratione pugnandi, & uictoriæ potiundæ, ſubmota umbra Apoſtolus: Quoniam non eſt nobis lucta aduerſus carnẽ & ſanguinem, ſed aduerſus ſpirituales nequitias in cœleſtibus. Habet ſecum Ionathan armigerũ ſuum. Nec armigeri ſui deſunt, in pugna arma ferentes aduerſus mundum & principatum mundi. de quibus Apoſtolus in eadem epiſtola, arma nimirum ſanctorum non carnalia, ſed ſpiritualia: quæ nobis diuinus Meſsiæ ſpiritus ſuppeditet. Qui in nomine יעהר, quod eſt donum columbæ notatur. Columba autem quem nobis deſignet, indicat illud: Et uidi ſpiritum Dei deſcendentem tanquam columbam.

Aſcendite ad nos.) Per contemptum inermes ad pugnam prouocant loco & militum uiribus munitum. Quæ deſpectio hoſtibus fuit exitialis. & Iſraelitis ſalutaris per eum de quo uates: Deus humilia reſpicit in cœlo & in terra. Contemptum, quo hei oicos ſpiritus ad res magnas gerendas accendit, hæc Palæſtinorũ uerba indicãt, רגרעה אתכם רכר, id eſt, & uobis quippiam oſtendemus, id eſt, oſtendemus uobis quid ſit laceſſere, id eſt, uos occidemus. Sententiam his uerbis explicat Ioſephus: ἵνα ὑμᾶς τιμωρησώμεθα τῶν τολμηθέντων ἀξίως.

Tradidit enim Dominus.) Plena fidei uox, non ex auguriorũ præditis nata, ſed ex ſpiritu uerbi Dei profecta: Ego pugnabo pro uobis.

Manibus & pedibus.) Vt apparet, nõ in illo loco ubi fuerant hoſtes conſpecti, ſed alio ad petram præſidio carentem, repere auſi ſunt. Qui quoniam præceps fuit, hic manibus & pedibus erepere dicuntur. Similiter Ioſephus: πανδημεὶ ἀναχώρησιν ἐξ οὐπόρου φάραγγα μὴ ἀνεχώρησαν ἐξ οὐπόρου φάραγγα τόπου τοῖς πολεμίοις· παραμείναντες δὲ ἄνω, ὡς τὴν πέτραν ἦκεν, ὄρυμμα δὲ ἄνω, ὡς τὴν πέτραν ἦκεν, ὄρυμμα οὖσαν τῶν φυλαττόντων, καὶ τὴν ὀχύρωσιν.

Et conturbata ſunt caſtra.) Hebræa locutio amplificat terrorem: Vt terra contremiſceret horrore Dei, hoc eſt, terrore diuinitùs inciſſo, ut eſt in textu. De hoc pauore à Deo pro ſuis pugnante Moſes meminit: Hodie incipiã mittere terrorem tui in populos, ut ad auditum nominis tui

nis tui paueant. Ionathã pro fide sua qua Deo nitebatur, felicem pugnæ exitum sortitus est. Qui cum confessus fuerat æquè Deo facilè esse per paucos atque per multos seruare, iam expertus est ipso euentu prælij, ita rem habere. Hinc dicit Messias, dux militiæ sacræ suorum Israelitarum: Ex fide uestra fiat uobis. Reuocata igitur hypothesi ad thesim, nascitur præclarus de fide locus: ea hostes uinci, ea credentes seruari, & tantum quenq; salutis adipisci, quantum fide præsumserit. Quod fides diuinum illud lumen sit, in quo nobis Dei potentia affulgeat, omnia superans. Nõ enim creatum lumen est fidei lumen: sed tale, quale memoratur à uate: In lumine tuo uidebimus lumen.

Ecce multitudo prostrata.) Metapho ra in מבוכה, castra Palæstinorũ terrore & metu cereæ instar dissoluta ac liquefacta fuisse indicat. Solet uerbum מבוכה usurpari, cum de metu & terrore fit mentio. ut suprà in Iosua legimus: Et irruit terror uester in nos מבוכה, id est, dissoluti sunt incolæ terræ. Verbũ igitur hoc indicat, quanta uis insit in metu ad frangendos animos, & quàm contrariam habeat naturam ad eos confirmandos fortitudo.

Applica arcam Dei.) ad quam erat ephodum, quo indutus Pontifex oracula de rebus futuris exponebat. Iosephus igitur sic ait: κελεύει τὸν ἀρχιερέα λαβόντα τῶν ἀρχιερατικῶν σκευῶν πρόφητεύειν αὐτῷ περὶ τῶν μελλόντων. Similiter Græci προσάγαγε τὸ ἐφοδ.

Et ecce uersus fuerat gladius.) Hostes suo ipsorum ferro pereunt, quod in sanctos Israelitas strinxerant. Quod diuinum stratagema in omnia tempora, præsertim nostra, memorabile est. Simile exemplum suprà in Madianitas edition legimus.

Sed & Hebræi.) Numerãtur hic tria genera Israelitarũ. unum, eorũ qui aduersus hostes Saulo imperatore militabant. alterũ eorũ, qui præ metu hostium in tutis locis se continebant. Demum erant qui in Palæstinorum ditione peregrinãtes, aut eorũ imperio subiecti, inuiti cum eis aduersus Israelitas bellũ gerebant. Hi omnes bene affecti erant erga remp. Israeliticam, propter sacri fœderis memoriam: sed aliter alij suum animum declarabant. Siquidem alij palàm, alij clàm, præ metu hostibus se opponere non audentes: alij ui impulsi cum hostibus merebant aduersus fratres, occasionem nitentes, qua liberi reddi hostibus desertis ad suos transirent. Ex his ergo intelligimus, quali statu res Israeliticæ tum fuerint. Submoto typo mysticæ historiæ, occurrunt ecclesiæ sub Antichristo tempora, hodie nobis satis nota.

Et saluauit Dominus.) non gladius, nõ hasta, non militum uis. Itaq; suprà: Cumq; uenisset dies prælij, non est inuentus gladius & lancea. & infrà Dauid: Quia non gladio saluat Dominus.

Sociati sunt.) Hebræus indicat fame oppressos Israelitas, quam leuare non licuerit propter iusiurandum, quo eos cum hostes adorirentur, obstrinxerat Saulus, uetans ne quis ante uesperam prius cibum caperet, quàm de hostibus ultio sumpta esset. An ne autem iusiurandum quo Israelitas obligauit Saulus iustum fuerit, nec ne, facilè licet ex ipsa narratione cognoscere. Aequum non fuisse indicat primò, quòd id ex fide factum non fuit. Non enim extat ullum oraculũ, quo iussus Saulus sit tam periculoso iuramento populum obstringere. Neq; est cur Dei studiũ prætexas, quo impulsus Saulus istud ediderit. Studium enim Dei, nisi uerbo ipsius regatur, contemptus potius Dei & temeritas iudicatur, quàm studium et cultus. Quæ enim fide carent solis diuinis responsis nitente, ut in uitio sint, declarat illud Apostoli: Quicquid fide non fit, peccatum est. Deinde iniquum fuisse iusiurandum declarat, quod Saulus nullum casum excepit, quem æquitas in omni lege perpendit, dum considerat, quis legem, quo tempore, quo loco, quo animo prudens ne an imprudens transgressus fuerit. Tale autem nihil Saulus, ut de Ionathane mox patebit, considerauit. Propterea iusiurandum Sauli, uictoriæ à Deo paratæ cursum impediuit. Nam exercitus per famem, in quã Sauli temerario iuramento inciderat, hostem cũ tanta alacritate, quantum præsens occasio requirebat, persequi non potuit, uires roburq; inedia debilitante, quod mediocris uictus roborasset. Qua in re prudentior, ut etiam melior fuit Ionathan filius, qui his uerbis paternã stulticiam reprehendit: Perturbauit pater meus terrã. Postremò, Saulus suo iureiurando populo contra legem de non capiendo cibo cum sanguine, peccandi occasionem præbuit. Is enim iam de prælio lassus ac defatigatus, impulsus fame, cibum properè, sanguine non satis de carnibus expresso, cæpit. His non contentus, ut fit, auctis delictis eò progressus est uesaniæ, ut nec innocenti filio Ionathani, per quem uiderat tantam salutem à Deo Israelitis datam, parcere uoluerit, mortem ei interposito iureiurando intentans: Hæc faciat mihi Deus, &c. Itaq; ex hac historia licet intelligere, quæ natura sit simulatæ probitatis eorum, qui fide carentes,

ſ probos, cum improbi ſint, oſtentant. Hos, cum rebus aduerſis afficiuntur, Dei uerbum relinquere, ſuum conſilium perſequentes. ut documento eſt Saulus, ſuprà ob eam rem à Samuele acerbè reprehenſus. Deinde, ubi res proſperæ cœperint euenire, inſoleſcentes, pariter in hoſtes & ſuos, prætexto cultu Dei, ſæuiunt, per hypocriſim etiã in ſq; ad immanitatem procedentes. Exemplo idem Saulus eſt, & ij qui Sauli ingenium referunt, quibus beſtiæ regnum plenum eſt.

Maledictus uir.) Deuouendo uetat cibos quos Deus non uetabat, ſed tempore neceſſitatis admittebat. Exemplo Dauid eſt, qui fame adductus, de ſacris, quibus ex lege ſcripta ſolis ſacerdotibus ueſci licebat, comedit. Quod exemplum contra hypocritas Phariſæos Chriſtus apud Matthæum citauit.

In quo erat mel.) apibus fauos ſuos in arboribus conficientibus: ut meritò dicatur terra ſacra melle affluere ac abundare. Per ſtultum hypocritam melle ueſci Iſraelitas nõ licuit, quod eis Deus ſua benedictione conſecrauerat. Intueamur hypocritarum principem his temporibus patefieri cœptum, quo iureiurando ſuos obliget, ne mel ſacrorum oraculorũ famis tempore ab Amoſo prædicto edant, ſatis magno Iſraelitarum, hoc eſt, ſcriptorum in libro uitæ, malo manifeſtum eſt.

Timebat eñ populus iuramentũ.) ut in quo maieſtas nominis diuini, per quod iuratur, & regis dignitas, qui populum eo iureiurando obligarat, cui nõ parère religio eſſet, ageretur.

Porrò Ionathan nõ audierat.) Hæc obiter narrationi inſeruntur ad Ionathanis innocentiam tuendam, qui prudenter contra patris edictum de melle non guſtarit.

Et illuminati ſunt oculi eius.) qui fame & peruigilatione caligabant. Lucem enim oculorum innatam ſuo ſpiritu conſeruari conſtat, ut oleo lumen. ut igitur continuo ardore lucis oleum, ita nimia uigilia & inedia ſpiritus ille fouens oculorum lucem abſumitur, ſomno & commodo uictu inſtaurandus. Non legimus hic Ionathanem ad ſatietatem mel comediſſe, ſed intincto extremo baculi in illius fauum, deguſtaſſe, iuxta ſententiam illam Salomonis: Nactus mel comede tibi quod ſit ſatis, ne ſatiatus reuomas. Leguntur hic illuſtrati oculi Ionathanis, modicè guſtato melle. quanto meliori ratione mentis oculi colluſtrantur poſt afflictionũ amaritudinem, guſtato melle, cuius Dauid meminit: Iudicia, hoc eſt, ſententiæ Dei, & enunciata ſalutaria, dulciora melle & fauo.

Turbauit pater meus terram.) Libera reprehenſio patris, quam Ionatham heroicus ſpiritus, quo ferebatur, expreſſit. Qui primæ legis ſpiritus eſt, ſecundæ tabulæ legum moderator. Tropus in ארץ ſatis notus, non ſine emphaſi hic uſurpatus.

Quanto magis, ſi comediſſet.) In hac comparatione maiorum & minorum, oſtendit quàm iucunda res ſit uictoria. De qua uoluptate, quæ ex uictoria capitur, meminit etiã Græcus uates:

τί τὸ σοφόν, ἢ τί δὲ κάλλιον
ἢ φὰς θεῶν γόρας φ̓ βροτοῖς,
ἢ χεῖρ ὑπὲρ κορυφᾶς
τῶν ἐχθρῶν ἀρέσσω κατέχειν;

Comeditq; populus cum ſanguine.) præ feſtinatione & fame non ſatis ſanguine expreſſo. Regio edicto ſeruato, diuina lex neglgitur. Sic ſolet fieri hypocritis regnantibus, quorum imago in Saulo nobis in hac narratione effingitur. Perpendamus noſtra & ſuperiora paſtoris ſtulti tempora.

Saxum grande.) ſuper quod mactatis bobus ſanguinem ritè exprimerent.

Tuncq; primùm cœpit ædificare.) Interpretes Hebræi in hũc modum: אותו המזו בח חיח החלה המז בהוחשבנח שאול בי מחח שהקריב קרבנוח ובגלגל מיצא שם מזבצח בנוי.

Accedamus huc ad Deum.) ad ſcitandum oraculum. propè aderat arca cum Vrim & Thumim.

Et non reſpondit ei.) ob guſtatum à Ionathane mel. Dicas: Aequum igitur fuit iuramentum Sauli, & Ionathan contra illud guſtato melle deliquit, alioqui non fuiſſet Deus negaturus reſponſum ſciſcitanti Pontifici. Dei oracula libera ſunt, quæ ex arbitrio ſuo reddit aut negat. Negauit autem hic non propter aliquod à Ionatha ne commiſſum crimen: ſed ut eius innocentia cõprobaretur, & iniquum iuramentum Sauli patefieret, populo inſontem iudicante filium, eumq; ſupplicio liberante, quem pater ut ſontem capite damnauerat.

Angulos.) Paraphraſtes, ירישי. Metaphora nota.

Da iudicium.) Seueram ut adhibeat & integram ſortem, orat. prope תמים, deſideratur interpretum ſententia גורל.

Captus eſt Ionathan.) deprehenſus per ſortem ילכד. Verbum in ſortis negocio uſurpari ſolet.

Guſta-

Gustaui.) Concedit factum, & id tacitè purgat, locis assumptiuæ constitutionis usurpatis.

In summitate uirgæ.) delibato solum melle ad reficiendas uires, quas pro te & Israelitico populo pugnans, infirmaram, non libidine animi, sed necessitate ad capiendum cibum impulsus, tui edicti ignarus.

Et ecce morior.) per quem uobis Deus pro sua bonitate uitam & salutem tribuit.

Ergo morietur?) capitalis criminis nullus compertus. Ad indignationem declarandam apta est interrogatio.

Qui fecit salutem hanc magnam.) ob victoriam, quam de hostibus reportauit, præmio dignus, non supplicio afficiendus, ob cibum quem necessitudine adductus sumpsit.

Viuit Dominus.) Aequo iuramento iniquum Sauli iuramentum repellunt, per eum iurantes, qui cunctis naturam, motum & uitam concedit. Hoc exemplo comprobatur, sæpe accidere tempora, quibus ad tuendum ius & insontes, liceat populo regum tyrannidi & stulticiæ se opponere.

Quia cum Deo.) quem ignominia affecerit, qui Ionathanem à Deo ad tantas res gerendas instinctum ignominia affecerit. Exemplum gratitudinis in populo, agnoscente uiros fortes & bene meretes de repub. Dei amicos esse, quos fas sit præmijs exornare, non malis infestare.

Superabat.) ירשיע in loco idem ualet quod יחריד: aut יבלבל, hoc est, terrebat & perturbabat. Veluti patet ex Iobo: ישקיט רמי ירשיע. Nam gentes quæ hic memorantur, non à Saulo, sed à Dauide fuerunt debellatæ, ac sub iugum missæ. Scita autem metalepsis est. Nam condemnati in magna sunt turbatione & terrore. Aut condemnare, pro clade afficere.

Et reges Sobam.) Sophene regio Syriæ ad dextram Damasci, dicta Hebræis Zoba. Gentes numerat Orientales & Occidentales, Septentrionales & Australes, cum quibus bellum gesserit.

Erat autem bellum potens.) acre, ut aduersus gentes terra mariq; potentes, & populo, opibus, munitisq; urbibus florentes.

IN CAPVT XV.

Me misit Dominus.) Vt Saulus intelligeret in administrando regno, se Dei uoluntatem, non suum sequi debere, duo affert argumenta: unũ à uocatione sua, alterum à regio in Israelitas munere. Quod ad Samuelis uocationẽ attinet, legitur hic: Me misit Dominus, cuius edicto per me tibi explicato obedire te conueniat. De regio officio legimus hic: Ad ungendum te suorum Israelitarum regem: cuius res non ex tua sententia, qui Dei populus sit, non tuus, sed ex arbitratu & nutu diuino gereres. Adhibetur hæc admonitio, ut Saulus suæ rebellionis, per quã præsciret mandatum de delendis Amalechitis, non seruaturum, nullum prætextum faciat, & Deus iustè eo regia dignitate spoliato, Dauidi regnum tradat.

Sic dicit Dominus exercituum.) Narratio uoluntatis diuinæ, de euertendis Amalechitis à Saulo. In qua caussæ exitialis belli diuini tus decreti exponuntur, quibus & Dei iusticia & odium in sæuos sanctorum hostes, & beneuolentia eiusdẽ in Israelitas declaratur. Aliter igitur Iehoua Deus est impiorũ, aliter piorum: horum, ut pater, quos seruet, & eis se, hoc est suam uitã, lucem, iusticiam & gloriam communicet: illorũ, ut iudex, quos damnet, & seuero iudicio damnatos perdat.

Recensui.) In recensendi uerbo פקדתי notatur primò, Deum ad iram non celerem, sed lentum esse, ut is de se apud Mosem dicit: Dominus Deus misericors & clemens, lentus ad iram. Deinde, ita tamen tardum ad iram esse, ut tandem uindictam de sceleratis sumat, eius tarditatem supplicij grauitate compensante. Veluti exemplo hic sunt Amalechitæ & Chananæ gẽtes, & impij diluuio absorpti, atq; Sodomitæ cœlesti igni consumpti: ut etiam his nouissimis temporibus Antichristus cum suis ministris, aduentu claritatis Euangelicæ lucis abolendus, exemplo erit.

Quæcunq; fecit Amalechita.) nulla iniuria lacessitus, & tot signis atq; ostẽtis propter meos Israelitas in Aegypto & in mari rubro editis, non commotus.

Israeli.) suo cognato, & mihi fœdere iuncto. A' persona amplificatio criminis.

Quomodo restitit ei.) duri & asperi exilij nullam rationem habens, contra illas naturales affectiones, quibus incitamur ut eis misericordiam tribuamus, qui aduersis rebus uexantur. Itaque cum tam inclementer cum meo populo egerint contra naturæ leges & iura, statui ut tandem eorum nomen & memoria deleatur de rerum natura. Ex qua Dei sententia & seuero iudicio cognoscimus, quantum Deo

displiceat immanitas ac crudelitas, & mansuetudo atq; clementia placeat. Quo pertinent quæ Messias iudex affert de capitali supplicio, quo repudiati Amalechitæ, hoc est impij, propter suam in clementiam sint afficiẽdi: & de regni cœlestis hæreditate, quam ueri Israelitæ, hoc est scripti in libro uitæ, propter benignitatem sint adepturi.

Sed interfice à uiro usq; ad mulierem.) Impletur uaticinium Mosæ: Delebo enim Amalechi memoriam de rerum natura sub cœlo. Hic cum hominibus omnis sexus ætatis & ordinis, etiam boues oues, cameli & asini interfici iubentur. Quod præceptum non fuit contrarium legi, Ne occidito. Hæc enim lex de non occidendo, quoniam regitur prima, de Deo super omnia amando, non omnem uoluntatem attingit, sed humanam post contractam noxam, non esse uidelicet quenquam interficiendum pro nostra animi libidine: ubi animorũ cupiditas & libido prohibetur: uoluntas Dei, quæ prima lege cõtinetur, seruanda præcipitur: quæ si iusserit occidendum esse, tu sanè, si ex sententia primæ legis occideris, in legem secundæ tabulæ, Ne occidito, non commiseris. Secundæ enim tabulæ leges, primæ tabulæ lege, ut norma & regula gubernantur. Vnde nata est reprehensio Sauli, de qua mox fit mẽtio.

Dixitq; Saul Cinæo.) De Cinæis, qui Iethronis posteri erãt, in Exodo, & in libro Iudicum uideris. Suprà cap. 1. Iudicum legimus, quomodo Cinæi ex Palmarũ oppido cum Iudæis ascẽderint in solitudinem, & cum eis habitarint. Potuit igitur fieri, ut pars eorum cum Iudæis, pars cum Amalechitis, ut cum consanguineis & uicinis, uersati sint, more Arabum subinde tentoria mutantium.

Tu enim fecisti misericordiam.) Iethronis, soceri Mosæ, gratulatio de rebus prospe ris Israelitarum & eius consilia, quæ Mosæ de rep. Israelitica regẽda dedit hic significãtur, quæ in Exodo memorantur. Insigne bonitatis diuinæ exemplum primò hic occurrit, qui humanitatis studia, quæ Israelitis Iethro exhibuit, ea Cinæis posteris illius rependit, sententiam illam suã exequens ad Mosem celebratam: Qui clementia in mille usq; ætates utor. Deinde intelligimus quantum ualeant apud Deum benefacta, & charitatis studia, quæ latissimè patent. In uestiendis nudis, alendis pauperibus, consolandis afflictis, consilijs dandis ijs qui bonis consilijs egent, quo amoris munere usus Iethro in Mosem legitur. Neque uerò mirum fuerit, tanti fieri benefacta ex amore & charitate profecta. Etenim legis uniuersæ, mortis & resurrectionis Iesu Christi, finis charitas est. Is enim à patre in hunc mundum missus est, ut mortis & excitationis sui è mortuis amoris puri spiritum suis conciliaret, quem fide de plenitudine eius acciperent ad instaurãdam in eis sanctitatem & iusticiam uitio primorum parẽtum amissam. Hinc charitate deleri peccata, charitate filios Dei, ei similes qui charitas est, efficit et cæteris donis fide & spe abolescẽtibus, charita tem remanere, sacræ literæ docent. Si quis legem hanc, Ama Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & alterum ut teipsum, considerarit, in ea tanquam in speculo, quæ & quanta ueteris hominis turpitudo, & quæ dignitas charitatis præ omnibus donis Dei sit, utq; ea per fidem nobis tanquam summa perfectio et uera [illegible]obitas communicetur, intelliget. Sed hoc argumentum prolixè in commentarijs in Genesim, ubi ex instituto caussa iustificationis impiorum agitur, tractatum est.

Cum ascenderent de Aegypto.) Perduntur Amalechitæ, quod malè Israelitas tractassent: seruantur Cinæi ob beneficia, quæ maiores eorum in eosdem ascendentes contulerunt. Cõtentio alijs etiam exemplis illustranda fuerit.

Et recessit Cinæus.) Mysticus locus. De piorũ segregatione ab impijs, illud: Quod cõsortium Belial cum Christo, luci cum tenebris?

Et pepercit Saul.) contra mandatum Samuelis: Ne parcito. Vulgus perdit, regi parcit, cui minimè erat parcendum, ut autori eorum malorum quæ uulgus patrat. Sed quid faceret aliud hypocrisis, quæ cum ueram & probatam charitatem Deo, negligit, falsam sequitur: personarum rationem ducit, quam Deus non ducit. Sunt qui putant uiuum captum Agagum, qui quos thesauros haberet, proderet. Vt est cum hypocrisi & simulata iusticia, summa auaritia coniuncta. Exẽplo sunt omnia secula, & hæc nostra præcipuè.

Pœnitet me.) ἀνθρωποπαθῶς pœnitentia Deo tribuitur. Qui cum immutat quæ fecit, eorum pœnitere dicitur, non quòd fallatur eius præscientia, qui aut nõ præscierit Saulum regno priuandum: aut cum præscierit, falsus præscientia, grauiter ferat illum regno priuari, quem regẽ semel unxerat. Absit, ut Deo hanc pœnitudinem tribuamus, qua homines ducuntur, non Deus: cuius præscientia infallibilis est, ut uoluntas immutabilis. Prænouerat Saulum regem Israelitarum creandum esse, sed qui ad tempus solum regno potiretur, non in sempiternum. atq; ut id prænouit futurum, ita quoq; uoluntas eius cum præscientia coniuncta, exacto regni tempore, non diutius illum

lum regnare passus est, quàm in decretis eius designatum ab æterno fuisset. Itaq; præscientia diuina firma fuit, & uoluntas immutabilis. Quapropter pœnitere Deum susceptι & perfecti operis, nihil aliud fuerit, quàm factum opus mutare. Sic legitur in Genesi, quomodo Deũ pœnituerit à se conditum hominem, quòd ob peccatum status eius commutandus esset, uita in mortem conuersa. Quare aliter pœnitudo in Deum, aliter in hominem cadit. Is pœnitere dicitur, cum & sua consilia, & res quas tractare aggressus est, mutat, aliter his cadentibus, quàm putauit. Secus de Deo res habet. Huius & consilia firma sunt, quæ de rebus præcognitis concipit, & uoluntas immobilis: rebus solum quas tractat mutatis, quas mutandas præscierat: & ut suis temporibus mutarẽtur, decreuerat. Vt autem pœnitentia dicitur eius rei duci, quam mutat: sic carere ea, cum ea quæ statuit facere, nunquã uult immutare. ut: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.

Quia dereliquit me.) & quia omnino regno priuandus erat, à Deo defecit neglecto eius mandato. Sicut suprà de Eli filijs legitur: Et non paruerunt patri suo, quia uoluit Dominus occidere eos. Hic proxima causa & uicina, illic remotior & primaria spectatur.

Contristatusq; est Samuel.) In Hebræo succensendi grauiterq; ferendi uerbum cernitur. Molestè tulisse Samuelem, ut diuinum uirum, rebellionis crimen in Saulo, quo uidebat & Deum dehonestari, & populum maximis malis exponi. Qui suprà prædixerat: Quòd si malè feceritis, & uos & rex uester peribitis.

Et clamauit ad Dominum.) ad placandum Deum pro munere uatis, quod erat seuerè reprehendere uitia, & de his ut placaretur Dominus, precari. Vtrumque munus obijt uates Samuel.

In Carmelum.) De duplici Carmelo apud Iosuam.

Fornicem triumphalem.) יד de loco interpretantur, in quo castra poneret, & spolia diuideret.

In Galgala.) ibi de parta uictoria sacrificaturus Deo, ut infrà legitur: Vt immolent Deo suo in Galgalis.

Benedictus tu Domino.) Salutandi phrasis Hebraica ברוך אתה ליהוה. Latinè, Salue à Domino.

Impleui uerbum Domini.) Exprimitur hypocritarum ingenium, qui sua consilia sequentes, dicunt se Dei mandata exequi. Saulum quem referant, licet cernere in regno principis hypocritarum à prophetis descripti, & hodie cœpti patefieri. Verbo הקמתי utitur Saulus, quo significat se nõ leuiter, sed strenuè apud quem uigerent rata & firma, præcepta Domini exequutum. Hæc gloriatio communis omnium hypocritarum est. Dominus suprà dicit, לא יקום, hoc est, non erit firmũ regnum tuũ. Saulus uerò hic: הקמתי את דבר יהוה.

Et quæ est hæc uox gregum.) Conuincitur mendacij ex balatu pecoris, & boum mugitu.

De Amalec adduxerunt ea.) Conuictus sceleris, fatetur Amalechitarum pecora contra Domini mandatum perdita non esse: sed usus translatione, crimen in exercitum reijcit: nõ perpendens ipsi mandatium à Samuele, ne quid eorum quod Amalechitarum esset, integrum ac saluum remaneret.

Vt immolarentur.) Speciosum sapientiæ humanæ consilium, sed non ex sententia sapientiæ diuinæ: Ne parcito illi, sed deleto uiros, fœminas, infantes, boues, oues, camelos, asinos. Sic sunt compositi, qui intentiones suas, quas uocant bonas, persequuntur, Dei consilia & uoluntatem negligunt. Talibus intentionibus pastoris stulti, quem Zacharias describit, falsa religio plena est.

Domino Deo.) sed non ex eius uerbo, imò contra eius uerbum, sine quo Deus uerè coli nequit. Quanto turpius peccatur ab aduersario Dei hodie, qui quicquid cogitat in scrinio, quod uocat, pectoris sui, pro Dei uerbo audet uenditare, atque tantum ponderis habere, quantum sacris literis prodita oracula habent. Imò sua placita tanti facit, ut ea diuinis præferat.

Tuo.) Honoris causa sic loquitur, quòd Samuel propheta Dei arcanorum conscius esset. Sic etiam Samuel de se loquitur: יהוה אלהי, id est, Iehoua Deus meus.

Nunquid cum paruulus esses.) agnoscere te ortum de minima gentilitate tribus Beniaminensis. Sic est hypocritarum animus, ut primò animi demissionem præ se ferant: ad dignitates autem ubi euecti fuerint, insolenter se gerant.

Vnxitq; te Dominus in regem.) ut & eum coleres, & Israelitas bene gubernares, non tuæ uoluntati & consilijs morem gereres. Respondet purgationi illi: Pepercit populus.

Sed

Sed conuersus ad prædam.) *auaritiæ prætexens cultum Dei.*

Imò audiui.) *Cõtumaciæ in hypocrita exemplum, diuinæ æquitati minimè inultum relinquendum.*

Et adduxi Agag.) *Fatetur Agagum adductum, quem occidere debuisset. Alia nota ingenij hypocritarum. Hi dum se defendunt, crimen non confitentes, deteriorem causam suam reddunt.*

Et Amalechitas.) *Innocẽtiores rege perdit, regem seruat, ut uerũ doceret illud esse: Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.*

Tulit autem populus de præda.) *sed te & uolente & conniuente. Hic simulacrũ hypocritarũ in Saulo expressum ostenditur: quorum hæ sunt notæ, ex quibus eorum ingenium cognoscitur. Prima, hos Dei uerbo neglecto sua cõsilia exequi. Altera, & cum hoc faciunt, fateri se tamen diuina mandata exequi, suis institutis & factis, Dei cultum prætexentes. Tertia, contumaciter sua defendere consilia & facta, ne quid malè fecisse, aut quippiam ignorasse uideantur. Quarta, humilitatem primò, ac demissionem præ se ferre, ut ad amplitudinem elati, insolenter se gerant, tectam sub specie humilitatis ambitionem palàm prodentes. Quinta, personarum rationem habere, potentibus parcere, tenues perdere: cum his seuerè agere, illis adulari. Sexta, simulatione probitatis per auariciam opes affectare. Septima, ambitiosè omnia agere, & ut honores suos retineant atq; augeant, crudeliter in eos statuere, quos suæ dignitati nocituros putant. ut infrà in Dauidem crudelitatis exempla edita ab illo, documẽto sunt. Itaq; nullam feram ac beluã sæuiorem, ubi uires nacta fuerit, hypocrisi inuenias. Clara hodie in talibus hypocritis, honoris, auaritiæ & gulæ mancipijs, exempla offeruntur.*

Melior eñ obedientia, quàm uictima.) *Præclara sententia, et ad reprehendendam hypocrisim apta. Petitur enim ex hac Decalogi lege, in quam omnes gentes consentiunt: Ama Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo. Qua lege, amor Dei, fides, & obediẽtia in omnia quæ Deus præceperit, continentur, uictimæ non continentur. de quibus quid statuendum sit, Oseas uates indicat, cum apud eum Dominus sic loquitur: Misericordiam uolo, non sacrificium.*

Et auscultare.) *Repetit eandem sententiam, amplificandi gratia. Nam Deus, quoniã prima illa & infallibilis lex est, quæ in præcipiendo neq; fallere, neque falli potest: par fuerit, huic uni obedire, non nostræ opinioni de Deo colendo. Deinde, quia Deus est spiritus ac mens, nihil concreti ac coagmentati habens, rebus quæ eius naturæ consentaneæ sint, hoc est, spiritualibus, ut est eius oraculis credere, eum eosq; qui diuina cognatione tenentur, amare, & spe eius beneficia quibus nos aduersus omnia mala tueatur, præsumere: his inquam, oblectatur, non corporatis & carnalibus, ut sunt sacrificia ex pecore confecta. Quare dicit hic Samuel, obedientiam magis probari Deo, quàm adipem arietum & uictimas, quibus etiam improbi litant: confidere Deo, & eum amare, soli probi queant. Hinc nata est illa uox à uate edita: Incensum abominatio est mihi, &c.*

Quoniam quasi peccatum ariolandi.) *Inobedientiæ crimen, per comparationem amplificatio. Quid perfidiosius est, quàm magorum responsis fidere? At non minus flagitium est, abiecto uerbo Dei, sua consilia & cogitationes sequi. Samuel duo uitia grauia numerat legibus prohibita: magicas prædictiones, & simulacrorum cultum.*

Et quasi scelus idololatriæ.) *Duo genera simulacrorũ sunt: alterũ eorũ quæ humanis manibus elaborantur, alterum eorum quæ intus in animo finguntur, ut sunt cogitationes de cultu diuino cõstituendo sine uerbo Dei, prudentia atque sapientia humana. Hæc sapienter à Samuele inter idola numerantur, cum quibus infrà etiam magorum studia Saulus legitur coniunxisse.*

Nolle acquiescere.) *Cõtumacia notatur in uerbo* הִפְצִיר.

Eo quòd abiecisti sermonem Domini.) *insolens & superbus factus ex regia dignitate. Describitur in Saulo potentium hypocritarum exitus.*

Ne sis rex.) *qui debueras animaduersa tenere, quæ Moses futuro regi obseruanda præcepit: Describet sibi Deuteronomium legis huius, legetq; illud per omnem uitam, ut discat Dominũ uereri, & in omnibus ei parêre. In Hebræo elegantèr repetitur uerbũ* מָאַס, *quo talio diuinæ æquitatis notatur: par esse eum repudiari, qui Deum repudiarit.*

Peccaui.) *Seræ impiorum hominum pœnitentiæ in Saulo exemplum, quam non Dei amor, sed eius seuerum iudicium hypocritæ extorsit. Simile expressæ ui iudicij diuinæ pœnitentiæ exẽplum in Pharaone & Iuda. Secus pœnitentia pium habet. Hi ad se redeuntes cernitur, non sunt solliciti neq; de retinendis honoribus, neq; de uitã dis pe-*

dis periculis & malis ob peccatũ imminentibus: sed de corde mundo, quo Deum purè amantes uoluntati eius obtemperent. Orant enim cum Dauide, Cor mundum crea in me Domine. Atq; ut dissimile est scelerum pœnitudo in pijs & impijs, ita diuersus est finis & exitus utriusq;. Nam impij per suam pœnitentiam miserè pereunt, ut exẽplo est Pharao mari rubro absorptus, & Iudas laqueo suffocatus: per suam autem pij seruantur, ut Dauid, Petrus, & alij exemplo sunt.

Vt adorem Dominum.) Galgalis: ubi oraculare tabernaculum, interpretum sententia, tum erat.

Scidit Dominus regnum.) Ex signo abruptæ penulæ, uaticinij ab abrumpendo regno confirmatio.

Porrò triumphator in Israel.) Ab immutabili uoluntate triumphatoris Israelitarum, cuius decreta irrita fieri nequeunt.

Et pœnitudine non flectetur.) Hic נחם de animo accipitur, quem non mutaturus sit Deus. Suprà de opere, quod mutet, animo consilijs non mutatis: Pœnitet me quòd constituerim Saulum regem.

Neque enim homo est.) quem multa fallunt, & falsum sæpe accidat consilia & facta mutare. Tractat constantiam propositi diuini contentione.

Reuersus igitur Samuel.) non Sauli, sed regiæ dignitatis habita ratione, & supplicij de Agago sumendi studio.

Agagus pinguissimus.) In Hebræo מעדנות est. Delicatè more regio accessisse, qui uel speraret adfore mortẽ præferendam turpi uitæ, uel speraret liberatũ se iri morte. Vtraq; uersio suos autores habet. כר enim est in Hebræo. In altera uersione regius mortis contemptus, in altera spes uitæ confirmandæ spectatur. Aut in uoce delicatè mollicies animi abiectior, mortis uicinæ metu iniecta, indicatur. Itaque Septuaginta pro מעד מות reddunt τρέμων.

Sicut fecit absq; liberis.) Talionis diuinæ exemplum memorabilis tyrannis orbis terrarum. In qua obseruatur sententia illa à Domino exposita: Qua mensura metimini, eadem metientur uobis alij.

Et in frusta concîdit.) ut capitis sententia diuina damnatum: Ne parcito. Quam sententiam iudex Israelitici populi Samuel exequi studuit, eã exequi neglexit rex. Lex Mosaica monebat, testium manum primò capiti damnatorũ admouendam esse: quam secutus Samuel hic est, tã quam constitutus criminum Amalechitarum à Deo ad Saulum testis. Apparet Amalechitas tam horribili & funesto exitio perdi iussos, quòd mẽsuram improbitatis tum implessent.

Et non uidit Samuel.) utroq; ab alterius consuetudine abhorrente. Alterum abstrahente à familiaritate odio Dei, quo is Saulum repudiarat. Sic enim suprà Samuel satis liberè loquitur: Non reuertar tecum, qui Domini sermonem repudiaris, ideoq; per eum Israelitico regno abdicatus es. Altero autem Samuelis congressum uitãte, qui dira de auferendo regno, & alteri tradendo denunciasset. Itaq; hunc abesse maluit, quàm adesse, qui malè sibi conscius, non ignoraret ueritatem odium parere, obsequium & assentationẽ amicos: ut solent tyranni sapientes uiros odisse, adulatores amare.

Veruntamẽ lugebat Samuel Saul.) Luctus erat non iniquè ferentis sententiam diuinam in Saulum latam, sed miserantis miseram Saulii uicem. Itaq; Dei sententia à sancto uiro boni consulebatur, casus miseri deplorabãtur. Qui misericordiæ affectus in bonis uiris commendatur. Nam hi suæ infirmitatis bene sibi conscij, aduersis aliorum rebus commouentur: præsertim si rerum periti sint. Quales sunt senes, & homines docti, honestisq; artibus bene instituti, & maximè ij quorũ animos spiritus illius regit, qui de se prædicat: Dominus ad clementiam propensus.

IN CAPVT XVI.

Vsquequo tu luges.) Dehortatur à luctu, argumẽto à uoluntate sua immutabili ducto. Quæ dehortatio consolationis locũ, quo nos in omnibus rebus aduersis cõsolemur, lõge firmissum continet, cũ cogitamus quæ uel nobis uel alijs accidũt mala, proposito Dei certo et infallibili accidere, cui acquiescere æquum sit: qui norit calamitatum quibus suos uexat, salutarem & ipsi gloriosum exitum expedire.

Imple cornu tuũ oleo.) noui regis creandi mentione, qui regnum Israeliticum ex sententia sua moderaturus sit, Samuelem consolatur. Non enim se populum suum unà cum rege repudiaturum. In cornu regia maiestas notatur suprà: Et cornu Christi sui attollet. Suprà fragilem olei ampullam iussus est Samuel sumere ad ungẽdum Saulum, hic firmum cornu: altero infirmum, altero firmum & stabile regnum significabatur.

Vt mittam te ad Isai Bethlehemítem.) Hic tandem Iacobi de sceptro regio in Iudæa tribu excitãdo oraculum impleri incipit. Ex qua tribu Messias de gentilitate Isai Bethlehemæ

erat profecturus, ut est apud uatem Micheam: Et tu Bethlehema Ephrata, quæ es præfecturarum Iudææ minima, ex te mihi prodibit, &c.

Quomodo uadam.) Nõ erant hæc uerba diffidentis de ope diuina, qua defenderetur à Saulo, sed quærentis modum & rationem qua illius furorem deuitaret. Metu enim periculorum non carent sancti: ut exemplo est Abrahamus, Isaacus, Iacobus, Moses, Samuel hic: & Dauid Sauli, ut fuisset rex unctus, insidias fugiens. Non commemoro Eliam Ieζabelem fugientem, & reliquos uates, atq; ipsos Apostolos, imò Messiam ipsum, furorem Phariſæorum & ſacerdotum interdum fugientem, ad deuitanda quæ ab eis erant pericula.

Audiet eñ Saul, & interficiet me.) ut reges regiam potestatem quam nacti sunt, ægrè auferri sibi patiuntur. Cuius, ut Isocrates ait, πάντες δύχονται τυχεῖν. Intelligimus ex hac narratione, quàm plena molestiæ & periculorum sit prophetarum conditio ac functio, qua se cum fortunarum, famæ & uitæ periculo regibus & mundi potestatibus opponere coguntur. Exemplo Moses, Samuel, Nathan, Elias & Eliζæus, Iesaias, Hieremias, & cæteri.

Vitulum.) Consilium Dei de uitando periculo per certa media, qui sine eis uatem diuinum seruare potuisset. Sed sic uisum est eius sapientiæ, rebus à se bene conditis ad bonum & præclarum finem uti.

Sanctificamini.) ex lege lustrati.

Vidit Eliab.) Primogenitus primò offertur, ad quem pertinere uideretur regia dignitas. accedebat elegantia formæ, & corporis proceritas, quæ digna imperio iudicabatur humana opinione. Itaq; Samuel conspecto eo, dixit adesse apud Dominum eius unctum. Qua in re etiam sanctus & diuinus uates errauit. Numerãtur hic octo filij Isai, in Paralipomenis septem. De quæstione hac uideris apud Hieronymum.

Coram Domino.) qui Domino placeat, ut rex ungatur. Tale innuit נבחו ורגגר in loco, ut in illo נבחו יי ררבם, coram Domino uia uestra, quæ ei placeat, & quam amanter regat. Nam quæ chara habemus, in oculis ferimus: contrà quæ odimus, auersamur, aspicere dedignãtes. Itaq; Paraphrastes rectè, &c

Ne respicias uultum eius.) מראה forma, species ac facies est. Vt ab aspectu Latinis species dicitur, ita Hebræis מראה. Non esse in mandandis imperijs externam corporis formam ac speciem, quæ sæpe fallat, ut fefellerat in Saulo: sed Dei uoluntatem, & animi uirtutes in eo qui rex creandus sit, spectandas, quæ non fallant. Ideo sequitur,

Quoniam abieci eum.) non spectãs neq; primogenituram, neq; pulchritudinem, neq; robur: sicut neq; in Caino, neq; in Esao, neque in Saulo quo minus regno priuaretur, ista spectaui.

Nec iuxta intuitum hominis.) huius iudicio sæpe errante, meo non errante: me animos spectante, illo faciem. Contentione tractatur dissimilitudo iudicij humani & diuini.

Homo eñ uidet ea quæ patẽt.) cum facie & corporũ specie in aspectũ cadente, sæpe animis dissentiẽtibus, qui hominibus ignoti sunt, Deo noti: ut exemplo Saulus est, & omnes hypocritæ. Exemplo etiam Eliabus, quem putauit Samuel dignum imperio, quòd primogenitus esset & pulcher: cuius pulchritudini ut animus non respondent, eius superbia & inuidia documento est. Absalomum, de quo infrà fiet mentio, præterea. Itaq; ut duplex est hominum genus, alteri à corporis, alteri ab animi pulchritudine commendati: ita bipartita ratio iudicandi, altera à facie pendet, alterũ Dei cognita uoluntas formatur. Alterum iudicium, humanum iudicium est: alterum, diuinum, ab errore omni liberum. Hoc utuntur filij Dei, afflati spiritu de quo illud: Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. illo animalis homo, de quo idem Apostolus: Animalis homo nõ percipit ea quæ sunt spiritus Dei. De quo dissimili iudicio hic Dominus ad Samuelem: Non enim eadem specto quæ solent homines. & apud Iesaiam: Non eædem meæ quæ uestræ sunt cogitationes. Altero iudicio specioſi hypocritæ à probitate, sapientia & potentia mundi in magno habentur honore, ut exemplo Saulus est. Verè uerò iusti contempti iacent, ut Dauid indicat: & is quem Dauid adumbrauit, Christus Iesus Dominus noster, ab hypocritis ipsis cõdemnatus, ut Dauid à Saulo condemnatus fuit. De cuius Christi contempta forma Iesaias: Non est species ei, neq; decor. Quare duplex is status, alter in speciem formosorum hypocritarum, alter sanctorum hominum, qui per afflictiones, calamitates, mortem ad splendorem cœlestis regni deducuntur: duplex item de eis censura, altera humana, altera diuina: in hac sacra narratione nobis perpenda proponitur.

Cor.) in quo solo aut uirtutes dignæ imperio, aut uitia indigna spectantur.

Paruulus est, & pascit oues.) Omnium pastor recipitur, qui Israelitarum pastor creetur.

Sic

Sic Abel pastor ouium, charus Deo fuit. Charus autem Dauid Deo erat, propter eũ qui ex eo profecturus erat, propter Messiam uidelicet benedictum, qui de se dicit: Ego sum pastor ille bonus, et cognosco oues meas, & ego cognoscor à meis. Obseruandum hic, quæ sit ouium natura, pastus, usus. annotandum item, quæ pastorum cura, habitus, victus.

Et directus est spiritus Domini.) Verbum תצלח indicat Dauidem correptum spiritu diuino, quo feliciter omnia ageret: et contrà, Saulum eo destitutum.

Spiritus Domini malus.) Satan, per quem à Domino missum, Saulum uexatum hic legitur. Opponitur ergo per contentionem malus Sauli spiritus bono, quo Dauid est afflatus. is fortitudinem res aduersas constanter ferendi, dexteritatem rerum gerendarum, moderationem, hilaritatem affert. Ille abiectionis animi, infelicitatis in rebus curandis, superbiæ, inuidiæ, odij, tristiciæ & uesaniæ autor est. Atque utrumque spiritum proficisci à Deo, indicant hæc uerba: מאת יהוה. Itaque legimus de Satana apud Iobum, ut is quoque inter ministros throni cœlestis assistat, ad Dei mãdata, quæ obeat, intentus. De utriusq; spiritus fructibus uideris apud Apostolum in epistola ad Galatas. Sed quærat aliquis: Si utriusque spiritus, boni & mali, potestas à Deo est, quid interutranq; intersit, & ut altera alteri contraria sit. A' Deo quidem utraq; est, sed non una ratione. altera enim potestas sic à Deo est, ut per se ei placeat: & quæ ab ea fiunt, ita fiunt, ut sua natura & uoluntate ea probet Deus. Nam quæ bonus spiritus, qui Messiæ spiritus est, efficit, huiusmodi sunt, quæ cum lege de amando Deo, & diligendis hominibus, proximè diuinam naturam in Christo attingentibus, consentiant: quiq; ea potestate reguntur, in luce, iusticia, & uita uersentur. ut exemplo hic Dauid est, et omnes omnibus temporibus pij. Altera autẽ potestas, hoc est Satanæ potestas, qua ad nocendum tum fortunis, tum corporibus, tum animis humanis utitur, à Deo quidẽ est: sed ita, ut ea non per se Deo, quam Satan gerat, sed propter eorum patefactionem, quæ Deo per se ut sint, probantur, placeat. Veluti Dominus ipse apud uatem Iesaiam lædere, affligere, damnare, perdere, aliena sua opera uocat: propria, benefacere & seruare. ad quæ opera ostẽdenda, quibus sua natura oblectatur, contraria per Satanæ potestatem edit, qui pro sua bonitate per tenebras ad lucem, per mortem ad uitam, per infernum ad cœlum, per uarias calamitates ad futuræ gloriæ participatum uiam atq; iter munit, ut supra Hãna confitetur, ubi canit: Deus mortificat, ut uiuificet: in infernum detrudit, ut in cœlum reuocet. Atque hic malo spiritui Satanæ permittit, ut Saulũ inuidia, odio & metu perdendi regni uexet, quo per bonum spiritum magnitudinem beneuolentiæ suæ, & bonitatis erga Dauidẽ declaret. Dicas: Punire atq; animaduertere in sontes iusticiæ diuinæ opus esse, quo tribuitur cuiq; pro factis: atq; ita tale opus minimè à Dei natura alienũ, sed ei conueniens cerni. Si in animaduertendo in noxam, iusticia diuina spectatur, ipsa animaduersio conueniens naturæ, Dei opus iudicabitur: sin occasio animaduertendi, à culpa alienum fuerit, ut ipsa culpa. Secus conseruationis opera ad salutem habent, quæ remissam culpam & restitutam probitatem comitantur. Atq; inde de ingenio & natura Dei dicuntur esse. Vnde Dominus de se dicit: Nolo mortem peccatoris, sed potius ut ad se redeat, & uiuat.

Qui coram te sunt.) in potestate tua. Sic in Genesi de Rebecca: En Rebecca coram te est.

Scientem psallere.) Laus Dauidis, à corporis & animi uirtutibus. In animi uirtutibus fortitudo, prudentia, & præclaræ artis musicæ cognitio: in corporis dotibus ualetudo, pulchritudo & robur numerantur. Pulchritudo, à qua hic commendatur Dauid, in duobus consistit: unum est, ut adolescentes qui ea præditi sunt, habiles aptiq; sint ad labores: alterum, ut corporis habitus plenus gratiæ sit & uenustatis, qui ipsa compositione membrorum oculos moueat, atq; delectet, hoc ipso, quòd omnes inter se partes cum quodam lepôre consentiunt.

Et Dominus est cum eo.) A' fauore ac beneuolentia diuina: quæ præstãs laus est, inter Dei amicos numerari, qui nostra consilia, uoluntates, & omnes actiones per sacrum suum spiritum regat.

Et uenit Dauid ad Saul.) Diuinæ prouidentiæ erga Dauidem exemplum. Is ut unctus rex est à Samuele, in regiam aulam uocatur, qui regijs & militaribus negocijs assueseceret: & priusquam ad regni splendorem eueheretur, uarias calamitates, depressus, cruce experiretur, occasione exercendæ fidei & fortitudinis heroicæ, per odium, inuidiam & insectationem Sauli oblata.

Stetit coram eo.) יעמיר pro שמיש hoc administrandi uerbo. Sic Iosephus in Genesi coram Pharaone stetisse legitur.

At ille dilexit eum nimis:) eius animo ab inuidia nondum occupato: à qua solet beneuolentia, ut ignis ab aqua, extingui.

Dauid tollebat citharam.) ad maniã ac uesaniã musicis modis mitigandã. is enim musicæ præclarus usus est. Hinc ea tanto in honore & precio apud ueteres fuit, ut ijdem uates, sapientes & musici uocarentur. Itaq; apud Græcum uatem musicus quidam se Deo & hominibus canere dicit, canendiq; artem à Deo sibi tributam fatetur:

— ὥστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀείδω,
αὐτοδίδακτος δ' εἰμί, θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἵμας
παντοίας ἐνέφυσεν.—

Vnde intelligere licet, quantam uim soni habeant, qui præcipuè sensus mouent, affectusq; excitant: quòd hi maximè cum motu fiunt. Qui si asperi & concitati sunt, ad concitandos animos cum primis ualent: sin molles, parui, concinni, ad mouendam commiserationem apti sunt: sin molles, celeres & compositi, alacritatem inducunt. Quales hi, quib. delinitus fuit Saulus, soni fuisse uidentur. Sunt etiam qui ad moderationem, temperantiam & grauitatem morum apposite iudicantur: quales graues, tardi, mixtiq; ex asperis et mediocribus habentur. Quapropter sapientes homines duabus in rebus aures, quæ de conuentu iudicant, oculis antecellere traduntur: in percipiendis literis & disciplinis, & in sonis ad temperandos affectus iudicandis.

Et refocillabatur.) רוח respirandi uerbum est, & relaxandi, quòd respiratio pectora relaxet, quæ cõstricta cohibito anhelitu sunt. Hinc refocillandi, reficiendi, leniendiq; metaphora mutuata. Sauli mœsticiam, quam neglecti mandati Dei conscientia, & amittendi regni metus incusserat, dulcior citharæ modus discutiebat. Itaque Græcus uates Achillem quoq; ubi opprobrio affectus fuisset ab Agamẽnone, cithara dolorem suũ leniisse ostendit: (γέιν ἠρ δ' ἐνρον φρεσὶ πρηπόμενον φόρμιγγι λιγαλῆ.—

Et fertur Pythagoras iuuenem furentem mutatis modulis cohibuisse. Sic à Terpandro & Arione Methymnæo Lesbios & Iones, & ab Ismenia Thebano multos in decoris moribus immanes, concentu & musicis numeris ad humanitatem reuocatos, literis proditum est.

Malus spiritus.) dæmonium malæ conscientiæ angoribus Sauli animum uexans, unde atra bilis & insania nascebatur. Conscientia enim scelerum, & terror diuini iudicij, quos moremur inducat, non ignorauit etiam ille apud Tragicum:

τί χρῆμα πάσχεις; τίς σ' ἀπόλλυσι νόσος;
ἢ σωφρονοῖς, ὅτι σωφρονεῖν δοκεῖς κακά.

Spiritus igitur malus tum corpora, tũ animos eorum quos corripuerit, afficit. In corpore cernũtur, fastidium, inedia, macies, stupor, pectoris angustia, pallor, tædium uitæ: in animo, mala conscientia, metus diuini iudicij, furor, inuidia. Huc pertinet illud de horrẽdis Furijs, quæ tenebrarũ finguntur filiæ, Δραχωντώλεις appellatæ. Cæterùm Dauid Sauli malum spiritum musicis numeris, pulsata cithara, depellit, sed qui rediret. Noster Dauid Christus Iesus, suæ citharæ modis, quos Euangelij spiritus incinit, quibus morbis electos liberet, quæ dæmonia expellat, quanta hilaritate, diris malæ conscientiæ sublatis, animos perfundat, norũt, qui malum illum spiritum uictũ sibi esse sentiũt. de quo musicus ipse cœlestis: Princeps mundi iam iudicatus est.

IN CAPVT XVII.

COngregãtes autem Philistijm.) Monomachia inter Goliathum Palæstinum & Dauidem Iudæum describitur. In qua primò Goliathus ab ætate, statura & robore, à peritia rei militaris, & armis, cum Dauide conferẽdus fuerit: quo eius uictoria illustrior, & Dei gloria amplior appareat. Deinde submota mysticæ uictoriæ umbra, in eam uictoriam animus intendendus, quam Dauid Messias de suo Goliatho reportat, ex grauissima peccati & mortis pugna, tributo spiritu ueræ libertatis electis Israelitis uindicatis. De his ordine inter interpretandum.

Inter Socho & Azecham.) De his locis Iudææ tribus, uide apud Iosuam.

In finibus Damim.) In Paralipomenõ libro legitur זפס דמים.

Spurius.) בנים Græci Δηϱωτός. Videtur notari uir immanis, qui cæteros hominum filios immanitate & corporis robore superaret: alij aliter. Paraphrastes, מבניהון: id est, prodijsse inter utrosque. Hunc nonnulli Hebræi interpretes sequuntur.

Altitudo sex cubitorum.) Descriptio Goliathi, à statura, armis & insolentia.

Lorica hamata.) A squamis piscium sumpta metaphora, in חשׂקשׂ. Igitur si statura spectetur, erat sex cubitos & palmum ac dodrantem procerus: sin arma, in his cernebatur galea, lorica, ocreæ, clypeus, lancea, hastile instar textorij iugi, mucrone ferreo sexcentos siclos pendente.

te. Insolētia in prouocatione ad monomachiam, et contemptu Dauidis spectabatur.

Et metuebant nimis.) Saulo spiritu fortiter & prosperè res gerendi destituto. Sic enim paulo suprà: Et spiritus Domini recessit à Saul. Non leuis metus, sed qui animos frangeret, in Hebræis uerbis ויחתו וירא מאד ostenditur.

Dauid autē.) Ex altera parte Dauid à genere, ætate, uitæ cōditione, & à patria describitur.

Reuersus est à Saul.) ad quem uocatus fuerat, qui eius animū cithara leniret. Itaq; ut spiritus malus per uices uexabat Saulum: ita Dauidi suum ad suos commeandi concedebatur tempus. Ostenditur uitæ conditio, qui non militare ut Goliathus, sed pastoricium uitæ genus exercuerit.

Quadraginta diebus.) ignauiam & metū Israelitis exprobrās. Qui fastus probro afficientis exercitum Israeliticum, perniciem ei attulit, & Israelitis salutem: Deo superbos deijciente, & humiles extollēte. proinde ab eo occasio quæsita est de pascuis ouium Dauidem euocādi, qui tātæ petulantiæ ultorem se præberet, ut sequitur.

Dixit autem Isai.) sic instinctus à Deo, exercitus sui curam gerente aduersus præputiatos, à quibus atrox prælium suis imminere intelligebat: quod cum per Dauidem dirimi uellet, in tēpore legimus hic à patre Isai iussum Dauidem currere, diuersum patre & Deo spectante: hoc, ut per Dauidem præclarum fortitudinis exemplum ad liberandos Israelitas ederet: illo, ut liberi haberent res ad uictum necessarias, quorum senilis ætas, quo uicinior morti est, maiorem curam habet, ut in quibus se parentes uicturos, & generis perpetuitatem conseruaturos sperent. Hinc Salomon senū ornamenta nepotes uocat, & parentū decus liberos: עטרת זקנים בני בנים ותפארת בנים אבותם.

Et decem formellas caseī.) Paraphrastes: גרבניו הלבאי. id est, caseos lacteos, hoc est, recentes. In uoce Hebræa חריצי notatur forma caseis impressa. Græci, τριφαλίδας.

Fugerunt à facie eius.) ut Dauidis diuinæ fortitudini declarandæ locus foret. Reducto uelo, occurrit Goliathus ille princeps mundi, cunctis electis à potentia peccati & mortis terribilis, ab uno Dauide Messia superandus. Eadem uictoriæ gloria cernitur in Antichristi, filij satanæ, euersione, quem noster cœlestis Dauid non humanis armis, sed spiritu oris sui interficiet. qui quo mā erat tanquā surculus ex caudice Isai pditurus, mentio hic Isai patris Dauidis temerè non fit. De quo surculo Messia uideris apud Iesaiam.

Virum ergo qui percusserit.) Præmia uirtutis & honoris signa proponuntur, filia regis, opes, immunitas. His stimulis magna ingenia ad res fortiter gerendas accenduntur. At uerō Dauidis animus gloriam Dei & Israelitarum salutem spectabat, spiritu incitatus, de quo suprà fit mentio, ותצלח בו רוחי.

Absq; tributo.) liberi & immunes à iure regio, suprà à Samuele exposito.

Quid dabitur?) Hæc interrogatio nō magis præmia, quàm uindicationem dedecoris, quo præputiatus Palæstinus aciē Israelitarū affecerat, cogitātis fuit. Nouerat enim sanctus adolescēs, uera gloriā à modestia, fide & amore in Deum, à pietate in parētes, ex benefactis magnisq; in rempub. meritis nasci: nullaq; præstātiora præmia esse, quàm quæ in ipso consortio & participatu diuinæ iusticiæ & fortitudinis per sacrū Messiæ spiritum declarandæ consistunt. Hoc heroico spiritu impulsus Dauid, cogitauit abolere opprobrium, quo nomen Dei patrij, & gentem suam, quam regio sceptro recturus erat, superbus hostis dehonestabat. quare sequitur:

Quis est hic incircumcisus?) Indignatio, à præputio diuino fœderi infesto. in quo fœdere continentur, submoto mysticæ circuncisionis typo, pectore à uitijs ignorantiæ & contemptionis Dei circumcisi: hos quàm turpe sit, & diuinæ æquitati intolerabile, probris affici ab illis præputiatis Palæstinis, sub satanæ et filij eius Antichristi signis militantibus, declarat illud Zachariæ: Qui uos tetigerit, pupillā oculi mei tetigerit.

Dei uiuentis.) A persona Dei, quem sacris Israelitarum agminibus deturpatis dehonestarint. Viuentē Deum uocat, qui uerè uiuat, & ipsa perennis uita sit: & cæteris, ut uiuant, uitalē halitum tribuat. de quo illud: In ipso sumus, uiuimus, & mouemur. Hæc ergo in hac sua indignatione confessus est Dauid: primò, Israelitas esse populum Dei, & cæteras gentes præputiatas ab eo alienas esse: deinde, Deum uerè uiuere, rerum omnium autorem, & moderatorem: qui suæ uitæ, eos quos in fœdus suum susceperit, consortes reddat per spiritum sacrū: de quo illud, Spiritus uiuificat. Item: Lex spiritus uitæ liberū me reddidit à iure peccati & mortis. Atq; hoc cōsiderat Deus, cū se Deū Abrahami, Isaaci & Iacobi, & hic atque alijs in locis se Deum Israelitarum uocat. Postremò in hac indignatione agnoscit Deū Israelitarum tam potentē esse, qui ipsos defendat, ab hostib. eorum ultione sumpta. Sicut infrà dicit: Ipsius enim est bellum, & tradet uos in manus nostras.

Quod cum audisset Heliab.) Exemplum maleuolentiæ ac inuidiæ in maximo natu. Simile in Caino in Abelem, in Esao aduersus Iacobum, fratrum in Messiam cernitur.

Nunquid non uerbum est?) Apparet, defectum in hūc modum sarciendum esse: Quòd ad uos in castra ueni, patris id iussu factum est: & quod tento aduersus Goliathum, audaciæ non est ac temeritatis, sed consilij diuini, cuius uerbo & uoluntate tantum opus molior. De uerbo infrà ipse constanter fatetur: Ego autem uenio ad te in nomine Domini.

Non concidat cor.) Hortatio plena fidei, nata ex spiritu de quo illud רוּחַ צָלְחָה. Contraria cernūtur in Saulo, de quo hic: Audiēs Saul metuebat ualde. Nota est metaphora in רפה, pro despondere ac abijcere animum.

Quia puer es.) Duo affert Saulus ad dehortandum: alterum ætas est, alterum imperitia rei militaris. Oblitus, ut recessit ab eo Spiritus bonus, Deum ab ijs stare, qui omni humano præsidio destituti, opem omnē ab uno ipso expectāt.

Pascebat seruus tuus.) Aptus typus formatur eius Dauidis pastoris de quo Ezechiel: Et seruus meus Dauid, rex super eos, & pastor unus est omnium eorum. Qui pastor quos nobis ursos & leones uincat, notum est ex illo: Leones cōculcabis, & dracones.

Dominus qui eripuit me.) non mea fortitudo, sed eius fortitudo in me uersans: hoc est, sacer spiritus fortitudinis, quo Messias exornatus apud Isaiam legitur: cuius noster Dauid figurā prætulit. Argumentis spem uincendi Goliathi, à paribus exemplis desumptis confirmat.

Non possum sic incedere.) Narratio sacra admonet, alia Saulo, alia Dauidi arma conuenire: illum armis & potentia humana fidere: hunc Dei uiribus niti, ad pugnam baculo pastoricio, funda, lapidibus ex torrente lectis instructum. Reducto uelo, in baculo indicatur pedum de quo uates: Baculus eius & pedum me consolantur. Significatur oraculorum Dei administratio, qua oues reguntur, de quibus illud: Oues meæ uocem meā audiunt. Lapide quo deiectus est Goliathus, adumbratur lapis de quo Dauid ipse his uerbis: Lapis ab ædificantibus reiectus, adhibitus est ad caput anguli.

Et despexit eum.) ut declararet uerum esse illud: Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Submota mystici Dauidis umbra, occurrit illud apud uatem Iesaiam: Despectus & nouissimus uirorum. & de eius uictoria de forti Goliatho, hoc est potestatibus tenebrarum parta: Et fortium diuidet spolia.

Erat autem adolescens.) cuius formæ elegātiā putaret, assuetus militiæ hostis, longe à militaribus studijs abhorrere: bello exercitatos homines sole, uigilijs, laboribus, puluere, inedia decolorantibus.

Nunquid canis ego sum?) Hac comparatione, conspecto baculo & lapidibus, apud Dauidem utitur, quibus canes peti solent. Itaque ubi Hebræus habet, Baculo: Græci addunt, καὶ λίθοις: ut, Tu me baculo & lapidibus adorière? Neq; uerò canis appellatio ab illo aliena fuit. Nota enim est canum rabies, libido, uoracitas, & cum rabie coniunctum adulandi studium. Tales sunt hostes Dauidis & sanctorum Israelitarum. Quare quàm malè audiant canes in sacris literis, noster Dauid declarat: Nolite sanctū dare canib.

Et maledixit.) Non contentus despexisse diras etiam intentat non solum brachia, clypeum, lanceam: sed etiam uirulentum os in diuinum adolescentem armat.

In dijs suis.) per deos suos, quos præputiatus Goliathus Deo uiuenti, quem Dauid colebat, audet opponere, crimen crimine augens: quo impleta mēsura improbitatis citius periret, semel ad interitum destinatus.

Dabo carnes tuas.) negata sepultura. Stulta uictoriæ præsumptio in hoste Dei Israel, à quo uno omnis uictoria proficiscitur.

Tu uenis ad me cum gladio.) Notatur impiorum ingenium, qui contempto præsidio diuino, suis uiribus, armis & potentia fidunt.

Ego autem uenio.) Contentio memorabilis: sanctos una ope diuina niti. Nomen Dei, quod est sapientiæ & potentiæ diuinæ uis, opponitur inertib. deorum alienorum nominibus, uiribus, armis, potentiæ, & sapientiæ mundi.

In nomine Domini.) Hinc illud: Turris fortissima, nomen Domini.

Et dabit te Dominus.) tuis dijs te nō liberaturis.

Et auferā caput tuū.) Caput Goliathi petitur. Submota umbra, occurrit alter Dauid, qui hostis sanctorum Israelitarum caput petit, de quo apud Mosem: Ipsum conteret caput tuum.

Et bestiæ terræ.) Meritò uolucribus cœli, & feris terrestribus impiorum cadauera traduntur, qui ius in animantia iniuria sibi usurpēt, eo ad pios pertinente in eo de quo Dauid canit: Omnia subiecisti pedibus eius.

Vt sciat

Vtſciat omnis terra.) Deum uiuentẽ uerſari inter Iſraelitas ſpiritu oraculorũ ſuorum. Quæ præſentia maximæ dignitati eſt Iſraelitis. Sic Aegyptij, ſic Moabitæ & Ammonitæ, ſic Amalechitæ, ſic Chananæi, ſic Aſſyrij experti ſunt, Deum cœli & terræ rectorem ſtare à ſuis Iſraelitis, aduerſus ipſorum hoſtes. Sic nouit Satan cum ſuis miniſtris, noſcetq; breui ſpiritualis ille Goliathus, aduerſarius cœleſtis Dauidis Meſſiæ, & omnes impij in caſtris illius merẽtes, cœli & terræ Dominum Meſſiam in ſanctorum Iſraelitarum, hoc eſt, electorum Eccleſia uerſari, eam tueri & defendere.

Ipſius enim eſt bellum.) qui appellatur Dominus exercituũ, & Deus agminum Iſraelitarum.

Et funda iecit.) Nec noſtro lapidi ex aquis lecto, Chriſto Domino noſtro deeſt funda, è qua iaciatur ad interficiendum Goliathum ſuum. Funda autem hæc eſt, os miniſtrorum ſacri Euangelij, è quo longè lateq; ad hoſtes ſuos perimendos, & ad ſeruãdos electos regni ſui, Chriſtus lapis è monte ſine manibus excius tacitur. De qua funda illud: Prædicate Euangelium hoc uniuerſæ creaturæ.

Percuſsit eum in fronte.) non in occipitio, ſed ea parte quæ ſenſuum coitu inſignis eſt. Nam ibi communis ſenſus iudicandi de rebus ſenſibus ſubiectis, munere fungitur: & ut quiq; ſenſus ſunt, ita legimus à Dauide quinque lapides ex flumine lectos. Reducto uelo, occurrit illud: Diſperdam ſapientiam ſapientum. Itaq; diuinus Spiritus in hac myſtica hiſtoria admonet, à lapide Chriſto non leuia, ſed ſumma & ampliſſima, quæ fortiſſimus hoſtis habet, peti per Euangelij admiſtrationem, in qua arma militiæ non carnalia certantur, ſed potentia Deo ad demolitionem munitionũ, quibus armis cogitationes & omnem ſublimitatem elatam contra Dei cognitionem deturbamus. Alia igitur ratio frõtis Pontificis ſacri eſt, in qua pendente lamina aurea Dei nomine inſcripta, admonebatur is ſapientiæ diuinæ, qua ſuperet, mundi ſapientiã ſtultitiæ habens. Secus cõpoſita fuit frons Goliathi, à Dauide lapide confracta.

Et cecidit in faciẽ ſuã ſuper terrã.) Legis talionis par fuit, ut pronus humi cõcideret, qui Dominum in cœlis habitantem, & ſacrum eius exercitum opprobrio afficere ſit auſus. Idem iudicium manet aduerſarium noſtri Dauidis. de quo apud Ioannem: Cecidit cecidit Babylon magna.

Et tulit gladiũ eius.) Immanis ille Goliathus gladio ſuo periit, quo Dauidem confodere cogitauit. Is eſt interitus aduerſarij noſtri Dauidis, & impiorum qui illius ſpiritu feruntur, ut ſuis ipſorum armis pereant, cum ipſos ſua ipſorum conſcientia interimit, à iudice Meſsia ſupplicio per Euangelium intentato. De his armis Apoſtolus: Simul atteſtante illorum conſcientia, cogitationibus inter ſe accuſantibus in eo die, cum iudicabit Dominus occulta hominum, iuxta Euangelium meum per Ieſum Chriſtum.

Fugerunt.) metu ad fugam incitante, ut eſt ipſius metus fuga comes. Qui antea metũ degenerem Iſraelitis per Goliathum ſuum exprobrarant, iam turpi fuga animos deſpondentes ſibi conſulunt.

Vociferati ſunt.) In רִיעַ iubilis uictorum clamor notatur.

In Hieruſalem.) in qua tanquam regni ſui futura ſede in poſtera tempora monumentum tam inſignis uictoriæ extaret. Cuius uicti Goliathi caput uictor noſter Dauid oſtentet in electorum Hieroſolyma, ſatis notum eſt ex illo Apoſtoli: Exſpoliatoſq; principatus ac poteſtates oſtentauit, palàm triumphans de illis per ſemetipſum.

Arma uerò ſua.) Repoſitum in tabernaculo fœderis gladium Goliathi, infrà legitur.

IN CAPVT XVIII.

ANima Ionathæ.) amorem hunc inter Ionathanem & Dauidem, fidei & ſtudiorum ſimilitudine, matre amicitiæ, conciliante. uterq; Deum patrium amabat, & in grauibus periculis eius unius numine per fidẽ utebatur, uterque heroico ſpiritu ad res magnas gerendas impellebatur.

Quaſi animam ſuam.) Vt eſt amor ἰσόψυχος καὶ μία ψυχή, & amicus alter ipſe. Nam in quibus eædem uoluntates, eadem ſtudia ſunt, amici appellantur. Itaque fit, cum æquè alter alterum diligat atque ſeipſum, efficiatur, ut unus fiat ex pluribus. Inter paria amicorum, quæ pauca numerãtur, hoc Dauidis & Ionathanis par inter memorabilia exempla numeratur. Diuina autem prouidentia tam arcta hæc amicitia inter hos coaluit, ut eſſet Dauidi amicus, qui eum de Sauli in ſidijs commonefaceret, & Saulum ſæpe à crudelibus conſilijs retraheret. quod nemo melius Ionathane filio, cui omnia arcana ſua pater credebat, præſtare potuit.

Tulitq; eum Saul.) ut ita prouidente Deo, qui in regno ipſi Saulo ſucceſsurus erat, regijs negocijs aſſueſceret.

Fœdus

Fœdus.) quod amor, in quo omnia prospera & aduersa, communia efficiuntur, inter ipsos conciliauit ac sanxit. Quanto arctius inter cœlestem Dauidem & suos Ionathanes fœdus sancitur per eum amorem, de quo illud: Deus amor est: & qui manet in amore, in Deo manet? Atq; per hunc amorem unum efficitur, de quo arbiter huius coniunctionis: Sint unum, ut nos unum sumus. In quo uno communicatio diuinæ naturæ, iusticiæ, uitæ, gloriæ, & omnium bonorum cœlestis regni cernitur.

Prudenter se gerebat.) spiritu gubernatus, de quo suprà mentio fit. Hoc spiritu præditus cum intelligeret, eo ornatos omnia prudenter & feliciter agere, reuocata hypothesi ad thesim, hanc sententiam Psalmo primo exposuit, בל אשר יעשה ישכיל.

Et acceptus erat in oculis.) commẽdatus à pulchritudine, & animi uirtutibus, mirabiles amores excitantibus. Præcesserat de prudentia, rerum rectè gerendarum moderatrice uirtute. Quæ præcipue tantum conciliandæ beneuolentiæ causa erat.

In conspectu famulorum Saul.) contrà quàm ferat mos aulicorum, quem uincebat diuina cura pro Dauide uigilans. Qua sæpe fit, ut ijs quibus Deus oblectatur, qui inimici fuerant, placentur, ut est in Salomonis Prouerbijs.

Egressæ sunt mulieres.) gratulatum uictoriam. In gratulatione honoris causa, cantus, chori, tympana, barbyta adhibebantur. Cum autem uariæ honoris sint partes, πόφοι, θυσίαι, γόρα, δῶρα, τιμάι, πεοσφοίαι, εἰκόνες, πεοσκυνήσεις, ἐκτάσεις, τροφαὶ δημόσιαι, μνῆμαι ἐν μέτροις: hoc postremo genere usæ sunt mulieres. Ionathan muneribus, ijsq; militaribus, ad ornandum Dauidem usus est.

Iratus est autem Saul.) ut solet ira ex despectione nasci. Saulus Dauidis uirtutibus & gloriæ inuidet, ob quas dotes à Ionathane amatur, & obseruatur: alterum spiritu bono, alterum malo ferente, cuius hæc in Saulo ira & inuidia fructus erat. O quot hodie sunt Sauli.

Ni solum regnum.) Qui intelligeret, ob regias uirtutes coli Dauidem. necnon ueniebat in mentem oraculum illud Samuelis: Quæsiuit Dominus uirum ex animi sui sententia, cui regendum populum suum tradat. Cui sententiæ hypocrisis se subijcere noluit, quæ suam potentiã & uirtutes in admiratione esse cupiebat, Dauidis despectas.

Decem millia.) Numerus obseruandus est, quo perfectus hostium, quos superarit Dauid, numerus significatur. Submouendus typus.

Non rectis ergo oculis.) ut est inuidiæ oculus malignus. Hinc Latini, à nimis intuendo fortunam alterius inuidiam dictam uolunt. Hebræus eleganter uno uerbo utitur עין.

Spiritus Dei malus.) Satan inuidiæ parens. Qua inuidia correptus Saulus, sollicitus erat de Dauide euertendo, ut regnum contra sententiam Dei retineret. In inuidia igitur hæc uitia cernuntur. Primò, aduersus Deum pugnat: quæ impulsi, diuinam uoluntatem impedire student, suam confirmare, ut hic Saulus exemplo est: qui ut se contra sententiam Dei de transferendo regno gesserit, narratio ipsa indicat. Qua in re ut mitatus sit inuidiæ architectum Satanam, nõ est obscurum. Cuius inuidia in primo homine, ad nexam & mortẽ adducto: in altero occiso, & in eis qui nomen illius profitentur, crudeliter insectandis, ostenditur. Deinde, inuidia bona in altero inimico persequitur, quæ amare, non odisse oportebat: de malis uerò gaudet. ut inuidiæ non alia medicina cernatur, quàm si is cui res prosperæ fuerunt, in aduersas incidat. Demum, hoc malum inest in inuidia, quæ cum alteri nocere studet, eum ipsum quem inuasit, maximè perdat, animum eius instar tineæ erodendo. Rectè igitur quidam dixit, inuidos non aliter suo ipsorum uitio atque ferrum rubigine absumi. & sapienter Salomon, purtredinem ossium, inuidiam uocauit. Verè ergo Satyricus dicit:

Inuidia Siculi non inuenere tyranni,
Maius tormentum.——

Itaq; ut abiecti animi est, inuidere alijs sua bona: sic quoq; in corporibus inuidorum hominum suæ apparent notæ inuidentiæ ac maleuolentiæ, pallor, liuor, macies, uultus tristior, aspectus obliquior ac malignior, qualis legitur hic Sauli fuisse. Quocirca philosophus quidam conspicatus quendam tristiore uultu, qui habebatur inuidus: Nescio, inquit, utrum tibi acciderit aliquid mali, an alteri quippiam boni. Contrà, beneuolentia, amor ac charitas comparata est: in qua contraria bona malis, quibus inuidia laborat, spectantur. Denique Apostolus: Charitas non inuidet. Hæc legitur ex Deo originem ducere. de quo apud Ioannem: Deus charitas est. Inuidia uerò ex malo illo, de quo hic: Inuasit spiritus Dei malus Saulum.

Et prophetabat.) ea quæ dæmon suggerebat, bacchans effutiebat. κατεχεσιάζω igitur usurpatur hic ויתנבא.

Putans quòd confugere posset.) Expo-

Exponitur fructus prophetationis, hoc est bacchationis Saulinæ, studium occidendi Dauidis. Hæc est uaticinandi ars in impijs hypocritis, quã discunt ab eo magistro de quo illud: Qui erat homicida ab initio. Cæterùm apud Hebræos loquẽdi uerbũ ריאמר pro cogitare usurpatur, ac deliberare, quòd animo quoq; suus sermo sit. Seruatur & in nouo fœdere is loquendi modus: Ecce quidam è scribis dicebat intra se: id est, cogitabat.

Eo quòd Dominus esset cum eo.) contra quem nulla humana ualerent cõsilia. caussa metus exponitur, quæ cernitur in re quæ aut interitum aut molestiam uideatur allatura. Metuebat autem Saulus fore ut ex sententia oraculari, à Samuele explicata, regno spoliaretur: quo homines in rebus humanis nihil maius ac præstantius esse putant. Itaq; ut inuidia, sic etiam metus, Sauli mentem de gradu deijciebat. De quo illud ueteris poetæ: Tum pauor mihi sapientiã omnem animo expectorat.

Et fecit eum tribunum.) Inuidia non honorẽ, quem molestè ferebat: sed interitũ, quẽ bellum afferret, spectante.

Ipse enim ingrediebatur & egrediebatur.) negocia domi & militiæ prudenter & feliciter exequens: Quod est Hebræis ויצא ובא.

Saulus autem reputabat.) Declaratur hypocrisis: cuius natura est, ut per eam hypocritæ, cum nihil minus uideri uelint quàm sanguinarij, maximè cædes spirent. Atq; tum gloriam Dei præcipuè labefactare student, cum pro eis haberi uolunt, qui illã tueantur. Vt hic cernere licet in Saulo, cum dicit: Et Domini bella geras.

Quis ego sum.) Dauidem non res gestæ, non dignitas, non fauor popularis, non ipsum delatum à Deo per Samuelem regnum extulit, quo minus diceret: Quis ego sum, aut quæ meæ uitæ conditio? Qua animi demissione quem nobis Dauidem repræsentet, satis manifestum est: eum inquam Dauidem, qui de se prædicat, Discite à me quòd mitis sim & humilis corde.

Data est Hadrieli.) Inuidiam perfidia cõmitatur, iusto iudicio Deo culpam culpa puniẽte: quo citius periret hypocrita, quem cœpisset semel Deus odisse.

Ego autem sum pauper & tenuis.) In Hebræo est, tenuis & abiectus. Vt solent pauperes contemni, cum etiam generis nobilitas carẽs diuitijs, neglecta iaceat, ut est apud Tragicũ: πρὸς τὸ μὴ ἔχειν τὸ γὰρ, ὄκνει βόσκει με. Duid mysticus tenuitatem suam cõfitetur. idem facit uerus noster Dauid: Filius hominis non habet ubi reclinet caput. & de eius abiecta conditione idem apud Iesaiam: Despectus & abiectissimus inter homines.

Centum præputia.) Palæstinorũ præputia carnis insectari præ se fert hypocrita, qui cordis præputiũ gereret, nõ tam præputiatis infestus, quàm Dauidi: quem pectore circumcisum magis extinctum cupiebat, quàm Palæstinos carnis præputia gerentes. Sic sunt hypocritæ comparati.

Fuitq; Saul hostis Dauid.) inimicitiã erga illum immedicabilem gerens, de qua mox fiet mentio. Rectè igitur odium inueterata ira dicitur. iram tempore sanari, odium non item: odio crescẽte tempore, ira decrescente: quæ ultione non perniciali placatur. odiũ non prius, quàm is qui odio habetur, extinctus sit, deponitur. ideo sequitur:

IN CAPVT XIX.

VT occideretur Dauid.) Exitialis odij exemplum, quod innocẽtia Dauidis & eius præclara in rempub. Israeliticam merita grauabant. Sed longè graniore odio sui Sauli Messiam cœlestem Dauidem persequuntur. Quod odiũ sub persona mystici Dauidis psalmis aliquot describitur. Itaq; in hac historia adumbratur nobis sub figura Dauidis status Christi: & sub figura Sauli hostium Christi, eorum præsertim qui intra nos uersantur, natura atq; studia. Dauid nõ prius ad regnum elatus est, quàm uarias calamitates tulisset ab eo de quo bene meritus fuerat. inter suos & à suis hostiliter uexatus noster Dauid, ut per ærumnas et mortem ipsam ad regnum suum peruenerit, declarat illud: Quòd Christum oportuisset pati, et resurgere è mortuis. Vt autem à suis & inter suos malis affectus sit, Ioannes his uerbis testatur: In propria uenit, & sui eum non receperunt. Dauid propter innocentiam & studia bene merendi de suis, probris proscissus est. De nostro apud uatem legimus: Eo quòd iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius.

Dilígebat ualde.) non semper liberis referentibus parentes, sed in utramq; partem sæpe dissimilitudine in eos reperta. Licet enim bonorum parentum malos liberos, & improborum bonos cernere. ut exemplo sunt Cain, Esau, Absalon, si bonos spectes maiores: sin malos, exemplo est hic Ionathan, & infrà Ezechias, probus improbi parentis Achazi filius. Vnde intelligimus, animi probitatem nõ esse naturæ munus, sed

Dei donum: neq; id propagari quasi hæreditario iure in posteros, sed de cœlo proficisci: atq; genitu ræ nouæ opus esse, non ueteris. Apparet Ionatha nem à Saulo admonitum, nisi interfici Dauidem curaret, fore ut ipse regni hæres futurus non es set, eo ad Dauidem deuoluendo. Tanto igitur pro bior fuit Ionathan, quanto ab ambitione liber Da uidem magis dilexit, quem ob singulares animi uir tutes, fidem, prudentiam, fortitudinem, et præci puè propter beneuolentiam, qua eum Deus prose quebatur, amãdum potius existimauit esse, quam priuati commodi & honoris rationem ducendã. Quem diuinum amorem sacer spiritus, quo inuidiam & odium parentis Sauli in Dauidem, et seipsum uincebat Ionathã, moderatus est. Hoc est præclarum uictoriæ genus, quod una fide cõstat. De qua illud: Hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides uestra: fides inquam per amorem Dei & alterius, cursum pietatis conficiens. Adhæret Ionathan Dauidi per amorem, posthabito parente, neglecta regni spe. Quo Ionathanis exemplo monẽtur pij, quã fidem debeant suo Dauidi cœlesti præstare, qui præcipit: Si quis uenit ad me, nec odit patrem suum ac matrem, & uxorem & liberos, & fratres & sorores, præterea et animã suã, nõ potest esse meus discipulus.

Ne pecces rex.) Hortatio locis ab iniquo instructa. appellatio regis admonet Saulum officij, cuius sit insontes seruare. sontes plectere.

In seruum tuum.) fidum, & prudenter negotia tua domi & militiæ procurantem.

Quia non peccauit.) Ab innocentia, quam regis sit tueri, non euertere. Quæ regia fides regem tuetur, cuius solium nititur clementia, non tyrannide, ut est apud Salomonem in Prouerbijs.

Et opera eius.) A meritis tum priuatis in regem, tum publicis in multitudinem, quæ beneficijs ornari, non contemni debeant, multo minus malefactis rependi.

¶ Et lætatus es.) Qui tibi læticiæ autor fuit, iniquum sit ei te tristiciæ materiam præbere.

Quare ergo.) Cõcludit breui facta argumentorum repetitione, monendi gratia.

Iurauit.) sed falsò, inuidia dignitatem iuramenti, & cupiditate retinendi regnum, obseruationem nominis eius, à quo regnum, sed precariò adeptus fuerat, superante.

Per fenestram.) ostio à custodibus occupato.

Tulit autem Michol statuam.) pro תרפים, Paraphrastes צלמתיא, Humana spe-

cie apparet imaginẽ fuisse. quis uerò eius usus fuerit, scriptura non explicat. de Teraphim suprà interpretum sententia explicata est. Exemplum diuinæ curæ hic ostenditur, dum hostes frustra pijs ad cædem quæsitis, eorum solum imaginem & umbram persequuntur. Ex qua deceptione facile colligitur, impios cum in sanctorum corpora sæuiunt, in umbram tantùm eius hominis, qui uerè homo est, sæuire. In corpore enim hoc mortali imago, in mente uerò sacro Dei spiritu tincta, uera et expressa species hominis cernitur. In corpore item ex terræ limo facto, umbra: in illo corpore, quod cœleste ad uitam æternam excitabitur, conformandum glorioso corpori Christi, ueritas spectatur.

Inimicum meum.) qui & Dei & suus amicus esset.

Ad Samuel.) ut ad prophetam Dei, & ad eum à quo iussu Dei rex unctus fuerat.

Naioth in Ramacha.) Rama uel Rama tha ciuitas Samuelis, in qua, uel in uicinia, locus fuit Naioth appellatus, ut apparet, schola doctrinæ legis diuinæ, moderatore Samuele nobilis, ut præsens narratio de Samuele indicat. Itaq; Paraphrastes: ויתבו בבית אולפנא

Prophetarum uaticinantium.) Paraphrastes: מישבחין, hoc est, celebrantium Deum.

Samuelem stantem super eos.) In standi ניצב uerbo, præsidendi munus notari uolunt. Samuelem præfuisse prophetis, quos regeret & doceret, quomodo omnia ritè rectèq; agerent. quocirca Paraphrastes ניצב uertit מלרתן עלוהן.

Prophetare cœperunt & ipsi.) relicto persequendi Dauidem studio. Simile diuinæ curæ exemplum spectatur in ijs, qui ab hypocritis Pharisæis, Saulino spiritu afflatis, ad capiendum Dauidem Christum missi fuerant: qui capiẽdi eum studio prætermisso, ad prophetãdum, hoc est ad celebrandũ illũ cõuersi sunt. Sic enim legitur apud Ioannem: Venerunt ergo ministri ad pontifices & Pharisæos, & dixerunt illi: Quare nõ adduxistis illum? respõderunt ministri: Nunquã sic locutus est homo, sicut hic homo. Sic cũ Paulus Christianos inimicè insectari uellet, correptus spiritu Dei in itinere ad Damascum, relicto persequendi Christianos consilio, prophetare cœpit. Vnde intelligitur, sapienter à sapiente Salomone dictum: Cor hominis disponit uiam suam, sed Dei est dirigere gressus eius.

Spiritus Dei.) Spiritus propheticus.

Sic

Sic etiam Paraphrastes : רוח נבואת

Et prophetabat.) exemplo Bileami.

Et cecidit.) Sic de Bileamo עינים נפל וגלוי.

IN CAPVT XX.

FVgit ergo Dauid.) prophetante Saulo. Vtrumq; igitur opus Dei fuit, & prophetatio Sauli, & fuga Dauidis. Altero admonebatur Saulus, omnia posita esse in potestate Dei, etiam regis animum & potentiam. Altero Dauid animaduertebat, sanctos Deo curæ esse, quos facile ab hostibus liberet. Veluti Dauid hanc Dei curam expertus, canit: Diligam te Domine fortitudo mea: laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.

Quid feci.) Grauis expostulatio Dauidis, de Sauli iniurijs in se innocentem illatis. Expostulationem colorat interrogatione, apta ad uehemẽtem conquestionem exprimendam.

Quæ est iniquitas mea.) Non sunt uerba nullum in se uitium ac labem agnoscentis, qui fateatur. In uitio genitus sum, in peccatis concepit me mater mea: sed caussam suam defendentis uerba sunt, q se nullius criminis aduersus Saulum commissi conscium sciat. Bona igitur caussa fretus, sic infrà Deum arbitrum audet appellare: Iudica de me ex innocentia atq; integritate mea.

Qui quærit animam meam.) ad necem uitam meam. aduersus quem & eius similes in Psal. 5. Detestaris sanguinarios & fraudulentos. Ex Saulo licet intelligere, quàm sæua & crudelis belua sit hypocrisis.

Non morieris.) Iureiurando paterno commotus probus iuuenis, hæc dicit: cui cum patris hypocrisis nondum probè nota esset, putauit non tam sceleratum eum esse, ut iusiurandum uiolaret.

Quia uno tantum gradu.) Spectat Sauli uoluntatem, non Dei. Alterum cognoscebat capitalem suum hostem esse, alterũ protectorem. de quo illud: Deus protector uitæ meæ. At qui interdum diuina consolatione destitutus, hostis uim solum sentiebat, ut diceret: Deus meus, quid dereliquisti me? Atq; id facit Deus, ut piorum robur per infirmitatem ipsorum augeat, ut est apud Apostolum: Robur autem in infirmitate perficitur. Quæ tentatio ut in nostro Dauide Messia cernatur, declarat illud: Per omnia nobis similiter tentatus, sed sine peccato.

Fœdus Domini.) fœdus Domini uocat, quod non temerè, sed studio Dei inter ipsos esset initum: & quod iureiurando sancitum, Domini nomine insigne appareret.

Quia uictimæ solennes.) ut mos erat, eos qui eadem familia continebantur, singulis annis sacrificium offerre anniuersarium, ut suprà de Elcana legitur, זבח הימים.

Die secũda post calendas.) altera die nouæ lunæ. huius enim sideris cursum in supputãdis diebus & mensibus & annis obseruabant.

Filius Isai.) Despicientis Dauidem Sauli uerba sunt. sic infrà ad Abimelechum: Audi fili Achitob.

Fili mulieris.) Improbæ & contumacis mulieris sobolem Ionathanem facit, quam imitetur in rebellando: non faciens sui mentionem, ne se damnaret: ut solent hypocritæ, cum ipsi uitiosi sunt, in alios crimina reijcere. Matrem accusat, qui ipse accusandus esset. Similiter Paraphrastes & Hebræi interpretes נערת de matre interpretantur improba & rebelli. Furor à malo spiritu immissus in pectus Sauli, à Dauide usq; ad filiũ, ab hoc ad uxorem matrem Ionathanis progreditur, nemini parcens, ne sacerdotibus quidem sacrorum ministris: aduersus quos, ut mox narrabitur, Sauli furor armatus est, Deo ipsi bello indicto.

Filium mortis.) Paraphrastes, קטרל חייב: hoc est, reus mortis.

Cur morietur.) Libera, sed æqua reprehẽsio: qua, qui repugnaret parenti, Deo obediebat, ex lege prima: quam seruans, in legem hanc, Parentes honorato, nihil committebat, quorum mandatis contra uoluntatem Dei non sit obtemperandum. Vnde nata est hæc redargutio: Cur morietur? quid commisit?

Et arripuit Saul lanceam.) sic enim natura comparatum est terreni hominis, ut amicos amicorum amemus, & hostium amicos odiamus.

Intellexit Ionathan.) Ex comparatione maiorum & minorum ratione ducta, exitiali odio flagrare Saulum in Dauidem, propter quem & se filium interficere studuerit. Atq; id accidit diuina prouidentia, ut animaduersa tam perniciali inimicitia, in tempore Dauid à Ionathane de cauendo uitæ periculo admoneretur. Itaque sequitur:

Contristatus enim est super Dauid.) ut solent generosos animos ad indignationem iniqui eorum casus, quos meliore fortuna dignos esse putant, commouere.

Arma sua.) arcum & sagittas.

Adorauit tertiò.) prono in terram uul-

tu, honorem ei ut regis filio habens.

Dauid autem amplius.) cui bene merito de rep. patria, dignitas, amicus Ionathan, & patriorum sacrorum cultus deferendus erat.

IN CAPVT XXI.

VEnit autem Dauid in Nobe.) tabernaculo, aris, sacra supellectile atq; sacerdotum frequentia claram urbem. Quò profectus uidetur Dauid, ut ibi Domino causſam suã commendaret, qui unus supererat, ad quem, deserto omni humano præsidio, confugeret. Vnde ei expressa hæc uox est: Confido Domino.

Ad Abimelech sacerdotem.) De genere Eli sacerdotis, qui suprà capite XIIII uocatur Achias, filius Achitobi, de quo etiam mox infrà fit mentio: Et ait Saul ad Abimelech, Audi fili Achitob.

Quare tu solus.) qui esſet gener regius, & in maxima apud Israelitas, propter res præclarè gestas, existimatione. At uerò qui ab hominum comitatu solus erat, Dei non caruit, de quo, ipsius curam expertus, sic canit: Dominus petra mea et robur meum. Sic à Deo exercentur uarijs salutaris crucis stratagematis, quos ad dignitatẽ euecturus est. Quare rectè & sapienter Salomon dicit: Gloriam præcedit humilitas.

Si quid habes.) Varijs modis tentatur, odio regis, exilio, fame, desertione amicorum, ut eius Dauidis typum gerat, de quo sub persona sua canit: Ego autem sum uermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Laicos panes.) חֹל aduersum est קֹדֶשׁ, ut profanum sacro. Discrimẽ hoc in cæremonijs non ex natura rerum, sed uerbo Dei petitur, quo alia in sacrum usum consecrantur, alia non item. Hoc autem discrimẽ sub Messia Dauide tollitur, cuius regnum in spiritu, non in obseruatione rerum externarum cernitur. Figura igitur hic eius libertatis in Dauide mystico repræsentatur. Dico in cæremonijs. Nam sunt res quædã natura profanæ, quædam sacræ: profanæ quidem, uetus natura originis uitio defœdata, & uitia in ea hærentia: sacra autem natura sunt, à labe res liberæ, ut pater Domini Iesu Christi, Christus, & eius spiritus sacer: et huius dona, ut fides, spes, charitas, iusticia fide communicata, sapientia, uita, gloria. Hæc sic sacra sunt, ut profana reddi nequeant.

Si mundi sint pueri.) Honoris causſa famulos appellat, non Dauidem. Si famuli à mulieribus abstinuerint, ubi rem habere cum mulieribus legitimè per se immundum non fuerit. consecrata enim est ea congressio hac diuinæ benedictionis lege: Crescite, et multiplicamini. Sed cupiditas ac cõcupiscentia, omnia uitiãs per originis uitiũ, culpatur. Itaq; Apostolus: Nisi si quid ex cõsensu pro tempore, ut uacetis ieiunio & orationi. Temperanter igitur in matrimonio inuentum esse, monet lex Mosaica, & hæc historiadum esse, monet lex Mosaica, & hæc historiarati in diem tertium, & abstinete ab uxoribus uestris.

Ab heri & nudiustertius.) Quod temporis spacium lustrandis corporibus deputatur, ut liquidum est ex illo Exodi: Estote paPorrò uia hęc polluta est.) Sententia est: Etsi uia nostra profana est, qui cum domo exiremus, non cogitauimus sanctis panibus nobis opus fore, nihil tamen polluti accidit nobis: quanto magis hodie sanctè nos gessimus, ex quo animaduertimus sacris panibus, cum alij abessent, nos egere.

In uasis.) Alij de uestimentis, alij de corporibus Dauidis, & eorum qui cum eo erant, interpretantur. Vasorũ mentio etiam in noui fœderis scriptura retẽta est. Sic enim Apostolus ad Thessalonicenses: Vt sciat quisq; uas suum sanctè possidere. Item ad Corinthios: Habemus autem thesaurum hunc in testaceis uasis.

Calidi.) De lege singulis sabbatis duodecim recentes panes super mensam reponendi, uide deris in Exodo & Leuitico.

Dedit ergo eis sacerdos.) Admittuntur hic ad esum sacrorũ panũ, qui pollutinõ esuntur esurientes, qui spiritu fidei lustrantur: de sent. Ad panis, qui de cœlo descẽdit, esum admittuntur quo panis ipse apud Ioannem. Dauid hic legitur comedisse de panibus qui solis sacerdotibus sacri erãt. depositio typo, quo pane sacerdotali uescatur noster Dauid cœlestis, cum suis qui ei per sacrũ spiritum inserti sunt, satis ex Ioanne manifestum est. Ex hac narratione intelligimus, eam legis partem quæ apud Mosem in cæremonijs uersatur, necessitati cedere. Nam nullæ res externæ, ut erat sabbathum, pecora, fructus terræ, & alia eius generis, in hominem dominatum habent: sed contrà homo istorum omnium, ut interpres ipse Mosaicæ legis Christus apud Lucam fatetur, Dominus est ipse filius hominis, etiam sabbati: hoc est, mundi, & omnium rerum externarum quas mundus continet. Etenim firma est illa sententia, Dominamini. Item, Omnia subiecisti pedib. eius. Vt igitur status hic ex scripto & sententia scripti locum inueniat, satis patet.

Erat

Erat autem ibi uir quidam.) *id non sine decreto consilij diuini. Nam Deus ut constituerat posteros Eli perdere, ita proditor in eam rem etiam prouisus fuit. Notum enim illud prophetæ est. Non est malum in ciuitate quod Dominus nõ fecerit. Inseriturergo mentio de Idumæo, propter sequentem narrationem.*

Et uenit ad Achis.) *Quem sui, hoc est Israelitæ non ferrent, is ad gentes Reipublicæ Israeliticæ infestas profugit. Sed ut Israelitis offendiculo, ita Palæstinis ludibrio fuit. Hæ sunt formæ crucis, quæ in Dauide mystico cernuntur. Si alterum Dauidem spectes, occurrit illud Apostoli: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uerò stultitiam.*

Et timuit ualde.) *Quo metu ut liberatus fuit, psalmum cecinit XXXIIII, in cuius titulo Achis rex uocatur Abimelechus: quod erat nomen commune Palæstinorum regum, sicut Pharao regum Aegypti. Atq; id confirmat quod in libro de Origine mundi rex Palæstinorũ Abimelechus appellatur.*

IN CAPVT XXII.

IN speluncam Odollam.) *Qui in aula regia clarus uixerat, in antris, ad uitandam tyranni iniuriam, uersari cogitur. Exilium, pericula tum sua, tum familiæ suæ, Sauli crimina in se innocentem. sacerdotum cædem, quòd existimarentur sibi fauere, cernere sanctum Dauidem oportuit, qui typum ueri illius Dauidis Messiæ præluturus esset. Huc tot psalmi à Dauide sub figura Christi, de uarijs calamitatibus compositi, pertinent.*

Quod cum audissent fratres eius.) *quibus proculdubiè propter Dauidem rex infestus erat, ut etiam filium Ionathanem propter illum odio prosequeretur. Sic sunt tyranni comparati, qui pleni metu, omnia, ut malè sibi conscij, suspecta habent. Fratres relicta domo, & agris, fratrem Dauidem sequũtur, cuius innocẽtia eis nota esset, & Sauli furor suspectus. Rectè ergo Salomon dicit: Semper diligit amicus, & frater in periculis nascitur. Hinc Tragicus: Φίλων κοινὰ τὰ πήματα τε. Si alterum illũ Dauidem spectes, quem qui fratres relictis omnibus sequantur, docent Apostoli, quorum hæc uox est: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Docent item cæteri, qui se de familia huius Dauidis per cœlestem genituram esse gloriantur. In quorum animis hæc sententia scripta est: Nullus est qui reliquerit domum & agros mea caussa, &c.*

Et conuenerũt eum omnes.) *Confluxisse ad Dauidẽ omnes quorũ angustæ res essent, obæratos & animis ægros quos regeret. Deposita mystici Dauidis imagine, non desunt & nostro Dauidi sui obærati, quos ære alieno leuet: sui tenues, quos ditet: sui ægri animo, quos consoletur. De quo apud uatem his uerbis: Ad medicandum mente contritis ac fractis misit me, ut consolarer omnes lugentes.*

In Maspa, quæ est in Moab.) *Nam est Mitzpa Israelitarũ. Cõtulit se ad Moabitas, quos ex materna familia attingebat, qui ex Rutha natus fuit.*

Donec uideam quid faciat.) *Sanctus uir sua consilia & gerendas res Dei responsis gubernandas permittit. Non dicit, Donec uideam quid ego faciam: sed, Quid mihi fiat à Deo, quæ facienda mihi oraculorum suorum luce monstrarit. De qua luce in Psalmo: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Itaque cum Dauid de rebus gerendis diuinum responsum expectaret, ad eum Gadus uates missus est, qui quid faceret, admoneret.*

In terram Iuda.) *in qua regnum eius suscitandum erat ex oraculo Iacobi à Samuele confirmato.*

Audite me filij Iemini.) *Plena iræ expostulatio Sauli cum tribulibus suis. de cuius locis inter interpretandum monebimus. Grauior in eos excitatur ira, qui coniuncti nobis aliqua propinquitate, nos negligere uidentur. ideo dicit hic: Vos Ieminenses, mei tribules.*

Nunquid omnibus uobis.) *Dauidi tenuitatem exprobrat: & ad augendum contemptum, dicit, Filius Isai, proprio nomine prætermisso.*

Coniurastis omnes.) *Objicit conspirationem ac rebellionem ijs, quos Dauidi ob innocentiam minimè infestos animaduertebat. Sic solent tyranni improbos beneuolentia prosequi, probos & sapientes suspectos habere. Vt exemplo sunt, quos hic de tribu sua durius Saulus appellat, Ionathan atque Abimelechus pontifex. Hanc bonorum uirorum dissimulationem, hypocrita interpretatur coniurationem, ut suo furori aliquam caussam prætexat. Sic omnia, qui odio & inuidia flagrant, in deteriorem partem accipiunt: ut charitas in meliorem.*

Non est qui uicem meam doleat.) *ut solent malè compositi homines illis succẽsere,*

qui mala sua securè uel audiunt, uel uidere sustinent, quòd existimentur similes aut inimicis aut contemnentibus ipsos esse. Sed quam uicem tuam doluissent? num quòd Dauidi inuideres promissum à Deo regnum, quod tu rebellione amisseras? At dolere hanc tuam uicem, repugnare fuisset diuinæ uoluntati, & sontem præferre insonti, de rep. bene merito. Discimus ergo hic, ut odium & inuidia, affectus ex ambitione nati, gloriæ Dei et saluti proborum maximè sint aduersi. sapienter ergo ille sapiens Græcorum, interrogatus, Quid bonis uiris molestum esset? respondit: Malorum felicitas: quid malis? bonorum prosperitas.

Eo quòd suscitauerit filius meus.) meliora Dauidi quàm mihi et tibi cupiens, & tribui suæ iniquus, à quo in Iudæam familiã, regnũ magno & meo & suo & tribus uestræ Ieminen sis opprobrio transferri sustinet. Magis in filiam quàm in alios irascitur Saulus. Vt solent grauiores atq; acerbiores iræ esse in eos qui nobis propinquiores sunt. Graue porrò lædi est ab exteris: grauius ab amicis & domesticis, grauissimum uerò à liberis.

Insidiantem mihi.) Non perpendit oraculum illud à Samuele expositum: Abrupit hodie à te Dominus Israelitarum regnum, idq; alteri te meliori tradit. Itaq; falsò interpretatur Dauidis insidias, quod erat de oraculari Dei sententia. Is erat fructus mali spiritus, qui Saulum corripuit, de quo Dominus: Diabolus mendax est, & eius rei pater.

Respondens autem Doech Idumæus) in hoc à Deo prouisus, qui proderet & Dauidem & Abimelechum, consilio mox explicando. Atq; is aptior ad eam rem fuit, quàm Israelita aliquis. Nam quem gerant animum Idumæi ex Esao hoste Iacobi propagati, in Iacobæos, satis manifestum est. Non autem quia in prouisionem diuinã omniatũ bona tum mala cadunt, ideo mala minus mala censebuntur. Quæ enim mala & uitiosa sunt, non à præscientia diuina, sed à uitiosa eorum, per quos crimina committuntur, uoluntate, uitiosa sunt. Sed hac de re aliàs.

Apud põtificem.) Hæc Doegi narratio locos continet, quibus Dauid & Abimelechus rebellionis suspicione grauantur. Signa rebellionis quæ fingit hypocrita, in litera explicantur.

Filium Isai.) Contemptim sic nominat in regis gratiam, ad cuius uoluntatem se adulator Idumæus comparabat: ut solẽt adulatores omnia ad gratiam & uoluntatem eorum à quibus honores expectant, dicere et facere, aduersus probos, quos tyrannis displicere sciunt, aut per quos putent suam existimationem retardari et imminui. Reuocata hypothesi ad thesim, licet cognoscere quale sit omnium illorum ingenium, qui uanæ gloriæ & opum studio testes contra ueritatem et innocentiam se facere audent: in quos psalmus compositus diuino spiritu modulatore legitur, in cuius etiã titulo Doechi Idumæi fit mentio: Quid gloriaris in malefactis, crimina lingua meditaris? Ò quot tales Idumæos hodie reperias, qui fratrũ nominibus abutentes, omnia hostiliter agunt.

Quare coniuraſtis.) Aspera accusatio, in qua pro capitali crimine facta obijciuntur, quæ crimen & iniuria non erant. Nam in Abimelecho neq; animus iniuriandi fuit: neque facta quæ obijciebantur, per se mala erant, sed honesta: quæ non tam studio Dauidis, quàm regis poterant uideri patrata.

Et dediſti ei panes.) Beneficium tempore necessitatis in Dauidem collatum, de quo non odio haberi, sed amari debebat, coniurationem interpretatur: contra amoris naturam, quo solemus eos amplecti, qui de alijs non sua, sed eorum quibus benefaciunt, gratia, bene merentur.

Et gladium.) quem ut suum belli iure, ut hosti à se ereptum, Dauidi repetere licuit.

Et conſuluiſti pro eo Deum.) At hoc erat honestum, ut pro principe uiro qui regia negocia obibat. quiq; in omnibus consilijs & rebus gerendis à Deo pendebat, Deus à pontifice consuleretur. Cuius id munus erat, ex Vrim & Thumim responsa pijs dare: & piorum intererat, uitatis ariolis, magis, diuinis, ex summo sacerdote, uoluntatem Dei cognoscere. Hoc sanctum in utroq; studiũ Saulus, cui Pythonica, hoc est dæmonum responsa magis arriderent, quàm Dei, coniurationem interpretatur, dicens: Cur tu in me cum Isai filio coniurasti? Qui hypocritam Saulum imitentur in Antichristi ex hypocrisi conflato regno, satis liquet. Quid enim hypocrisi conflato regno, satis liquet. Quid enim hi aliud faciunt, quàm pios hæreseos & rebellionis criminibus exagitare, cum pontificis sui Christi responsa et oracula percunctantur, quæ, spretis magorum illorum Aegyptiorum & Babyloniorum responsis, sequantur.

Respondensq; Achimelech.) Defensio Achimelechi, qua factum quod obijcitur, concedit: sed non esse id contendit, quod aduersarius rex intendit. Vnde definitionis status nascitur, in quo explicato quid coniuratio

ratio sit, totalis dirimitur. Fatetur se cibaria Dauidi dedisse, sed ut regis genero, ut homini magna existimatione apud te regẽ. A' persona Dauidis, coniurationis suspicio tollitur.

Et quis in omnibus seruis tuis.) cui iniquum sit quicquam, tuo præsertim nomine, negare: quòd natura doceat, eos à nobis amandos esse, quos amant qui à nobis summa cum ueneratione amari & obseruari debeant.

Et gener regis.) A' necessitudine deletur suspicio.

Et gloriosus in domo tua.) hunc honorem te illi tribuente. Quòd igitur quoddam beneficium in illum contuli, id factum tui honestandi, non dehonestandi studio.

Absit hoc à me.) Concludit inficiatione, occurrens criminibus Sauli.

Dixitq; rex, Morte morieris.) Saulus accusatoris & iudicis partes præstans de innocente homine capite damnando, si præsentem causam spectes, iniquam sententiam fert: sin uerò Eli sacerdotis liberos, de quorum familia Achimelechus fuit, iniustus rex iustam Dei sententiã executus est. De qua suprà: Et non erit senex in domo tua, & pars magna domus tuæ morietur, cum ad uirilem ætatem uenerit. Iustè igitur occisus est Achimelechus cum suis, si Deum iustum iudicem consideres, ex sententia illa ad Mosem exposita: Et parentum culpam in tertiã & quartam stirpem persequar. Sin Saulũ, iniquè ab hoc supplicium sumptum est. Peccauit igitur Saulus in occidendis sacerdotibus, non item Deus: alter malè animo affectus erat, alter bene. Aliam causam Deus, aliam Saulus spectauit.

Sacerdotes Domini.) Amplificatio criminis, ab attributo personæ. Sæua hypocrisis nec hominibus, nec Deo parcit. Nam si homines spectes, crudelis hypocrita non contentus iram suam in Dauidem, quem regni riualem putaret, effundere, etiam in uxorem & liberos debacchatur. Sin Deum, huius uolũtati cum rebellare cœpisset, sacerdotes eius occidit, à pontifice sacro oleo uncto exorsus. Quod tragici furoris exemplum primus Israelitarum rex edidit, libidine rebellis populi contemptis iudicibus, rex creatus.

Noluerunt autem serui regis.) Deũ ueriti, cui magis in abstinenda manu ab innocentibus, parendum intelligerent, quàm regi, à quo Mosaicam hanc legem neglectam uidebant: Ex ore duorum triúmue testium moriatur reus, ex uno autem ore nemo moriatur.

Idumæus.) ingenium referens eius de quo illud: Esaum odio habui, Iacobum dilexi.

Vestitos Ephod.) Augetur crimen ab habitu sacro.

Nobe autem ciuitatem.) Distributione amplificatur furor. Cæduntur mares, mulieres, impuberes, infantes, senes, uirgines, pecora. Atq; hoc factum à tyranno, ut Noba ciuitas alijs ciuitatibus exemplo foret, ne deserto ipso, Dauidi se iungerent. sed falsus est hoc sæuo suo consilio, eius consilio à Dauide faciente, de quo suprà Samuel: Tradam alij regnum meliori te.

IN CAPVT XXIII.

Ecce Philistijm oppugnant Ceilam.) excitati à Deo, ut Dauidi materia ad fortitudinem exercendã parata foret: et ut regiæ dignitatis, qua ornandus erat, significationem daret. Ceilæ meminit Iosua in descriptione Iudææ.

Consuluit ergo.) Altera nota regni ad Dauidem transferendi, usus sacerdotij ad illum delatus, et Saulo ademptus. Abiathar enim sacerdos unà cum ephodo ad Dauidem confugerat, relicto Saulo. qui uestitus Vrim et Thumim insignis erat, unde Dei responsa regibus dabantur de rebus gerendis. Quibus cum priuatus esset Saulus, legitur infrà, quomodo ad magos & ariolos se conuerterit, duce malo spiritu, quo ferebatur.

Et dixerunt uiri.) Dehortatur à bello gerendo, periculi magnitudine, ex comparatione maiorum & minorum declarata.

Rursus ergo.) Non qui diffideret oraculo Dei semel exposito: sed ut denuò acceptis responsis, suorum animos, quos imbecilles esse animaduertebat, confirmaret. Neq; Deus iterum sententiam suam explicare renuit, qui omnia sua responsa suorum saluti accommodat, ad infirmorum animos fide & spe corroborandos. Confluxerant autem ad Dauidem obærati, tenues, fracti q; animo homines, qui consolatore Deo opus habebant. ut solet etiam is cadentes sustinere & lapsos, ut uates noster hos casus expertus, canit: Alleuat Deus omnes qui corruunt.

Abiathar.) Is ut ex Ithamare Aaronis filio, non ex Eleazaro natus sit, suprà indicatum.

Tradidit eum Dominus.) Saulus à à se Dominum stare fatetur. Qua in re hypocritarum ingenium expressit, qui in defendendis erroribus suis, & prauis consilijs confirmandis, Dei nomina prætexunt: ut uidemus in bestiæ pleno simulationis regno usuuenire. Sed falluntur hypocritæ. Nam quod Saulus

hic

hic dicit, Tradidit eum Dominus in manus meas: contrarium expertus est. Infrà enim legimus: Et non tradidit eum Dominus in manum eius. Metuant ergo sibi hypocritæ in orbe terrarum, non obtinebunt quæ contra Dauidem Messiam, & eius comites moliuntur. Secus enim est compositus Dominus, quàm putant impij. In hos malè de se æstimantes his uerbis inuehitur: Et ista me dissimulante faciens, existimas me esse tui similem? Cæterùm נבר propriè cognoscere est, et per αὐτιφρασιν alienari. Hic prodere ac tradere est, quòd eos à nobis alienare dicimur, quos in alterius potestatem tradimus ac prodimus.

Quia præpararet ei clã, &c.) ingenium parentis sui serpentis referẽs, qui homicida ab initio', pijs per insidias & malis artibus exitium machinatur. In uerbo הרש tropus à silentio mutuatus est, quòd clàm insidiæ tendi soleant. Tropum reddit Paraphrastes in uerbo insidiandi בלע. LXX, πᾶσαν πᾶσαν πᾶσαν.

Et dixit Dominus, Tradent.) nisi fugeris. Hoc oraculo Dominus ostendit, hominum fidem fluxam esse, etiam eorum in quos beneficia collocaris, quorum breuis sit memoria. Itaq; in Deo solo spem omnem reponendam, in homine nullam. Hinc apud Ieremiam Dominus: Maledictus qui fidit homini.

Ziph.) De hoc loco Iosua in descriptione Iudææ.

Quærebat eum tamen Saul.) quem hac ratione uexatum, Deus ad regni amplitudinem extollere uellet.

Et non tradidit eum Dominus.) in potestate sua potentissima quæq; habens, mundum et principes mundi, spiritumq; illum malum, mundum & in eo tyrannos regentem, & contra sanctos impellentem. In desertis priusquam regnum accipiat Dauid, exercetur uarijs stratagematis fidei. Is est perpetuus ordo Dei. Sic Israelitæ in Arabum solitudine, antequam terram melle et lacte affluentem ingrederentur, uarijs modis tentati sunt. sic de nostro Dauide Messia in Actis legimus, quomodo ipsum per uarias calamitates oportuerit in regnum cœleste ingredi.

Ionathan.) fœderis initi memor: cuius apud probum iuuenem seruandi studium plus potuit, quàm patris autoritas. Quo exemplo admonemur, accidere interdum tempora, quibus parentum uoluntati repugnare liberos deceat, studia nostra & consilia regente diuinæ legis spiritu: Ama Dominum tuum supra omnia. Amatur autem Deus, cum ij amantur quos ille ipse amat: nõ uerò amatur, ijs non amatis quos ipse amore cõplectitur. Hinc Dominus noster dicit, legem de diligendo altero, parem legi qua Deus supra omnia amandus præcipitur, quòd homines diuina cognatione teneantur, iusticiæ, sapientiæ, uitæ & gloriæ Dei in Christo consortes. Hinc Ioannes: Qui non diligit, nõ nouit Deum: quoniam Deus charitas est.

Et confirmauit manus eius.) Periphrasis confirmationis Hebraica. Metu deijcitur animus inducta ignauia: contrà per confidentiam idem erigitur, susceptа sedulitate res fortiter gerendi. Quæ quia in manibus, membro præcipuè agendis rebus destinato, ostenditur: confirmari manus dicuntur, cum animus corroboratur abiecto metu.

In Deo.) ex promissis Dei: qui nosset illud, Quæsiuit sibi Deus uirum ex animi sui sententia. Nec deerant futuri regni signa, fortia facinora, non humana, sed diuina ui edita: prudentia, mãsuetudo, patientia, & totius uitæ innocentia, & probitas, & patris improbitas insontem persequentis odio et maleuolentia. Legitur hic, in Deo Dauidis animũ confirmatum. Nam sunt et consolationes, quas mundus adhibet, dum opes, amicos, potentiam & huiusmodi proponit.

Ne timeas.) à malo quod exitium tibi afferat, Deo à te stante cura & prouidentia sua: qua non solùm mala nulla sint tibi nocitura, sed etiam bonum & salutarem exitum habitura.

Et pater meus scit hoc.) Ex fama de uncto Dauide à Samuele in regem, & ex populari fauore, accedebat conscientia firmus testis, quæ Saulum Dei beneuolentia destitutum, regno priuandum admonebat.

Ziphæi.) Exemplum perfidiæ. Dauid à contribulibus proditur, Iudæus à Iudæis. Tradunt nonnulli, Ziphæos à Calebo prognatos, fiti illo ex Paralipomenis loco: Filij uerò Caleb, filij Iephone, Hir et Ela, & Nahẽ, filij Ela, Cenas, Ialeleel, Ziphim. Apparet, non seruato narrationis ordine, antea à Ziphæis quàm Ionathã uenisset, proditum Saulo Dauidem. De Ziphæis Psal. LIII mentio fit. Aduersus Dauidem & eius regnum, à malo spiritu armãtur pariter domestici & exteri. Tam omnia in mundo ei aduersa sunt. A' suis & inter suos Iudæos proditur Dauid. de nostro Dauide legimus: In propria uenit, & sui eum non receperunt. Item sub typo Dauidis Messias ipse de se: Extraneus factus sum fratribus meis.

In colle Achilæ.) Duplex igitur nomen

men huius montis fuit Ziphæus & Achila.

Benedicti uos à Domino.) Hypocrita pietatis simulatione, sub Dei nomine, perfidiam Ziphæorum pro fide interpretatur. Si stultũ pastoris regnum consideres, in eo locum habet illud Domini nostri: Venit tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo.

Quòd doluistis uicem meam.) In uerbo רחם, miserendi affectio notatur. Miseramur autem eos quibus putamus miseriam aliquam contingere, quam immeritò & indignè uideantur pati. In qua iudicanda aliter mundus comparatus est, aliter filij Dei: aliter animalis homo, aliter spiritu diuino præditus. ut exemplo hic sunt Ziphæi, & ij quibus erat charus Dauid.

Pes eius.) Hoc est, ubi uersetur, tropo noto.

Recogitat enim de me, quòd calli dè insidier ei.) Hebræus habet: Renunciatũ enim est mihi, eum callidum esse. More linguæ, in appositis ac prædicatis sæpe subiecta ipsa intelliguntur. Dixit, pro dixit mihi quidam: uel impersonaliter usurpantur, renunciatum est, uel fama est, &c. Aduersarij Dauidis prudentiam diuinã, quam à spiritu Dei acceperat, uersutiam & calliditatem interpretantur. ut præstantissima quæq; in Messia, cœlesti Dauide, in deterius interpretati sint hypocritæ Pharisæi, ex Euangelijs patet. Nec meliore conditione sint, qui Christum sequuntur: ut exemplo sunt Apostoli, & qui quocunque tempore profitentur nomen Christi, & eius Euangelium.

In cunctis milibus Iuda.) Quantus igitur sit tyrannorum furor, præsens exemplum docet. Rectè ergo Salomon eum leonum fremitui comparat. de quo etiã Græcus uates meminit: Θυμὸς δὲ μέγας ὅτι δίοτρεφέων βασιλήων.

Porrò Dauid desperabat.) נחפז, more trepidantium festinare est: ut solent, qui undiq; hostibus premuntur. Nonnulli arbitrantur huc referendum esse Psalmum illum: Ego cogitaui in trepidatione mea, à conspectu oculorum tuorum me esse excisum. Vel Psalmum illum: Cogitaui in trepidatione mea, omnem hominem esse mendacem. Ceilanos & Ziphæos uidetur perstrinxisse. Putant quidem Dauidem in tam graui tentatione etiam de Samuelis fide subdubitasse, à quo in regem unctus fuerat: ut solet in grauissimis tentationibus fides cum diffidentia luctari, in dubium uocatis humanis & diuinis rebus. Hæc stratagemata sunt sanctorum in summa afflictione. At Deus pro sua bonitate, qui non sinit suos grauius tentari quàm ferant, in media rerum difficultate & angustia opem laborantibus fert, ut sequitur:

Et nuncius uenit.) Exemplum prouidentiæ diuinæ, per hostes exteros auertentis Saulum à persequendo Dauide. Itaq; in Psalmo suprà citato canitur ab eo: At uocem meam exaudisti. Similia exempla curæ diuinæ nostris temporibus edita leguntur, dum cernimus hostes euangelij sæpe externis bellis occupatos, desijsse infestare pios, Euangelium Christi profitentes.

IN CAPVT XXIIII.

ENgaddi.) Locum hunc uicinũ mari mortuo esse, tradit Hieronymus, clarum opobalsamo inde solito uenire. A Salomone Engaddinæ uineæ in Cantico canticorum celebrantur. A solitudine occidentali, cum à fugatis Palæstinis rediret Saulus, se ad locos munitissimos Engaddini saltus Dauid recepit.

Ibi cibus.) Præstans terræ sacræ situs intelligitur, quæ campestribus locis & montanis, excelsisq; rupibus, amnibus & lacubus prædita, uaria animantium genera aluerit, ad diuinæ sapiẽtiæ magnitudinem prædicandam. Cæterùm de caprarum generibus uideris apud scriptores rerũ.

Vt purgaret uentrem.) Verecundè Hebræus dicit, tegeret pedes suos. Pudoris enim gratia, qui requisita naturæ peragunt, pedes suos contegunt, ne membra quæ natura à conspectu submouet, appareant. Phrasim Hebræam his uerbis Paraphrastes, לטייבר צרכיה.

Ecce dies de qua locutus.) Hoc oraculum perperam intellexerant socij Dauidis. Nõ enim erat Saulus in Dauidis, quẽ interficeret, sed in Palæstinorum potestatem uenturus. Dauid igitur eius rei non ignarus, non interemit Saulum, quòd intelligeret eum unctum Dei esse, quem temerè lædere non conueniret: cui nota esset lex illa Mosaica: Principi populi tui ne maledicito. Abstinuit item ab eo occidendo manus, ne quid ex affectione, uindictæq; & ambitionis regni studio agere existimaretur: sed potius pendêre ex illo, cui sciret ulciscendi curam permittendam. de qua apud Mosem: Mea est ultio. Postremò iniuriæ toleranS fuit, ut typum præferret eius qui in cruce pendens, pro hostibus suis orans dixit: Ignosce illis, quia ignorant quid faciunt.

Domino meo.) Dominum suum agnoscit Saulum Dauid, quem ille pro hoste habebat: unctum Dei agnoscit Saulum Dauid, quem ille suo regno insidiari putabat. Sic animi suspicionibus implentur, ubi abest diuina illa sacri spiritus facultas, nouos homines prælucente fide gene-

rans.de qua Apostolus:Charitas benigna est, nõ cogitat malũ. Qua in re uerè charitas,hoc est amor Dei & proximi,diuina iusticia nobis fide cõmunicanda, non legis, non humana appellatur. Qua qui præditi sunt,audiunt illud: Qui diligit, ex Deo natus est.

Quia Christus Domini est.)Considerat ordinationem diuinam,cui resistendum non sit.Hinc Mosaica illa lex nata:Principi populi tui ne maledicito.

Quare audis uerba.) Liberè expostulat Dauid cum Saulo, fretus & fiducia Dei,& innocentia sua. Nam cum multa sint,quæ excusso metu fiduciam creant atq; confirmant,amici,opes,robur, prudentia,eloquẽtia, rerumq; peritia:omnia tamen huiusmodi præsidia superat beneuolentia Dei,& innocentiæ conscientia,plurimum momenti & ponderis ad securitatẽ & tranquillitatẽ afferens, ut præsens Dauidis exemplũ documento est, qui furore & potentia Sauli neglecta,constanter eum iniqui consilij reprehendere,& suam probitatem probare sit ausus. Qua fiducia declarauit Dauid quid fides possit, de qua illud: Hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides uestra.

Quærit malũ.)In loco quærere,pro moliri & machinari, sumitur apud Hebræos.

Ecce hodie.)Ex coniunctis cum re signis argumentum.

Et cogitaui.) Tu falsis delatoribus adhibes contra me aurem:ego à meis,qui in mortis,te persecutore, periculo uersantur, induci non potui, ut tibi tradito in meam potestatem,manus afferrem.

Dixi enim.)Defensio hæc ἀθικλῶ probationẽ habet. A' moribus enim & animo bene cõposito erga ordinationem diuinã,qua Saulus rex constitutus esset, se Dauid Saulo regi commendat.Agnoscitur enim is bonus uir esse, qui Deum ueneratur,& eos quos is honoribus exorãt, dehonestare minimè studet. Huc spectans Nestor apud Græcum poetam,his uerbis dehortatur Achillem,ne contra Agamẽnona regem quicquam fœdius committat:

μήτε σὺ πωλείσθ', ἅβελ' ὁριζέμεναι βασιλῆϊ
αὐτοβίλω, ἐπεὶ ὅ ποθ' ὁμοίης ἐμμορε τιμῆς
σκηπτόχος βασιλεὺς ὥ τε Ζεὺς κῦδος ἐδωκεν.

Quin potius pater mi.) Declarat innocentiam, ab appellatione blanda patris. Cum patris te loco habeam,qui filiam tuam mihi eloca ris in uxorẽ, qua ratione igitur ueri simile erit,me ut hostem tibi quicquam mali moliri? Patris item nomine Saulum uocat,quòd principes & reges patres in scriptura sacra appellantur.

Vide oram chlamydis.) A' signo.

Nolui extendere manum meam.) Non occidi te,cum possem te occidere,igitur nũquam uolui uitæ tuæ insidiari: quòd, qui uolunt lædere,& possunt,lædere soleant. Ex uoluntate enim coniuncta cum facultate,efficitur aliquid factum esse:contrà, si factum non sit, concluditur, aut uoluntatem aut facultatẽ aut utrũq; abfuisse.

Tu autem insidiaris.) more uenatoris laqueos feris quibus capiantur,ponentis. Legitur enim צרר. Per contentionem, probata innocentia sua,Sauli crimen explicat.

Iudicet Dominus.) iustus iudex. Fretus innocentia,appellat iudicem Deum.Huc pertinet Psalmus, quem, cũ in hoc stratagemate uersaretur,cecinit:Iudica me pro iusticia tua.Iudicare,pro suscipere causam, ferre sententiam. Deus de nostra causa ferat sententiam, quem tibi iudicem fero.

Et ulciscatur me Dominus.) de tuo crimine ultionẽ, sine meo ullo studio & opera exigat.Dominus enim q est iustus iudex,neq; bene facta præmijs suis spoliat, neq; scelera impunita dimittit. Ex improbis enim proficiscitur improbitas,quã Deus tandẽ supplicio afficiat.ut sequitur:

Ex impijs egreditur impietas.) Duplex affertur interpretatio huius prouerbij. Vna, manum tibi non afferam. Nam ab impijs egreditur impietas,suo tempore puniendа:ut solent malorum hominum mali esse exitus,iudice Deo. Altera,etsi ego scio te tuum erga me animum non mutaturum, quo minus cupiditatem & libidinem eius per occasionem expleas (nam uetus dictum est:Malos mala moliri, & patrare) tamen te Deo ultori relinquens, nihil durius in te statuere uolui. Prouerbium quod citat Dauid,eandem sententiam habet,quam Dauidis Messiæ uerba continent:Mala arbor malos fructus profert.

Quem persequeris.) Conclusionem colorat interrogatione,& uerborũ iteratione,cum extenuatione apta ad mouendam sui commiserationem.

Canem mortuũ.) qui mordere nequeat. Quo quid abiectius & uilius?

Sit Dominus iudex.) Repetit mentionem iudicij diuini,quo magis tam grauis hostis cõscientiam,quæ mille testes est, percellat.

Et uideat.) cognoscet causam meam pro sua æquitate, measq; partes defendet. Ex hac hypothesi sanctus uir hanc thesim,hoc est,communem

nem sententiam deduxit: Deus iustus iudex.

Nunquid uox hæc tua est, fili mi.) Responsio Sauli, in qua non ius & legem ex constitutione iuridiciali prætendit, sed deprecatione ex assumptionis statu utitur, sic impulsus prouidentia diuina, pro Dauide laborante, ad eum tuendum, & ad probitatem eius probandam. Verè ergo dicit sapiens Salomon, regis animum in manu Domini esse, quem, quamlibet instar undæ uiolentus sit, quò cunq; uelit inclinet.

Fili mi Dauid.) Blanda appellatio, sed quam hypocrisis plena simulatione expresserit, non amor, quali erga liberos parentes afficiuntur. id quod exitus historiæ indicat.

Iustior tu es quàm ego.) Locus de ui conscientiæ, quæ etiam impios cogat in tempore uerum fateri, sub necessitate prouidentiæ diuinæ, quo damnans Dei iudicium æquũ declaretur. Talis confessio in dæmonibus, in impijs tyrannis, ut exemplo Pharao est, cernitur. Tribuit quidẽ Sauli Dauidi probitatem: sed ita, ut se non fateatur prorsus improbum, cum dicit: Iustior me es. adeò hypocritæ in iusticiæ suæ opinione hærentes, ægrè adducũtur, ut suam improbitatẽ confiteãtur.

Tu enim tribuisti mihi.) Argumentũ ex natura probi hominis ductum, cuius sit benemereri de altero, & facilè ijs qui læserunt, ignoscere. Sententia enim peruulgata est, præstare affici iniuria, quàm eam inferre: & bonorum hominum esse, facilè iniuriarum obliuisci. Quod libentius faciunt & uerius, qui Deum æquum iudicem agnoscunt, qui studeat læsos liberare ac uindicare. Hinc Salomon dicit, non esse rependendam iniuriã, sed expectandũ Dominũ qui liberet.

Quis enim, cum inuenerit inimicum suum.) Ex ingenio ueteris hominis loquitur, cui trita est hæc sententia, de amicis benemerendum, de inimicis malè. Secus comparati sunt pij, ex ingenio noui & cœlestis hominis Messiæ benedicti, qui non solum hostibus suis nõ malè facit, sed etiã, bonum pro malo reddens, benefacit. Atque is est perfectissimus diuini amoris gradus, quo patri cœlesti, solem suum & pluuiam etiã improbis cõmunicãti, similes reddimur. Hæc ipsa est iusticia, quam Messias dicit antecellere Pharisæorum, hoc est hypocritarũ & scribarum iusticiæ. Sed qualis iusticia est? num fidei? ita sanè, quãmirũ nobis à Messia fides cõmunicat: hoc est, spiritus charitatis & amoris diuini est, quem per fidem de capite Christo accipimus, ad patrem, charitate solem suum probis & improbis suentem lucere, repræsentandum.

In uia bona.) incolumẽ ac bono statu. Id Hebræis in loco est bona uia. Verba hæc Sauli sunt, ad tẽpus non uexati malo spiritu: q bono spiritui, quo Dauid regebatur, ut cederet, diuinæ curæ opus fuit, cui omnis aduersaria potestas cedit.

Et nunc quia scio.) partim ex eo, quòd Dei beneficio semper è manib. meis elaberis, quo minus te capiam: partim ex rebus fortiter gestis, partim ex præsenti uerè regiæ fortitudinis animi exemplo, te regẽ fore cognosco. Intelligebat Saulus ad se rediens, eos homines dignos esse imperio, qui non tam alios, quàm seipsos, hoc est, cupiditates suas regio spiritu uincerent. Qua de re præclara apud Salomonem extat sentẽtia: Præstantior est qui animo suo imperat, quàm qui capit urbem: indicat o maximè, regiũ esse, animi perturbationibus non seruire, sed magis eas in potestate habere quàm hostes. Qua uirtute Saulus, malo spiritu correptus, sensit se præditum nõ esse.

Ne deleas.) Ex suo ingenio, Dauidis ingenium metitur: qui existimarit, sublatis tyrannis, etiam liberos eorũ sublatum iri, ut habet prouerbium illud: νήπιος ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείπει.

IN CAPVT XXV.

In desertum Pharan.) Arabiæ Petrææ, uicinæ Iudææ, solitudo est. In hac se ad tempus continuit, fugiens Saulũ, quòd hypocritæ tyranni fidei, fidem minimè habendam esse cognosceret. Huius perfidiam cognitam cum teneret, uerè potuit dicere, Omnis homo mendax: omnis uidelicet homo ex uetere natura in nouam diuino spiritu nondum regenitus. Intelligebat autem Dauid, ut Israelitis non prius patuisset in promissam hæreditatem aditus, quàm exules in Arabum desertis deerrarent: sic nec sibi ad regnũ alia quàm crucis ferendæ ratione uiam aperiri: neq; etiã antea tollendum è medio Saulum, quàm suæ improbitatis mensuram implesset. Atq; & pijs suarum afflictionum, quibus regni cœlestis gloriam moliantur, & impijs suæ uitiositatis, qua tandem pereant, constitutum esse certis & immutabilibus prouidẽtiæ diuinæ decretis tempus. Exemplo est diluuio absorpta Caina familia, exemplo Sodoma & Gomorra, exemplo Pharao, Chananæi, Amalechitæ: & nostris his postremis temporibus Babylõ, meretrix illa nobilis, cum qua omnes orbis terrarum principes scortantur, exemplo erit. In contrariam partem pij, qui unquam seruati sunt, & seruabuntur, exemplo sunt, & erunt.

In solitudine Maon.) De hoc loco uideris apud Iosuam cap. 15.

Et possessio.) opes & facultates. Hebræis מעשה appellantur, & מלאכת, quòd opes opera & laboribus parentur, ex sententia illa diuina in Adamum lata: In labore uultus tui, &c.

In Carmelo.) Est & mons in tribu Isachariana nomine Carmelus, clade, qua sacerdotes Baal ab Elia affecti sunt, clarus. Hic Carmelus nomen urbis in tribus Iudææ finibus est. sic enim apud Iosuã legimus: Maõ & Carmel & Ziph. Præterea כרמיל apud Hebræos etiam locus est bene cultus, & arboribus consitus, ut licet cernere in illo pphetæ Iesaiæ: והיה מדבר לכרמיל Describitur Nabal à loco, opibus, genere uitæ, atq; moribus.

Et homo ille magnus nimis.) גדול in loco copiosus & locuples est. Genus opum, caprarum & ouium abundantia continebatur.

Nabal.) A' nomine descriptio. Quod ei nõ sine diuina ratione inditum est. Stultus homo opes habuisse hic legitur. Vera igitur est sentẽtia Salomonis: Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit?

Eratq; mulier illa.) A' prudentia laus, & pulchritudine. prudentia complectebatur metum Dei, & peritiam gubernandæ rei familiaris, quã Salomõ in laudata fœmina celebrat. Græcus uates, fœminarũ dotes, quæ partim animo, partim corpore cernuntur, quatuor rebus complectitur, corpore, indole, mente, operibus:

——ἐπεὶ δ' ἐὺ εἴδῃ ὄπῃ
δὲ δ' ἐμᾶς, δὴ φυλῷ, ὅτι τ' φρεγάς, ὅτε δ' ἔργα.

Porrò uir eius durus.) Contraria uita mariti Nabalis, à difficili ingenio et improbis moribus reprehenditur: qui neq; Deũ metuerit, neq; in homines beneficus fuerit, sed iniurioſus. Præcessit de eius opibus mentio, ex qua intelligitur quales ferè sint opulenti homines: hoc est, auaros, sordidos & insolentes eos esse. Tanto igitur hi grauius peccant, quanto maioribus & pluribus beneficijs à Deo ornati sunt. Talem maritum, inclementia, auaricia, morum asperitate, ingratitudine notatum, prudens, modesta, & liberalis ingenij Abigail habuit: ut mirum non sit, maritum fatali ratione נבל à stultitia appellatum, quòd omnis improbus uerè stultus sit, quamlibet opibus et potentia floreat. Mulier uerò Abigail ab insigni gaudio quo patrẽ suũ affecit, nominata אביגיל, ut sapientes liberi suos parentes exhilarare solent, ueluti est apud Salomonem in Prouerbijs. Submota mysticæ historiæ umbra, apparet hic mundi ingeniũ, & ecclesiæ, quæ ad tempus mundum maritum habet, priusquam Dauidi Christo, nondum mortua mundo, nubit, adumbrari. Mundus ob uitia quibus præditus est, nomen נבל, id est stulti tenet: & maximè tum, cum sapientiam suam ostentat. Audit enim illud: Sapientiam sapiẽtum perdam. Item: Infatuauit Deus sapientiã mundi. Huius ad tempus Abigail uxor est, uendita sub peccatum: sed liberanda ab eo, per Dauidis Messiæ coniugium cœleste. In quo Abigail uerè אביגיל, hoc est gaudium patris mei, patris inquam cœlestis, cuius sapiẽtia, iusticia & uita exornata sit, appellatur. De qua sapientia Apostolus: Sed loquitur sapientiam Dei in mysterio. Et ut hic à pulchritudine mystica Abigail, ita altera à suo marito in Cãtico illo celebri, Pulchra es amica mea, celebratur.

Erat autem de genere Caleb.) A' genere descriptio, sed cui non respondeat fide & probitate, ut uera sit sententia illa: Heroũ filij noxa. Vt Calebus in uicinis solitudini Pharan locis hæreditatem suam acceperit, uideris in Iosua, & in libro Iudicũ. Nabal igitur ex tribu Iudæa fuit, & tribulis Dauidis. Vnde amplificatur illius improbitas. Grauius enim delinquitur in propinquos quàm alienos, qui nos nulla propinquitate attingunt.

Sit fratribus meis.) Exordium hoc salutationem continet dignam Dauide, nobis eum Dauidem repræsentante, qui per suos legatos pacem, uitam & incolumitatem his uerbis offert: In quamcunque domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescat super eũ pax uestra: sin minus, ad uos reuertatur. Vbi pax more scripturæ sacræ prosalute & bono statu accipitur.

Audiui quòd tonderent.) Narratio respersa locis æquitatis: primus, quòd tonsuram ouium facerent. Quo tempore genialis dies & festus tonsoribus & pastoribus agebatur, putauit sibi oblatam occasionem petendi beneficium à Nabale pro meritis suis. Itaque infrà legitur: Die enim commodo & fausto uenimus ad te.

Nunquam eis molesti fuimus.) Alter æquitatis locus, quòd non solùm pastores nulla contumelia affecerint, sed etiam eos ab iniuria aliorum defenderint, sicut ipsi Nabalis seruis infrà fatentur: Muri uicem nobis dies noctésque præbuerunt.

Nunc ergo.) Cõcludit narrationem, subiuncta petitione æqua, ea ipso petẽte quæ æquum sit Nabalem largiri.

Quis est Dauid.) Respõsio duri & insolentis

lentis hominis, qui non solùm negarit beneficiũ dare, sed etiam conuicijs tribulem & exulem & bene meritum de se prosciderit. Exprobrat Dauidi genus, defectionem ac rebellionem. Quæ gratia alteri Dauidi reponatur ab ijs, quibus is ipse benefacit, declarat illud apud Ioannem: Sic Deus dilexit mũdum, ut filium suum unigenam daret. Et de ingratitudine stulti mundi: In mundo erat, & mundus per eum factus est, qui eum non cognouit. Sed non solùm à mundo agnitus non est, uerùm etiam opprobrio ab eo habitus, ut est apud uatem: Factus sum opprobrium.

Accingamini.) Accingitur Dauid ad uindicandam contumeliam & ingratitudinẽ. Suprà legitur peperciſſe Saulo: hic uerò ardere ſtudio ulciſcendi iniuriam in Nabalem. Sed id mirum non ſit: ſua enim ſunt ferendæ iniuriæ, & eius uindicandæ, tempora. utrumq; tempus moderabatur ſpiritus diuinus, quo Dauid regebatur, qui modum pro ratione temporum & perſonarum patientiæ & ultionis præſcribit. Si tempus ſpectes, non à Dauide, ſed à Palæſtinis Saulo manus afferri debuit. ueluti ipſe fatetur his uerbis infrà: Viuit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies eius uenerit ut moriatur, aut in præliũ deſcendens perierit, &c. Huiuſmodi tempus præfixum Dauidi erat ultionis ſumendæ de Saulo, non item de Nabale, ad cuius inſolentiam puniendam Dei ſpiritu incitabatur. Perſonas autem ſi ſpectes, alia Nabalis, alia Sauli fuit: is unctus Dei erat, ille non item.

Et auerſatus eſt eos.) Suprà legitur, ut durus fuerit Nabal. Huius ſuæ inclementiæ exemplũ declarauit in Dauidem. Eſt ריעט, non leuiter auerſari, ſed aſperius repudiare. metaphora ſumpta à genere auium ſæuarum ac rapacium, quæ עיטים appellantur. Hinc huius generis uolucres in lege ad cibum prohibitæ fuerunt.

Quoniam completa eſt malitia.) Hebræa phraſis בי בלתה הרעה indicat, idem ualet quod apud Latinos, actum eſt, cum extrema mala ſignificãtur: à quibus hortatur prudentem mulierem, ut ſuis rebus prouideat. Similis locutio ſuprà legitur, ביכלבח הרעה.

Ipſe eſt filius Belial.) Vt uera uituperatio eſt, ab amicis uituperari: ita uera laus, ab hoſtibus & alienis laudari. ut laudatus eſt Dauid à famulo Nabalis, & dominus uituperatus. Exemplum obſtinatè & pertinaciter improborum, qui contempta omni honeſta admonitione, interire maluunt, quàm rectè ſuadentibus obtemperando eruari. Sapienter ergo Salomõ dicit, equo flagellum, aſino chamum, ſtultorũ tergo uirgam conuenire.

Pro muro.) Metaphora in ſacris literis nõ raro uſurpata. Hieremias: Dedi te in murum.

Feſtinauit ergo Abigail.) quæ noſſet, in periculis moram periculoſam eſſe. Prudentiæ muliebris exemplum. Abigail muneribus & oratione placare iratum Dauidem ſtudet. In munere, panes, uinum, oues, uuæ, paſſæ & ficus continebantur. Oratio, interpres animi, quàm ad Dauidis animum placãdam fuerit apta, ex ſcripto cognoſcitur. Prudens mulier non ignorabat uim ſententiæ à Salomone expoſitæ, Hominem ſuo munere apud optimates quietum reddi. Sciebat etiam, iram ex contemptione excitatam, demiſſione & donis leniri: ueluti idem Salomon dicit, iram ac bilem molli reſponſione compeſci. tanta uis eſt orationis in utramq; partem, & ad iram excitandam, & ad eam ſedandam. Vt gerat ſe illa altera Abigail, ad cõprimẽdam ſui Dauidis Meſſiæ irã, fides ipſa admonet, quæ eius bonitati habetur.

Viro autem ſuo Nabal non indicauit.) Narratio hæc docet, mulieribus fas eſſe quædam maritos ſuos honeſti, hoc eſt, amplificandi Deum, & conſeruandæ familiæ ſtudio, celare. Nam domeſtici imperij partem mulier etiam obtinet, ex coniugij conſortio. Etenim matrimonij ipſius lege mari fœmina non ſeruili, ſed ciuili poteſtate ſubiecta eſt.

Ad radicem montis.) בכתר ההר, id eſt, per occultiora ac receſſum montis, quo multa ſolent à conſpectu ſubmoueri.

Verè fruſtrà ſeruaui omnia.) Grauis in Nabalem expoſtulatio. Quæ non erat officia & merita exprobrantis Dauidis, ſed indignè ferentis, partim ſui contemptum, partim ingratitudinem, in eo quem beneficijs cumulaſſet. Vtrumq; enim grauiter à magnis uiris fertur. Hi enim honeſti ſtudio cũ tenẽtur, uitia & turpitudinem ualde deteſtantur. Turpe autẽ eſt, in officio non reſpõdere: & longè turpius, cõtraria facere, hoc eſt, aduerſus benemeritos uel facere quippiam, uel dicere, atque contumelia afficere eos quos ſuperiores te intelligas. Poterat autem Nabal ex multis indicijs Dauidem regem ferè cognoſcere, ut mox ex Abigaile intelligemus. In tales autem conuicia iacere, quantum crimen ſit, Moſea lex oſtendit: Principi populi tui ne maledicito. Ingratitudo autem quantum uitium ſit, Salomon indicat, ubi ingratorũ ſpem hybernæ glaciei liqueſcẽti, et aquæ citra uſum diffluẽti, in Sapiẽtiæ libro cõparat. Itaq; ipſa Perſarũ gens naturæ

iudicio impulsa,in more habuit,in eum,quem cognouerat non referre gratiam,cum posset,seuerè animaduertere: qui nimirum existimarent ingratos homines neque Deum, neq; parentes, neque patriam, neq; amicos curare. Qua de re Xenophon hunc in modum disserit: καὶ ὃν αὖ γνῶσι δυνάμενον χάριν ἀποδοῦναι, μὴ ἀποδιδόντα δὲ, κολάζουσι τοῦτον ἰσχυρῶς. οἴονται γὰρ, ἀχαρίστους καὶ πρὸς τοὺς θεοὺς αὖ μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν, καὶ πρὸς γονέας, καὶ πρὸς πατρίδα, καὶ πρὸς φίλους. Acceßit ad crimen ingratudinis,exulis Dauidis,& eorum quos is secũ habebat,despectio,quorũ natura miseremur. Quare mirum non sit, Dauidem heroico spiritu incitatum,ea quæ sequuntur uerba dixisse.

In deserto.) à uicinis Ismaelitis,Amalechitis & Palæstinis.

Et reddidit mihi malũ pro bono.) contra naturã fœderis diuini, in quo Deus,quem profitentur, non solùm malo bonum non pensat: sed etiam malo bonum rependens, malis benefacit,solem suum & pluuias pariter malis & bonis tribuens. Hunc Iudæus Nabal,de familia sancti uiri Calebi, imitari conueniebat: nõ eorum ingenium & naturã, quos Calebus heros ob improbitatem de terra illa extirpauit.

Hæc faciat Deus inimicis Dauid.) Iuramenti Hebraici formula,in qua hostibus suis Dauid mala imprecatur,amicis bona optat,ita ferentes studio amplificandi nomen Dei: cuius gloria cum agitur, licet precari cum Dauide: Reple uultus eorum dedecore, ut tuũ requiratur nomen. Dicas hic, Dauidem iuramento non stetisse. Iuramentum hoc cum adiunctione erat coniuncta: Nisi Deus impediat me delere Nabalem cum suis.

Mingentem ad parietem.) Periphrasis de cane commictore parietis. Sunt etiam qui interpretãtur de masculis familiæ Nabalinæ, rectis & stantibus ad parietem mingentibus. Sed prior sententia uulgarior est.

Sed descendit de asino.) agnoscentis in Dauide regiam dignitatem,ad quam extollendus erat. gestus is fuit ad mitigandam Dauidis iram accommodatus. Regem autem illum futurum non dubitatum ab Abigaile, sequentia uerba satis declarant: Quum ergo constituerit te ducem Dominus Israelitarum. Prudenter ergo mulier se gessit, imprudenter & stultè maritus: qui non spectauit in Dauide quod profanus uates in suo Vlysse spectauit, qui Thersitem,cum animaduertisset ab eo Agamemnona regem conuicijs prosciſſum, his uerbis reprehendit:

θερσῖτ' ἀκροτόμυθε, λιγὺς πρὶν ἐὼν ἀγορητὴς
ἴσχεο, μηδ' ἔθελ' οἷος ἐριζέμεναι βασιλεῦσι.

In me sit Domine.) Oratio Abigailis, qua agnitum crimen deprecatur, in se culpam transferens. qua animi bonitate nihil ad placandos cõmotos animos aptius erat. Intelligebat prudens mulier,quid marito,quid liberis,quid totifamiliæ deberet. Cognouit etiam, magnos uiros muliebri sexui, propter naturalem infirmitatem,multa condonare,quæ uiris non condonarent.

Loquatur obsecro.) Exordij pars hæc attentionis locum continet.

Ne ponat.) Propositio: Non esse animum adijciendum Dauidi ad stultum & imprudentem Nabalem.

Quia secundum nomen suum stultus est.) A' nomine argumentum. Qui locus, argumenta ex nominibus dicta continens, in uramq; partem,tum ad laudem, tum ad uituperationẽ,ualet. si laudem spectes,laudatur Deus, qui ζεὺς,hoc est χορηγὸς τῆς ζωῆς sit. laudatur Salomon,qui uere שלמה sit, hoc est pacis studiosus. sin uituperationẽ,malè audit Adamus primus, qui ארם, hoc est, terrenus terrestria, non cœlestia à contracta culpa sapiens,appelletur.probatur hic Nabal stultus esse,qui נבל uocetur, cuius stulticiæ nomen respondeat. Nabalem igitur ut stultum hominem negligendum à Dauide,prudẽs mulier admonet. Neminem enim sapientem uirũ puerorum, stultorum & dementium hominum contumelia commoueri, qui non antegressa deliberatione & iudicio, sed perturbatione animi cõtemnere uideantur. Cæterùm נבל,ab Hebræis uidetur uocari, qui priuatus ratione arboris marcescentis,& uirore suo destitutæ, cadaueris q; uita spoliati instar se habeat. Interrogatus igitur quidam, quid differrẽt sapientes homines à stultis? Quod uiui,inquit, à mortuis. Is uerè expendit uim uocis Hebrææ נבל.

Ego autem ancilla tua.) A' sua innocentia,quam Dauidem par sit potius respicere ad parcendum familiæ suæ, quàm stulticiam Nabalis mariti,ad euertẽdam eam. Aequum enim esse, insontes cum sontibus non perire, præsertim per uirum sanctum, quem cõueniat ad bene quàm malè faciendum propensiorem esse: ut solent magni fortes q; uiri iniurias, à stultis præsertim hominibus illatas,obliuisci procliuius quàm ulcisci.

Nunc ergo Domine mi.) Dehortatio à uoluntate diuina, cui resistere non deceat. quam confirmat iureiurando.

Qui

Qui prohibuit te.) *me excitata, ut tibi deprecabunda occurrerem. Agnoscit curam diuinam sibi & familiæ suæ prouidentem. Quòd erat fidei Israeliticæ in Israelica muliere opus.*

Et non uenires in sanguinem.) *Lædens imaginem Dei, ad quam homo præ cæteris naturis effictus est, & Israelitæ ex fœdere diuino renouati. Hebraica phrasi, Venire in sanguinẽ, pro sanguinem fundere.*

Et saluauit manum tuam tibi.) *Agnoscit non exiguam salutis partem esse, quempiam absterreri, ne sanguine humano impiet manum suam. Itaq; utitur saluandi uerbo* רחרשע, *intelligit etiã non humana, sed diuina ui, animi perturbationes & affectus reprimi ac coherceri.*

Et nunc fiant sicut Nabal inimici tui.) *similes illi ignauia & impudentia. Quales prudens mulier intelligit nocere non posse, sed ad nocendum alijs aptos esse rerum usu peritos, prudentes & eloquentes homines, non ignauos, infantes & imprudentes.*

Benedictionem hanc.) הברכה, *pro munere. Immutatus Hebræos Apostolus, ut homo Hebræus,* δώλογίαν *alicubi pro munere accipit. Muneribus aggreditur placare Dauidem, quæ magnam uim ad conciliandos animos, propter & utilitatem & dignitatem, habere intellexit. Nam munera & rem augent, & eis quibus dantur, ornamento sunt. Hinc inter honoris partes munera numerantur. Munera enim erga eos quos muneramus, non leuem honoris significationem habẽt. Vnde fit, ut dona magnũ pondus ad sedandam irã ex contemptione natam habeant.*

Ancilla tua.) *Se ancillam, & Dauidem dominum suum uocat, occultè ad regnum eius alludens. Quæ animi demissio non parum ad mouendum apta erat. Natura enim comparatum est, ut superbos & arrogantes repudiemus, demissos & moderatè de se sentientes amemus. Vt suam humilem Abigailem Dauid Messias commendet & exaudiat, fatetur ipse, ubi ait: Dominus humilia respicit.*

Aufer iniquitatem famulæ tuæ.) *condona culpam Nabali in me receptam. Suprà: In me recidat peccatum.*

Faciens enim faciet Dominus.) *Bene precantis Dauidi uerba sunt. Hæc autem ei precatur, ut ei Deus firmum regnum reddat: deinde, ut hostes fortiter duce Domino profliget: demum, ut per omnem uitam mali nihil ei eueniat.*

Domũ fidelẽ.) *Paraphrastes* מילבוהא קיים, *id est regnum stabile.*

Prælia Domini.) *Bella sanctorũ Israelitarum, Domini prælia uocat, cuius nimirum auspicio ea gerantur, atq; ad amplificationem nominis eius referantur. Vmbra in his prælijs cernitur: expressa ueritas in prælijs, quæ à ueris illis Israelitis aduersus mundum & principem mundi per Dauidem Christum geruntur: qui de se prædicat, Ego uici mundum.*

In fasciculo uiuentium.) *Pro ueteris fœderis ratione hæc uita, quæ in his seculis degitur, significatur: pro noui illa altera, hoc est, cœlestis & æterna uita. Fascem igitur uiuentium, alijs locis sacræ literæ librum uitæ uocant. Veteres Hebræi interpretes de* בקא הכבוד, *exponunt, hoc est de solio gloriæ diuinitatis, sub cuius præsidio sanctorum animi ex corporibus emigrantes cõseruentur, in eo qui dicit, se Abrahami & Isaaci & Iacobi Deum esse, quorum uiuentium uera & æterna uita sit Deus, per uitalem spiritum Messiæ.*

Et circulo fundæ.) *Contentio eleganti similitudine colorata, sanctorum animos apud Dominum in fasce uiuentium seruari, absoluto crucis cursu ad quietem: impiorum uerò ad iactationem, instar lapidis quem è fundæ scutula fundibularius eiaculatur. Est enim* בת *rotundum uasculum in funda, in qua iaciendus lapillus reponitur, translatione à manus uola mutuata.*

Non erit tibi hoc in singultum.) *In* לפוקה, *metaphora à nutantibus & impingentibus sumpta, qui leuiter cadunt. Ob conscientiam effusi sanguinis neq; nutaturum, neque usquam offensurum Dauidem, sed in regno bene sibi conscium, securè à noxa uicturũ. Sapiens mulier uerè iudicat improbitatem esse* מיבשול, *quòd conscientia ad culpam tanquam ad saxum impingens corruat. contrarius status bonæ conscientiæ, rectus nimirum & excelsus status. Intellexit item, regium solium clementia fideq; conseruari. quod nobis repræsentet eius regis soliũ, de quo Dauid, cum quo hic agit Abigail: Solium tuũ Deus in omnem permanet æternitatẽ: sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui est.*

Benedictus Dominus.) *Oratio Dauidis, gratiarũ actionẽ continens. Benedicere in loco, gratias agere est. Meminit hic Israelis, cuius Iehoua sit Deus, quòd eius sint promissiones, pacta, oracula, & Messias, & omnia cœlestia munera quæ à Messia proficiscuntur. Dicas ergo, Gentes cæteræ partem hic nullam habent. Habent, qui*

nomine

nomine Israelitarum ex spiritu censentur, qui uerè sunt Israelitæ: quos diuinus spiritus in sacris literis, sub typo carnalis Israelis celebrat.

Et benedictum eloquium tuum.) Laus ab eloquentia. Nam Abigailis siue ἤθη, siue πάθη, siue λόγου spectes, oratio præclara fuit. Argumentis solidè docet: morata oratione mirè afficit, dum se demittit, dum se Dauidis salutem quærere, & Dei consilium spectare præ se fert: affectus uerò dicendo eos inspirat, ut Dauid à uindicta ad lenitatem reuocatus, dicat: Prohibuisti me hodie, ne impiarem me sanguine. Tria igitur præstitit hac sua oratione Abigail: argumẽtis docuit, prudentia sua beneuolentiam sibi cõciliauit, ardentem ulciscendi studio animum restinxit & flexit ad lenitatem: quod fuit uictoriæ. Itaq; in huius labris non humanæ eloquentiæ uis, sed diuinæ sedisse intelligitur. Talis sanè orationis suauitas, qualem in Prouerbijs commendat Salomon: Oratio amœna, fauus mellis est, & animo dulcis, & corpori salubris. Vt in sua Abigaile orationis suauitatem laudet cœlestis Dauid, ex illo in Cantico canticorum liquet: Fauo manant labia tua, ô sponsa: mel & lac sub lingua tua.

Ad sanguinem.) Suprà Abigail: Dominus prohibuit, ne te sanguine impiares. Victus oratione Abigailis, eius uerba repetit.

Pacificè.) Suam Abigailem ut dimittat cum bona pace noster Dauid Messias, ipse his uerbis declarat: Pacem relinquo uobis.

Suscepit ergo Dauid.) Quod fuit placati animi signum. Nam hostium munera ut suspecta, non solum non accipimus, sed etiam reijcimus. Ideo sequitur:

Et honorauí faciem tuam.) placatus sum tibi ac cõciliatus. Quibus placamur, eos libenter in oculis ferimus. inde tropus mutuatus. Locus mysticus est. Nisi Abigail esset, hoc est sanctorum cœtus, stultus mundus cum suis periret. quòd igitur non perit, id pijs debet: sed ingratus aliud sentit, bonum pro malo rependens.

Et ecce erat ei conuiuium.) Exitium securè conuiuium agitanti Nabali imminet. Hoc modo pereunt impij: cum dicunt, Pax pax, repentino inuoluuntur interitu.

Ebrius enim erat nimis.) Qui nomine et animo stultus erat, inebriatus fuisse legitur. Rectè ergo uates Oseas: Fornicatio & ebrietas spoliãt animo hominem. Quantum malum det ebrietas, & ut hæc uicini interitus signum sit, Nabalis & Balthasaris Babylonij exempla docent. Hinc hæc Domini admonitio nata: Attendite ne corda uestra grauentur crapula & ebrietate. Atque is postrema hæc secula, in quibus nos uersamur, spectauit, quæ stultis & ebrijs Nabalibus plena sunt.

Et non indicauit.) ut homini bene poto & inebriato, qui admonitionem nullam ferret: cõtrà sobrij compositi sunt, quos sobrietatem docet ri à sapientia, ut stultos ebrietatem à stultitia, Salomon his uerbis admonet: Sobrietatem enim & sapientiam docet.

Cum digessisset uinum.) ut Latini dicunt, exhalare crapulam, ita Hebræi יצאה היין, hoc est, exire uinum.

Et mortuũ est ei cor.) Exemplum horrendi iudicij Dei. Qui gladio Dauidis non interijt, spiritu diuino ictus, extinctus est: ut significaretur, quibus armis cœlestis Dauidis hostes eneandi essent, armis nimirum, de quibus uates Iesaias mentionem facit: Spiritu oris sui interficiet impium. Legitur animi defectione & corporis quodam saxeo stupore ita diriguisse Nabal, ut intra decem dies à Deo tactus perierit. Is est exitus eorum, quibus contemptui est Dauid ille unctus Dei. Quare metuant sibi his nouissimis temporibus despectores Messiæ Nabales, quos uino sapientiæ humanæ ebrios, certus mox & indubitatus obruet interitus. Abigail, quæ eloquentia sua Dauidis iram sedauit, ea eadem orationis ui extinxit Nabalem. Submoue umbram, & intelliges quanta sermonis ui ualeat ea Abigal, de qua ipsius sponsus his uerbis: Non uos estis loquentes, sed spiritus patris uestri, qui est in uobis. His armis Nabal, hoc est stultus mundus perit, cui antea Abigail ecclesia Dauidi Messiæ matrimonio iungẽda, nupta erat. Est autẽ diuinus spiritus loquens per sanctos, cui omnia in cœlo & in terra pareãt & subiecta sint.

A' malo.) à fundendo sanguine. Qui nosset quantum à sanguinarijs abhorreret Dominus: Viri sanguinarij non peruenient ad medium ætatis suæ.

De manu Nabal.) pro quo Latini, in Nabalem, qui contumeliam in Nabalem ultus esset. Cogitent ergo qui Messiam & eius amicos inimici insectantur, eorum iniurias impunitas non abire per eum uindicem, qui iustus & æquus ultor appellatur.

In uxorem.) quæ pulchra & prudens cum esset, Dauidis pulchri & prudentis coniugio apta erat. Quæ uxor stulti Nabalis fuerat, eo mortuo, matrimonio Dauidi iugitur, ex humili ad regium statum euecta. Quæ nobis eam reginam cœlestis

cœlestis Dauidis sponsam repræsentat, de qua mysticus Dauid: Astitit regina à dextris tuis. et de pulchritudine: Et tua pulchritudine capietur rex. & de eâdẽ in Cãticis: Tota es pulchra amica mea. de pulchritudine autẽ Dauidis Messiæ: Speciosus præ filijs hominum. & de eius uirtutibus: Dilexisti iusticiam, & odisti iniquitatem, &c.

Vtlauet pedes.) Quæ ad regiam dignitatem euehenda erat, demittit se primùm infra seruarum conditionem, quæ non ignoraret hãc Dei sententiã: Extulit humiles. In studio lauandorum pedum, ὑπηρεσίαν quoduis ministerium abiectius notatur.

Michol filiam suam.) Dicas: Quomodo eam, quæ erat uxor Dauidis, alteri in matrimoniũ elocauit? Sunt qui uolunt cum libello repudij à Dauide, sic urgente Saulo, dimissam. At dicas: Cur igitur, cum alteri à Saule elocata in matrimoniũ esset, eam Dauid iam creatus rex repetijt? Dicunt, mortuo Saulo repetitam, quam inuitus dimiserat, non sua sponte, ad fugiendam tyrannidem Saulis.

IN CAPVT XXVI.

ET uenerunt Ziphæi.) uerentes, ut apparet, ne, si à Saulo nõ opprimeretur Dauid, suæ olim perfidiæ illi pœnas darent, ut est plenus metu proditorum animus: qui norunt metuendos esse iniuria affectos, præsertim si eam potentiam nacti sint, aut nacturos se arbitrentur, qua illa tam iniuriam ulciscantur. Præstat igitur, quantum in nobis est, bene mereri de omnibus, male de nemine, si quidem metu uacare uelimus. Hæc doctrina ita uera est, si hoc studium placatos retinendi animos, ferat reip. incolumitas, & ipsa religio: cuius tuendæ amor neq; amicorum quibus parcat, neq; inimicorum quibus cedat, rationem habet.

Vt quæreret Dauid.) uictus spiritu malo, quo obsessus fuerat, cuius impulsu, dissentiente conscientia, insontem persequebatur. suprà enim dixerat: Iustior me es.

Et uenit ad locum ubi erat Saul.) excitatus non humana fortitudine, sed diuina, spiritu nimirum heroico, quo cœperat afflari. Itaq; pergit Dauid suæ fidei documenta edere: Saulus & Ziphæi suæ perfidiæ, sub prænotione diuina, qua Dauid per crucis usum & patientiam ad salutem: Saulus per impatientiam, ambitione, & odio duce, ad interitum tendebat. Sic Dauid Messias, suum Saulũ, hoc est Pontificem, sacerdotes, Pharisæos & scribas hostes, & suos Ziphæos proditores habuit: ut his exagitatus, ad splendorem regni sui perueniret, aduersarijs per malum, quo ferebantur, spiritum pereuntibus.

Dormientem.) Vigilans dormientem obruit. Hæc est incuria impiorum, qua pereunt: contrà sua uigilantia pios seruat: qua omnia sub eo uigilante uincunt, de quo eius curam expertus Dauid: Ecce non dormiet, qui custodit te Israel.

Et hastam fixam in terra.) Hypocritarum arma humi defixa leguntur, sanctorũ in cœlo. Sed quæ arma? precatio fide instructa, quæ per nubes in cœlos penetrans, ad thronum gratiæ diuinæ omnia impetrat. Quemadmodum Dauid, ut sensit se de Sauli ui ereptum, his uerbis testatur: In afflictione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, et exaudiuit de templo sancto suo uocem meam, &c. Similia arma aduersus proditores Ziphæos expedita leguntur Psalmo LIIII.

Quis enim extendet manũ suam.) Dehortatio, ab ordinatione diuina, per quam regi manus afferre nõ liceat. Hanc sententiã de magistratu colendo, naturalis lex in animis nostris inseruit. Commendat dignitatem regiam sapientia ipsa Dei, per quam Salomon reges regnare dicit. At uerò in gente Israelitica singulari ratione reges ampli erant, quòd regis cœlestis Messiæ typum præferrent. An uerò propterea tyrannos nefas sit interficere, quòd legitur hic Dauid uetuisse ne manus iniiceret Abiseus Saulo, quæstioni ut occurratur, non est præsentis disputationis. priuatæ iniuriæ ulciscendæ gratia, cuiquam intentare manum, prohibet lex illa: Ne occidito. publici boni caussa, priuatorum hominum nõ fuerit, occidere sontes: sed magistratus ciuilis, ad uitandam in puniendo perturbationem ac confusionem. Quòd si à priuatis tyranni aut imperio spoliati, aut interfecti leguntur, ad liberandam rempublicam seruitute, et eam in libertatem uindicandam, ut de Athenienſibus & Romanis exempla extant, de horũ conatu & studio nemo ut arbitror, sapiens temerè iudicabit. licet enim interdum uim quandam diuinam in priuatis hominibus cernere, qua incitati, ea honestè agunt, quæ cum legibus uideantur pugnare. Exemplo Moses est, à quo Aegyptium quendam diuersum monente lege, Ne occidito, interemptum sacræ literæ produnt. Is autem ob eam cædem non solùm damnatus non legitur, sed ab eo facinore ad gubernandam Israeliticam gentem imperator diuinitùs delectus est. Simile exemplum de Pinehas ostenditur.

Viuit Dominus.) Tria genera mortis enumerat. unum, quo à Domino ante naturalem

uitæ finem certis immissis morbis è uita tollimur. Hoc genere mortis paulo suprà extinctus Nabal legitur, ubi idem uerbum, cuius hic fit mentio, usurpatur דגזת, in quo uerbo lues aut pestis, aut quicunq; quo Dei iudicio homines ante tempus interëũt morbus accipitur. Alterum mortis genus est, quod in expleto naturali uitæ termino, quẽ attingere liceret nisi morbus aliquis eum præueniret, cernitur. Tertium hostili gladio perficitur: de qua morte Dauid hic in textu meminit.

Quia sopor Domini.) De prouidentia Dei locus: hoc altissimè consopitos Dauidis hostes, ab ipso exarmari. Notatur in תרדמה non leuis, sed grandis sopor: ut solent, quæ magna & præstantia sunt, adiuncto Dei nomine efferri.

Nunquid non uir tu es.) Laudatur Abner à fortitudine, quo magis hoc suum facinus ad amplificandam Dei erga se beneuolentiam aduersus Saulum illustret, qua acciderit, ut imbellis & exul, omni humana ope destitutus, regem ipsum in castris adoriri, eumq;, fortissimos qui propè aderant uiros nõ formidans, ausus sit exarmare. Nõ enim sine diuina ui ac spiritu rem istam à Dauide gestam, hostes etiam ipsi potuerunt, ut mox patebit, interpretari. Itaq; aduersus hos fortes orasse legitur Psalmo LIIII. Quoniam fortes insurrexerunt aduersus me.

Si Dominus incitauit te cõtra me.) propter aliquod delictum meum.

Odoretur sacrificium.) cuius suaui odore placetur mihi Dominus, tuo aduersus me infesto odio sublato. De מנחה & eius generibus, & de rerum quæ in hoc dapali sacrificio adhibentur delectu, ut erat farina, thus, oleum, demum de usu eius, in Leuitico mentio facta est. Aut in hunc modum explicare Licet: itetur Deo sacrificio: cuius igni exploretur, an' ne crimen aliquod sit, quamobrem me persequare tam inimicè. Ignis enim, diuinum illud elementum est, quo insontium innocentia & sontium noxa exploratur, ut de Cain & Abel, de Elia & prophetis Baal exempla docent.

Sin autem filij hominum.) per inuidiam, qua regum aulæ plenæ sunt.

Maledicti sunt.) Dira imprecatio nõ hominum, sed noxæ odio excitata. Grauissimum autem crimen est, innocentes uelle uera religione priuare, & ad falsam adigere, quam inter profanas gentes sequantur. Deuouet diris peruertentes iudicium alterius, et sententia legis Mosaicæ, de qua in Deuteronomio fit mentio.

In hæreditate Domini.) terra uerò Dei cultui & sacris oraculis cõsecrata. Vt suauis res est patria, & apud suos patrio Dei cultu uersari: ita acerbum & graue exilium est, præsertim ad eos expelli, qui patriæ hostes habentur, & ad tyrannos confugere. Ad quos liber si quis uenerit, seruituti addicitur, ut est apud Tragicum uatem,

πρὸς τὸν τύραννον ὅστις ἐμπορεύεται,
δεῖνός ἐστι δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

Vade, serui diis alienis.) dum per eos cogor ad Moabitas & Palæstinos secedere. Vetus est dictum apud Hebræos הדיצא מהדרץ לארץ שראל באולו עובר עבודת זרת prosopopœia est apta indignationi, et iusto animi dolori exprimẽdo. Nam qui tam aduersum casum experiũtur, patriã hæreditatẽ cum amicis & propinquis relinquere coguntur, seruituti subijciuntur, patria religione priuantur.

Et nunc non effundatur sanguis meus.) Plena fidei uox, qua admonemur, tyrannorum consilia, studia atq; conatus in Dei manu positos esse: cuius consilium firmum sit, & principium orbis terrarum infirmum & cassum: ut Dauid id expertus, his uerbis in psalmo quodam testatur: Dominus reprobat consilia principum, consilium autem eius in æternum manet. Huius consilium quoniam erat, ut Dauid regnaret, Saulus de regno deturbaretur: eo subnixus Dauid, perfidẽ constanter dicit: At non cadet in terram sanguis meus per Dominum. Meminit sanguinis fusi in terram, spectans nimirum ad originem ueteris hominis, De terra es.

Quia egressus es.) More linguæ, egredi pro expeditionem facere. Quamuis rex egressus sit, בי pro aduersatiua cõiunctione usurpato, per cõtentionem se pulicem et perdicem facit, quem rex potentia florens persequatur, ad celebrandã Dei erga se fauorem, qui à se abiecto homine aduersus potentissimos stet. Vnde impulsus Dauid sic decinit: Non est oblitus Dominus orationem inopum.

Reuertere fili Dauid.) ad hæreditatem tuam.

Peccaui.) Hæc peccati confessio ex numero eorum testimoniorũ est, quæ expressa uocatur, ac necessaria. Necessitas autem partim à corporibus, partim ab animis nascitur. Quod ad corpus attinet, huc pertinent quæ uerberibus & quæstionibus torti confitentur. In animo duplex uis cernitur: altera appetitum habet, in quo dolor, amor, odium, cupiditas, metus uersantur: altera intelligentiæ & rationis particeps est, in qua communes

munes ἐνοίας ideſt notiones ſpectantur, quæ etiam inuitis & reluctantibus de ueritate teſtimonium exprimunt. Hac neceſsitate accuſantis conſcientiæ Saulus impulſus, confitetur ſe hic peccaſſe, improbitatem pectoris in ueritate iudicandi de innocentia Dauidis retinens.

Dominus autem.) æquus iudex, quem nulla humana conſilia fallunt.

Retribuet unicuiq;.) Explicat ſententiam illam prouerbialem ſuprà recitatam: Ex impijs proficiſcitur impietas, in quam Dominus pro æquitate ſua animaduertat.

Secundum iuſticiam & fidem.) Dicas, improbis abeſſe iuſticiam & fidem. Phraſis Hebræa indicat, cuiq;, ut dignus ſit, Deum rependere: improbis pro ſua improbitate rependere mala, probis bona. Dicas, Meritorum ergo erit aliqua ratio. Si improbos ſpectes, meriti habetur ratio: ſin probos, nulla. Nam præmia quæ dantur bonis, ex gratia & beneuolentia remuneratoris dantur, non ex debito, & in hos repenſa bona non in mercedis debitæ merito, ſed in liberalis & gratuiti præmij rationẽ ueniũt. Firmũ enim illud eſt: Gratia ſaluati eſtis. Dicas, Impij merentur ſuppliciaſuis malefactis: ergo pij merentur felicitatẽ benefactis: quòd contrariorum eadem ratio ſit. Nõ eadem ratio benefactorum in probis, & malefactorum in improbis cernitur. porrò hi, q; improbi ſunt, ex ſe tales ſunt, et ſua natura: probi uerò, probi ſunt ex Dei gratia ac clementia, non natura.

In oculis Domini.) ex promiſſo illo: Beati miſericordes.

Faciens facies.) pro quo Latini, Conatus tuos perficies. Paraphraſtes erudita interpretatione ſic explicat: את בתמלך המלוך, hoc eſt omnino regnabis.

Et potens poteris.) Paraphraſtes: חצלח ואת איכלה, id eſt, Et etiam prorſus res tibi proſperæ erunt.

IN CAPVT XXVII.

ET ait Dauid in corde ſuo.) Qui fide corroboratus, perſuaſum haberet ſe regno potiturum, cur cogitat periculum eſſe ne in Sauli manus incidat? Non erat dubitantis de promiſſis diuinis hæc cogitatio, ſed pro prudentia ſpiritus diuini quo regebatur, media uitandi furoris Saulini à Deo prouiſa non aſpernantis. Huc ſpectans Dauid, temeritate in adeundis periculis uitata, Dei prouidentiam in ſuſceptis ad Sauli furorẽ deuitandum mediis cõmendat. Quòd prudentiæ Dauidis exemplum nobis ad imitandũ, ſed ſpiritu duce, ſacra hic narratio ꝓponit. Huc pertinet ad monitio illa noſtri Dauidis: Sitis prudentes ut ſerpentes: Cauete uos ab illis hominibus, &c. Nec deeſt exemplum talis prudentiæ in hoc ipſo noſtro Dauide Chriſto.

Ad Achis filium Maoch.) Calamitatis huius magnitudo ponderatur à perſona tum Dauidis innocentis, tum ab Achis præputiato & capitali populo Dei hoſte: tum à terra Iſraelitica, uerbo & cultu Dei inclyta, quæ deſerenda erat. At diuina ſapientia neq; hanc Dauidis ab Iſraelitis ſeceſsionem ad profanã gentem myſtica ſignificatione carere uoluit. Nam ut Dauid relictis Iſraelitis ad gentes ſe recepit, hypocritæ Sauli regis odium declinandi gratia, & tantiſper apud eas uerſatus eſt, dum regno Sauli finito, ipſe regnum reſtitutus Iſraelitis iniret: ſic Dauid Meſsias, quẽ ſua non ferret gens hypocriſi plena, ad gentes ſe contulit, dum finito ſtulti paſtoris hodie cœpti pateſieri, regno, ipſe ſuis Iſraelitis reconciliatus regnet atq; imperet in magnis orbis terrarum motibus, ad Euangelium terræ finibus conuerſis. Noniſſima hæc tempora typos huius hiſtoriæ explicabunt.

Sed & duæ uxores eius.) Reducto uelo, ſponſa eccleſia cum ſuo Dauide Chriſto ignominia afficitur, & glorioſa redditur: ſeruitute premitur, & regnat: moritur, et ad uitam excitatur. Hinc Apoſtolus Paulus: Siquidẽ cum eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur.

Cur manet ſeruus tuus.) Qui rex futurus erat, ſeruum ſe facit profanarum gentium, ut aptus fieret typus eius Dauidis, de quo Apoſtolus: Seipſum inaniuit, ſerui forma ſumpta. Quapropter & Deus illum extulit, &c. Nouerat prudens uir, principum aulam plenã eſſe inuidia, quæ fortes uiros non ferret, præſertim exteros, apud ſuos reges in exiſtimatione eſſe, et gratia florere. Accedebat luxus regius, qui in urbibus quas reges inhabitant exercetur. Quo ſanctus uir exilio iactatus, & rebus aduerſis aſſuefactus, offendebatur. Poſtremò ſimulachrorum cultus, qui in talibus urbibus maior & frequentior eſſe ſolet, monebat eum, ut alium locum quæreret, ſuis ſtudijs & uitæ aptiorem. Nõ commemoratur, quòd Goliathus, quẽ interfecerat Dauid, Getheus fuiſſet, cuius memoria apud ſuos adhuc recens erat.

Sicelag.) De hac urbe Iudææ tribui à Deo aſsignata, & ad tempus à Palæſtinis occupata, apud Ioſuam uideris. Cæterùm qui ad Dauidem ex Iſraelitis præſtãtes uiri trãsfugerint Sicelag, ea de re memorabilis extat hiſtoria in Paralipomenis, libro primo, capite XII.

Quatuor mensium.) Hebræus habet ימים, quam uocem omittit interpres. Alij de anno interpretantur. Nam alio loco indicatum, ימים id est dies, interdum pro anno in hac lingua accipi. Alijs in hoc loco nō annus est, sed dies: quatuor menses & aliquot dies Dauidem in agro Palæstino degisse. Qui ita sentiunt, dicunt Saulū post Samuelis obitum nō plures quàm septem menses superuixisse. Hanc sententiam Paraphrastes habet, ימין ושבעא.

Contra meridiem Iudæ.) Eos qui meridiana Iudææ tribui assignata occupabāt, non Iudæos & Cenæos, charos ob ueterem Iethronis familiam Israelitis, perdebat. In quo fallebatur Achis, qui putabat Iudæos, non alias gentes uastari. Cæterùm meridianus tribus Iudææ terminus quò usq; pertingat, apud Iosuam uideris. In speciem atrox et sæuum uictoriæ genus fuisse uidetur, quo usus est Dauid: sed quod in Dauide, expenso consilio Dei tale non uideatur, in quo nobis repræsentetur uictoria, quam de suis hostibus referat cœlestis Dauid, eorum spolijs in sanctorū usum translatis. De quibus uates: Et fortium diuidet spolia.

Credidit ergo Achis Dauid.) ut solēt amici hostiū odio haberi, ita hostiū hostes amari.

Multa mala operatus est.) Nausea ardi uerbum Hebræus habet: Dauidem tanta nausea suorum Israelitarum captum, ut nulla sit spes fore, eum cum illis reconciliari. In hoc uerbo duo notantur. unum contemptus est ac despectio: quorum enim nausea nos capit, ea tanquam uilia & contempta aspernamur. Alterum odium est, quo eos quos odimus, perditos uolumus. Hæc Achis rex significauit in uerbo הבאיש. Anadiplosi autem Hebraica, uehementis odij & despectionis uim explicat. Quocirca subijcit:

Seruus sempiternus.) fidus aduersus hostes Israelitas. Prudēs rex intellexit, maiores etiā fratrū & propinquorū iras esse quàm exterorū, ut habet prouerbium: Fratrū graues inimicitiæ.

IN CAPVT XXVIII.

FActum est in diebus illis.) Bellum ultimum à Palæstinis aduersus Saulum gestum describitur, in quo is interijt: & Dauid exilio liberatus, magna bonitatis diuinæ & salute populi Israelitici, regnum obtinuit.

Vt præpararentur ad bellū.) à Deo, bellorū & pacis autore excitatum. In cuius prouidentia uicissitudo posita est, de qua Salomō: Omnia tempus habēt. Est tempus belli, et tēpus pacis.

Sciens nunc scies.) Quem Saulus & Israelitæ repudiarunt, gentes ad conseruandum se recipiunt. Remoue uelum.

Dixitq; Dauid.) Suspensum responsum, quo significauit, nec deserendum Achis, nec à se perdendos Israelitas, ut diuinum populum, quorū nimirum regem se futurum intelligebat. sed tectè indicauit, se ea gesturum quæ Deo probarentur.

Samuel autem mortuus est.) Narratio de morte Samuelis, ut apparet, repetitur, propter euocatos eius manes à Pythone prædita mu liere. Vt obijsset mortem Samuel, bellum hoc à Palæstinis in Israelitas susceptum est, quem scirent præstantem ducem & uatem Israelitarum fuisse. Quo uiuente Saulus feliciter aduersus hostes bella gesserat, simulachrorum cultu cum ariolis sublato: eo autem mortuo, cum sancto uiro felicitas quoq;, ut fit, ab Israelitis discessit.

Et Saul abstulit magos.) fidē ne, an absq; fide, per hypocrisim, totius uitæ cursus satis declarat. (deseruisset.

Et timuit.) quē spiritus res fortiter gerendi

Et expauit cor eius.) in Hebræo uerbo non leuis metus, sed pauor mentem loco mouens notatur. In Saulo multa metum augebant. primò conscientia scelerum, qua ad pauorem nihil uehementius est, ut innocentia ad tranquillitatem nihil tutius & firmius. Deinde sententia diuina, à Samuele aduersus ipsū edita, qua iam se reiectū ac repudiatū sentiebat. postremò hostis potens et uicinus, armatus etiam Dauide æmulo. Vt solent uicina mala, si desint præsidia, & Deus aduersus nobis sentiatur, maximè formidolosa esse. Saulum igitur propinqua pericula terruerūt, non item Dauidem. Nec id mirum. alter enim innocentiæ cōscientia & beneuolentia diuina septus erat, alter his præsidijs carebat.

Consuluitq; Dominum.) non studio gloriæ eius, sed metu præsentis periculi. Hinc accidit, ut in libris Paralipomenon legatur, Saulum non consuluisse Dominum: q. perinde sit, sine fide per hypocrisim scisciatari oracula diuina, atque Dominum non consulere.

Et non respondit ei.) ut à se abalienato, & iam exitio destinato.

Neq; per somnia.) Genera explicantur, quibus Deus suos de rebus futuris admonet. Vnū continet uisa ac somnia. At cum duplex sit genus somniorum: alterum uanorum, quibus uel euentus nō respondet, uel quib. falsi uates ad falsam religionem cōfirmandā utūtur: alterū uerorū, qualia fuerunt Iosephi, Danielis, & aliorum somnia: hoc genus pbatur ab ipso autore, à personis quib. immittitur, ab usu et exitu: illud impbatur, dānaturq; cōtrarijs causis, ut uidere licet in Leuit. et Deuteronomio.

romio. Hic legitur, Saulo per somnia proborũ hominum Deũ nõ respõdisse, q̃ eos uera denũciantes nõ ferret, tot ab eo sacerdotib. Nobæ interfectis.

Neq; per sacerdotes.) Neq; per Vrim responsa dedisse: אורים enim legitur in Hebræo. quæ apud Abiatharem sacerdotem erant, qui cõfugerat ad Dauidẽ. Quod enim diuinis Vrim & Thumim cõmerciũ fuisset cum Saulo, carente luce illa de pectore pontificis lucente, qui de se prædicat: Ego sum lux uera. & de eius facultate enarrandi arcana Dei patris responsa: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit? Et si Thumim spectes, quid his cum Saulo commune? qui Dauidem innocentem persequebatur, sacerdotes insontes interfecerat, in legem Dei contumaciter commiserat, ut audierit hæc à Samuele: Quia abiecisti sermonẽ Domini, ideo abiecit te Deus. de Thumim, hoc est integritate pontificis, quem respuebat Saulus hypocrita, uates Iesaias: Eo quòd scelus non fecerit, neq; dolus fuerit repertus in ore eius. Redduntur salutaria responsa Dei ijs, de quibus idem uates: Quem autem respiciam? eum respiciam qui pauper est, fractus animo, & tremit ad uerba mea. Qualis hypocrita Saulus nõ fuit. Græci Vrim ob lucem omnia illustrantem φῶ δηλοῖς uertunt.

Neq; per prophetas.) Quorum admonitioni semel fidem non habuisset, de quo illud: Eo quòd abiecisti sermonem Domini. Prophetas hos discipulos Samuelis fuisse tradunt. Suprà somniorum, quæ pars prophetiæ sunt, meminit: hic generatim prophetandi muneris. Quod quàm latè pateat, Moses in Numeris explicat.

Quærite mihi mulierẽ habẽtem pythonem.) Spoliatus oraculis Dei, deflectit ad dæmonum responsa, contra legem Dei à Mose expositam. Horrendus casus, responsis Dei deseri sua culpa, qui priorea deseruisset, à quo uno omnis salus proficiscitur: atq; ad eorum responsa confugere, qui perdere, non seruare, student: & seruare etiam si uellent, quod non uolunt, neq; unquã uolent, nõ tamẽ possent. A' Saulo autem despecta fuisse oracula Dei, Samuelis reprehensio suprà explicata ostendit. Incumbendum est igitur tota precatione nostra ad Dominũ, ante omnia in id, ut in Vrim & Thumim, hoc est in oraculis Dei plenis luce & integritate maneamus, neq; ab eis usquam deflectamus. Nam semel his neglectis, quãta ad miseram ruinam cum Saulo nobis occasio aperiatur, præsens narratio docet. Cæterùm cum uaria superstitiosæ diuinationis genera sint, ex auium cantu & uolatu, ex animantium extis, ex incantatione, sortibus, ex elementis mundi, terra, aqua, igni, ex astris et siderũ positione et cursu, ex somnijs, ex mortuis, responsis, ad quorum responsa elicienda eorum ex inferis euocatio instituitur, quæ à Græcis ψυχαγωγία dicitur: hoc postremo genere usus est Saulus contra legem illã, Neq; à mortuis quærat ueritatẽ. Latini אובות pythios uertunt, à Pythij Apollinis responsis, quæ dæmõ gentibus interrogatus dabat. Græci ἐγγαστρίμυθος, id est uẽtriloquos reddũt, sed de his in Leuit. prolixior tractatio instituitur. Quoniã mulieres malefico diuinãdi generi præcipuè obnoxiæ sũt, fere feminini generis uoces usurpãtur: ut מבשפת, ואבות sed cum etiam uiros hac incantandi male fica arte præditos reperiamus, אוב masculino genere quoq; inuenias, ut in Leuit. ביהיה בה אוב. De maleficis manes ex orco euocantibus uates latinus: Et mugire solũ, manesq; excire sepulchris.

In Endon.) De hac ciuitate, inter urbes tribus Manassensis apud Iosuam fit mentio.

Mutauit ergo habitum suum.) Ne si agnosceretur à uenefica, per metum hæc carminibus quem uellet, non euocaret: & deprehensus in infami facinore ab Israelitis, infamiæ nota aspergeretur, qui ipse cum talibus hominib. rem haberet, quos nõ ita pridem è terra Israelitica eliminasset. At præposterus pudor is erat, uereri homines, & apud Deum iustum scelerũ iudicem renes & corda scrutantẽ non erubescere ac uerecundari. Sed sic sunt hypocritæ comparati, qui per simulationẽ sua consilia latère Deum putant, dicentes ut uates eos per μίμησιν reprehendit: Nõ uidet nos. Secus cõpositi sunt pij, q̃ etiã suã conscientiã erubescũt.

Et suscita mihi.) העלה, hoc est fac ut ascẽdat. Manium ex orco euocatio notatur, de qua latinus uates: Hac animas ille euocat orco, de Mercurij ψυχαγωγῷ uirga loquens.

Et iurauit & Saul.) delinquens in legem, Nomẽ Domini in uanum ne usurpato. Vanè autẽ adhibetur, cum fide non adhibetur, & in re uana.

Quia non eueniet.) contra legem se seruaturum iurat, quã ex lege delere debebat, de qua in Leuitico uideris.

Samuelem mihi excita.) Horrendũ cæcitatis exemplum. quem uiuũ ex sententia Dei audire noluit, mortuũ cõtra legẽ requirit. hæc est potens dæmonũ fascinatio ac demẽtatio, de qua Apostolus ad Thessalonicenses sanctè meminit. Saulum qui in pastoris stulti, capitis hypocritarum, regno imitentur, hodie satis manifestum est.

Cum autem uidisset mulier Samuelem.) Variant interpretes. Sunt qui uerè Samuelis manes apparuisse Saulo, & ei locutos uolunt.

Atq; hi ut sic sentiãt, his mouẽtur rationibus. Vna est, q; legitur in Ecclesiastico, inter Iesu Syrachi filij sententias de Samuele: Et postquàm obdormiuit, indicauit regi suum interitum. Altera, quòd uera prædicta hic leguntur Saulo, quæ mendax dæmon non prædixisset, qui mendax est, & mendacij pater. Tertia, quòd non legitur hic dæmonem uerba fecisse, sed Samuelem. Sunt alij, qui non Samuelem, sed dæmonem ad ludificandum & Saulũ & maleficæ perfidiam locutum statuunt. Nam si Deus noluit respondere Saulo, oracula eius sciscitanti, per uiuentes prophetas: quanto minus per mortuos respondit, cõtra legem suam per Mosem promulgatam? Sancti enim dum muuũt, docendi munus obeunt, nõ defuncti: quorum relicta doctrina, & literarum monumentis consignata auscultanda sit, non ex mortuis quærenda ueritas, ut ex lege patet, et ex Abrahami responso in parabola diuitis & pauperis Lazari: Habent Mosem et prophetas, eos audiant. item: Si Mosem & prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit credent. Præterea si Samuel fuit qui Saulo apparuit, percunctamur, carminibus' ne ueneficæ euocatus sit ex inferis, an ui diuina. Si hac, quomodo Deus, qui magicam artem damnat sua lege, ex maleficæ et Sauli arbitrio sanctum uirum euocasset, qui per uates uiuentes responsum Saulo reddere recusarit? Sin uerò maleficæ carminibus, ita ferente Deo, Samuel excitatus est, quæritur, uolẽs ne an nolens ac inuitus apparuerit? Si sua sponte & uolens, tam culpa igitur non caruit Samuel, qui in re infami dæmoni consenserit: quàm dæmon ipse & Saulus cũ incãtatrice, nõ caruit. Sin inuitus apparuit, in dæmonum igitur sancti animi, qui in perennem diuinitatis lucem translati sunt, potestate erunt, ut eis pro libidine, cum uolẽt, ad fascinandos & dementandos eos qui uiuunt, abutantur. Quæ sanè seruitus & obnoxia conditio aduersa esset libertati, de qua eius assertor his uerbis: Si filius uos liberarit, uerè liberi eritis. item: Vbi spiritus, ibi libertas. Spiritus inquam lucis & uitæ, dissoluens seruitutem potestatum tenebrarũ & mortis. Qua seruitute tenẽtur dæmones quibus maleficæ obsessæ mortuorũ manes putãtur elicere, cũ dæmones sint qui eliciuntur, qui ad illudendos perfidos sua sponte patiantur se euocari, animis sanctorum ad meliorem conditionem destinatis diuina cura & prouidentia. Hæc sententia eorum est, qui uerè iudicare se hac de re arbitrãtur. Quòd si obijcitur, dæmones non uera, sed falsa prædicere, qui mendaces spiritus sint, atq; mendaciorum architecti: uerum id quidem est, sed nihil impedierit, quamuis mendaces sint, ab eis interdum uera dici, non amore quidem ueritatis, sed ut æquo iudicio Dei perfidi in sua perfidia pereant, & iusticia diuina etiam per improbos dæmones declaretur: cuius tanta uis sit, ut etiam eam impij ueritatem in mendaci pectore detinentes confiteantur. Sic uera falsus uates Bileamus, corde non uero, sed falso, prænuncia uit. Sic satan cum ministris suis fatetur Christũ filium Dei uiuentis esse, quem odio prosequitur, non amat. Quod de Samuele euocato mentio hic fit, sacra narratio, indicat id accipiendum esse de opinione Sauli & maleficæ, qui putarint Samuelem euocatum à dæmone, ludificati: non de sententia Dei, qui indicet uerè Samuelem ex inferis reuocatum. Aut accipitur Samuel pro spectro Samuelis, non de personæ ueritate: quæ species ac spectrũ satanæ ludibriõ, Saulo malo spiritu obsesso, sit repræsentata: ueluti aliquoties rei nomine, species eius ac imago intelligitur. Sic Pharao legitur uidisse septem spicas & boues, cum speciem solum spicarum & boum uidisset. Idem iudicatur de uate, ubi Dominum in solio suo sedẽtem uidisse legitur, ubi accipitur species quam uiderit. Sed hic dissimilitudo cernitur, quã sapientes & docti spiritu hominum non ignorant. Eodem modo occurritur illi quod ex Ecclesiastico adductum est. Et quoniam spiritus dæmonis, quo Saulo futura denunciauit, propheticus spiritus, qui etiã improbis datur, fuit, & eo Samuel claruit, dicit Syrachi filius, Samuelem indicasse Saulo interitum suum. Dæmon ergo sub Samuelis specie oblatus, uera Saulo coactus fuit prædicere: ut Bileamus pro Israelitis diuino impulsus spiritu, salutaria prædixit, lubentius contra populum Dei perniciosa prædicturus. Qua ex re intelligimus, tenebrarum principatum Deo & eius sanctis subiectum esse, nõ contrà sanctos tenebrarum potestatis imperio subditos. Quos turpe sit existimare ad sepulchra, ut nonnulli arbitrantur, & monumenta uersari, corporũ, quæ deliquerunt, amore: siue ueteris, siue nouæ fœderis piorum animos spectemus. Nam hos ad uitam, nõ ad mortẽ: ad lucem, nõ ad tenebras destinatos, in fœtidis obscurisq; sepulcrhorũ locis Dei bonitas minimè patietur degere, q eorũ Deus cũ sit, eorũ in uita et luce, nõ in morte et tenebris uersantium Deus erit. Impiorũ animos et impuros dæmones deserta, sepulchralia atq; tenebricosa loca decẽt, ueluti legimus apud Matthæũ: Et occurrerũt ei duo dæmones, è monumentis egressi. Item apud Lucã: Et egrediebatur à dæmonio in desertum. Itaque nequaquã, quia hic legitur, Fac ascendere Samuelem, ideo Samuelis spiritum in sepulchro uersatum

tum, existimare debemus. In hac porrò narratione dæmonum ludibria in maleficis, exponuntur, & Sauli defectio ab oraculis diuinis reprehenditur: non falsa opinio de euocato Samuelis animo ex monumentis probatur. Aequè minus probabile est, quòd nonnulli putant, sancti uiri corpus per carmina euocatum. Absit enim, ut piorum hominum corpora dæmonum artibus pateant, quæ pro arbitrio, quò uelint, euocent. Sed dicas, dæmoniorum principi satanæ permissum fuisse, ut Christũ in desertum subduceret, & eum super pinnaculum templi montemq; excelsum collocaret: Quã to igitur facilius sanctorum animos, corporibus liberatos, dæmonibus tentãdos permiserit, ut eos quò uelint adducant, corporata specie circundatos? Deus non permisit satanæ, ut per carmina & incantationes Christum in ea loca, quæ memorata sunt, perduceret: sed Christus tentatus à satana, sua sponte, non fascinatus, in illa profectus est, nostro omnium bono, quem per infirmitatem per omnia similiter nobis tentari conueniebat: ut sic probatus, nostræ infirmitati condoleret. Talia autem non cernuntur in euocatis ex orco animis. Quæ euocatio neq; gloriosa Deo, neq; commoda ecclesiæ, neq; ipsis animis salutaris foret: sed contraria omnia in ea fierent ac contingerent, profanatio nimirum nominis Dei, atq; per carmina et incantationes animorum beatorum ludificatio.

Tu enim Saul.) sed unde id sciuit? Apparet à Dæmone illi id esse indicatum.

Deos ascendentes.) diuinum uirum, & humana specie augustiorem. Spectrum igitur augustius אלהים uocat. Honoris caussa usurpantur plurali numero אלהים עלים. Alioqui una הבנה, hoc est species erat, quam uiderat, sicut sequitur: Qualis est forma eius. Similiter deuitulo aureo: Isti sunt dij tui.

Inclinauit se super faciem.) Qui ueritati fidem habere recusauit, uanitatem & mendacia adorat. Hæc est excæcatio eorum qui ueritatis dilectionem susc ipere, ut salui fiant, renuunt.

Quare inquietasti me.) translatum à curis & laboribus in requiem. Confitetur etiam dæmon, præsentem piorum uitam plenam molestia esse, futuram tranquillam fore.

Quare interrogas me.) contra legem ex mortuis quærens responsum.

Faciet enim tibi Dominus.) לו Parabolastis sententia refertur ad Dauidẽ. alij לך לך usurpatum uolũt. De more enim scripturæ sacræ, huiusmodi personarum fieri mutationẽ, ut de uno & eodem, modò in prima persona, modò in secunda loquatur. Vera legitur hic dixisse dæmonem mendacem. unde cognoscitur, duplicem spiritum Dei esse: alterum, qui de fauore diuino, eos quibus illabitur, certiores reddit: qui adoptionis filiorum spiritus est. alterũ propheticũ: is piorum & impiorum communis est, ille piorum proprius.

Cras & tu.) Si Saulus inter repudiatos & scriptos in libro mortis æternæ numeratur, similitudo quæ in morte corporis cernitur, hic accipienda fuerit. Nam si animũ spectes, eum is, quem Samuel habebat, statũ sortitus non est: alter enim in sinum Abrahami, quietis promissæq; in Messia felicitatis sinu recumbebat: alter extra hunc tenebris & morti reseruabatur, damnatus ad ignem iræ diuinæ, conscientiam per iudicium peccati urentem, satanæq; & ministris eius paratum. Saulum ego iudicio Dei reliquero, qui si æquè ferens iudicium diuinũ ad misericordiã eius in mortis articulo aspirauit, desperata huius salus, ut nonnulli uolunt, non fuit: quòd clementia diuina, nostra & totius mundi peccata superet, nullis finibus & terminis concluſa atq; circumscripta. Veteres Hebræi dicunt, Saulum בחריצה הצריחים id est, in iustorum thalamo repositum, ut in prælio contra Palæstinos gesto occubuisset: qui, ob rebellionem & contemptum Dei mandatum, regno et temporaria, nõ æterna alterius seculi uita, ob mortem tam patienter subitam, & pœnitentiam tandem suorum scelerum per clementiam Dei susceptam priuatus sit. Qui sic de Saulo sentiunt, fatentur quidem legi, Saulum à Deo reiectum: sed intelligendum id de ea reiectione, quæ in hac narratione exponitur: Abieci eum ne regnet in Israelitas. de temporaria repudiatione loquente spiritu Dei, non illa æterna, in qua expuncti ex libro uitæ cõtinentur. Cuius repudiationis certum documentum non sit, ad tempus rebellare uerbo Dei, inuidia flagrare, bonos persequi hostilius, cum his uitijs etiam electos atque destinatos ad uitam ad tempus laborare constet: ut exempla ea de re obscura non sunt, sed prompta & exposita. Si dicas, à Saulo recessisse spiritũ Dei, & eum malo afflatum, respondent hi, ad tempus spiritum fauoris diuini recessisse, nõ perpetuò. interdũ enim accidere, ut destinati per electionem diuinãad uitam à malis spiritibus uexentur, sed quorum tyrannide tandem liberentur: ut constat de ijs quos Messias Euangelij cithara uesania & dæmonijs cum maxima potentiæ & bonitatis suæ laude liberauit. Dæmonio autem laborasse Saulum, insaniam in atra bile cõficiente, declarat illud: Igitur cũ Saulus corriperetur malo spiritu, Dauide canente cithara,

cithara, refocillabatur, & lenius habebat, recedente ab eo malo spiritu. solet enim atræ bilis quã aduersarum rerum acriores cogitationes augent, furiam musici soni ac modi delinire, commotosq; & perturbatos animos mitigare. Hæc de Sauli statu ex eorum sententia qui illum iam admonitũ de suo & suorum filiorum obitu, mortem temporariam uita æterna cõmutasse putãt, quã in altero seculo in præsenti uarijs afflictionibus castigatus diuina clementia nactus sit. pij homines etsi libenter prædicant clementiã diuinam, atq; æquitate lubentius omnia interpretũtur, nolint tamen his rationibus iam adductis fidem suam religione quadã de Saulo in iustorũ numerum ascribendo obligari. Nam sacra narratio hæc nullam de pœnitẽtia mentionem facit, quam Saulus ullo uel gemitu, uel facto, uel dicto aliquo præ se tulerit, sibi uidelicet suam, qua Deum adiram prouocauerat, & Dauidem amicũ Dei persecutus fuerat, rebellionem doluisse. Neq; Deus dæmonum falsorumq; prophetarũ, ad eos reuocãdos in uiã, qui ueris uatibus non auscultassent, opera uti solet. Nam huius rei nullum unquam in ecclesiæ administratione exemplũ exhibitum est. Si Saulus Samueli rectè monenti, cum uiueret, non obtemperauit, ut ad se rediret pœnitentia scelerum tactus: quanto minus satanæ quamuis uera sub Samuelis specie prædiceret, præstigijs admonitus, resipuit. Ad hæc, ut in improbitate sua obierit mortem Saulus, comprobat, quòd is sibi, cõtra legem Dei, mortem conscisuit. Itaq; in Paralipomenis legitur, Saulum non forti animo & pœnitudine criminũ ductum, sed ex desperatione sibi manus attulisse. Quòd autem non repugnans in bellum redijt, id accidit fatali necessitate, qua damnatus semel, & supplicio reseruatus, diuino iudicio perire debuit, nullo humano consilio seruari. Vt uidemus sceleratos Cain signo notatos, præcipites in interitum ruere, nulla ratione, quo minus intereant retrahendos. Itaq; satius fuerit Dei iudicio relinquere Saulum, quàm eius statum quem sortitus sit, confecto huius uitæ cursu, curiosius exquirere. Quemadmodum etiam eos qui mortem sibi consciscunt dæmonio correpti et mente abalienati per atram bilem, iudicio diuino multi boni uiri permittendos esse existimant: quòd firmum sit, ita pronunciante iudice Christo, nullum delictum ex infirmitate commissum, non condonabile esse, sed solum peccatum, quo scienter in spiritum sanctum, odio cognitæ ueritatis, peccatur.

Filij tui.) Quid filij meriti sunt, præsertim Ionathan, ut unà cum parente Saulo Palæstino bello perierint, cum liberi improbitatem parentũ ut est apud Ezechielem, non luant? non hic iudicium Dei, quod æquum est, inquirẽdum fuerit. Nemo quem Deus capite mulctat, iniustè mulctatur. Quis enim insons est apud eum? Neq; mirũ alicui uideatur, cum Saulo filios quoq; diuina sententia è medio sublatos. superesse enim Saulo filios, ablati regni uindices, Dei prouidẽtia noluit. Et quamuis unicè dilexerit Ionathan Dauidem, potuisset tamen facile huius ille hostis effici obre gni ambitionem, propter quod solent amicitia, cognatio, fides & iusiurandum negligi, ut uulgata illa sententia apud Tragicum indicat:

ἔστ᾽ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πρὸς κάλλιστον ἀδικεῖν. τἄλλα σεβεσθεῖν χρεών.

Quos uersus ut etiam alibi indicatum, latinus orator sic uertit: Nam si uiolandum est ius, regnandi gratia uiolandum est. alijs in rebus pietatem colas.

Statímq; Saul cecidit.) Proponitur diuini iudicij uis spectanda in Saulo, coram quo impij consistere nequeant. Hanc uim pertimescens Dauid, orat: Ne intres in iudicium cum seruo tuo.

Verba Samuelis.) Spiritu prophetiæ Samuelis Saulo per dæmonem loquente.

Quia non comederat panem.) etiam pane uerbi Dei destitutus, quem contemserat de quo illud: Non solo pane uiuit homo, sed etiam omni uerbo quod proficiscitur, &c.

Transfugit ad me.) Tropum in נִמְלַט Germani abgefallen, in quo uerbo uestigium Hebrææ linguæ agnoscitur.

Viuit Dominus.) per יְהוָה iurat, quo nomine uniuersæ naturæ conditor, conseruator, & administrator notatur. Sed unde huius Achis cognitionem habuit? Duplici ratione notus is illi esse potuit. una quòd à maioribus à Noa progenitis in eas gentes illius notitia dimanauit. Semus enim filius Noæ eas regiones inhabitasse traditur, quem Melchisedecum fuisse uolunt. Hunc Iehoua creatoris cœli & terræ cognitionẽ apud gentes Palæstinas unà cum cæteris artib. quibus Phœnices fuerunt celebres, ut est astrorum, numerorũq; literarumq; scientia, propagasse, uerisimile est. Altera ratio, qua Deum autorem omnium cognouerunt, in luce naturalis intelligentiæ posita est, qua prælucẽte, omnes gentes per ea quæ tam sapienter condita sunt, diuinitatem cognoscunt. Non enim est gens quæ non habeat sine doctrina πρόληψιν, id est anticipationem quandã Dei, qua summam aliquam mentem esse, à qua omnia facta & cõstituta sint, & ea prouidenter curari

&

et administrari intelligat. Dicas, si ita est, quid ergo inter cognitionem Dei quã gentes habuerunt, et qua Israelitæ floruerunt, interfuit? Permultũ interfuit. primò, quòd alio cultu Deum coluerunt gentes, alio Israelitæ: hi ex uerbo Dei. illi ex sua sententia, siue uerbo Dei. Alteri item in Christo promisso & expectato, & in lege Mosæa uarie adumbrato: alteri, eius spe carentes. Proinde Israelitæ pro statu puerilis ætatis, Deum quem cognouerunt, amplificarunt, gentes pro dignitate nõ uerum. in his enim naturæ lumen imbecillum: in illis Dei fax, quæ fidei fax est, efficax ad honestandum Deum lucebat. De qua uates Dauid: In lumine tuo uidebimus lumen tuũ. Quòd si in gentib. etiam reperti fuerunt, qui Deum Israelitarum amplificarunt: existimandum est, eos non naturæ ueteris ui, sed per gratiam electionis diuino spiritu impulsos, Deũ coluisse & metuisse. De quo cultu & metu, in Actis capite decimo Petrus ut loquatur, uideris. Nam uidendũ est, ut in ratione declarandæ salutis, naturali legi & ueteris naturæ uiribus nihil tribuamus, sed omnia spiritui Dei, apertè uel occultè per electionis gratiã in suis in Christo & per Christum agenti, assignemus.

Et exitus tuus & introitus.) Periphrasis castrensis consuetudinis.

Et pugnem contra inimicos Domini.) Quæstio hic est, primò, an Dauid peccarit, quòd sacra relicta terra, ad Palæstinos falsa religione obstrictos, & diuino populo infestos transfugerit. Deinde, quòd uoluit contra Israelitas pro Achis rege & Palæstinis prælium inire, in leges in Deuteronomio expositas commiserit. Quòd Dauid ad Palæstinos confugit, id fecit ad tuendũ se contra Saulum, hostem suum capitalem: à cuius ui ut se defenderet, lege diuina nõ prohibebatur, quæ contra naturã lata non est, qua cuiq; uitam suã tueri liceat: modò, ut tueatur eam, aduersus gloriam Dei nihil admittat. Quam in hac sua fuga tãtum abest ut imminuerit, ut eam etiã amplificarit, & Israelitarum salutem cõfirmarit. Qui & apud Palæstinos sacram sui memoriã reliquerit, & uersatus apud eos, futuro regno magna et gloria Dei & populi sui salute se reseruarit. Ad hæc, q. confugit ad Achis regem, id proculdubiò temerè ab eo factũ nõ est, sed certo Dei cõsilio, ei per Vrim & Thumim à pontifice patefacto: ut uidelicet mysterium secessionis Messiæ ab Israelitis ad gentes adumbraret. de qua secessione Moses his uerbis: In gente stulta prouocabo te. Vbi quoq; cœlestis Dauid Christus ad tempus regnãte hypocrita rege, pastore illo stulto, apud gentes, relictis Israelitis, intelligitur uersari: dum illo extincto, ad suos cum amplificatione regni sui, & incolumitate Israelitarum, in nouissimis temporib. redeat. de quib. in hunc modũ Oseas uates: Posthæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominũ Deum suũ, et Dauid regem suũ. Hæc igitur ad Palæstinos Dauidis profectio culpa caruit: et q. suam operã aduersus Israelitas Achis regi profitetur, id nõ odio gentis suæ, sed gratitudinis erga regem Achis de se bene meritũ declarandæ gratia fecisse credi debet. Quod studium ita regebat Deus, ut ipsi Achis à Dauide parcente genti suæ satisfieret. Neq; aliter uoluisse Dauidem pugnare aduersus Israelitas apparet, quàm si ita probaretur Deo, ex cuius consilio sentẽtia et uolũtate, nõ humana, uir sanctus pẽdebat. Quòd si quis putet, non nimis sollicitè Dauidem omni uitio liberandum esse: per me licebit ut ita quis sentiat. Hac enim in re ut cum quoquã contendam, non arbitror necesse esse.

Sicut angelus Dei.) Geniorũ noticia etiam apud gentes fuit. Tria igitur Achis hic cõfitetur, יהוה hoc est, unũ mũdi fabricatorẽ et gubernatorem esse. Alterum, huius numen purum, sacrũ & iustum haberi. Tertium, angelos sanctos esse, qui puritate naturæ Deum referant.

Iezrael.) tribus Iudææ urbs, de qua Iosuæ 15.

IN CAPVT XXX.

A Malechitæ.) Amalechitæ, quibus Saulus suo exitio, ut præsens bellũ indicat, pepercerat, iam hostes se Dauidi præbent, ipsius bono, & suo malo. Sic temperantur omnia diuina cura, contra cõsilia & rationẽ humanã. Nam Dauide comitante regẽ Achis, dũ Sicelag cõbusta uxores cum liberis captiuas ferũt, ipsi securi de malis, tandem sibi interitũ pariũt. Dauid enim cum ignominiose ex Palæstinorũ castris à principib. ejicitur, hac ignominia ei in gloriã conuersa, insignẽ de Amalechitis uictoriã refert: & à periculo, quo ei cõtra gentẽ suã pugnandũ fuisset, liberatur. Quare hæc omnia, si humana consilia spectemus, fortuiti casus uidẽtur esse: sin diuina, prouidẽtiæ Dei, hac ratione salutem suis, et hostibus exitium procurantis, opera fuerint.

Ex parte australi.) ubi inter Arabes habitabant. ueluti legimus in Numeris: Amalechita ad meridiem habitat.

Et percusserunt Sicelag.) odio Dauidis et Israelitarũ, q. eò cõcesserant, et tum aberãt. רבר hic p חרס accipitur, q. est uastare et diruere, nõ interficere. Seqtur enim: Et neminẽ interfecerũt.

Et captiuas duxerunt mulieres.) uiris cum Dauide in bellũ profectis. Submoue typũ,

et intelliges, quæ alterius Dauidis Messiæ uxor, à suis Amalechitis captiua absente marito, abducatur, sed fortiter liberanda.

Et non interfecerunt quenquam.) ita prouidente Deo, ut quod subiungitur oraculũ, haberet locum: Comprehendes eos, & excuties prædam. & adumbraretur ea conseruatio, de qua noster Dauid apud Ioannem meminit: Pater quos dedisti mihi, nemo ex eis periit.

Et uxores suas & filios suos.) Miserabilis casus exemplum, ne deesset Dauidis fidei probandæ augendæq; materia. Augebat dolorẽ persona tum hostilis, tum eorum qui captiui abducti fuerant. Quid enim charius uxore et liberis, cõiugalis uinculi pignoribus? Quantum autem Amalechitarum in Israeliticã gentem odium fuerit, iam inde ab exitu eorum ex Aegypto, ex Exodi libro liquet: & id à Saulo renouatũ, et recentibus irruptionib. à Dauide nuper auctũ fuerut. Paulò enim suprà legitur: Et prædas de Amalechitis agebant.

Leuauerunt Dauid & populus.) Dauid exemplo est, etiam in sanctos magnosq; uiros, animi de acerbis casibus dolores incidere. Quod exemplum cõprobat ἀπάθειαν illam Stoicam saxis, non hominib. congruere. Sed in humanis animis, quoniam silice nati non sumus, naturale esse tenerum quiddam atq; molle, quod suis motibus cõmoueatur. Dauidi non unum genus malorum accidit: Saulum hostem domi, extra patriam satrapas Palæstinos, ad quorũ regem confugerat, infestos sibi experiebatur. Amalechitas apertos hostes sentiebat, ab eis uxoribus & liberis captiuis abductis: sed augebat tantam miseriam sociorum, quorum studio & opera hactenus usus fuerat in suo exilio, infensior in se animus propter aduersas res factus: ut parum abfuerit, quin ab eis lapidibus obrueretur, ne quid deesset ad iustum typum, quo Messias intus & foris infestatus repræsentaretur. sed in tãta rerũ difficultate et angustia quæ cõsolãdi ratio sancto uiro relicta fuit? sequitur,

Et confortatus est.) seipsum confirmans. Sed qua potẽtia et opibus fretus? num sua? at exulerat, de paterna hæreditate eiectus. Num militũ ui & robore? at hi pauci erant, quos etiam recẽs clades ab Amalechitis accepta deiecerat. in quo igitur corroborauit se? sequitur,

In Domino.) qui afflictis opem ferret, quã toties expertus Dauid cecinit: Cadẽtes sustinet, & lapsos alleuat. Quæ alleuandi conseruandiq; uis in amabili uerbo יהוה ostenditur. Paraphrastes modum confirmandi explicat, Dauidem in uerbo Iehoua se confirmasse. Cuius uerbi testimonium in animo ferebat: quod ut omnia falleret, fallacium non esset in eo, qui promisisset se suum Deũ futurum. cuius promissi fide munitus Dauid, in rebus aduersis corroborabatur. Accedebat ad consolationẽ præsentia pontificis cum Vrim & Thummim, ex quibus responsa fauentis Dei accipere licebat. Sequitur ergo:

Applica ad me ephod.) In summa difficultate Deũ cõsulit de rebus agendis, nõ prudentiam humanam, non magos & diuinos: contrà quã Saulus fecisse legitur, qui desertus oraculis diuinis Pythonem consuluit. Hunc in terra sacra & inter Israelitas Dei oracula deserunt: illum in gentium profana terra inter præputiatos Palæstinos uersantem non deserunt. Depositio uelo, intelligimus Vrim & Thummim pontificis nostri Messiæ nulli nèue genti, nèue loco affixa esse. atque apud eum neq; circũcisionem, neq; præputium quicquã ualere, sed nouam creaturam fide præditam, per amorem agente.

Persequere.) ut quos semel exitio Dominus destinasset, de quo in Exodo his uerbis: Delebo enim memoriam Amalechitæ de rerum natura. Quam Dei sententiam, responsum pontificis confirmauit. Quos spirituales Amalechitas persequatur Dauid Messias, nõ est obscurum. in Exodo legimus, Deum iurantẽ manu super soliũ suum posuisse, non prius se bellum cum Amalechitis deposituruum gerere, quàm ipsos deleuerit. Quæ est hæc manus? Messias est brachium & manus fortis Dei, collocata in solio diuinitatis, ad hostes sanctorum Israelitarũ euertendos. De quo solio illud: Sede à dextris meis. & uates Iesaias: Vidi Dominum sedentem in solio sublimi. Quæ sublimitas non est ex loco, sed ex maiestate imperij in omnia æstimanda.

Et sexcenti.) Senarius is notæ est perfectionis cum quaternario, qui exprimitur in quadrinis gentis, de quibus sequitur mentio. Binarius autem quam habeat significationem, à sapientibus id annotatum, qui quoq; hic in ducentis indicatur, qui præ lassitudine flumen transire nõ poterant, apud impedimenta remanentes.

Et lassi.) Interpretes Syrorum uerbum esse רפגרן uolunt, atq; esse חרס, hoc est diruere, in Exodo capite 14, ubi legitur, ביחרס Chaldæus uertit פגרא. Vnde translatio lassitudinis mutuata est, qua diruuntur, hoc est robore cormpora destituuntur. Huius uocis uestigium in Latino uerbo Piger cernitur: & cadauer פגר dictũ, quod uiribus & uita priuata corpora, diruta & dissipata iudicentur.

Et

Et inuenerunt uirum Aegyptium.) diuino consilio oblatum, non temere, quo Dauid itineris duce uteretur. In Dei igitur prouidentiam finis, & res quæ ad eum referuntur, cadunt. Atq; utrunq; in Deo sancti homines perpendũt. Vsum enim hic legimus Dauidem Aegyptio homine in explorandis hostibus, ut in oraculo illo comprehenso: Persequere, assequêris. Eodẽ modo in alijs rebus pijs agendum est, uerbo Dei quidem per fidem adhærendum, & res mediæ non contemnendæ: sed per occasionem tanquam diuina cura, non fortuitò oblatæ, usurpandæ. Hic ea diuini spiritus uis uiget, quæ תבונה hoc est prudẽtia appellatur.

Dederuntq; ei panem.) Exemplum clementiæ in sancto uiro, qua hostis seruus, sed lassus ac uiribus defectus, reficitur. Qua animi bonitate nobis eius Dauidis imaginem repræsentat, qui de se prædicat: Venite ad me omnes qui laboratis, ego reficiam uos. Hypocrita Saulus innocentem et suæ gentis hominem, et de se bene meritum hostiliter insectatur, Dauid alieni & hostis miseretur. Amplificatur beneficium, quòd lassum & imbecillem, quòd in solitudine errantem, & necessarijs rebus ad uictum carentem, quòd alienum & hostem clementer tractauit.

Reuersus est ad eum spiritus eius.) Periphrasis Hebræa refocillationis. רוח Hebræis uentus est, & spirabilis atq; animalis aeris natura, inde ad animum & spirantem in corporibus naturam transfertur.

Et ad meridiem Caleb.) ad quam plagam illi hæreditas assignata fuit.

Potes me ducere.) Cur abutitur ad prodendos Amalechitas Aegyptio homine sanctus uir Dauid? Num fas ei fuit quenquam de prodendis suis appellare, et ut se perfidiæ crimine obstringeret, hortari? Aegyptius is homo erat, non Amalechita, neq; fide amplius domini Amalechitæ tenebatur: cuius ope in solitudine desertus, iure belli in Dauidis potestatem uenerat, prioris domini iure exemptus.

Ecce illi discumbebant.) Exemplum exitiosæ securitatis, quæ certam ad interitum Dei consilio impijs destinatam uiam munit. Securi enim tanquam incauti facilè opprimuntur.

Et percussit eos Dauid.) eorum lætitia cõuersa in luctum, ut cõtrà sanctorum luctus conuertitur in gaudium. Exemplo Dauid hic est, qui nobis eum Dauidẽ refert, cuius luctuosa mors æterno glorioſæ uitæ gaudio cõmutata est. Hinc ab eo hæc sententia edita: Beati lugentes.

Et non euasit ex eis quisquam.) Contrà de Israelitis: Et non interfecerunt quenquam.

Eruitq; ergo Dauid omnia.) ut impleretur oraculum paulo suprà expositum. primò ponitur uniuersum genus, Dauidem omnia recuperasse: deinde per distributionem numerantur partes, uxores, liberi, greges, & reliqua spolia. Si spoliatorem nostrum Dauidem spectes, occurrit illud: Captiuam duxit captiuitatem: item, Fortiũ diuidet spolia. de captiuitate peccati et mortis, potestatum tenebrarum & filij eius Antichristi spiritualis Amalechitæ, electorum Israelitarum familia liberata.

Et minauit ante faciem suam.) Heb. ante gregem illum. Sed ante quem gregem? ante gregem suum iam recuperatum. gregem Amalechitarum, quem cæperat, specie triumphi ductum. At cur hunc non occidit? cum Saulus rebellionis damnatus legatur, qui Amalechitarum pecoribus pepercisset. Alter ut occideret iussus fuerat, alter nõ item: atq; certo Dei consilio id accidit, in quod temerè inquiri non debet.

Respondẽsq;.) in uerbo רעון intercessionis uis, quam oppositionem uocant, notatur. Hos Dauidis decreto de cõmunicanda præda per auaritiam interceßisse. Quæ cum omnium iniuriarum fons sit atq; origo, per eam auari homines neq; humani, neq; diuini iuris rationem ducunt. Quo uitio qui laborãt, priuatis commodis fidem, honestatem, amicos, studiaq; omnia humanitatis posthabent. Itaq; sapienter sapiens Salomon, auarorum hominum dentes gladios esse dicit, & molares dentes qui pauperes deuorent ex terra, & inopes ex hominum genere: eos item sanguisugis & hirudinib. duas filias habentibus, Affer affer, cedo cedo, comparat.

De præda quam eruimus.) obliti, nõ sua ipsorum fortitudine, sed Dei ope receptam prædam: neq; cogitantes, in distribuendis præmijs fortium uirorum animos ponderandos, per infirmitatem prætermissa præclara facinora ad calculum non reuocanda: cum qui ad sarcinas et impedimenta remanent, periculis quæ immineant, minimè careant. Quare contra iniquitatem æquus iudex Dauid, ex æquitatis fontibus sequentibus uerbis adornat dehortationem, nobis ea in re exhibens eum Dauidem, de quo uates Iesaias: Et in æquitate iudicabit inopes.

Non sic facietis fratres mei.) Apta ad conciliandos animos tam blanda fratrum appellatio erat.

Ex his quę tradidit nobis.)*non noſtra uirtute parta. Ex pugnantium locis. Aliena ſunt quæ poſſidetis, ea igitur tanquam priuata & propria uobis uendicanda non fuerint, quo minus eorum alij quoq; gentis, ſtudiorum militarium, religionis atq; fœderis ſocietate uobis coniuncti participes reddantur. Hinc illud Apoſtoli: Quid habes quod non accepiſti? Admonentur igitur hac hortatione pij, ut quiſq; ſpolia quæ in prælio aduerſus hoſtes, mundum, & principem mundi ſatanam, eiusq; miniſtros dæmones, & his correptos in terra impios homines inito, duce Meſſia adeptus eſt, liberaliter inter ſe fratres partiatur.*

Dominus.) *non noſtram dignitatem & merita ſpectans, ſed ſuam liberalis promiſſionis gratiam, oraculo illo expoſitam: Perſequere, aſſequêris omnia, & tuos liberabis.*

Et cuſtodierit.) *Duo celebrat in Deo, qui ſuos & conſeruarit nemine perdito: & uictoriam de Amalechitis conceſſerit, à quibus hoſtiliter uexati fuiſſent. Hoc beneficium per beneficam gratitudinem honeſtandum, per auariciam non dehoneſtandum.*

Nec audiet uos quiſquam.) *Concluſio, quam figurat interrogatione grauitati deliberationis apta. Quis hac in re uobis obſequatur?*

Aequa enim pars erit.) *Neq; hæc ſpoliorum æqua diuiſio exemplo caret, de quo in Numeris capite 13. Diuidésque exæquo prædam inter eos qui in militiam profecti bellum geſſerunt, & inter reliquam multitudinem.*

Conſtitutum & prefinitum.) *In חק & משפט conſuetudo notatur, cuius ius, quod ſine lege à uetuſtate obtinuit, alit ac maius facit uſus.*

Benedictione.) *Muneribus ornat eos, apud quos ut ſuos tribules perſecutionis Saulinæ tempore uerſatus fuerat: deinde æquum uidebatur Dauidi eſſe, ut ad eos qui ſpoliati ab Amalechitis fuerant, prædæ pars rediret. Demum hæc liberalitas Dauidis, Dei cura gubernata eſt, ut eſſent extincto Saulo qui memores fortium facinorum & beneficiorum Dauidis, in ſuſcipiendo regno partes eius tuerentur aduerſus eos, qui à Sauli familia ſtaturi, & de regno cum Dauide certaturi erant. De qua concertatione ſecundo libro huius ſacræ narrationis, his uerbis: Fuit autem longa concertatio inter domum Dauidis, & inter domum Sauli.*

Hoſtium Domini.) *Conſolatorius locus. hoſtes Iſraelitarũ, hoſtes Domini appellantur.*

PIN CAPVT XXXI.

PHiliſtijm autem pugnabant.) *Narratur miſerabilis Sauli exitus, qui ſeueri iudicij Dei in hypocritas & in ueros iuſticiæ cultores memorabile teſtimonium cõtinet. Nam ex hac narratione cognoſcimus, Saulum tandem, ut prædixerat Samuel, periiſſe, & Dauidem liberatum. Vnde quod Saulini et Dauidici regni ab ipſo ortu, adminiſtrandi ratione, ab uſu & fructu atq; ab ipſo exitu diſcrimen fuerit, facile licet intelligere. Etenim ſi ortum & originem ſpectes, Sauli regnum ab ambitioſa populi temeritate exortum eſt, quem ſuprà legimus à Samuele poſtulaſſe, ut regem, qui more cæterarum gentium remp. gubernaret, conſtitueret. Quæ rebellis populi inſolentia ut à Domino per Samuelem reprehenſa ſit, ſuprà expoſitum eſt. Itaq; mirum non eſt, talem regem eis contigiſſe, qualis in hac hiſtoria deſcriptus eſt. Diuerſa regni Dauidici origo fuit, de cuius electione his uerbis ſuprà legimus: Quæſiuit ſibi Dominus hominem ex animi ſui ſententia. Ex qua diſſimili uolũtate, qua Deus in utrũq; affectus fuit, diſſimilis quoq; gubernandi regni facultas ac ratio profecta eſt: alterum ſpiritu Dei bono, alterum malo agitante. Quorum alter contemptio nem Dei, nimium ſui ſtudium, hypocriſim, temeritatem, perfidiam & deſperationem in rebus aduerſis, in Saulo afferebat: alter contraria omnia, uenerationem Dei, iuſticiæ & æquitatis amorem, prudentiam in rebus agendis, ſpem in Deum in rebus aduerſis procreabat. Quem diſſimilem ſpiritum, eiusq; facta & opera, diſſimilis quoq; utrumq; regem conſecutus eſt exitus: Saulo cum ſuis liberis miſerè perdito, Dauide ad gloriam & amplitudinem regni poſt confectum crucis curſum conſeruato. Neq; ut fuerunt tempora, eadem in utroq; futuras res adumbrandi ratio fuit, Dauid de Meſſiam uerum illum & cœleſtem Iſraelitarum in cœlo ſcriptorum regem, Saulo hypocrita rege ſtultum illum paſtorem hypocritarum principem præfigurãte. Prætereo diſcrimen inter Dauidem Iudæ ex Lea deformi filium, & inter Saulum Beniaminis ex pulchra Rachele prolem. Vt autem prius crucis regnum quàm gloriæ geri conueniat, Meſſias documento eſt, ab utroq; & Ioſepho pulchræ Rachelis filio, & à Iuda deformis Leæ ſobole, repræſentatus.*

Et fugerunt filij Iſrael.) *incuſſo eis metu, turpis fugæ autore, ut impleretur illud: Et tradet una tecũ Iſraelitas in poteſtatem Palæſtinorum. Sed percunctère hic fortaſſis, quid populus peccarit, ut unà cum Saulo tanta clade afficeretur. Regum uitia in populũ, quem regũt, ſolent redũdare: et ſæpe uitioſo populo uitioſus contingit magiſtratus.*

tus. ut hic de Saulo liquidum est, quem deprauatus populus regem postularat: ut mirum non sit, hunc cum rege suo miserè punitum. Vnde sententia illa apud Iobum nata est: Qui regnare facit hominem hypocritã propter peccata populi. Israelitæ duce Saulo à Palæstinis uincuntur: contrà eodem tempore Amalechitæ duce Dauide superantur. Tantum interest ad uictoriam, quo Imperatore bella gerantur.

In monte Gelboe.) prope Bethauem, appellatam Scythopolim, Manassẽis tribus urbẽ, non procul à mari Tiberiadis.

Et in filios eius.) ut impleretur illud: Cras tu & filij tui mecum eritis.

Itaq; arripuit Saul gladium suum.) Miserabilis interitus exemplum. Sunt qui laudi tribuunt Saulo, quòd mortem sibi consciuit. Fortis enim uiri esse, malle sibi manus afferre, quàm in hostium uenire potestatem, magna & sua & populi & Dei sui ignominia. & huiusmodi apud exteras gentes, præsertim Romanas, exempla multa occurrere. Huius sententiæ sunt Hebræi, qui Saulum in gratiam tandem cum Deo rediisse putant, quòd se ultrò cum suis mortis periculo exponens, diuinam sententiam aduersus se et liberos suos latam exequi maluit, quàm eam quomodo uitaret, consilium inire. Quod si obijcis, legem extare, Ne occidito, qua generatim & alterius & sui ipsius cædes prohibeatur: Respondent, nefas esse, si quis se sui studio interimat: non autem si quis ignominiæ, quæ in Deum et in regnum redundet, auertendæ gratia se interimat. Exemplum afferunt de Rasia, qui in libris Machabæorum se interfecisse legitur: item de Samsone, qui conuulsis domus, in qua uersabatur, columnis, sibi mortem conflauit. Sunt alij qui tradunt, Saulum se occidisse non bono, sed malo spiritu instinctum: freti historia Paralipomenõ, in qua non legitur Saulum suorum delictorum pœnituisse, sed mortuum propter delicta in Deum cõmissa: quorum qui pœnitentia ducuntur, non moriuntur, sed uiuunt. ueluti æquus iudex Deus de se apud Ezechielem uatem fatetur, cum ait: Nolo mortem peccatoris, sed potius ut ad se redeat, & uiuat. Neq; Saulus, cum sibi mortem consciscceret, Dei gloriam, ne periclitaretur, spectasse legitur: sed suam, ne sibi capto uel occiso à Palæstinis illuderetur. Sic enim dixit: Ne interficiant me illudentes mihi. Verisimile igitur existimant, per desperationem salutis Saulum ad interitũ properasse: non ad uitam, quam in altero seculo consequeretur, animum intendisse: maliq; non boni spiritus opus fuisse, gladio iugulum petijsse: ut odisse insontem Dauidem, occidisse innocentes sacerdotes, cõsuluisse Pythiam, eiusdem illius mali spiritus facta fuerunt. Stat enim illud: Ex impijs egreditur impietas: hoc est, eos pro suo ingenio & natura scelera, quibus tandem, negato eis ad Deum reditu, miserè pereant, perpetrare. Quod de Rasia & Samsone afferunt, id longè dissimile esse Saulino facinori: qui quod fecerunt, eos ut bonos uiros bono, non malo spiritu instinctos fecisse: Saulum autem secutum maligni genij, cuius spiritu agebatur consilium, desperabundum manus sibi intulisse, atq; ita horrenda cæde culpam culpa exitiali accumulasse: ut Iudas Christi proditor crimen proditionis uiolenta morte, quam ipse sibi intentauit, auxit.

Et irruit super eum.) Dauid suprà tria mortis genera recensuit, quæ Latini his uerbis efferunt: fatale, sua sponte ueniens, uiolentũ ac fortuitum. Fatalis mors est, quã Græci εἱμαρμένην uocãt, qua Deus ante tempus immissis morbis aliquos hac uita priuat: sua sponte ueniens, naturalis mors est. Violenta & fortuita, quæ ui affertur, ut cum uel nobis mortem consciscimus, uel hostium manu interficimur. Hoc ultimo mortis genere Saulus extinctus est. Is suo gladio perijt, quo Dauidem interimere uoluit. Is est interitus eorũ, qui cœlestem Dauidem Messiam inimicè insectantur, ut suis armis pereãt, quib. pbos perdere uoluerũt.

Trans Iordanem.) cis Iordanem, uicini regioni Palæstinorum.

Trans uallem.) uicinam monti Gilboæ. Paraphrastes de cãpo illo magno, qui prope Tiberiadem lacum est, interpretatur.

Corpus uerò eius suspenderunt.) capite suspenso in templo Dagonis, ut in Paralipomenis annotatum.

Bethsean.) De hac ciuitate uideris Iosuæ 16.

Vt annunciarẽt.) ope suorũ deorũ tantam uictoriã partã in בשר, læta & rerũ feliciter gestarum nunciatio notatur, quam Græci εὐαγγελίου uocãt. Itaq; Græci uertũt hic, εὐαγγελίζοντες. Sicut Iesa. 40 בְּבַשֵּׂר reddũt εὐαγγελιζόμενον. Quorũ uersionẽ Apostolus in epist. quã ad Rom. scripsit, citat. Mortuus est igitur Saulus magno et suo & populi Israelitici, & Dei dedecore. Qui pbrosus exitus culpã perfidiæ cõsecutus est. Vnde noxæ magnitudinẽ et diuinæ ultionis grauitatẽ æstimare licet. cõtrarius exitus sanctorũ est, de quorũ morte Dauid sanctus rex his uerbis meminit: Quàm preciosa mors est sanctorũ coram Domino. qui locus ostendit, et animos immortales esse, et eos ad felicẽ statũ trãsferri, atq; corpora ad

excitationem è puluere terræ ad perennem diuinitatis in Messia uitã reseruari. Põderantur autem mortis piorum precia ex memoria post eorum obitum relicta, de quo illud: In memoria æterna erit iustus. qua caret impiorum mors, ut idem Dauid monet: Vt deleat de terra memoriã eorum. Sicut Saulo accidisse legimus, de quo in Paralipomenis in hunc modum: Et omnis domus illius pariter concidit. Ponderantur item precia ex luce, uita, beatóq; statu, qui mortem iustorum consequitur, de quo precio ipse uitæ autor: De morte in uitam trãsibunt. Contrarius status iniustorum est, qui hinc emigrant: qui totus tenebris, morte, et summa miseria inuoluitur. Demum æstimantur precia ex gloriæ diuinæ prædicatione. sanctorum enim memoria amplificatur Deus, ut turpitudine anteactæ uitæ impiorũ dehonestatur, ut exemplo est Sauli exitus.

Habitatores Iabes Gabaad.) Exemplum gratitudinis. Memores et gratos se declarãt, ob beneficium, quo à Saulo, cum regnare cœpisset, affecti fuerunt. de quo uideris supra à capite 11. Atq; hanc gratitudinem Dauid laudauit, eisq; se gratiam relaturũ promittit, ut in altero huius narrationis libro proditum est.

Et ieiunauerunt septem diebus.) memores, ut apparet, illorum septem dierum, quos pro inducijs à Nahas rege Amonitarum petierũt, quibus Sauli opem implorarent. Ieiunarunt, partim ut dolorem suum de obitu Sauli regis, pro ritu ueteris fœderis testarentur: partim, ut publicam cladem declararent, cum precatione ad Deum fusa, qui in posterum uellet suum populum à malis liberare & conseruare. Vt ieunia autem apta sint ad instruẽdam orationem, qua placetur diuina ira, docet Moses, à quo indicta ieunia legimus, quæ in decimo mensis septimi die, qui propitiatorius erat, fierent.

IN SECVNDVM LIBRVM REGVM, MARTINI Borrhai Commentarius.

IN CAPVT I.

 ACTVM est autem.) Hoc libro narratur, ut Saulo iam ex Samuelis oraculo extincto, in regno Dauid successerit: atq; Saulina familia in dies decrescente, Dauidis, qui initiò in Iudæa solum regnauit, potentia & opes creuerint auctæq; sint, dum imperium eius in omnes Israelitarum fines, undequaq; exteris sub iugũ missis hostibus, propagaretur. Tanto interuallo Sauli regnũ à Dauidis regno separatũ fuit. Nam Saulus ab initio amplum imperium tenuit, multis uictorijs celebre & clarum, exitũ tandem tristem & luctuosum sortitum est. Dauidis contrà regnum principiò angustum & exiguum fuit: sed suis progressibus auctum tandem, magnificum, splendidum, augustumq; euasit. Hæc sunt iudicia Dei, quibus quæ magna & excelsa in mundo uidentur, deijci solent, & humilia atq; abiecta extolluntur, sic mundi regna quamlibet ampla pereunt. Atque id diuina prouidentia fit, ut intelligamus unum Messiæ cœlestis Dauidis imperium ac principatum ex opprobrio crucis & tenebris excitatum, in omnem æternitatem firmum & stabile, nullaque ui conuellendum ac labefactandum fore. Quod cœlestium & terrestrium regnum Dauidis imperium ut adumbrarit, suis locis demonstrabitur.

Et puluere.) Laceratæ uestes, & caput cõsperſum puluere, signum erat indignè ferentis lugentisq; unctum Dei à præputiatis magno & Dei & populi Israelitici opprobrio interfectum. cæterum caput puluere in luctu conspergere, etiam cæteris gentibus in more fuit. Homerus Achillem audita Patrocli morte caput puluere cõ(σαρ,
sperſisse canit:

ἀμφοτέρησι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
χεύατο λὰξ κεφαλῆς.

Vnde uenis?) Amalechita in narrando mendacio Sauli casu gradatione utitur, qua à leuioribus malis ad summa progreditur: primò fuga, deinde cæde populi, postremò Sauli & Ionathæ, qui charissimus fuerat Dauidi, interitu nũciato. Apparet, hominem hunc non tam ad luctum quàm ad lætitiam Dauidem uoluisse inuitare, Sauli interitu narrato, quem illi hostem fuisse cognouerat: quo extincto, Dauidem ad regnum aspirationũ putaret. itaq; ei coronam capiti Sauli, & armillam brachio detractam, tanquam futuro regi tradidit. Sed falsus cogitatione sua, qua ambitiosum existimauit Dauidem esse, qui regnum ambiret, & præmium denunciata cæde Sauli sperabat, supplicium pro munere retulit.

Vnde scis q?) Diligentiã hãc in percunctando, expectatio de regno Sauli ex oraculo Samuelis finiendo, nõ ambitiosa ad regnũ aspiratio excitabat,

bat: sanctus enim uir totus à sententia diuina pendebat, qua decretum fuerat Saulum deijciendum, & se ad regiam dignitatem efferendũ. Veniebat ei in mentem eorum uerborũ, quæ suprà legitur fecisse in hunc modum: Viuit Dominus, aut eum Dominus perdat oportet, aut dies ei fatalis adueniat, aut prælium iniens occumbat.

Et interfice me.) Variant hic interpretes. Alij Amalechitam hunc mentitum uolunt: quòd non Amalechitæ, sed armigero imperarit Saulus, qui se stricto gladio cõfoderet. Alij uera narrasse uolunt, inter quos Iosephus est. Vtrumq; fieri potuit, ut etiam Amalechitæ, cum recusasset istud facere, armiger iusserit, ut adigendo in uiscera ferro opem afferret: cuius facinoris detracta corona & armilla documentum est. Alij hunc Amalechitam Doegum sacerdotum interfectorem: alij eius filium, & eum Sauli armigerum fuisse putant. At hanc disputationem curiosis relinquimus.

Occidi illum.) Iusto Dei iudicio ab Amalechita occisus est, qui Amalechitis quos ad internecionem delere iussus fuerat, pepercisset.

Apprehendens autem Dauid.) Luget Dauid Sauli casum, tum suã, tum regis personam quam gesserat, perpendens: suam quidem, qui intelligeret bonorum uirorũ esse, de hostium aduersis rebus nõ insolenter gaudere, sed ut memores humanæ uitæ fragilis & fluxæ, illorum potius misereri, qui sciant se quoq; malis quæ patiãtur obnoxios esse. Sauli autem personã in eo spectauit, quòd unctus Dei fuisset, qui non potuerit à Palæstinis præputiatis interfici sine magno & diuini populi & Dei opprobrio. Venerũt igitur Dauidi in mentem non scelera Sauli, ob quæ perdi debuerat: non sententia Dei, qua ille exitio destinatus fuerat: non crudelitas, quam in sacerdotes Nobæ exercuerat: non capitale odium, quod in se insontem gesserat: sed unctio diuina, salus populi Israelitici, et Dei gloria per profanã gẽtem imminuta. in forti igitur uiro priuatam utilitatem publica calamitas magna ipsius laude uicit. Qua modestia & animi fortitudine declarauit, non eos dignos esse imperio, qui hostes ulcisci studeãt, sed qui suos affectus superent. Quapropter hæc lamentatio non fuit expostulantis Dauidis cum iudicio diuino, quo Saulus cum liberis ad hanc cladem, quam acciperet, destinatus fuerat: sed miserẽtis miseriæ sacri populi, et grauiter ferentis ignominiam Dei, qui sciret hostes hanc uictoriam suis dijs gloriabundè ascripturos. ideo sequitur,

Et super populum Domini.) cuius dedecus cum Domini dedecore coniunctum erat: partim quòd utrique communes hostes haberent, partim quòd uictis Israelitis Deus malè audiret, qui suos cultores liberare nõ posset. Hoc cum, ut par erat, Dauidem ureret, hũc qui hic exponitur planctum instituit, qui ex Moseæ quærelæ in Numeris explicatæ consideratione nascebatur. Vt nostris temporibus similis lamentatio locũ inueniat, hostibus Euãgelij de suo successu nimis arroganter gloriantibus contra Iehouã Messiam, satis manifestum est.

Vnde es tu?) Cur interrogauit cuias esset, qui indicasset se Amalechitam esse? percunctatur, ut certius rem quomodo gesta sit, intelligat. Nam in sacris literis sæpe huiusmodi interrogationes de rebus non ignoratis instituuntur, ut occasio ad mi scendum sermonem arripiatur. Sicut in illa percunctatione liquet: Vbi es Adame? Et de Caino: Cur iratus es?

Quare non timuisti mittere.) Accusationem seuera interrogatione colorat. Si dignus fuit Saulus, qui periret: cur igitur capitale fuit Amalechitæ, præsertim iusso, Saulũ occidere? Meritus quidem Saulus erat, qui periret, & ab Amalechita periret: sed fas non fuit Amalechitæ Saulum unctũ Domini interimere. In hac iuris quæstione duo perpendi solent: an qui perijt, iure perierit: alterum, an fas fuerit, ut is perderet, à quo qui perijt, perditus est. Multa obstabant, cur nefas esset Amalechitam manus afferre Saulo: quòd proselyti filius esset: quòd Saulus unctus Dei esset, cui neminem liceret manus inijcere, nisi cui mandasset Dominus: & Saulo neq; ius esset se occidere, neq; alteri potestatem se occidendi facere. Itaque malus spiritus, qui Saulũ agitauit, idem etiã Amalechitam ad hoc facinus incitauit.

Sanguis tuus super caput tuum.) Phrasis Hebraica indicat, Amalechitam dignum supplicio, & eum sibi sui interitus caussam fuisse. Itaq; Paraphrastes: חובת סטולך בריאש

Os tuum locutum est aduersum te.) ענה respondendi uerbum, pro testificandi. Itaq; Paraphrastes, אסיהיר. Dicas lege cauetur, ne quis testimonio unius cõdemnetur. id quidẽ uerum est, nisi reus contra se testimoniũ dicat, quod iusti testimonij pondus habet, ut præsens exemplum indicat.

Planxit autem Dauid.) funebre carmen super morte Sauli. Meminit Iosephus à Dauide epitaphium cõscriptum, quod Sauli & Ionathanis laudes contineret, atq; id ad sua usq; tempora durasse.

Vt docerẽt filios Iuda.) Ad quos regnũ deuoluen-

deuoluendum ex Iacobi oraculo erat. Sapiens uir intellexit, in republica bene instituta & pacis & belli artes decere cognitas habere.

Arcum.) artem sagittariam, qua cum uideret Dauid Palæstinos pollere, quorum sagittarij Saulum & Ionathanem uulnerassent, priusquam næniam hanc exordiretur. Iudæos sagittariorũ artem docendos esse dixit. Callet & noster Dauid Messias, uir ille bellicosus, tractandi arcus artificium, et id suos quoq; docet. Nam is arcum manu tenet, è cuius neruo sagittæ mittuntur, de quibus in hũc modum mysticus Dauid: Sagittæ tuæ acutæ. quæ spiritus sacri Euangelij sagittæ sunt, quas discunt ueri Iudæi contra tela et spicula suorũ Palæstinorũ iaculari: de quib. Apostolus his uerbis: Quo possitis omnia tela mali illius extinguere.

In libro iustorum.) Alij de libro quodam fortium uirorũ gestas res cõtinente, qui temporũ iniuria cum alijs monumentis literarijs interierit, interpretantur. Vbi enim hodie extant Salomonis de naturis stirpium et animaliũ scripta? De Nathanis prophetæ & Abiæ Silonitis, quorum mentio fit in Paralipomenis, scriptis nihil cõmemmoro. Ezras enim incensam à Chaldæis bibliothecam reparans, non omnia literarũ monumentare statuit. Alij de Mosaicis libris, legis doctrinã & sanctorum patrum res gestas complectentib. accipiunt. In his enim tradi de Iudæis, ut aduersus hostes sint instruendi, atq; militari disciplina formãdi. ueluti in Genesi legimus: Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorũ. Quapropter sunt, q quia in sacris literis arcu bellica fortitudo notatur, (iuxta illud, חתים קשת גבורים) arcum hic generatim pro bellica arte accipi uolunt, qua Dauid statuerit Iudæos suos formare. Eodem modo Moses in Deuteronomio de Iudæ: Manus eius pugnabunt pro eo. Quapropter Paraphrastes Chaldæus prolibro הישר, id est recti, uertit, על ספרא דאורייתא, id est in libro legis, quæ quid rectum sit doceat, & exempla iustorum qui legẽ benefactis declararunt complectatur.

Inclyti Israel.) Exordium næniæ. Terram sacram alloquitur, quæ partim propter ubertatem & rerum copiã, qua abundabat: partim propter oracula Dei, quibus præ cæteris clara fuit: partim ob illustrium uirorum memoriã, et præcipuè propter Messiam in ea à patre exhibendum seruatorẽ mundi, צבי appellata est. O inclyta & expetenda terra, quomodo accidit ut in tuis fastigijs uulnerati ceciderint, heroes occubuerint? quæ destinata sis electis Israelitis, in qua Deum suũ uiui celebrent: non cæsi à præputiatis miserè & sua & Dei sui ignominia concidant. Amplificatur lugubre opprobrium à fortium uirorum persona, & terræ sanctitate.

Nolite annunciare in Geth.) Nominat duas clarissimas Palæstinorum, cum quinq; essent, urbes, Getham et Ascalonem: quarum altera regia sedes fuit.

Ne fortè lætentur filiæ Palæstinorum.) cantu & choris suorum uictoriam celebrantes, fortium uirorum qui occubuerũt opprobrio: ut solitæ sunt mulieres ciuiũ suorũ, qui uicissent, fortia facta decantare. Quemadmodum suprà legimus, Saulo ex prælio reuertenti mulieres obuiam prodeũtes recinuisse: Saulus mille, decem millia superauit Dauid. Sunt qui puellas interpretantur, urbes & pagos Palæstinorum. Sed prior sententia satis simplex est. Seruatur lugubris carminis mos, in quo imperandi modo usurpato pro optãdi, indicatur nobis dolere, hostibus nostris acerbos casus notos esse. Hunc lugendi morem Micheas seruans, simili modo luctum exprimit, בגת אל תגידו.

Incircumciforum.) A persona turpe præputium gerentium luctus augetur.

Montes Gilboe.) Poetica uehementis luctus expressio, Dauide res inanimes deuouente, ac diris persequente: qui per prosopopœiã terræ & cœlo sensum affingit, quo aduersis Israelitarũ rebus cõdoleant, monte Gilboe per sterilitatẽ, & cœlo negato rore et pluuia, cõpatientib. Atq; poeticè, amplificandi gratia, dicit montes, non mons.

Neq; ros.) Quòd hæc cœli benedictio propter fortes Israelitas promissa sit, quib. ô Gilboe mons si careas, dignus nõ sis, quẽ cœlũ rore aspergat, & pluuia madefaciat ad fructificandum.

Neq; sint agri primitiarum.) qui fruges proferant quibus litetur Deo, & sacerdotes alantur, heroib. nimirum extinctis: propter quos suis cõstat agris ubertas, & grata reddantur Deo sacrificia.

Vnctus oleo.) uel de rege Saulo, uel de clypeo interpretari licebit. Saulum tanquam gregarium militem, quasi non fuisset unctus Domini, ab hostibus interfectũ A regis Sauli persona amplificatio. Si de scuto interpretaris, occurrit mos quo scuta ungi solita sunt: ut cernere licet apud prophetam Iesaiam, Vngite scutum.

A sanguine interfectorum.) Contentione amplificatur miser Sauli et Ionathanis casus.

Saul & Ionathan amabiles.) tum à forma dignitate, tum rerum gestarum præstantia, quæ natura amabilis atq; iucunda est. De pulchritu-

chritudine Sauli, supra legitur: Et non erat pulchrior illo inter Israelitas. Fortitudinis bellicæ exempla in Ammonitas, Amalechitas & Palæstinos extant. Aspergit laudem ad augendũ planctum. Laudatorum enim uirorum durior casus, ut noxius, ita natura luctuosus est. Aut sic intelligitur, Saulum & Ionathanem, qui fuissent inter se amici in uita, ne morte quidem diremptos fuisse: ut accipiatur laus à uera amicitia ducta, quam neq; uita, neq; mors, neq; secundæ neq; aduersæ res inter amicos dirimant. Quæ uera amicorum nota est, quos aduersis rebus explorari, ut aurum igni, sapienter Græcus ille rhetor monet: ὁ μὲν γὰρ χρυσὸς ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν. Quare sapiens Salomõ dicit, Amicum semper diligere, & fratrem in aduersis nasci: אהב בכל עת ואח לצרה יולד.

Aquilis uelociores.) ὑπερβολικῶς, à uelocitate & celeri pedum cursu laus. Quæ uelocitas in uirtute ad certandum ualente cum magnitudine et robore numeratur. Sic enim Græcus uates:

ἔπεται δὲ νέσσος ὑὸς
ἀντίθεος. ὁ γὰρ αὖτε νέος ποσὶ πάντας ἐνίκα.—

Cæterùm de aquilarum celeri uolatu, & leonũ animositate & fortitudine, uideris apud rerũ scriptores.

Filiæ Israel.) Apostrophe ad Israelitidas. Ostri meminit, cuius uicinũ Phœnicum mare magnam uim præbebat. Tradunt autores, in purpuræ piscis faucibus florem inueniri tingendis uestibus expetitum.

Doleo super te.) Non leuis dolor, sed angor in צר notatur: Angore, qui est ægritudo premens, conficior de te.

Super amorem mulierum.) Vehemẽtis amoris uis inducitur. Alij accipiunt de amore quo uiri impotentius mulieres amant: qui quantus sit, declarat Zorobabel tertio Esdræ libro. Hanc sententiam sequitur paraphrastes, qui de amore, quo Dauid duas suas uxores amplexus est, interpretatur. alij de amore intelligunt, quo mulieres in uiros exardescunt: qui quantus sit, declarat illud latini uatis: Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis. Vel de amore, quo suos liberos prosequuntur. cuius uim apud uatem Iesaiam diuinus spiritus his uerbis explicat: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non miseretur, &c.

Quomodo ceciderunt fortes.) Cõcludit funebre carmen per repetitionem coloratam, interrogatione apta ad exprimendum stuporem ex luctu natum.

Arma bellica.) ποιητικῶς, pro uiris bellicosis. Cæterùm quòd hic Dauid Saulum tantopere celebrat, in eo non spectauit eas dotes & uirtutes, quæ uerè quempiam commendant Deo, ut sunt fides, spes, charitas: quibus uirtutibus ut caruerit Saulus, eius uita satis indicat: sed pro ratione ueteris fœderis, corporis dotes, pulchritudinem, robur, uelocitatem, & ciuiles uirtutes, prudentiam militarẽ, fortitudinẽ, &c. Vnde nos colligimus, Saulum regem clarum fuisse, qui potuerit cum illustribus regibus conferri. Deinde cognoscimus, qua modestia fuerit Dauid, qui hostẽ Saulum posteris memorabilem diuino hoc carmine reddere studuerit. Quæ nõ uulgaris laus fuit Saulitum, quòd à tam magno & laudato uiro laudatus est: tum quòd ab eo laudatus est, quem cum ueneret, inimicè insectatus fuit. Ab eo autem laudibus uehi, quem tu putes hostem tuum esse, quanta laus sit, declarat etiam gentilis uates, ubi ab Hectore Aiacem sic laudari canit:

ἕπεται δ' ὧκα θεὸς μέγεθός τε, βίηΤε, καὶ πωλυτλημ——

Postremò intelligimus hic, quàm diuinus affectus sit misericordia: hoc sæpe fieri, ut impulsi uirtutis opinione, hostes hostibus misericordiam tribuant. Literis proditum est, Hannibalem Aemilij Pauli apud Cannas trucidati quæsitum corpus, quantum in ipso erat, inhumatum iacêre passum non fuisse. Porsenna Mutio Scæuolæ, miratus eius excelsum animũ, quẽ in cremanda dextra declarauerat, dixisse fertur: Reuertere ad tuos, Muti, eisq; refer, te, cum uitam meã petieris, à me tibi uitam donatam.

IN CAPVT II.

Consuluit Dauid Dominum.) per Abiatharem pontificem. Saulus Pythonem consuluit, Dauid Dominum, ad adumbrãdum eum Dauidem qui de se sic loquitur: Nõ quæro uoluntatem meam, sed eius qui me misit.

Ascende.) ex Sicelega, quæ tum ditionis Palæstinorum erat. Qui antea se demiserat, exulfactus cum uxoribus & suis socijs, iam ascendere iubetur Hebronem, ad sacram hæreditatem adeundam, & ad regnum diuinitus sibi destinatum accipiendum. In quo præfiguraut illum de quo illud: Ascendit in altũ. & Apostolus: Quapropter & Deus illum extulit in summam sublimitatem: cum præcessisset, Seipsum exinaniuit. Verbum igitur ascendendi עלה cum mysticum sit, curan-

dum est,ita reddatur, ut mysterij non negligatur ratio.

In Hebron.) De huius urbis antiquitate & claritate aliâs.

Cum suis uxoribus.) Quæ ut cum marito Dauide exilio et aduersis rebus uexatæ sunt, ita cum eodem ad regium splendorem uocantur. Submoto typo occurrit illud: Siquidem unà cum eo patimur,ut unà cum eo glorificemur.

Iezraelites.) Iezrael urbs est Iudææ apud Iosuã. Eiusdẽ nominis est et in Isachariana tribu.

Et unxerunt ibi.) Qui prius iussu Dei unctus fuerat à Samuele, iam etiam à Iudæis ungitur. Ita enim suam unctionem ratam uult esse Deus, ut etiam in eam consentiant, qui unctioni pariturí sunt. Nam imperium ex duobus constat: ex ijs qui imperãt,& ijs qui parent. Demum quoque legitur unctus ab Israelitis, hoc est reliquis tribubus,ad confirmandam unctionem à Samuele factam.

Benedicti uos à Domino.) Hac commendatione Galaditarum,ostẽdit sanctus uir eos probari Deo,qui benefacere studeãt. Quòd opus propriũ Dei sit benemereri de alijs, alienũ malè.

Qui feciſtis misericordiã hanc.) Qui ista pietate mortuũ sepelieritis spiritu cõmendato Deo,à quo in corpus uenerat, ut est apud Salomonem: Redeatq; puluis in terrã, & spiritus ad Deũ reuertatur,qui eum dedit.

Et nunc retribuet uobis quidem Dominus.) benefactorum liberalis remunerator. Hebræa phrasis indicat precari Dauidẽ,ut Dominus pro sua bonitate & fide rependat Galaaditis beneficia in Saulũ collata. bonitas in promissione cernitur, qua Deus pmittit se benefacta remuneraturũ: fides uerò in præstãdis promissis. Nam in his duobus, in clemẽtia promissæ salutis, & in fide præstãdæ eius, tota salus piorũ cõsistit:

Sed & ego reddam gratiam.) beneficum Dei numẽ imitans,quod reges in terra præcipuè repræsentare,cuius imaginẽ gerũt,cõueniat. unde in sacris literis principes נדבם appellãtur, hoc est,benefici ac liberales, quòd tales pro munere regio & facultatibus præstare conueniat. Qualis debeat esse futurus rex,in se Dauid declarauit, qui uoluerit regnũ sium auspicari à benefaciendo. Qui nimirũ nosset illud à filio eius proditum: Bonitas & fides regem tuentur, eiusq; solium nititur bonitate.

Confortentur manus uestræ,) confirmãtes uos in parendo mihi iam designato regi: quemadmodũ confirmatis animis Saulo, dum ueret,paruistis. Nõ dicit se occupasse regnũ,quod fuisset hominis ambitiose seditiosi: neq; se à Samuele unctũ regem, quòd potuisset uideri à se fictũ, iam mortuo Samuele: sed à tota Iudæa creatum regem,quòd fuit liberæ & uoluntariæ electionis, omni affectatæ tyrannidis suspicione carentis.

Abner autem.) Vnctus Dauid rex regnare incipit,sed nõ sine tẽtatione,quæ à familia Saulí eum excepit certissimo regni Messiæ typo. Nã quod Dauid primò in paucos regnare cœpit,in eo Messiæ regnũ repræsentauit, quòd is quoq; ut in cœlum receptus est,auspicatus regnum cœleste,à paucis agnitus rex est,siue Hebræos siue gẽtes cõsideres. Nam si Hebræos spectes, notũ est illud: Reliquiæ seruatæ sunt. Si gẽtes, quàm pauci: si totum terrarũ orbẽ cõsideres,Euangeliũ fide amplexi sint,prædicantib.id Apostolis,satis manifestum. Deinde ut hypocriticũ Sauli regnũ Dauidi repugnauit:sic Christo, quo minus omnes terræ fines se adiungerent, stulti pastoris & simulationẽ & uanæ pbitatis opinione cõflatum regnũ repugnauit,atq; etiãnum repugnat. Atqui ut cum tẽpore Dauidis regnum creuit, & Saulinum decreuit, dum omnes Israeliticæ tribus ei parêrent: ita crescet & Dauidis nostri cœlestis cœleste regnum, dum extirpato hypocritarum imperio regnum fiat,quod ex prophetarum oraculo Apostolus prædicit: Non enim uolo uos ignorare fratres mysterium,ne sitis apud uosmetipsos elati animo, quòd excæcatio ex parte Israeli accidit,donec plenitudo gentium subierit,tunc totus Israel saluus erit. Iam tum mysterium diuinæ sapientiæ hac umbra deumbrare placuit,quod deinde uates adhibita luce admirabiliter illustrarunt.

Isbosceth.) Fortibus filijs in prælio à Palæstinis,cum patre Saulo extinctis, ignauus loco patris regno præficitur. Nam hunc Isbosethũ ignauum fuisse,ex eo intelligitur,quòd non is ipse, sed Abner Sauli familiã legitur administrasse: & idẽ cum patre Saulo nõ traditur, cum Palæstinis manus cõseruisse. Neq; uerò ætas prætexi potest,qui hic quadraginta annos natus dicitur. At nõ temerè,sed diuino cõsilio accidit, ut Dauide regnante, quẽ Dei spiritus ad res magnas gerẽdas confirmabat,non nisi aut ignaui se illi opponerent: aut fortes uiri ab ignauis abalienati,se uel Dauidi adiũgerent,uel ne diuinitùs creato regi negocium facesserent,in bello aliquo caderent. Reducto uelo mysticæ historiæ, intueamur patefactionis Messiæ tempora, & præcipuè hæc nostra.

Per castra.) מחנים loci trans Iordanem nomen, cuius in Iosua fit mentio, Qui Gadinæ & dimidiæ

dimidiæ Manassensis tribus terminus erat: atque huic Iacobus nomen id dedit, ad patriam reuertens, quòd ibi angelorum castra habuisset obuiã. In hac urbe ut Isbosethus primò rex proclamatus est, ita eadem Dauidem cum copijs profugum recepit, ex qua Absolonem paternum regnum hostiliter adortum debellaret.

Iezrael.) Issascharianæ tribus ciuitas, de qua apud Iosuam fit mentio.

Sola domus Iudæ.) Itaq; si, ut sapienter Salomon dicit, accelerata hæreditas ab initio, in fine benedictione caret, ut exẽplo est Cain, Esau & hic Saulus consequitur eandem illam à principio retardatam, tandem auctam fieri. Exemplo hic Dauid est. & submoto uelo, Messiæ regnũ occurrit, & ij qui Messiæ regno cõtinentur.

Septem annorum.) Vacauit igitur Israelitici regnũ quinq; annos rege. Nam Isbosethus non amplius duobus annis in Israelitas regnauit.

Egressusq; Abner.) iam creato rege Isbosetho ad bellum gerendum contra Dauidem, et Iudæos qui Dauidem cõtempta Saulina familia regem unxissent. in hunc modum Iosephus etiam: ὁρμᾶσθαι δ' ἐκεῖθεν ἀβέννηρ μετὰ τοῦ σφετέρου πλήθους ὑπὸ λέκτα συμβαλεῖν τοῖς ἐκ φυλῆς πεπαιρημένοις, ὀργισθεὶς ὅτι ἐβασίλευσεν Δαβίδλιος.

Porrò Ioab.) dux exercitus Dauidici, per quem Dauid nõ prior intulit bellum Saulinæ familiæ, ut memor iuramenti Saulo facti de eius filijs à se cõseruandis, ut cõtigisset obtinere regnũ.

Surgant pueri.) Prouocationis ad singulare certamen exemplum. Quod institutum à ducibus est, ut futuri successus in alterutro exercitu signum caperetur.

Et ludant.) gladiatorum more periculũ facientes, utri alteris certandi arte præstarent. Is quidem ludus quamuis temerè ab Abnere excitatus fuit: non temerè tamen qui ederetur, à Deo prouisus fuit, ut nimirum Sauluni turpiter uicti fugatiq; intelligerent à Dauide stare Deum, ad delendum Sauli regnum, seruata sententia illa semel per Samuelem pronunciata: Auferet regnũ tibi, & tradet alteri meliori.

Bellum durum satis.) ut inter fratres, quorum inimicitia ac discordia lõgè acerbissima.

Fugatus est Abner.) Eum sua prudentia & militari fortitudine nihil iuuante, ut intelligeret uerũ illud esse: Nõ glorietur quisquã de fortitudine sua. Itẽ: Non est consiliũ cõtra Dominũ.

Quasi unus de capreis.) De syluestrium caprarum uelocitate, qua domesticas superant, uideris apud scriptores rerum.

Et non potero leuare faciem meã.) Verba hæc sunt cõscij sibi ex prælio infeliciter gesto, Dauidẽ regnaturũ in Israelitas. Occurrebat ei Samuelis oraculũ, cuius infrà his uerbis meminit: Quoniam Dominus locutus est ad Dauid, dicẽs, Per seruũ meum Dauid seruabo populũ meũ Israel. Atq; ex hac conscientia natus est metus Abnero, de nõ recõciliando Ioabo, interfecto fratre Asahele: qui ignarus non esset, fratres fratrũ interitum in hostes solere acriter ulcisci. Nam ut fratres inter se uehementius amant, ita hostes suos acrius oderunt: ut ipse Abner expertus est, à Ioabo uindice fraternæ cædis interemptus.

Et mortuus est.) uelocitate sua, quo minus occũberet, non seruatus. Itaq; uerè dixit Salomõ: Vidi, nec uelociũ esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientũ panẽ, sed tempus casumq; in omnib. Hoc est, omnia diuina ratione, non humana gubernari, seruatis temporum & casuũ humanorũ suis in mente Dei spacijs et interuallis. Exemplũ casus quo Asael occubuit, nos monet, fugientẽ hostẽ nõ acrius persequendum, neq; eum, præsertim pacem offerentẽ, contemnendum. Quare Scipio ille maior prudenter dixit, hostibus non solum uiam fugiendi dandam, uerùm etiam muniendam: intelligens, moderatè utendum uictoria, nec sæuiendum in eos qui arma ferre contrà destitissent.

Sol occubuit.) Diuina prouidentia nocte in eũ quoq; usum cõparata, quæ diremptis prælijs naturales inducias inter hostes constitueret.

Desperatio.) Hebræus מְרִירָה, similiter Græci πικρὰ. An ignoras hoc tandem amarum fore, desperatione in furorem armorum ministrã conuersa? ut Latinus uates canit: Furor arma ministrat. Item: Quondam etiã uictis redit in præcordia uirtus. Aut in hunc modum: Nisi cesses fratres persequi, futurum ut hoc prælium utrisq; in funestum plenumq; dolore exitum sit abiturum: ut non ita pridem bellum cum Beniamensibus gestum, funestum Israelitis redditum est.

Fratres suos.) In hac dehortatione utitur locis periculorum & æquitatis. Aequum esse, eos quos cognationis & communis fœderis ac religionis ius coniungit, elaborare ne se inuicem perdant, sed seruent. Sed tu Abner cur non perpendisti hæc quæ iam proponis, & illam Salomonis sententiam: Oderit Deus, qui serunt inter fratres dissidia. Item: Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.

Et ait Ioab.) Transfert factam fratrum cædem in Abnerem. Cum exercitu huc ueni, non ut

prælio te lacesserẽ, sed uim à meis tribulibus auerterem. Non enim Dauid sic comparatus est, ut malit regnum in Israelitas sanguine sibi confirmari, quàm prudentia & benignitate, qui non feratur malo spiritu, sanguinem & cædem spirante fratrum: sed bono, hoc est diuino illo, pacem & salutem populi Israelitici spectante.

Recessisset populus.) In נעלה, tropus sumptus ab ijs, quæ in sublime elata è cõspectu nostro tolluntur, ut non amplius appareant.

Bethoron.) Cum duplex sit Bethoron, superior & inferior, neutra בתרון est, de qua hic fit mentio. Nam is locus, qui hic memoratur, trans Iordanem situs erat: Bethorones cis Iordanem, in terminis Beniamensium & Ephraimensium, ut uidere licet apud Iosuam. Præterea is locus uocatur בתרון, Bethorones autem appellatur בית החורנים.

Venerunt ad castra.) ubi reliquerat Isbosethum, in eo loco creatum regem. Iosephus, ut noster מחנים, uertit παρεμβολὰς: similiter Græci. De nomine loci suprà.

Trecentis sexaginta.) pluribus fugiendo cæsis, quàm fortiter acie dimicantibus. Hinc uates Græcus:

ἀδρομίῳ τ' ἀνδρῶν, πλέονες σύοι ἢὲ πέφαυται,
φευγόντων δ' ὅτε κῦ κλέος ὄρνυται, ὅτε τις ἀλκή.

Et defuerunt.) נפקדו, idem apud Hebræos, quod apud Latinos Desiderati sunt.

IN CAPVT III.

DAuid proficiens.) Saulinæ familiæ odium, per patientiam uincens fide & spe in eum, quẽ his uerbis solitus fuit prædicare: Deus meus adutor meus. Contrà Sauli familia composita cum esset, legimus hic: Sauli autem domo inclinante. Tantum interest ad felicem cõsiliorum & factorum cursum conseruandum, ab uno Dei numine fide & amore pendêre.

Chileab.) בלאב, lib. primo Paralipomenon uocatur דניאל. Binominis igitur fuit.

Absalom filius Maacha.) ex præda, ut apparet, captæ, de qua præda suprà capite 27. Et prædas de Gessuri agebãt. Volunt hanc Maechã à Dauide in prælio captam, & cæsarie & unguibus præcisis, secundum legem, eam sibi uxorẽ Dauidem sociasse. Gessuri igitur regio Amalechitarum fuit in deserto Sur. De qua regione etiã in Iosua fit mentio: Et uniuersa Gessuri à Nilo, qui irrigat Aegyptum. Tradunt interpretes, Absolomum inde, quòd gentilis mulieris filius esset, mores & ingenium eius imitatum patri rebellasse: gentilis odij seminib. à matre in Absolomũ sparsis, quæ cum tempore aduersus Dauidem se ostenderint. Vnde discimus, quæ mala alienigenæ mulieres in familiam Israeliticã importent, ex diuina sententia à Mose in Deuteronomio exposita. Exemplo etiam Salomon est, filius Dauidis.

De Egla uxore Dauid.) Alij de Michole filia Sauli interpretantur, עגלה, hoc est, uitulam appellatam, quod unicè à Dauide amaretur. Adducunt locum ex libro Iudicũ, ubi delecta uxor עגלה, id est, uitula nominatur הרשתם בעגלתי. Quòd signatè hæc uocatur uxor Dauid, hoc fieri dicunt, quòd Michol prima uxor eius fuerit. Similiter de Rachele sua Iacobũ dixisse: Duos genuit mihi uxor mea. Si obijcias, Micholem fuisse sterilem, de ea enim infrà scribi, Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius: respondent qui hanc sententiam tuentur, ab eo tempore quo Michol saltantem Dauidem ante arcã illusit, eam nõ amplius liberos genuisse. Sunt alij, qui negant Micholem fuisse Eglam, sed aliam. Mentionem enim hic fieri earum mulierum, quæ Dauidem liberis auxerunt, non sterilium. Accedere huc, quod in libris Paralipomenon, non Micholis, sed Eglæ fiat mentio. Sunt demum, qui hanc Eglam Sauli uxorem fuisse dicũt, quam Dauid duxerat illo iam mortuo. quòd infrà legatur: Et dedi tibi domum Domini tui, & uxorem Domini tui in sinũ tuum.

Abner filius Ner.) Vt patruelis igitur, & dux exercitus, fortiter & magna curã domũ Saulinam tuebatur. Accedebat, quòd non libenter ferret regnum à sua tribu in aliam transferri.

Ad concubinam.) Quod tum sibi opprobrio esse putabat, tum regni affectationem præ se ferebat: sic Absolomus ad regnum patris sui Dauidis aspirans, concubinas eius constuprauit. Itaq; hæc secum Isbosethus cogitans, tam grauiter de uitiata concubina uidetur cum Abnere expostulasse.

Nunquid caput canis ego sum?) Contẽptus canum à libidine, uoracitate, adulandi studio, & rabie, satis notus est. Hinc illud in Deuteronomio: Ne offerto mercedem meretricis, nec precium canis. & Dominus noster: Nolite sanctũ dare canibus. Neq; apud uatẽ illũ Græcũ probrosa comparatio à cane sumpta omittitur:

οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων.

Grauiter hic fert Abner, se ab Isbosetho uiliorem canino capite haberi. Sũt q ראש, p custode canũ interpretãtur in hũc modũ: Nũ existimas me apud Dauidẽ pro canũ custode habitũ, qui si uelim non magno

magno apud eum precio habear? Quanti autem Abnerem fecerit Dauid, ex his quæ suprà narrata sunt, patet. Solet ira nasci ex contemptu & reprehensione, præsertim eorum, apud quos in magna existimatione te habendum arbitraris, et de quibus te optimè meritum sentis. Qualem cũ intelligeret se esse Abner, uir magna autoritate, & opinione uirtutis tum in Saulina familia, tum apud cæteros Israelitas habitus: legitur hic non leuiter iratus, sed uehementer succensuisse Isbosethо. Quapropter in redarguendis magnorũ præsertim uirorum uitijs, magna cautio & diligentia adhibenda fuerit. Exemplo est Isbosethus, qui nõ in tempore à se reprehenso Abnere, regno priuatus est, eo ad Dauidem translato. Vbi imprudentiam in Isbosetho, libidinem & perfidiã in Abnere, prouidentiam in Deo cognoscere licet, qui diuina sua ratione, etiam stultorum hominum imperitia, & improborum scelere, ad declarandam erga eos quos amat bonitatẽ, utitur. Omnia igitur etiã mala, ut sunt peccatum, mors, infernus, & princeps peccati & mortis Satan, cum ministris suis, rationem quandam boni habent in deliberatione & cõsilio Dei, omnia eò referẽtis, ut amplificetur Dauid, hoc est, Messias suus benedictus in secula.

Et tu requisiuisti me.) תמסר hic pro imputandi noxam uerbum.

Hæc faciat Deus Abner.) Hebraica formula iuramenti. Latini efferrent: Ne sit mihi propitius Deus, ni, &c. Qui antea capitalis hostis fuerat Dauidis, Saulo addictus, iam amicus redditur, ita prouidente Deo. Vera igitur est sententia illa de principibus uiris à Salomone edita: Cor regis in manu Dei: Item eiusdem Salomonis: Cum probantur cuiuspiam uiæ, etiam inimicos eius et conciliat.

Quòd metuebat illum.) qui nocere sibi posset, ut dux exercitus, & regni Saulini administrator. Accedebat ignauia hominis, degeneris, metus mater. Hinc Latinus uates: Degeneres animos timor arguit. Is metus efficiebat, ut Isbosethus, quamuis rex esset, Abneri, quamuis rebellionem & defectionem iam profiteretur, resistere non auderet. Quare rectè dicit Ecclesiasticus: Cor timidum in cogitatione stulti aduersus terrorem subsistere non posse.

Ego faciam tecum amicitiam.) In hoc fœdere diuinam pro se laborantem prouidentiam, prudens rex Dauid agnoscebat, Abneris leuitatem suspectam habuit. Porrò si Abner regnũ ad Dauidem pertinere iam antea nouit, cur igitur Saulo adhuc uiuente tam inimicè illum persecutus est? Cur eo mortuo Isbosethus, ut regnaret, elaborauit? Leuitatis igitur fuisse apparet, Abnerem non potius sententiam Dei de regno Dauidi assignãdo, quam sciret à Dauide facere, quàm Isbosethi reprehensione adductum, ad Dauidem defecisse. At uerò hanc leuitatem & Isbosethi inertiam Dauidis gloriæ deseruire oportuit, certo Dei consilio, qui semel ut Dauidi regnum destinasset, ita etiã medias res prouidisse credi debet, quæ ad illud comparandum conferebant.

Redde mihi uxorem meam.) quam tãtopere expetiuit, quòd prima uxor esset, & tanti constitisset, & à qua sciret se ualde amatũ. ut suprà legimus: Michol aũt filia Saul, diligebat eum. Ad regnum etiam cõfirmandum pertinebat, regis filiam sibi iampridem desponsatam sibi reddi.

Centum præputijs.) Suprà legitur de ducentis, quæ attulerit regi. Centum quidem desponderat Saulus Micholem filiam, sed ducenta attulit, ut maiora expectatione regi præstaret.

Vsq; Bathurim.) locis in tribu Beniaminensi. Paraphrastes עלמית, cuius fit mẽtio apud Iosuam. Apparet urbem sic nominatã ab עלמית filio ערח, de quo in Paralipomenis lib. 1. cap. 8. fit mentio.

Tam heri quàm nudiustertius.) Oratio Abneris ad senatores Israelitarum, locos facilium, honesti & utilium continens.

Quærebatis Dauid.) uiuente etiã Saulo eum obres præclarè gestas amãtes. Veluti suprà legitur: Omnis aũt Israel & Iuda diligebat. Quæ uerò causa eius amoris fuerit, eadem narratio explicat: In omnib. uijs suis Dauid prudenter agebat, & Dominus cũ eo erat. Quæ diuinæ beneuolentiæ documenta, & uirtutum, in Saulina domo non edebantur. Itaq; facilè, ut Israelitæ ab Isbosetho ad Dauidem deficerẽt, ab Abnere persuaderi potuerunt, ut à principe & secundum regem maxima autoritate uiro.

Quoniã Dñs locutus est.) A' sentẽtia Dei, cui resistere nõ liceret, & parère par esset.

Et saluabo populum.) Saulo regnante, non exigua clade affectum. Accedit locus utilitatis. Infinitiuus הרשיע, more linguæ pro indicatiuo. Quare Paraphrastes, אפרוק.

Et omnium inimicorum eius.) Moabitarum, Ammonitarũ, Amalechitarũ, Idumæorum, & uicinorũ Syrorũ. Quos ut sub iugũ miserit, sequens historia exponet, ad præfigurandum eum Dauidem saluatorẽ, de quo illud: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Ad Bẽiamin.) Hæc trib. finitima Iudææ et

Hierosolymæ, quæ sedes Dauidici regni futura erat, partem tenens, sic Iudeæ tribui adhæsit, ut nunquam ab ea deinceps reliquis tribubus deficientibus auelli potuerit.

Conuiuium.) ad fœderis testificationem. Sed ut sunt res humanæ, hilaritatẽ luctus, de quo mox mentio injicietur, excepit, ut rectè Salomon dixerit: Melius est ire ad domũ luctus, quàm ad domum conuiuij.

Vadam.) Hoc quidem erat consiliũ Abneris, sed quòd irritum factum sit illius consilio, de quo Salomon in Prouerbijs: Mens hominis de uia eius deliberat, sed Dominus dirigit gressus eius. Aliud igitur est de rebus gerendis deliberare, & cõsilia capere: aliud, ea de quibus deliberaris, perficere. hoc Dei fuerit, illud hominis. Quod etiam his uerbis comprobat uates Græcus: (λύτᾶ. ἀλλ' ὰ ζεὺς ἄνδρασι νοήματα πάντα τε-

Quid feci sti?) Hãc expostulationẽ Ioabo cum Dauide, de dimisso Abnere, partim inuidia, partim odium dictasse uidetur. Odiũ quidem, quo in Abnerem, propter interemptum Asahelem fratrem ardebat: inuidia uerò, qui uereretur, ne si initum fœdus procederet, sua existimatio imminueretur, qui principem in Dauidis regno locũ se habere intelligeret. iam uerò futurum ut Abner uel alterum uel superiorẽ obtineret, ob summam qua apud suos & Israelitas florebat, autoritatem, & nouum beneficium quo Dauidem relicto Isbosetho deuinxerat. Etenim hi stimuli sunt, quibus magni uiri honorum ambitione ad iniuriandum impelluntur. Non dissimiliter affectus Ioabus, infrà Amasam charum Dauidi interfecisse legitur. Accedebat spes perficiendi facinoris, quam uires, facultas, occasio, per quam inermis Abner cum pace dimissus, dolo opportunus erat: peccãdi præterea impunitas, qui nosset se secundum Dauidẽ summum in repub. locũ obtinere: sicut etiam dum uixit Dauid, impunè illi tantum facinus fuit. Verè ergo dicitur. improbo nihil deesse præter occasionẽ.

A cisterna Syra.) Hunc locum Iosephus uiginti stadia distare ab Hebrone dicit.

Ad medium portæ.) Vbi iudices sedentes, causas iudicare solebant.

Et mortuus est.) iustè quidem, si Dei iudicium spectes, qui ut uiolentam mortem obiret, dignus erat propter scelera suprà narrata: iniustè autem, si Ioabum consideres, quem prohibebat publica fides & pax, cum qua dimissus à Dauide fuerat, ne à quoquam clade afficeretur. Neq; Dei consilium, quo Abner neci destinatus fuerat, Ioabum crimine liberabat. Quo Deus, ut compositus erat, usus fuit: hoc est, malo & improbo usus est, ad improbum puniendum: qui iustè malos per malos ferè plectit, ut de Satana & tyrannis orbis terrarum constat.

Et regnum meum.) Quod innocẽs & iustum esse oportuit, propter eius Dauidis regnũ quod in eo figura, & umbra representatur, de quo illud: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & excitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, et faciet iudicium & iusticiam in terra.

Apud Dominum.) cui probatur regnum, quod uirtutibus ornatum est, de quibus figurabatur Dauidis: Clementia & fides regem tuentur.

Et ueniat super caput Ioab.) Imprecatur Ioabo quinq; malorũ genera, ob malo dolo interfectum Abnerem: ne desit unquã in eius stirpe qui genituræ fluxu laboret, qui sit leprosus, qui baculo ob infirmitatem innitatur, qui ferro trucidetur, quiq; uictu indigeat. Grauissima hæc est imprecatio, quam uereatur aliquis à rege tam clemente, qui in hostem suũ Saulum tam mitis fuisset, in amicum & propinquum, cuius fidem sensit, in aduersis rebus expertus fuerat, intentari potuisse. Itaq; ueteres interpretes offensi his diris, hæc mala in Dauidis familiam recidisse trarunt. Roboam enim fœdo genituræ fluxu laborasse, Oseam lepra, Asam baculo gressus suos rexisse, Iosiam ferro cæsum, Iehoiacim defuisse res necessarias ad uictum. At uerò sanctum regẽ Davidem non pauca mouerunt, cur in Ioabum, & eius familiam tam durum se ostenderet, clementia uerò erga Saulum hostem uteretur. Nam Saulus unctus Dei erat, quem lædere non liceret: sed potius ei de interitu Sauli iampridem edita Dei sententia, per patientiam, dum perficeretur, expectãda fuit, quàm ante tempus petenda uindicta. Seccus res de Ioabo habuit, cui Dauid citra suspicionẽ habitæ amici rationis, in capitali crimine uicati fœderis & publicæ fidei qua Abner dimissus fuerat, parcere non potuit, qui iam imperium regium in suos iniisset: quo antea cum Saulum hostem haberet, caruisset, priuati hominis uitã degens. Si dicas, Cur igitur imperium nactus, nõ statim de sonte Ioabo pœnam sumpsit, cur eam usq; ad Solomonis filij tempora distulit? Prudens rex infirmi regni sui ab initio rationem habuit, ne desse ducẽ benemeritũ statim è medio tolleret: supplicio eũ quo afficeretur tandem nõ liberauit: & longanimitatẽ Dei imitans, tarditatem uindictæ pœnæ magnitudine cõpensauit, à filio Salomone interfecti Abneris & Amasæ filij Iether crimine in Ioabum, cum improbitatis mensuram iam implesset,

plesset, uindicato. Neque mysticaratione caruit, cur à Salomone potius, quàm à patre Dauide Ioabus cum Abiathare et Semei capite mulcta tus sit. de qua suo loco meminerimus.

Nequaquam ut mori solent ignaui.) Pro נבל quod stultum sonat, Paraphrastes רשיעין uertit: impiorũ ac facinorosorum morte non interijsse Abnerem, quòd scelerati uerè stulti sint, & præter crimina im stulticia nihil habeatur. Quis sit נבל, explicat Dauid Psalm. 14. Ioabi animum spectat Dauid, non Dei iudicium, quo omnes qui pereunt, iustè pereunt. Neq; translatio nostri interpretis reprobatur. Nam stulti omnes ignaui sunt, sapientiæ sale carentes.

Manus tuæ ligatæ non sunt.) Timidorum more, qui capi sè sinunt: aut more flagitiosorum, qui cõpedibus constricti, scelerum pœnas luunt. Aut non es iure belli captus, quo manus eorum qui capiuntur, & pedes uinciri solent. Dolo igitur, non iure peremptus es.

Vt occideretur Abner.) Quorum enim interitum grauiter ferimus, eos dum uiuerẽt, magnũ duximus, & tolli è uita minimè uoluimus. Cur autem tantopere deflerit obitũ Abneris Dauid, tria in causa fuerunt. Vnum, quòd crimino se insons à sontibus interfectus esset, cuius cædes uerebatur ne sibi odium apud Israelitas conflaret de temerè uiolata publica fide. Alterum, quòd Israelitarum princeps autoritate, consilio & rebus gestis celebris, ut hic legitur, obijsset. Postremò, quòd eo uiro orbatus esset, cuius opera regnum suum in Israelitas confirmari facile potuisset. ideo sequitur:

Ego autem adhuc delicatus.) se infirmum regem creatum esse, uni soli tribui imperantem: imperaturum autem non difficulter in reliquas quoque fuisse, uiuente Abnere, & tam nefariè non interfecto à filijs Saraiæ. Per cõtentionem suæ teneritati duriciem illorum opponit. Leguntur enim in litera hæ duæ uoces, רך & קשים.

Saraiæ.) Maternæ familiæ meminit, non paternæ, partim (ut uidetur) q. mater genere præstaret maritum, quæ Dauidem propinquitate attingeret: partim ut dolorem suũ uehementius exprimeret, qui sibi adhuc imbecille tenenti regnum occiso Abnere non pepercissent: magis priuati odij explendi, quàm reipublicæ ornandæ augendæq; habita ratione. Ad augendum autem dolorem, magnam uim habet, si amici, si propinqui noceant.

Retribuat Dominus facienti malum.) Sed cur precatur, ut improbis Dominus digna supplicia rependat, qui commisso adulterio & homicidio alicubi pro sè oret Dominũ, ne secũ in ius ueniat? & cur potius in crimina improborum uindicari precatur, quàm ueniã eis dari, qui intelligeret à se eum adumbrari, de quo apud uatem Iesaiam: Et pro facinorosis orauit? Dauid digna rependi non pœnitentibus, & contumaciter improbis, orat: non ijs qui scelerum sensu tacti orant, Miserere mei Deus pro magna misericordia tua. Hinc etiam alter Dauid pro alijs precatur, pro alijs non item: qui dicat, Pro mundo non oro.

IN CAPVT IIII.

ET dissolutæ sunt manus eius.) Vt solet accidere ijs quorũ præsidia in hominibus, non in Deo collocantur. contrà habent ij, de quibus illud à Dauide huius rei perito canitur: Qui cõfidit Domino, exaltabitur. Sed quid aliud fecisset Isbosethus, cui ut fatalis erat interitus, ita confatale fuit, ut pariter & humana & diuina ope destitueretur? Sicut etiam suprà de filijs Eli legitur, hos non obtemperasse patri recta monenti, quòd Deus eos statuisset perdere. Cæterùm Hebraica phrasi dissolui manus, est spem capiendi consilij abijcere, & animum turpiter despondere. Perierat Isbosetho, Abner: cuius consilio, cum uiueret, in tuendis fortunis suis præcipuè nitebatur. Iam uerò eo sublato, sensit uerum esse id quod Salomon postea dixit: Absq; consilio irriti sunt conatus.

Perturbatus est.) Hac eius perturbatione ac trepidatione usa est diuina Prouidentia, ad efferendum Dauidem ad regiam dignitatem & amplitudinem.

Siquidem & Beroth.) sub metropoli Gabaan. de qua apud Iosuam cap. 9. uideris.

Et fugerunt.) deserta sua urbe, cum cæsus esset Saulus. Sicut suprà legitur Israelitas à Palæstinis uictos, relictis uicinis oppidis fugisse, quò quenq; sors ferebat. Aut fortassis alia de causa, hic non exposita, fugerunt.

Gethaim.) Arabum urbem esse nonnulli putant, in Idumæa sitam.

Debilis pedibus.) Intexitur nonnihil perturbato historiæ ordine, narratio de Mephisobetho, ad indicandum, interfecto Isbosetho nemi nem ex Saulina familia remansisse, qui imperio aptus esset. Nam Mephibosethus Ionathæ filius, ut hic narratur, corporis dignitatẽ regno dignã, qui claudus esset, non habebat: & reliqui quos Saulus reliquerat liberi, ex concubina Ritzpa nati, cum

cum muneribus demissi regni hæreditario iure ca rebant, ut Israel ex Agare, et Abrahami liberi ex Cethura nati exemplo sunt.

Venientes igitur.) Narratur crudelis cædes Isbosethi. Qui antea proditus fuerat ab Abnere duce, iam ab alteris duobus ducibus interficitur: cuius funestæ necis grauitas à loco, tẽpore atq; personis ponderatur. Nam Beniamitæ tribulem, duces suum regem, tempore somni meridiani, & domi, non foris, dolo, per speciem nimirum capiendi tritici, trucidarunt: nec cæde cõtenti, caput etiam necato ablatum ad hostem Dauidem attulerunt. Qua ex re intelligitur, quanta ira Dei ardeat in hypocritas, & eorum regnum, quos non cessat hostiliter insectari, dum funditùs eos deleat: & quàm uehementi amore Dauidem & eius regnum prosequatur, dum eo etiam sublẽto ipsius hostes euertit. Nihil enim minus expectabat Dauid, quàm futurum ut Isbosethi interfecti caput à sacrilego rosis ad se afferretur, & ab Israelitis statim rex ungeretur, qui antea Saulum & eius familiam tanta cura amplexati fuerant, ut etiã eius nomine & Isbosethi studio Iudæam tribum bello uexarint. Mysticæ narrationis uelo reducto, occurrit Dauid Messias, quo sub cruce quiescente, et ne mutiente quidem, ut pecus quod ad mactandum agitur, potentes hostes, peccatum, mors, uisq; peccati lex, exitiali accusatione nos reos agens, superantur.

Assumentes spicas.) Regnum Sauli plenum sanguinaria simulatione, per hypocritas sanguinarios euertitur. Talis erit casus stulti pastoris, hodie satis noti. Qui & inter suos, & à suis misere peribit, ablato eius capite: hoc est, potestate, ut regnum tribuatur Messiæ cœlesti Dauidi, de quo illud: Suscitabo Dauid germen iustũ, & regnabit rex. Quæ promissio ut impleri cœperit, & impleatur etiamnum, alio loco indicatum est.

Sublatoq; capite eius.) certo omine transferendi regni, ut sequitur.

Ecce caput Isbosethi.) Oratio, si uerba spectes, proborum hominũ speciem præfert, quæ nimirum præseferat iustam ultionem Dei de Saulo ipsorum opera expetitam. At sceleratorum animus aliud spectabat, præmia nimirum ac munera, atq; dignitates ad quas Isbosetho interfecto Dauidis liberalitate peruenturos se sperabãt: sed frustra. Nam iustus rex non considerabat, quàm iusto Dei iudicio Isbosethus interijsset: sed quàm iniustè ab ijs, quos regem suum tueri, non perdere conueniebat. Dauid igitur iustum Dei iudiciũ probabat: perfidiam, ambitionem, auaritiam dum sceleratorum detestabatur. ideo sequitur:

Viuit Dominus.) iustus perfidiæ uindex, & benefactorum remunerator.

Qui eruit animam meam.) me nõ cogitante de humanis præsidijs, nedum improborũ hominum, quales uos estis: quorum consilijs & ope qui nituntur, sibi interitum, non salutem parant. Tres illustres sententias, hæc Dauid rex dicens, expendit. Vna est, in defendendo hostibus iniuriam non rependendam, sed Dominũ expectandum, qui te liberet. De hac sententia etiam eius filius Salomon sic meminit: Ne statue iniuriam rependere, sed expecta Dominum qui te liberet ac uindicet. Altera sententia est: Inimici casu non gaudendum, neq; eius lapsu animo exultandum. Quod ut Dauid fecerit in Sauli & liberorum eius casu, ipsa narratio comprobat. quam sententiam idem Salomõ in Prouerbijs exposuit. Tertia sententia est: Malorum consilia & facta, etiam si tibi profore putes, non approbanda, sed repudianda: & semper honestatem utilitati præferendam, Dei metu, qui speculans bonos & malos, horum consilia fraudulenta punit, illorum recta consilia & facta præmijs ornat. Itaq; Dauid huius sententiæ memor, sic canit: Beatus uir, qui in consilio impiorum non uersatur.

Mercedem.) בשורה interdum lætum nuncium est, interdum præmium quod datur lætum nuncium afferẽti: ut εὐαγγέλιον apud Græcos. Sic Latinus orator: O suaues tuas epistolas, quibus euangelium deberi fateor.

De terra.) uestro sanguine expianda, quã fuso innocenti sanguine impiaratis.

Innoxium.) si sceleratos spectes, de quibus malè meritus non fuerat: non iudicium Dei, quo semel decretum fuerat, Saulum cum familia delere.

Præcidentesq; manus & pedes.) quibus ad scelus patrandum abusi fuerant: ut sunt hæc membra bene & male faciendi instrumenta. De pedibus illud legitur: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinẽ. De manibus uerò: Manus uestræ plenæ sanguine sunt.

Supra piscinam.) sed ex lege, cadaueribus in cruce non pernoctãtibus: de qua lege Deuteronomij cap. 21. legeris. Exemplum seruatæ legis ostenditur apud Iosuam cap. 7: Sunt qui præcisas manus & pedes illorum suspensos à iuuenibus uolunt, non truncum. Adacti in crucem fuerunt primò, ut palàm fieret, eos à Deo inter deos habitos, ob latrocinium. De crucifixis enim sic legitur apud Mosem: Nam execratur Deus crucifi-

crucifixum. Deinde, ut Dauidis innocentia omnibus cõspicua fieret, qui noluerit per dolum, uio lato fœdere, de Saulina familia ultionem expeti. Is enim iurauerat Saulo, se post eius interitũ stirpem eius non excisurum. Quare studuit Dauid eam sententiam exequi, quam filius eius his uerbis edidit: Inimicus tuus si esurit, præbe ei cibum: si sitit, præbe potionem. Nam carbonibus incendes eius caput, & Dominus te remunerabitur. Atque id accidit Saulo: In hac charitatis per patientiam schola exercendi sunt pij, ut ei Dauidi similes euadant, qui in cruce pendens orauit pro inimicis suis: atque eo modo à Deo patre super omnem sublimitatem elatus est, gloriosus suorum hostium uictor factus. Is unus in cœlũ aditus est, nullus præterea alius.

IN CAPVT V.

ET uenerunt uniuersæ tribus.) excitatæ à Deo, ad præstãdum Dauidi à Deo factum promissum, de regno ei in Israelitas tradẽdo. Sic enim habent diuinæ promissiones, ut non prius impleantur, quàm uarijs tentationibus eorũ quibus fiunt, tanquam aurum igni probatæ sint. In cruce igitur non solum animus despondendus non fuerit, sed etiam super ea gloriãdum. Etenim persuasum habere debemus, afflictione patientiã pari, patientia probationem fidei, hac spem nunquam pudefaciendam, per eum ducem qui nobiscum similiter tentatus, cum tentatione salutarem conficit exitum.

Ecce nos os tuum.) Respiciunt ad legẽ, qua in Deuteronomio præscribitur, de numero fratrum creandum esse regem. Hebraica phrasi, nomine ossium & carnis, propinquitas notatur. Vt noster Dauid Messias in eos qui de carne & ossibus suis sint, regnet, declarat sponsa ecclesia, de qua ex latere suo excisa hoc fert testimonium: Hoc os ex ossibus meis, hæc caro ex carne mea.

Sed & heri & nudiustertius.) Altera ratio, à peritia rei militaris, quo duce antea regnãte Saulo feliciter usi fuerant. Qualis dux noster Dauid sit, declarat epithetũ illud, Vir bellicosus. item, Dominus exercituum.

Dixit autem Dominus ad te.) Tertia, ab oraculo Dei. Respiciunt ad legem illam in Deuteronomio explicatam: Eum constitues regem, quem Dominus Deus tuus elegerit. Verba hæc Israelitarum indicant, uulgarẽ tum fuisse sententiã illam de regno Dauidi assignãdo. Sed quid obstitit, quærat aliquis, quòd non statim Israelitæ Dauidem regem crearunt? Ratio paulo suprà exposita est. Adumbrandum fuit mysteriũ crucis in Dauide mystico, quod in Messiæ afflictionib. & glorificatione fuit patefaciendũ. de quo iam sæpe.

Tu pasces populum meum.) Scita metaphora in pascendi uerbo usurpatur, qua reges admonentur officij sui, de quo uates Dauid his uerbis: Et elegit Dauid seruum suum, ut pasceret Iacobum populum, suamq; hæreditatem Israelitas. Submoto uelo, occurrit pastor Messias uerorum Israelitarum, qui de se his uerbis dicit: Ego sum pastor bonus.

Coram Domino.) ubi aderat Pontifex cum Vrim & Thumim. Indicatur etiam, diuinitatem uersari, ubi congregati fuerint Israelitæ, sacer Dei populus.

Triginta annorum.) Quæ cõstans ætas erat, ad administrandum regnum apta. Nam uirtutes quas senes & adolescentes separatim habent, in hac ætate uniuersæ cernuntur. Quæ uerò in florenti ætate & senectute ultra modum progrediuntur, ea in media hac ætate mediocritatem inter nimium & parum tenent.

Et sex mensibus.) Hi sex menses in summa quadraginta annorum, annumerati non sunt, uel quia integrum annũ non facerent: uel propter sex menses, quibus Dauid regno priuatus, Absalomum fugit. Ita Hebræi interpretes locum hũc interpretantur.

In Hierusalem.) Quæ cum Sione monte regni sedes à Deo destinata fuerat. Locus inclytus Semi Melchizedeci memoria, qui ibi habitauit. Clarus item Moria colle, in quo Abrahamus filium suum Isaacum immolare Dei iussu uoluit. Sed longè illustrior redditur adumbratione, qua nobis cœlestis Dauidis cœlestem Hierosolymam adumbrauit. de qua Apostolus: At quæ sursum est Hierusalem, libera est. Item illud: Et ego Ioannes uidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam, descendentem de cœlo. Accedit ad Hierosolymorum & Sionis montis claritatem, quòd is locus præsentis Messiæ conciombus & signis in eo editis clarus fuit. illustris etiam redditus propagatione Euangelij, quod ex illo in orbem terrarum profectum est, ut est apud Iesaiam uatem: Ex Sione proficiscetur lex.

Ad Iebusæũ.) ex Chanaane filio Chami natum, & in eo maledictũ: Maledictus Chanaã.

Nisi abstuleris cæcos & claudos.) Quæ Hebræi hic cõmentantur de duabus imaginibus, iuramentũ ab Abrahamo Amilecho factũ in ore gestantibus, quarum una claudi, altera cæci speciem tenuerit, prudens reliquero. Ex Ge-

neſi liquet, Palæſtinum fuiſſe Abimelechum. Illic enim legitur, Philiſtæorum regem Abimelechum fuiſſe. At Philiſtæi ex Miſraimo filio Chami ſunt prognati. Iebuſæi uerò, ut indicatũ, ex Chanaane. Et iuramentum Abimelecho ex adiunctione ab Abrahamo factum, ſententiam diuinam de ſubiugandis Philiſtæis à poſteris Abrahami irritam minimè fecit, nec facere debuit. Ioſephus lib. 7. Iudaicarum antiquitatum, dicit à Iebuſæis claudos & cæcos atq; mutilatos ſupra muros collocatos fuiſſe, ad illudendum Dauidem regem. Qui præ ſe ferrent, loco natura & arte munito confiſi, Sionem à cæcis & claudis defendi poſſe.

Cœpit ergo Dauid.) uictis Iebuſæis, qui hactenus uicti non fuerant, neq; Iudicum temporibus uinci poterant: ut ex Iudicũ libro patet. Reſeruata igitur Dauidi arx Sion, quam caperet, fuit, typo non obſcuro. Quo ea Sion arx repreſentata fuit, quæ de poteſtate tenebrarum à Dauide Meſſia uindicari debuit, ut iam is è mortuis excitatus, cœli & terræ rex creatus eſt. Qui fortis ille eſt heros, cuius Ieſaias meminit: Nunquid tolletur à forti præda?

Propoſuerat eñ Dauid.) Exemplum militaris prudentiæ in Dauide, qui intelligeret, fortium uirorũ præmijs animos & honorum ſpe ad res magnas gerẽdas accendi. Hinc apud Romanos muralis coronæ præmiũ excogitatum. Quis autem primus aſcenderit in arcem, Paralipomena indicant: in quibus legitur, Ioabum in arcem primùm irrupiſſe.

Præmium.) In Paralipomenis explicatur præmium: Quiſquis primò Iebuſæum percuſſerit, princeps erit.

Cæcus & claudus.) Submota umbra, quos cæcos & claudos nõ toleret in ſua arce Sione Meſſias Dauid, eius ſpiritus in Pſalmo oſtendit: Domine quis uerſabitur in tabernaculo tuo, quis in tuo ſacro monte habitabit? Qui ambulat integer, & æquum facit, atq; uerum ex animo loquitur. His aduerſi ſunt claudi & cæci, pro quibus Paraphraſtes חטאיא והירביא. At dicas, cæcos & claudos ut ſanaret, uenisſe in hunc mũdum Meſſiam. Sic enim Ieſaias dicit: Oculi cæcorum uidebunt. Sunt cæci, qui feruntur: ut ſunt qui ſuam cæcitatem agnoſcunt, & ab ea liberari cupiunt, per eum qui de ſe prædicat, Ego ſum lux mundi. Sunt item cæci, quos auerſatur Dauid noſter, de quibus apud Ioannem: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum, &c. Tales adumbrantur in Iebuſæis cæcis, in Chanaan maledictis: quibus regnum hodie ſtulti paſtoris plenum eſt, qui cum cæcis ſuis & claudis Sion arcem occupans, audet ſuperbè dicere: Non ingredietur huc Dauid.

A'Mello.) Fertur fuiſſe ambitus Sion interior, muro à regibus clauſus.

Dominus exercituum.) Vnde Dauid huius præſidium expertus, ſic canit: Dominus liberator meus, clypeus meus, & cornu ſalutis meæ. Hoc cornu uerbum Dei eſt, Meſſias ſacro ſanctus, quo adiutus ad tantam amplitudinem res proſperè gerendo peruenit. Itaq; Paraphraſtes in hunc modũ hic: ומימרא דיי אלהא צבאות בסעדיה, hoc eſt, Verbo Domini exercituum Dauidem fulcitum. Præſidiũ autem Domini, quo Dauid potentia augebatur in dies, tribus in rebus cernebatur: in regio ſpiritu, de quo ſuprà mentio facta eſt: deinde, in rebus prudenter & feliciter agendis rectore ſpiritu ſacro: demum in decrescente hoſtium potentia. de quo ſuprà: Sauli domo inclinante, Dauidis indies inualeſcebat.

Miſit quoq; Hiram.) de Tyri origine, ſitu, rebus memorabilib. uideris apud hiſtoricos. Huius regis cum Dauide initum fœdus hic exponitur. Arcana & abdita rerum futurarum notatione id non caruit. Si à Tygra filio Iapheti Tyrus condita eſt, uera declarabitur ſententia illa. Dei: Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem. ſin à Sidonijs, qui à Chanaan geniti ſunt: intelligitur hic ſubmoto uelo myſticæ maledictionis, ut non omnes Iſraelitæ in Semo benedicti ſunt, ita non omnes Chananæi in Chanaan uerè maledicti habentur, & ex tabula animorum Dei expuncti, ut id aliàs comprobatum.

Et cognouit Dauid.) ex impleto oraculo Samuelis.

Super populum ſuum.) Submoto typo magna conſolatione noſtri occurrit Meſſias, cui regnum cõfirmatum legimus propter electos, ut eſt apud uatem Ieſaiam: Spiritus Domini ſuper me, eo q; unxerit me, ad annunciandum mãſuetis misit me, &c. Nota uox eſt Hebræa בעבור Propter notans, non Super.

Accepit ergo Dauid adhuc cõcubinas.) Eã multitudinẽ pro pædagogia ueteris fœderis Deo nõ prohibẽte. Dicas: Quid ergo faciemus legi illi, qua Moſes cauet, ne rex multas uxores habeat? Vetat multitudinem uxorũ, quas rex ex libidine animi ultra modum progreſſus ducat. Modus autem uxorum non humano iudicio, ſed diuini Spiritus, ſanctis imponebatur. Neq; tamẽ ego omnino omni uitio liberauero Dauidem. Homo enim erat crimine non uacuus, qui confitetur: In peccatis concepit me mater mea. Quid creen

creent etiam in probis opes & potentia & rerũ omnium affluentia, quam ambitio, libido, luxus et insolentia comitari solent, satis ex Mose patet: Incrassatus est & recalcitrauit. Et quid Dauidi accideritin tanto opum splendore, mox narratio ostendet. Numerus mulierũ is fuit: Sex uxores Hebrone habuit, & decem concubinas.

Audierunt ergo Philistijm.) excitati à Deo, contra quorum insolentiam, qua ob insignem illam de Saulo reportatam uictoriã insolescebant, potentiã suam declararet, & Dauidis noui regis fidem, constantiã, fortitudinem probaret, sui populiq; ueterem gloriam interitu Saulis regis imminutam repararet. Hæc sunt salutaria consilia Dei, quæ in media cruce se proferunt.

Vt quærerent Dauid.) Si nostrũ Dauidem spectes, quàm huic regi creato sui Palæstini infesti sint, declarat illud: Quid tumultuantur gentes, populi uana moliuntur, conspirant reges, principes coeunt contra Dominum, atq; eius Messiam. Verisimile est tum Palæstinis uicinas quoq; gentes Arabum & Syrorum se cõiunxisse, quo maiore ui suspectum si bi Dauidis regnum adorirentur. Sed quàm uanus fuerit eorum conatus, ea quæ sequuntur indicant.

Descendit in præsidium.) De arce & Hierosolyma in edito loco sita, ad locum munitũ. Hierosolymæ situs editior in uerbo quod præcessit ויעל indicatur. Quoniam autẽ locus ad quem descenderat Dauid, decliuior erat Baal Pharazimo, loco in quo castra posuerãt Palæstini, legitur hic: Ascendam' ne ad Palæstinos? Sic enim legitur in Paralipomenis de Palæstinis: Cumq; illi ascendissent in Baal Pharazimum. Huius loci Iesaias mentionem faciẽs, sic ait: Quoniã sicut in monte Pharazimo.

In uallem Rephaim.) De hac uideris Iosuæ 15.

Consuluit Dauid Dominũ.) in cuius oraculis & responsis solum uictoriam positã intelligeret. Itaq; Paraphrastes רשאל דור במימרא דיי. Hoc autem uerbum ac oraculũ est is de quo apud Ioãnem: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Qui uerũ illud λόγιον est, de quo apud eundem Ioannem: In principio erat uerbum. Hoc instructus Dauid ad pugnandum, cõfitetur: Qui docet manus meas ad prælium.

Quæ tulit Dauid.) Hebræum uerbum sonat, Combusit ea. Similiter Paraphrastes: וראסירנון. Itaq; in Paralipomenis וישרפן. Scitè dij profanarum gentium עצבים appellantur in sacra lingua, qui suis cultoribus nõ gaudiũ, sed dolorem afferant. Legũtur hic Palæstini præmetu idola sua reliquisse, à quibus ipsi relicti fuerant. Tempore ueri Dauidis Messiæ Domini nostri, ut præ metu relicturi sint deos suos nostri Palæstini, declarat Iesaias: In die illo proijcient homines argenteos deos suos & aureos, quos ad adorandos eos fecerunt, in talparũ foramina, ob Domini terrorem.

Et addiderunt adhuc.) indurati animo sua pernicie. Similes sunt ij de quibus Latinus uates:

— Quos nulla fatigant
Prælia, nec uicti possunt absistere bello.

Ego tradam.) nõ humana prudentia & fortitudine, sed mea uincendos: ut penes me sit huius uictoriæ gloria, neminem alium. Qui illud de me meritò iacto: Gloriã meã alteri nõ dedero.

Non ascende.) in montem Baal Pharazimũ. Neq; rectà, sed lõgiore circuitu à tergo quà mori arbores in frontem patebant, illos adoriendos. Stratagematis ab eo duce præscripti exemplum editum est, de quo Moses: Vir bellicosus.

Pirorum.) alij mororum. Huius uocis etiã in Psalm. 84. fit mentio. Græci κλαυθμῶνος pro בכאים. Sed quid fletui cum sonitu gradientium in cacuminibus? nisi sarciendum putes, In cacuminibus arborum planctus. quæ sylua sic appellata sit à luctuosa strage ibi facta. Insensum hũc interpretatur Iosephus: πεφυτεύει ὁ ἀρχιστρὺς ἐν τοῖς ἄλσεσι τοῖς καλαμῶνος κλαυθμῶσι.

Tunc inibis prælium.) Signum fortiter aggrediendi hostẽ erat sonitus, qualis editur commotis arboribus in montium fastigijs. Si sanctorum prælia aduersus ipsorum hostes considerares, occurrit ex cacumine, hoc est, excelsitate maiestatis arboris uitæ Messiæ uictoriosus Euãgelij sonitus, quo animati pugnam ineunt, uictoriam reportãtes, de qua illud: Absorpta est mors in uictoriam. Quam per sanguinem agni, instar pomi mori rubrum, sibi comparant. de quo Ioannes: Et ipsi uicerunt propter sanguinem agni. De moro uates Latinus,

Sanguineis frontem moris & tempora pingit.

Tunc egredietur Dominus.) tanquam dux & imperator, stipatus angelis, throni sui ministris. Hæc enim est functio angelorum, castra Israelitarum tueri, deletis eorum hostibus. Itaq; hic Paraphrastes: Angelus Domini, pro Dominus.

Et percussit Dauid.) spiritu eius confirmatus, de quo præcessit: Tunc egredietur Dominus.

De Gabaa.) Tribus Beniaminensis urbs, de qua fit mentio apud Iosuam cap.18.

Vsq; ad Gazir.) Vrbs tribus Ephraimitarum, de qua apud Iosuam cap.16.

IN CAPVT VI.

COngregauit.) inito consilio cum tribunis & centurionibus, omnibusq; ducibus, ut in Paralipomenis legitur. In quibus etiam proditum est, à Sihor fluuio Aegypti usq; ad Hematham missos conuocatum Israelitas, ad petendam arcam diuinam. Numerus igitur qui in Paralipomenis non ponitur, hic ponitur.

Vt adducerent arcam Dei.) ex Ciriathiarim urbe Iudææ tribus, inquam, à Palæstinis reddita, trãslata fuerat. In Paralipomenis hæc ciuitas appellatur etiam עלתה, propter editum, ut apparet, collem, in quem ad petendam arcam ascendebatur. Sic enim legitur: ויעל דוד ובל ישראל בעלתה.

Arcam Dei.) quam neglexerat Saulus. sic enim in Paralipomenis, quã tempore Sauli curæ non habebant. Dauid igitur rex Hierosolymæ & montis Sion constitutus, arcæ oracularis curam suscipit. Reducto uelo, occurrit electorũ ecclesia, in qua recõditæ sunt tabulæ legis, de quibus Hieremias: Scribam legem meam in corde eorum. Occurrit propitiatoriũ arcã tegens, de quo Apostolus: Quem proposuit nobis Deus ἱλαστήριον, per fidem in eius sanguine collocãdam. Occurrit corona aurea arcam cingens, quæ regiam ecclesiæ dignitatem ostendit, de qua Psalmus: Astitit regina à dextris tuis. Item: Vos estis regale sacerdotium. Occurrunt Cherubim duo, alis suis in propitiatorium conuersi. At quid hi significent, in Exodo annotatũ. His insidens Deus, sacra sua responsa reddit è propitiatorio, de quo illud: Qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Item: Patrem nemo nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius patefacere. Vt igitur arcæ ecclesiæ insidet reconciliator Christus tanquam caput, sic Christo insidet diuinitas. unde Apostolus: Vos Christi, Christus uerò Dei. et alio loco: Christi autem caput Deus. Vos inquam Christi, tanquam corpus & membra capitis: Christus uerò Dei, eius diuinitate plenè & citra modum ac mensuram in illo residente. Itaq; Deus pater à se Deus est, Messias à Deo patre Deus naturalis eius filius, natura Deus & Dominus omnium. At uerò diuinitas, quoniam ad modum donationis capitis Christi in arcæ ecclesiæ membris quoq; habitat, efficitur, ut arca propter Christum caput suum, nomine quoq; sacrosancto Domini nominetur, ut sequitur:

Super quam inuocatũ est.) Hebræus indicat arcæ nomen, Domini exercituum nomen dici. Hæc Mosaica arca nomine Domini exercituum nominatur, ut ara in Exodo cap. 17. Quæ sacro nomine appellata est, quòd ad eam propter edita ostenta, Dominus coleretur: quæ nobis aram placatoriam diuinæ iræ Messiam adumbrauit, in quo uno Deus pater uerè colitur & adoratur. Sic enim Paraphrast. de ara Mosaica: רבנא משה גרבחא ופלח עלוהי קדם יהוה על דעבר ליה ניסין. Similiter ut ara à Gedeõ extructa nominata est יהוה, nõ q uerè nomen istud teneret, sed q super eam sacrificaret Gedeon coram Deo, qui pacẽ fecisset. Sic hic arca mystica nomine Dei uocatur, q ad eam Deus inuocatus præsens responsa daret. Quapropter Græci uertunt hic: ἐφ' ᾧ ὠνομάσθη τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἐπ' αὐτῷ ἐπικαλούμενον. Hos noster sequitur. Reducto uelo, cœlestis arca ecclesia scriptorum in libro uitæ occurrit, quæ uocatur Iehoua, propter Christum Iehoua caput suũ: cuius sacri spiritus diuinitas in illa ipsa tanquam corpore ipsius uersetur. Nam Messias Dominus exercituũ est, imperator cœli & terræ, uelut ipse de se fatetur: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. cum quo Ecclesia quoniã iure coniugij omnia cõmunia habet, iusticiã, uitam, diuinitatem, regnũ, gloriam, sit ut cœlestis Hierosolyma apud Ezechielem cap. 48. nomine tetragrammato ea ratione, quòd diuinitas in ea habitat, uocetur. Sic enim uates dicit: רשם העיר מיום יהוה שמה.

Sedentis inter Cherubim.) ad responsa & oracula reddenda. Ordo consideandus est earum rerum quæ hic narrantur. Arcæ, propitiatorij, Cherubim, & diuinitatis inter illos uersantis. Submota imagine hæc fuerint expendenda: Ecclesia, Messias, Cherubi administratores oraculorũ Dei, diuinitas Messiam & corpus eius ecclesiam implẽs, unde hæc complementum capitis sui Christi appellatur. Ex qua re intelligimus, neq; Christũ extra ecclesiam, neq; hanc extra illum, neq; diuinitatem extra utrumq; Christum & ecclesiam uersari.

Super plaustrum nouum.) honoris causa, sed extra & contra uerbum Dei, ut mox patebit.

Qui erat in Gabaa.) Locus is, ut uolunt nõnulli, in urbe Ciriathiarim fuit excelsior, unde sit appellatus גבעה: qui in Paralipomenis, ut antea notatum, eadem ratione appellatus sit עלתה.

Ludebant.) pro מְשַׂחֲקִים, Paraphrastes celebrandi uerbum reddit מְשַׁבְּחִין. Hæc autem

autem Domini celebratio diuersis musicis instrumẽtis, citharis, nablis, tympanis, tibijs & cymbalis facta, nobis laudes significat, quæ musicis sonis conficiuntur, quos Apostolus explicat his uerbis: Sed impleamini spiritu, loquentes uobis ipsis per psalmos & hymnos & cantiones spirituales, canentes ac psallentes in corde uestro, Domino gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & patri.

Custodiens arcam.) עם ארון, sententia est, eos uisse cum arca Domini, Abione præcedente, & Vsa ab arcæ latere proximè incedẽte, qui infrà legitur arcã contrectasse, & prope eam animam egisse.

Ad arcam Nachon.) In Paralipomenis legitur בירון. Duo igitur nomina illi fuerunt.

Et declinauerũt eam.) calcitrando impulerũt eã, ut nutaret. Græci ποδιάσπασεν. Vitulæ arcam in diuersum tractam. Diuina ratione accidit, ut boues calcitrantes significationem darent, par non esse, ut à se ueheretur arca plaustro imposita, quã ex lege Mosaica conueniret à Leuitis, humeris ipsorum impositam, uehi ac portari: ueluti ex Numeris liquet. Neq; imitari exẽplum Palæstinorum oportebat, qui arcam nouo plaustro impositam, cum bobus dimiserant. Quoniam Mosæ legis ignari erant, neq; ea tenebantur, à Domino puniti non sunt. Vsa autem punitus est. Ergo qui in stulti pastoris regno cum Vsa errant, boum & asinorũ humeris arcã Ecclesiam imponentes, satis notum. intueamur præsentia & superiora secula. Itaq; Dauid agnoscẽs gratiter in legem commissum, in Paralipomenis dicit: Fas non est à quibusuis portari arcam diuinã, sed à Leuitis solùm.

Et iratus est.) Græci uehementem iram exprimentes, ex uerbo ויחר, uertunt καὶ ἐθυμώθη ὀργῇ. Θυμὸς enim non est leuis ira, sed ea qua sanguine circa cor ebulliente perturbamur. Θυμὸς ergo Deo tribuitur ἀνθρωποπάθως.

Ob temeritatem.) Sic Bethamitæ in superiore libro interijsse leguntur, temerè oculis in arcam coniectis. sed cur Dominus non fert temerè contrectari & inspici arcam? præcesserit hic in litera, arcam nomine Dei exercituum nominari. Si tam grauiter ob errorem punitus est Vsa, quid igitur fiet ijs, qui studio ac pro libidine sacra tractant? Hoc igitur seueri iudicij Dei exemplo admonemur, quorũ sit curã Ecclesiæ gerere, in qua diuinitas habitat Messiæ Domini exercituũ. Nos legimus illud: Impio aũt dixit Deus, Quorsum tu narras instituta mea, & habes testamentũ meum in ore tuo? Hi cogitent se eadem clade afficiendos esse, qua Vsa affectus est. Hinc legimus, à Christo non prius in orbem terrarum discipulos ipsius missos ad prædicandum Euangelium, quàm eis flatu cœlesti sacrum spiritum inspirasset, ut spiritus, non literæ, uitæ, nõ mortis ministri facti, arcam Ecclesiam contrectarent.

Et extimuit Dauid.) Metus is ex neglecta lege & recenti clade Vsæ. & ex cogitatione infirmitatis suæ extitit. Facilè enim in metu sunt infirmitatis suæ conscij homines, qui se lædi posse putant, & alios læsos uident: & eum iratũ sentiunt, qui lædere ac nocere possit ob contemptam suam legem. Veritus igitur Deum hic legitur, qui metueret, ne per illum non liceret arcam in Sionẽ ciuitatem suam transferre, ut sequitur.

In domum Obededom Gethæi.) Is genere Leuita fuit ex cãtatoribus & ianitoribus, ut in Paralipomenis legitur. Gethæus autem quorundam sententia appellatus est, quòd in Getha Palæstinorũ urbe, cum Dauide uersatus esset.

Omnem domum eius.) uxorem, liberos, pecora, & omnia quæ habebat. Dominus enim arcæ insidens, secum uersabatur. Qui præsens omnia beat, ut absens cuncta uastat. ideo sequitur: Propter arcam Domini. In Paralipomenis sic legimus: Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus, & benedixit Dominus domui eius, & omnibus quæ habebat.

In ciuitatem Dauid.) Locutionis genus peculiare Hebræis. Sic infrà: Et Roboam congregauit tribus suas, ut reduceret regnũ ad Roboam: id est, ad se ipsum. Item: Moses dixit ad Obadum cognatum Mosæ: id est, ad cognatũ suum. Item: Fecit Deus hominem ad imaginem Dei: id est, suã. Item, Recordabor fœderis mei, quod factum est inter Deum, &c.

Cum gaudio.) in cuius domo diuina arca diuinitate insessa habitaret. Quantã lætitiam afferat cœlesti Dauidi Messiæ secum uersari arcam ecclesiam, dilectam suã sponsam. quæ sic in cantico Salomonio canit: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.

Qui portabant arcam.) Leuitæ. Sic enim in Paralipomenis: Et tulerũt Leuitæ humeris uectibus arcam Dei, sicut præceperat Moses ex Domini mandato.

Sex passus.) ut animaduertissent se ferẽtes arcam diuinitùs adiutos, neq; se clade aliqua affectos, ut Vsa affectus fuerat. Qua de re in hunc modum in Paralipomenis: Cumq; adiuuisset Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis. Et in

eodem loco traditur, septem tauros totidemq; arietes immolatos.

Ephod lineo.) Non erat uestitus lineus, de quo in Exodo fit mẽtio: sed quem honoris causa, cũ res postulabat, etiã qui sacerdotes & leuitæ non erant, induebãt, ut hic Dauid exẽplo est. In Paralipomenis etiam fit mentio de stola byssina.

Et despexit eũ in corde suo.) Ex hypocrita patre nata damnat in Dauide, quæ speciẽ & splendorẽ, quẽ hypocrisis admiratur, nõ habebant: ut erat saltatio Dauidi, nõ humano iudicio, sed diuino usurpata, cui hæc mundo contẽpta forma in corporis gestu & cantu atq; uestitu placebat. Firma est igitur sententia illa Apostoli: Ea quæ Deo probantur, stulticiæ sunt apud mundũ.

In medio tabernaculi.) uelis supra arcam loco tabernaculi extentis. Nam Mosaicum tabernaculum cum holocaustorum ara tum Gabaone erat, ut ex Paralipomenis patet, libro primo cap. 21.

Benedixit populo.) Duo munera obit hic Dauid, quibus nobis cœlestem Dauidem Messiã representat, sacerdotale & regiũ. Sacerdotale, dum peracta re diuina populo bene precatur. Quod erat sacerdotij munus, de quo Moses meminit in Leuit. cap. 9. Regium autem in eo cernebatur, quòd populo liberalem uiscerationẽ dedit. Simile mysticum exẽplum in Melchizedeco cernitur, qui benedixisse Abrahamo uino & potu refecto, in Genesi legitur. In his typus ac figura spectatur, ueritas in cœlesti Dauide et Melchizedeco: q suos, quibus bene precatur, cibo reficit, de quo ipse: Mea caro uerè cibus est: Ego sum panis ille uitæ, qui de cœlo descendit, & dat mundo uitam.

In nomine Domini exercituum.) Eo præsente ad arcam inter Cherubin, qui posit & uelit suis benedicere. Cæterùm in Paralipomenis traditur, ut Dauid ex Leuitis constituerit, qui coram arca laudarent & celebrarent Domini gloriam, tum Psalmo decantato: Confitemini Dominum, & inuocate eum.

Quàm gloriosus.) ἐξωνικῶς. Improba mulier, quæ sancti mariti benedictionem contemptui habet, in maledictionem incidit, de qua hic narratio meminit. Igitur Michol filiæ Saul nõ est natus filius, usq; ad diem mortis. Qui Micholem imitentur in regno stulti pastoris, satis clarum. In quos uerè etiam illud competit: Noluit benedictionem, & elongata est ab eo.

Quasi unus de scurris.) Talis hypocritis ipsis uidetur abiectus Christus, & crucifixus, quibus stulticiæ ducitur.

Qui elegit me potius.) qui humilia respicit in cœlo & in terra. Non caret sale respõsio hæc Dauidis.

Igitur Michol.) Exemplum seueri iudicij Dei. Ne quid maneret integrũ in Saulina posteritate, Micholem sterilitate affecit. Et si Egla fuit Michol, huius filius Ithraam ante contemptum Dauidem natus est: aut ut quidam uolunt, Micholem illius partu occubuisse.

IN CAPVT VII.

ET Dominus dedisset ei requiẽ.) Ideo admonitus Deuteronomio, statuit Deo domum extruere. Sic enim apud Mosem legitur: Vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, & absq; ullo timore habitetis in loco quem elegerit Dominus Deus uester, ut sit nomen eius in eo. Dicas, quomodo quietus ab hostib. fuit, qui infrà cõtra Palæstinos & Syros bellum gessisse legatur? Bella quæ legitur postea gessisse, ipse, ut narratio indicabit, oblata diuinitùs occasione intulit, pacem non turbaturis hostibus. si per Dauidem licuisset, cuius terror omnia oppleuerat.

Arca Dei.) Arcæ præcipuè meminit, quæ dignitate cæteris quæ tabernaculo Mosaico continebãtur, præstaret. Alioqui mensa, candelabrũ, arca suffitoria, & reliqua quoq; in domum Domini Sione ædificandam transferenda erant.

Dixit ad Nathan.) ne quid de suo consilio uir sanctus moliretur.

In domo cedrina.) Extruẽdi templi prorationẽ temporum & puerilis ætatis cura, pius rex tangebatur: non ignarus, cœlum sedem Dei esse, & terram scabellum pedum eius: neq; ignorabat submota umbra, quæ sacræ ædis in qua Deus uerè habitaret, ueritas esset, nimirum de qua diuinus apud uatẽ spiritus his uerbis admonet: Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum? & Apostolus: Vos estis templum Dei. Hæc eadẽ noceret: Magnus est Deus noster: si cœli cœlorum capere eum nequeunt, quantus ego sum ut ædificem ei domum?

Dixitq; Nathan.) de suo, qui uideret Dauidi fauere Dominum, & ex Deuteronomio fabricandam ædem, in qua coleretur nomẽ Dei: sed quis illud extrueret, nondum intelligebat. ut multa ad tempus latẽt uates diuinos: neq; plura sciunt quàm referat gloriæ Dei, & salutis Ecclesiæ.

Nunquid tu ædificabis?) In Paralipomenis per affirmationem hæc dicuntur: Non tu mihi domum ad habitandum construes. Causæ suis locis exponentur.

In

In tabernaculo.) Nondũ Iſraelitis meis ad quietem & tranquillum ſtatum, abſterſis exilij erroribus, adductis. Peregrinationi tẽtoria ſubinde cum locis commutanda congruunt, quieti domus cum arce & ciuitate. Deponendum uelum myſtici exilij, peregrinationis, ſolitudinis, tẽtoriorum, quietis, domus & hæreditatis: & conſideranda ea quæ his adumbrantur.

Ego tuli te de paſcuis.) Commemoratio beneficiorum, qua & Dauid excitatur ad amplificanda beneficia Dei: & fides eius confirmatur ad ſpem extruendæ domus, ſed ſuo tempore, & ab alio quàm ab ipſo. Amplificatur beneficium amplificati Dauidis per cõtẽtionem. Caula & balantum rectio, cum regia dignitate cõfertur, ad quam ex humili ſtatu ſit elatus.

Et fui tecum.) Spiritu uerbi mei adiuuãs te, ut ſapienter te gereres.

Et interfeci hoſtes tuos.) internos, ut Saulũ cum liberis: & externos, ut Palæſtinos.

Feciq; tibi nomen grande.) A' rebus geſtis, & amplitudine regni.

Ponam.) Præterita huc congruunt. uerſatur enim in commemoratione beneficiorum, quibus Dauid & Iſraelitæ affecti ſunt.

Et plantabo eum.) Sic conſitos Iſraelitas in terra hæreditaria, ut altè radicibus actis, ex ea non temerè euellantur. Translatio ſumpta à plantis, in terra bene radicantibus. Itaq; Paraphraſtes pro plantandi uerbo, confirmãdi habet. Præſtitum legimus hic, quod promiſſum fuerat per Moſem. Sic enim legimus in Exodo, capite decimoquinto: Et conſeram eum, &c.

Et non turbabitur amplius.) Eos nõ eſſe cõmouendos. Dicas, eos poſtea ſæpe, ab hoſtibus Aſſyrijs, Babylonijs, Græcis & Romanis uexatos, eorum terra uaſtata, Hieroſolyma cum tẽplo euerſa, & priuatos regno atque ſacerdotio in exilium cõiectos, in quo etiã nunc ſunt. Hæc quæ hic dicuntur, cum adiunctione dicuntur, ſi legem Dei ſeruent, quæ adiunctio explicatur à Moſe in Leuitico & Deuter. Deinde eos non ita conturbandos & uexandos, ut perpetuò uexentur. Sed tandem ab infeſtatione hoſtili liberãdos: ut id promiſſa reconciliationis et reditionis in gratiã cum Deo maiorum ſuorũ, tempora indicant, à Moſe et prophetis prædicta, & in noui fœderis ſcriptura explicata. Demum hæc quæ hic Iſraelitis de firma quiete promittũtur, in Meſſiæ regno, & in ea requie quam Meſſias in hæreditate deſignata in cœlo ſuis parat, implentur.

Quod domũ faciat tibi Dominus.) De regno interpretãtur. In Dauidis throno ſeſſuram ſobolem, quæ templum Domino ſit extructura. Similiter Paraphraſtes pro בית uertit בית מלכו.

Et dormieris cum patribus tuis.) morte non uiolenta, ut Saulus: ſed naturali & ſua ſponte ueniente. Obdormitionem uocat ſanctorum patrum mortem, propter corporis in terra quietem, & animorum tranquillitatem ſub ſpe Meſſiæ redemptoris, & futuræ corporum è puluere terræ ad ſplendorẽ diuinitatis excitationis.

Et ſuſcitabo ſemen tuum.) Salomonem.

Ipſe ædificabit.) rex pacificus.

Mihi domum.) paci cõſecratam. Submota umbra occurrit cœleſtis Salomon, ueræ pacis conciliator, & ædificator domus ſacratæ paci, de qua Salomon is ipſe: Relinquo uobis pacem, non qualem dat mundus. Hinc apud Ieſaiam uatẽ Meſſias princeps pacis appellatur, figuratus à Salomone rege hic indicãto.

Vſq; in ſempiternum.) in throno Salomonio, typus & umbra: in cœleſtis Salomonis throno ueritas cernitur. Quo ſolio regio per Euãgelium patefacto, thronus Salomonis diſparuit, ut umbra reddita lucẽ diſparet. Quæ igitur hic Dauidi promittuntur, in regno Meſſiæ, & eius ſolio implentur. De quo apud Lucam his uerbis: Regnabitq; ſuper domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Ego ero ei in patrem.) Si Salomonem ſpectes, erga hunc Deus pro ratione ætatis puerilis, de qua Apoſtolus ad Galat. meminit, patrem ſe per adoptionis gratiam geſſit: ſin Chriſtum Salomonem uerè pacis regem, occurrunt patris & filij naturalis nomina, de quibus uates his uerbis: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Quod ſi iniquè aliquid geſſerit.) Hæc in Salomonem priorem conueniunt, non in uerum illum, de quo apud uatem legimus: Propterea quod ſcelus non fecerit, niſi eo modo accipiatur, quo accipitur illud Apoſtoli: Peccatũ & maledictum factus eſt.

In uirga uirorum.) humanis plagis, qualibus ſolent parentes liberos ſuos, non ut pereant, ſed ut erudiantur in melius, caſtigare. De quibus Salomon, peritus ſententiæ huius, his uerbis: Qui parcit uirgis, filium ſuum odit: qui uerò eum amat, correctionem maturat. Et de Deo caſtigatore: Quem amat Dominus, & quo ſicut pater filio delectatur, eum caſtigat. Monet hic diuinus ſpiritus, regna non durare, ſi honeſtati

& pietati, qui regnãt, non ſtudeant: igitur poſteros Dauidis, ſi improbè ſe geſſerint, caſtigatos in uiam ſe reuocaturum.

Miſericordiam autem meam.) Præceſſit enim: Ero ei pro patre. Dicas, Salomonem iam ſenem, ut infrà narratur, miſerè lapſum: neq; legi, ut à Deo caſtigatus, ad ſe redierit. Salomonẽ iudicio Dei relinquimus. Cur is tam grauiter deliquerit, ratio Deo nota eſt, qui nouit qui ſui ſint, quos tandem clementer reſpiciat. Stat hoc: Ego ero ei in patrem, miſericordia mea eum non priuabo. Cecidit quidem Salomon, ſed non ex clementi Dei manu. Hac ſuppoſita, cadunt quidem quos Deus amat conſtanti amore: ſed non excidunt, cuſtodiente eos illo qui dicit, Nemo rapiet eos de manu mea. Et quia quos amat, caſtigat: nec Salomon caſtigatione caruit, cuius regnum diſſectum legitur.

Sicut abſtuli à Saulo.) ab eo & poſteris eius, ablato regno. Dicas, regnum Iſraeliticum ad Ieroboamum deuolutum. reuolutum quidem eſt, ſed ita, ut penes duas præcipuas tribus tẽplo & Dei cultu inclytas, regnum à Deo commendatum remanſerit, ex eo Meſsia nato, unica gloria Dauidicæ domus.

Et erit fidelis.) נאמן, paraphraſtes סיים, pro firmo: Et fidelis ac firma ad æternitatem.

Et ſedit coram Domino.) ad arcam. Hic legitur Dauid ad Iehouam ſediſſe: ſecus quàm legitur de Seraphim, qui ſtare ad thronum diuinũ dicuntur. Quem Dauidem nobis hic adumbret Dauid, declarat illud: Sede à dextris meis.

Quis ego ſum.) Cum ſui demiſsione gratiarum actionem inſtituit, quam crebra interrogatione figurat, ad uehemens & ardẽs grati & memoris animi ſtudium declarandum. Admiſcet laudem Dei, & tandem orationem hortatione concludit.

Et quæ domus mea.) ut ex liberis meis deligas, qui poſt me regnet.

In longinquum.) ſecus quàm feciſti Saulo. Magnũ beneficium eſt, in præſens regno potiri: ſed maius, etiam in poſteros id prorogari. Huc ſpectantes mundi reges, nihil nõ moluntur, ut liberis ſuis regnum firmum quaſi hæreditarium relinquant. Quò uidentur ſequentia ſpectare.

Iſta enim eſt lex Adam.) ut magni homines ſuis in longinquum, de regno quod poſſideant, proſpiciant. In Paralipomenis ſic ſcribitur: Prouidiſti mihi more hominis magni, ut poſteri mei inter reges numerentur.

Quid ergo addere poterit.) Qui impar ſit celebrandæ bonitatis tuæ, cuius laudem nulla lingua conſequatur.

Tu enim ſcis ſeruum tuum.) propenſum ad prædicandas tuas uirtutes. Quem animũ in ſeruo tuo boni cõſulas, meritas in celebrando te laudes non requiras. Non enim ut paria tibi referrem, beneficijs tuis me ornaſti: ſed ut ſequitur,

Propter uerbum tuum.) propter promiſsum tuum per Samuelem factum, ut ueracem te declares, et talem te eſſe credam. Quam fidẽ tu in tuis paciſceris, non beneficiorum compenſationem.

Et ſecundum cor tuum.) non quòd ego dignus tanto honore eſſem, ſed quia ita pro bonitate tua, qui tibi placuiſſem, feciſti, ut tot & tam præſtantia ac ſingularia beneficia acciperẽ. Duo confitetur hic, quibus fides maximè nititur: unum eſt promiſsio, alterum promiſsionis præſtatio. Itaque Dauid, cum utrumque agnoſceret, ſubijcit.

Idcirco magnificatus es.) Concludit laudem Dei per amplificationem, cum hũc ſolum dicit eſſe, qui magna in cœlo & in terra faciat, & præter eum neminẽ. Hæc præclara exornatio Dei Iſraelitarũ, paſsim in Pſalmis inſtituitur, ut cũ canitur: Benedictus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus. item: Et cognoſcant quia nomen tibi Dominus, tu ſolus altiſsimus in omni terra, non eſt ſimilis tui. Hæc celebratio Dei una fide conficitur. Nam hæc ſola in Chriſto Deo, quæ ipſius ſunt propria, ſapientiam, ueritatem, & bonitatẽ cum ſumma potentia coniunctam tribuit. Talis autem Deus, quia in carne poſtremis tẽporibus ad mundum ſibi reconciliandum manifeſtatus eſt, hæc laus in Chriſtum יהוה competit: qui eſt admirabilis ille Deus in carne mundo declaratus, iuſtificatus in ſpiritu, conſpectus angelis, prædicatus gentibus, per fidem ſuſceptus ab electis, receptus in gloria à patre ad adminiſtrandum æternum regnum. de quo hic ſub figura: Et ſtabiliam thronum regni eius uſque in ſempiternum.

Quia non eſt ſimilis tui.) ſiue creationis, ſiue gubernationis, ſiue redemptionis opus ſpectetur: ſi creatio conſideretur, tu cœlum & terram, & omnia quæ his continentur, creaſti. quale opus, nullus alius deus fecit. Sin redemptio, quis Deus unquam ſuos liberauit, ut tu Iſraelitas ex Aegypto liberaſti? Et ſubmota umbra, quis peccati, mortis & orci principatu deleto, ſuos in regnũ iuſticiæ, uitæ & cœli tranſtulit, ut tu tuos tranſtuliſti? Qui Deus ille es Iehoua, quẽ in carne re-

ne repræsentatum adorant angeli, formidant dæmones, uniuersitas hæc rerum flexis genibus ueneratur.

Quæ autem est ut populus.) ut Deum laudauit, cui nulla potestas conferri possit: sic iam populum eius laudat, per cõparationem eius cum cæteris gentib. Quæ eius exornatio in Dei laudem, à quo sua præclara munera habeat, redundat. Beneficia autẽ quibus is populus exornatus est, partim in redemptione eius, partim in oraculis & sacro fœdere, partim in benedictione cœli & terræ cernuntur. Sed reducto uelo, ueritas in scriptis in libro uitæ spectatur, electio, fœdus, redemptio, hæreditas cœlestis. Scita comparatio, ut inter deos nullus similis tibi, sic in terra nulla gẽs similis genti Israeliticæ.

Iuit Deus.) אלהי, pluralis numeri est. In Paralipomenis legitur singularis numeri והלך אלהים. pluralem autem numerum hic usurpari uolunt honoris gratia. Nostris uerò trias notatur in אלהי, patris, Messiæ filij, & spiritus sacri. Sũt qui nomine אלהים legatos Dei accipiunt, Mosem & Aaronem, qui in Exodo אלהים dicũtur נתתיך אלהים. Huius sententiæ est Paraphrastes, qui uertit ואבלו שלוחין מרין קדם יי.

Super terram.) לארצך, id est, terræ tuæ: ut faceret magna & terribilia terræ tuæ, ex ea sub ingressum tuum eliminando hostes. Sensum Paralipomena exprimunt his uerbis: Vt compares tibi nomen magnum & terribile, dum tui populi causa, quem ex Aegypto redemisti, gentes exigis.

Gente & Deo eius.) Ex Aegypti tum gente, tum dijs liberatos Israelitas. Vt enim & in Aegyptios deos uindicatum sit, declarat locus ille in Exodo: In omnes deos Aegyptios faciam iudicium. Sunt qui in hunc modum, Quem redemisti tibi ex Aegypto populum, & Deos eius: hoc est, ipsos Israelitas, & iudices primariosq; uiros eius. ubi nomine אלהים, uolunt iudices notari. ut in illo: Dijs tuis ne maledicas. Prior sentẽtia simplicior est.

In populum sempiternum.) per electionis & fœderis gratiam, de quo in Genesi: Et statuam pactum meum inter te, & semen tuum post te, in fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, & soboli tuæ post te. Sed dicas: Is Israel iam longo tempore regno, sacerdotio & oraculis, nominibus diuini populi, priuatus, in orbe terrarum exul degit. Ita quidem res habet. Sed non in sempiternum exilium damnatus, ut nunquam cum Deo maiorum suorum reconcilietur. Nam interim manet populus Dei dilectus propter electionem, ut est apud Apostolum: Secundum Euangelium quidem inimici propter nos, secundum electionem autem dilecti propter patres. Quam sententiam antea protulit Moses his uerbis: Attamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abieci eos, neq; sic despexi, ut consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis: Ego enim sum Deus eorum. Hic clarè Dominus, se Israelitarum etiam, ubi in exilio uersantur excæcati, Deum uocat. Itaq; si interroges, de quibus Israelitis Dauid hic loquatur: is, si historiæ filum spectes, de Israelitis, qui ex carne tales sunt, loquitur. Sin remota umbra ex carne Israelitarum, ueritatem consideres, de Israelitis, qui ex spiritu Israelitæ sunt, & filij Abrahami, quales in Iudæis & gẽtibus reperias, loquitur. In hos Dominus noster Iesus Christus, natus ex Dauide, & ex Deo in uirgine conceptus, regnat in æternum: quorum firma perpetuitas satis clarè demonstratur in hunc modum à Dauide Psal. 36. Et nõ derelinquet sanctos suos, in æternum conseruabuntur. & de his, tanquam ouibus suis, cœlestis pastor: Et nemo rapiet eas de manu mea.

Factus es eis in Deum.) Fœderis iure, quo intimè sacri spiritus uinculo cum diuinitate in Messia ueri Israelitæ constringuntur: eius sapientiæ, iusticiæ, uitæ & gloriæ consortes. In diuini enim fœderis legibus hæc uerba ponuntur: Statui pactum meum inter me & te, ut sim Deus tuus, & sobolis tuæ post te. In quibus uerbis si fœdus mysticum spectes, occurrit fauor diuinus de possidenda hæreditate terræ Chananææ, & de dotibus spiritus, quarum puerilis ætas capax sit. Sin fœdus nouum, quod non in carne circunciden da, sed cordis præputio amputando spectatur, occurrit fauor, quem spiritus adoptionis in animis patefacit, de quo Apostolus in epistola ad Galatas, & ad Romanos in hunc modum mentionem facit: Sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Qui spiritus ueræ iusticiæ, uitæ, sapientiæ & gloriæ diuinitatis spiritus, est peculiaris & proprius electorum, non cõmunis omnium ratione præditarum naturarum, in quo noster propriè sit Deus, cum se nobis in Messia communicat per fidem, nos suæ naturæ per regenerationem participes reddens.

Locutus es.) A' promissis.

Vt magnificetur.) Dum præstas liberaliter quæ promiseris: quæ tuæ bonitatis & fidei laus & amplitudo est.

Reuelasti auriculam.) per Nathanem prophe-

prophetam. Hebræam phrasim Paraphrastes explicat, חזיתא, id est, indicasti.

Propterea inuenit seruus tuus.) Locus de usu promissionis diuinæ: hanc aperire aditum & uiam ad precandum. Diuina promissa in causa esse ut oret, qui alioqui tanta precari ausus non fuisset. Vnde intelligimus, gratiæ promissionis diuinæ orationem, fidem, & spem, & omnia bona quæ spe præsumuntur, deberi: ne quis de se glorietur.

Nunc ego.) Concludit.

Tu es Deus.) nemo alius.

Et uerba tua erant uera.) Hæc fide sola capiuntur: quæ oraculis Dei, promissisq; eius nititur, nulla præterea re alia.

Bona hæc.) ex liberali gratia, non meritis meis.

Vt sit in sempiternum.) Hæc in Messia implentur.

Coram te.) aspectu beneuolentiæ tuæ eam tuente & conseruante.

Quia tu Domine Deus locutus es.) Qui Deus sis, non homo, qui fallat & fallatur, quemq; sæpe suorum & uerborum & factorum pœniteat. Qualem etiam esse agnouit Bileamus: Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Numer. 23.

IN CAPVT VIII.

ET tulit Dauid frenũ tributi.) Tandem, quod longè retrò seculis promissum Israelitis fuit, per Dauidẽ præstatur. de quo ut Syros, Moabitas, Ammonitas, Amalechitas & Idumæos euersurus esset, sic prædixit Bileamus: Orietur stella ex Iacob. Cæterùm מיתג אמית alij aliter interpretantur. Nonnulli pro tributaria seruitute, quam Dauid dissoluerit: metaphora à freno quo equi coercentur, & ab ancillis seruituti obnoxijs mutuata. Nota enim est significatio uocis אמית. Alij de aquæ riuulo forti, ita parato, qui urbem transiret. Sic Paraphrastes accipit. Alij pro urbe Gath regia, quæ מיתגאמית sit appellata: quod in Paralipomenis loco מיתג אמית legatur אתגת רבנות. Prima interpretatio receptior est. Deposita umbra, occurrit noster Dauid Messias, de quo uates: Reges eos uirga ferrea. Exprimitur status populi Dei, & hostium eius: horum ab initio res prosperas esse & lætas, exitum tristem & calamitosum. contrà, eorum qui fœdere diuino continẽtur, initia tristia esse & aduersa, exitum lætum & prosperum. ut uerum sit illud: Beati lugentes, quoniam hi consolationem accipient.

Et percussit Moab.) ex uaticinio eiusdem Bileami uatis: Et percutiet duces Moab. Dicas, In Deuteronomio Israelitis mandatũ legi, ne aduersus Moabitas pugnent. Tum quidem id mandatũ illis, reseruata eorũ subiugatione usq; ad tempora Dauidis. Et quod præceptum à Domino legimus, ne Israelitæ eorũ terram Lotho tradità ad possidendum occuparent: id etiã à Dauide seruatum est, qui eorum ditionem nõ possedit, sed tributariam fecit. Idem de Ammonitis iudicium.

Et mensus est eos funiculo.) Apparet, metaphorã hanc sumptam esse à fabris lignarijs, qui præcidendas ligni partes amussi & norma designãt. Hebræus indicat, duas partes interfectas, unam conseruatam. Sed quæ fuit causa Dauidi, cur tanta clade afficeret Moabitas? Nos suprà legimus, ad Moabitas Dauidem cõfugisse cum parentibus & fratribus: hos autem, interea dum abesset Dauid, à Moabitis interfectos. Quam iniuriam ut ulciscereturDauid, hoc ab eo bellum contra Moabitas gestũ est. In hunc modum nonnulli interpretes tradunt: quæ, ut incerta, ipsis relinquimus.

Adad Ezer.) Historici, Iosepho autore, hunc regẽ fortitudine & peritia rei militaris clarum fuisse tradunt, cuius posteros ferunt ad decimam generationem usq; regnasse: & tertium ex his regem fretum potentia sua, ausum bello Samariam petere, Achabo regnante. Atque qui Adadoezero in regno successerũt, Adadi appellati sunt: sicut in Aegypto reges Pharaones olim, & posteris temporibus Ptolemæi nominati sunt.

Super flumen Euphratem.) ex promisso Dei, de quo illud: Semini tuo dabo terram hanc, à fluuio Aegypti usq; ad fluuium magnum Euphratem.

Regẽ Soba.) Sophene est, Hebrææ uocis uestigium retinẽs. Regio Syriæ est, ad dextrã Damasci, de qua apud Strabonẽ & Plinium uideris.

Syria Damasci.) De Damasco antiqua & nobili Syriæ urbe, multa scriptores. Vnde Syri, qui Damasco imperabant, Damasceni Syri uocitati sunt. Posteris temporibus Decapolitana regio nomen accepit, in qua Damascus metropolis principatum tenuit. Qui hic Syri appellantur, in uaticinio Bileami, in sobole ex Setho nata continentur: Vastabitq; ex Setho prognatos. Meminit autem Sethi, quòd Cain progenies tota diluuio extincta sit.

Subneruauit.) Equos hostium ab Israelitis confodi solitos, ex Iosua intelligitur. Apud hũc enim legimus, Equos atq; currus ducentos mu-

tilos

tilos factos, & mãcos, ut hostibus inutiles forẽt. Nam ut Israelitæ in usum suum, ad augendum equitatum caperẽt hostium equos, lege à Mose tradita de cauẽda multitudine equorũ, prohibebãtur.

Et captis Dauid ex parte eius.) reliquis in prælio cæsis, aut fuga elapsis. In Paralipomenis legitur, septem millia equitum capta. Videtur ergo, hic clariores equites numeratos, illic uniuersam summam: & peditum numerus, qui in Paralipomenis non recensetur, hic refertur.

Centum currus.) qui quadringentos equos habebant. Singulis curribus designatis quatuor equis, ut infrà ex libri tertij capite decimo licet intelligere.

Seruauitq; Dominus Dauid.) non equi, currus, robur militum. Sicut Dauid ipse sancte confitetur in Psalmo quinquagesimonono, à se de hac uictoria composita: Dedisti timentibus te signum, &c.

Et tulit Dauid arma.) Hebrææ uocis שלטים, in Germanorum lingua uestigium apparet. Iosephus pharetras & πανοπλίαν captam interpretatur.

In Hierusalem.) Deo in ea urbe dicata munera sunt, quæ postea Aegyptiorum rex Sussachus, cum bellum aduersus Robeamum nepotẽ Dauidis gereret, cum multis alijs opibus Hierosolymæ cõseruatis, in Aegyptum deportauit: ea urbe spoliata, quæ gentium spoliatrix fuerat.

Et de Bethad & Borothad.) Duo nomina locis his fuerunt, ut in Paralipomenis patet.

Rex Hemath.) De hac regione & urbe, eiusq; situ, uideris apud Iosuam. uicinum ei regem Adar Ezer fuisse, liber Paralipomenon 19. cap. indicat. Peruagata sententia est, Malis conciliari hostes. In Cœlesyria Hematham urbem collocãt, & Epiphaniam dictam uolunt sequentibus temporibus.

Sanctificauerat Domino.) In usum extruendi & exornãdi tẽpli, ut olim Aegypti spolia in ædificãdi tabernaculi Mosaici usum destinata fuerunt. Hæc est utilitas spoliorum hostiũ sacri populi. Hi opibus, quas habẽt, eis abutẽtes, spolian tur: & sancti eis ornantur, cum eis caruissent. Hinc illud: Et quod habent, auferetur ab eis. Hoc modo literæ, artes, eloquentia, muneraq; cœli & terræ cedunt pijs tandem, & auferuntur impijs. Sanctus rex Dauid gentium spolijs non abutitur ad regium luxum, sed ad sacrum usum in ærario reponit. Qua in re memor fuit legis Mosaicæ, qua prohibetur, ne rex immensam uim auri & argenti colligat.

Capta Syria in ualle salinarum.) Syros cæsos in ualle salis, hic legimus: in Paralipomenis, Idumæos. item hic octo millia: in Psal. suprà citato, octo millia Ioabum, & in ualle salis Abisai fratrem Ioabi octodecim millia interemisse scribitur. Apparet locos in speciem dissidentes, hunc in modum componendos esse. In salis ualle utrosq; coniunctos fuisse, Syros & Idumæos: qua exercitus utriusq; populi cõiunctione factum sit, ut alio loco Syri, alio Idumæi cæsi prodantur. Quod autem ad Abisai & Ioabum pertinet, ab Abisai octo millia, à Ioabo superueniente duodecim millia perempta, credi par est. Hæc ex Hebræorum interpretum sententia. Cæterùm salis uallis est, quæ & syluestris appellatur, quã Asphaltis lacus inũdat. Quæ antiquitus ante euersam Sodomam bene culta cum esset, paradiso Dei comparata fuit. Apud Hierichuntem & Hengeduni loca palmetis & balsami hortis clara cernũtur, ut quædam ueteris felicitatis uallis illius species remansisse uideatur.

In Idumæa.) De qua Bileamus prædixerat: Et erit Idumæa possessio eius. Hic tandem impletur sententia Dei in Esaum lata pro Iacobo: Et maior seruiet minori.

Iudicium & iusticiam.) Ex iure & æquo, iuris optimo interprete, Israelitas à Dauide gubernatos. De Messia legimus apud uatem Iesaiam: Et pacis non erit finis super solium Dauid, & super regnum eius, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio & iusticia. Exemplo parentis Dauidis Salomon admonitus, hanc sententiam protulit in Prouerbijs: Regis, qui ex æquo ius reddit, solium firmum erit in perpetuum. Exemplum igitur in Dauide regis, non tyranni, ostenditur: alterius est, omnia ex iure & æquitate gerere: alterius, pro libidine animi.

Ioab autem.) Hoc principatu capitis periculo sibi uindicato, qui primus Iebusæos fortiter aggressus uicisset.

Et Zadoch filius Architob.) Sadochus is fuit sacerdos magnus de genere Eleazari. Achimelecus autem de genere Heli sacerdotis, nati ex Ithamaro, quarto Aaronis filio. Vt autẽ munera hæc sacerdotalia distributa sint Sadocho & Abimelecho, uideris in Paralipomenis. Cæterùm ut sacerdotio suo priuatus Abiathar de genere Ithamaris, & restitutum id familiæ Eleazari sit, infrà libro tertio explicatur. Achimelechũs uocatur & Abimelechus.

Et Saraias scriba.) Binominis is fuit. nam in Paralipomenis uocatur etiam שוישה.

Et Cerethi & Phelethi.) Omittitur hic על, in Paralipomenis legitur על כרתי. qui autẽ fuerint Cerethæi, & Phelethæi, interpretes ea de re dissentiunt. Iosephus σωματοφύλακας fuisse tradit, quibus custodia corporis Dauidis fuerit mandata. Paraphrastes uerò, Benaiam præfectum sagittariorum & fundibulariorum regis Dauidis fuisse indicat.

Filij autem Dauid.) Quid בחנים, nomine accipiendum sit, Paralipomena explicant, 1. Paralip. 18. Porrò filij Dauid, primi ad manũ regis. Paraphrastes pro בחנים, reddit בכרכין. Quare in Sacris literis כהן generalis eorum qui publico funguntur munere, siue sacrum id sit, siue ciuile, uox est. Hac narratione exponuntur aliquot in administratione regni præcipua munera. Hæc duo esse: alterum ciuile, in quo duces, milites, senatores, scribæ cernuntur: alterum sacrũ, in quo sacerdotio & prophetis locus, à quib. ea quæ ad religionem pertinent, curantur.

IN CAPVT IX.

PRopter Ionathan.) Fœdus significatur cum Ionathane ictum, de quo suprà his uerbis: Et si mortuus fuero, tu pietatem tuam meo generi clausam non habebis. Huius fœderis memor esse uoluit Dauid, qui sciret fide & bonitate regium solium stabiliri, perfidia & maleficijs labefactari. de quo filius eius Salomon his uerbis monuit: Bonitas & ueritas regem tuentur, eiusq; solium fulcitur clementia.

Misericordiam Dei.) Meminit bonitatis diuinæ, partim propter fœdus, quod Dei nomine ipse cum Ionathane inierat: partim quòd Dei naturam benemerendo referamus, qui natura bonus & clemens est, omnia bonitate in cœlo & in terra implens, ut Dauid ipse canit: Quoniam magnificata est usq; ad cœlum misericordia tua: &, Misericordia tua plena est terra. Hanc equidem qui exemplo Dauidis representant, uiua simulachra Dei in terra habentur. Dauidis hic benignitas celebratur. Verius autem in eo Dauide celebratur, qui de se prædicat, Discite à me, quia mitis sum.

Ne timeas.) Dauidem ut benefaceret Mephibosetho, magis Ionathanis amici memoria flexit, quàm hostis Sauli malefacta ad malefaciendum: qui intelligeret Deum sibi imitãdum esse, cuius natura ad bene quàm ad malè merendum propensior est.

Canem mortuum.) Qui ex regio genere natus erat, cani mortuo se comparat. Reuocanda hypothesis ad thesim, de casibus humanæ uitæ.

Omnis uerò cognatio domus Sibæ.) liberi, serui & seruorum liberi. Ex hoc loco interpretes colligunt, Sibã seruum fuisse Chananæum, ex quo Sauli seruus is fuisse legitur, & totius posteritatis illius. Suprà de Chananæo seruo in Leuitico uideris.

IN CAPVT X.

SIcut fecit pater eius.) Quæ fuerint illa beneficia, quibus Dauid ab Ammonitis affectus est, historia non explicat. Interpretes putant, Dauidem & socios eius exilij tempore ab illorum rege benignè hospitio exceptos & tractatos. Huius beneficij memorem Dauidem, gratitudinem in filium eius uoluisse declarare, ut etiam in Mephibosethum, propter Ionathanis memoriã, beneuolentiam suam ostendit. Sic enim grati homines comparati sunt, ut quos amarunt cum uiuerẽt, eorũ etiam cũ mortui fuerint liberos amore prosequantur, parentum memoriã in eis colẽtes.

Dixerunt principes.) Mali consilij exemplũ, in ijs quorũ intererat beneficia potentis, & amicitiam præ se ferentis regis, non pro malefícijs interpretari. Experti igitur malo suo sunt sententiæ illius uim: Malũ cõsilium cõsultori pessimum. At quoniã Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, Amalechitæ & Palæstini erant à Dauide subiugandi ex Bileami oraculo, diuina præuisione quæsita est adoriendi bello Ammonitas occasio.

Rasitq; dimidiam partem.) in regis Dauidis & Israeliticæ gentis opprobrium. Quid enim turpius potuisset contingere uiris rerum gestarum gloria inclytis, quàm dimidium uirilis barbæ eorum radi, & medias uestes ad nates usque abscindi? Atqui in Ammonitis id mirandum non fuerit, qui sic nati essent, & antea consueuissent huiusmodi probris Israelitas afficere. Nam ut ex stupro geniti sunt Ammonitæ & Moabitæ, liquet ex Genesi. Nec non, ut soliti sint sanctum populum probris aspergere, Numerorum liber docet. Hi enim Israelitis in Chananæam ingressuris transitum & commeatum negarunt: & hac inhumanitate nõ contenti, falsum quoq; uatẽ Bileamũ conduxerunt, qui illos deuoueret. Deinde, ut suprà narratũ est, Nahas Ammonitarum rex ad afficiendos Israelitas dedecore, non aliter cum eis pacem facere uoluit, quàm si paterẽtur sibi oculos effodi. A' prauo igitur Ammonitarum ingenio nõ discedens Hanon rex, Israelitas ignominia notare studuit, neq; cognationis neq; beneuolẽtiæ quam Dauid in ipsum gerebat, neq; iuris gentium quo legati salui & incolumes dimittuntur, habita ratione. Itaq; mirum non est, cum sic composita

tos scirèt Dominus Ammonitas, cur is per Mosem cauerit, ne Israelitica ciuitate Ammonitæ donarentur. Dicas, cum non ignoraret tales esse Ammonitas Dauid, cur igitur de eorum rege uoluit benemereri? Sancto uiro gratitudinem animi in regem Hanonem declarare, & quæ se digna erant præstare uisum est: non sollicitè ponderare, quo animo sua studia acciperent. Superbiam & arrogantiam Moabitarum, fratrum Ammonitarum, ut taxet Iesaias uates, ex eius oraculis manifestum est.

Donec crescat.) Quòd alteram partem non raserunt, documento est, ab Israelitis uirilis decoris barbam tonderi non solitam.

Quod iniuriam fecissent.) Non contenti probro affecisse Dauidem, etiam ultro, cum uiderent sibi infensum illum, Israelitis bellum inferre student. Nam & hoc hominũ genus ad iniuriam faciendam propensum est, quod semel cœpit iniurijs afficere, si modò adiumenta atq; subsidia nõ desint, quibus freti tutò lædere se posse putent. Cæterùm in בזאשר metaphora à fœtore, quem abhorremus, ad infestum esse sumpta est.

Syrum Rochob.) Syrorum uariæ nationes hic numerantur. Hos Ammonitæ mercede conduxerunt, ut Dauidi quos tributarios fecerat, infestos scirẽt. Duplicis Syriæ hic fit mẽtio, superioris & inferioris. Superior est, trans fluuiũ Euphratem sita, Assyria appellata, cuius mox fiet mentio: Misitq; Adar Ezer, et eduxit Syros, qui trans fluuiũ erant. Inferioris Syriæ populi hic memorãtur, atq; ea à Geographis diuiditur in Syriam Comagenam, Damascenam, Cœlesyriam, curuamq; & Phœniciam, quæ à Sydone ad Iamneum portum Ascalonis extenditur.

Septingentos currus.) Voca huc, quæ in Paralipomenis leguntur. Numerantur illic septem millia equitum, mille quadrigæ, & uiginti millia peditum: hic uerò septingenti currus, sed selecti: in Paralipomenis, omnes. Hic numerantur equites, non pedites: illic pedites, omissa equitum mentione.

IN CAPVT XI.

Eo tempore quo solent.) Quo ex agris, equis & iumentis pabulum suppetit. Cui occasioni Ioabus, iam cæsis fugatisq; Syris domum reuersus, intra tecta per hyemem se continens, imminebat.

Misit Dauid Ioab.) Ad iniuriam uiolati iuris gentiũ, de legatis quos miserat ignominia affectis, uindicãdam. Quo exemplo intelligitur, impunè fœderum & iuris gentium uiolatores uindice Deo non ferre, sed hoc crimen atrocibus bellis puniri. Exemplo hic sunt Ammonitæ. Cæterarum gentium exempla prætereo: quibus stultitiæ sunt quæ Deo & Messiæ eius placent.

Dauid autem remansit in Hierusalem.) ocio uacans, quo ad eam libidinem incitatus est, quæ mox exponetur.

Accidit autem quodam die.) non temerè, sed diuina præuisione, quæ suis locis explicabitur.

In solario.) p more ædiũ Palæstinæ, quæ plana tecta, in quibus inambulabatur, habebant.

Viditq; mulierem.) in oculis uersante (ut Ioannes ait) concupiscentia. per hos enim tanquam nũcios, ea quæ cor ad mala accendunt, deferuntur. His oculis abutens Dauid, non orauit, Auerte oculos meos ne uideant uanitatẽ: neque hortationem hanc Mosæam animaduertit, Hæc uerba mea manibus uestris alligatote, et inter oculos uestros habetote. Secus affecti fuerant oculi Lothi, de quibus sic Petrus meminit: Is oculis & auribus iustus. Alij igitur sunt oculi ueteris, alij noui hominis. Hos cœlestis spiritus regit, illos terrenus.

Erat autem mulier pulchra.) Exponitur causa amoris inhonesti, sed fortuita. Pulchritudo enim corporis, quæ est quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam suauitate, cũ sit et Dei donũ, in præclaris uiris & fœminis laudata, ut in Rachele, Iosepho, Dauide, & alijs, per se & sua natura fœdi amoris causa non fuerit: sed fortuitò, dum reb. pulchris uitiata natura malè afficitur, quib. integra bene afficeretur. De qua uitiosa affectione Salomõ loquens, Prouerb. 6. sic ait: Neue pulchritudinem eius cõcupiscas. Qua cõcupiscentia ducti filij Dei, cum pulchras hominum filias expeterent, iram in se Dei grauẽ cõcitarunt. Contrà affecti sunt oculi Messiæ, cœlestis Dauidis. Is pulchritudine sponsæ suæ captus, laudatur. De cuius pulchritudinis amore sub figura mystici Salomonis Messias ipse: Pulchra es amica mea ut luna. Atqui ut pulchritudine corporũ deprauata natura uitiosè mouetur ac capitur, ita etiam animorum specie ac forma improbi malè afficiuntur: ut exemplo est Satan cũ suis ministris dæmonibus, qui contemplati naturæ suæ speciosam originem, hac contra Deum abusi per superbiã, de cœlo deturbati sunt, ad iudicium magni illius diei reseruati.

Misit ergo rex.) Fœdus amor in corde ueteris hominis nuncijs oculis conceptus, non quiescit, dum se prodat, ex corde (ut Dominus dicit)

exeuntibus cogitationibus malis, cædibus, adulte
rijs, stupris, furtis, falsis testimonijs, conuicijs.
Quòd illud pertinet: Concupiscentia posteaquã
concepit, parit peccatum.

Vxor Vriæ Hethæi.) Fieri potest, He-
bræorum sententia, alienigenã de gente Hethæo-
rum fuisse Vriam. uel natus Israelita fuit, cognomi
natus autẽ Hethæus, q. habitarit apud Hethæos.

Et tulit eam.) Contra legem, Ne adultera
to: uincẽte sæua libidine in mortali corpore, legẽ,
in mente uera & recta admonentem. Vbi sensit
Dauid, uerum esse id quod Apostolus dicit: Nõ e-
nim quòd uolo, facio bonum: sed quod non uolo,
malum, hoc ago. Dauid igitur, qui hostes tum ex-
ternos tum internos uicerat, à se, hoc est à fœda
& turpi cupiditate uincitur. Hic aperiunt se in ele
ctis duo homines, tam inter se aduersi, q̃ sunt cœ-
lum & terra, lux & tenebræ, uita & mors: alter
terrenus, alter cœlestis: alter uetus, alter nouus:
alter exterior, alter interior. Quos duos homi-
nes Deus cõiunctos tolerat, ut suus pugnæ inter
carnem & spiritũ ad uictoriã fidei cõstet locus.

Dormiuit cum ea.) non contentus tot
uxoribus, cum unã solum haberet Vrias. Res igi-
tur prosperæ, & amplitudo regni eò securitatis
Dauidem adduxit, ut de periculis suorũ Israelita
rum non esset sollicitus, neq; tot beneficia quibus
à Deo ornatus fuerat, animo perpenderet, ut san-
ctè, non uitiosè uiueret. neq; ponderauit, quod mu
nus regij imperij esset: reges ipsos à Deo constitu
tos, non qui leges uiolarent, sed earum custodes
essent. Hæc grauabant adulterij crimen in Daui-
de. Quòd ut graue fuit, ita etiã grauiter seuereq;
reprehensum & punitum est: sed non, ut mox do
cebitur, pro magnitudine.

Statimq; sanctificata est.) lustrata ab
impuritate coitus: ex lege cuius mentio fit in Le-
uit. 15.

Mitte ad me Vriam Hethæũ.) Cul-
pa culpã auget Dauid, pro more iusti Dei iudicij,
crimẽ crimine punientis. Dauid enim malis consi
lijs ad tegendum adulterium, suppositicium hære
dem Vriæ fideli ciui, quòd perfidiæ erat, studet ob
trudere. Vbi Dauid rex primò deliquit, quòd pro
bo homine & fido ad dedecus eius abuti uoluit,
contra diuini amoris legem. Deinde quòd tantũ
facinus homines celare studuit, qui Deum nõ pos-
set, oculis eius cuncta perlustrantibus. Qua in re
sancti regis studijs posthabitis, hypocritarũ inge
nium ostendit, qui cum peccant, dicunt: Nõ uidet
nos Deus. De quibus illud legitur: Et dixerunt,
Non uidet Dominus, non intelligit Deus Iacob.

Quàm rectè ageret Ioab.) Simulata
percũctatio, aliud ipso cogitãte & machinãte. In
interrogando prudentiam præ se fert, primò ut
dux, deinde ut exercitus haberet: postremò, de
bello quod gerebatur scisciatus, quo commodius
dolum tegeret.

Vade in domum tuam.) Sollicitatur
ad rem habendam cum uxore, ad quod studiũ re
gio ferculo inuitatur: nõ ignorante rege, uino &
Cerere Venerem excitari. Sed tam uafra con-
silia irrita faciebat Dei iusticia, qua Vriæ animus,
ut extra domum maneret, abstinens uxore, sti-
mulabatur, ut sequitur.

Et non descendit in domum suã.)
de arce Zion. Exemplũ continentiæ Vriæ, quam
Deus in eo excitauit ad perturbandum aduleriũ,
qui percitus libidine ad se nondum redierat, suum
crimen recogitans, & diuinum iudicium perpen
dens: cuius cõtemptus, ut grauius scelus cõmitte
ret, in causa fuit: Deo crimen crimine, dum abes-
set pœnitentia, puniente. Sapienter igitur Salomõ
patris casu admonitus, dicit Prouerb. 6. Qui cũ
muliere adulterium committit, mente captus est:
perdit ipse se qui id facit.

Arca.) Hac proficiscente, sic orasse Mo-
ses in Numeris legitur: Surge Domine, & dissipẽ
tur inimici tui, et fugiant qui oderũt te à facie tua.
& eadem considente, idem Moses dicebat: Reuer
tere Domine ad legiones exercitus Israelitici. Ar
ca aũt in expeditionem cum Israelitis proficisci so
lita est, q. ad eam præsens esset Dominus, unicus
exercitus Israelitici dux & imperator, ut suprà le
gimus: cuius nomen uocatur nomẽ Domini exer
cituũ, habitantis inter Cherubim. Is erat unus ar
cæ sacræ usus. alter, q. ad eam responsa dabantur
de ratione gerendi bellum cum hostibus. De quo
usu uideris in Exodo. Vrias igitur sic à Deo in-
stinctus, arcæ & Israelitarũ pericula, cur in do-
mum suam non descenderet, prætexuit: ut Da-
uid Vriæ fide perspecta, suam perfidiam & Dei
iudicia secũ pensitaret. Sed hæc frustra ad homi
nem ad tempus sibi permissum, & diuini spiritus
afflatu destitutũ. Omnino sub certis prænotionis
diuinæ rationib. Dauid in horrendũ hunc casum
præcipitãdus erat, de qb. suis locis meminerimus.
Dico, afflatu sacri spiritus Dauidẽ desertũ fuisse:
qui nimirũ in illo suũ munus, in carnis libidine co
ercenda, & in lege Dei perficienda, nõ gereret.
Cæterùm quòd ad diuini amoris spiritum atti-
net, is non discedebat: quòd Dauid in eorum nu-
mero contineretur, quos Deus ab æterno in libro
uitæ scripserat, qui spiritu beneuolentiæ diuinæ

nunquam priuantur. Stat enim illa sententia: In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filium suum propitiationem. Et apostolus Paulus hanc æternam beneuolentiã perpendens, nos, cum inimici essemus, dilectos à Deo fuisse fatetur. Atque id Dominus ipse confirmat, ubi ait, se non uenisse propter iustos, sed propter iniustos, quos ad pœnitentiam reuocatos seruet. Ergo persona improborum amatur nondum ornata probitate, sed in Messia ornanda. De quo perpetuo in electos suos amore, ille sic meminit: Oues meas nemo rapiet de manu mea. In harum ouium numero cum esset Dauid, hunc semper amauit Deus, odio habuit nunquam: uitia eius, non personam, detestatus, qui hãc sententiam de Dauide tulerit: Quæsiui hominem ex animi mei sententia. Quocirca, ut omnia scriptis in libro uitæ cedunt in bonũ, noxa, mors, infernus: cum ignominia uariæ crucis, is casus beneuolentia diuina Dauidi in bonum conuersus est. Sed hæc ita accipi debent à pijs hominibus, ut cognoscant nihilominus, peccatum omnino displicere Deo, tanquam horribilem fœditatem, quam ipse impunitam pro sua iusticia nõ relinquat. Itaq; cõtra id has rursus sententias meditatas habere conuenit: Debitores sumus nõ carni, ut secundum carnem uiuamus. Nam si secundum carnem uixeritis, moriemini. item: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. item: Omnis qui peccat, non uidit eum, nec cognoscit eum. Æternum ille constãs amor quo Deus suos electos in Christo complectitur, eò spectat, ut probi reddamur: & liberati à peccato, amplius non peccemus & delinquamus, sed nos sanguine agni purificemus: ut ipse Deus, à quo amamur, purus est. Hinc illud Apostoli: Quemadmodũ elegit nos in ipso, ut essemus sancti, ut ipse Dauid à cõmisso adulterij & homicidij crimine pœnitentia ductus, sanctitatẽ recuperauit, quam tot diuinis Psalmis, ut maximis de Christo mysterijs refertis, declarauit. Hic reconditum latet crucis mysterium, sub occasione peccati patefaciendum in ijs, quos pater filio ut seruentur dedit.

Per salutem tuam.) Tam id non sum facturus, q̃ ut rex saluus et felix sit precor. Sunt qui utrumq; seculum, & præsens & futurũ, indicari hic uolunt. Tam id se non facturũ, quàm ut cupiat regem cùm in hoc seculo à corpore et animo, tum in altero ab animo incolumem fore. Sic enim aiũt: חייך בעולם חזה וחיי נפשך בעולם הבא. Responsio Vriæ indicat, bellorum temporibus non uino, epulis, & ocio operam dandam esse: sed ieiunijs, & precationibus ad Dominum, à quo uno uictoria & salus proficiscatur ad eos, qui ipsum fide & sanctitate colunt. Quod exemplum Vriæ à Dauide neglectũ, omnibus temporibus rerum angustarũ memorabile pijs esse debet.

Et ait Dauid.) Tentat iterum uino uincere Vriæ animum Dauid, quem libido uicerat, & metus uulgandi adulterij: Sed frustra, Deo consilia humana perturbante, & sua ad patefaciendam uitiosæ naturæ fœditatem confirmante:

Epistolam.) Non contentus adulterio, etiam homicidium committit, referens homicidij primum autorem Satanam. Adeò terrenus ille et uetus homo, perniciali serpentis ueteratoris ueneno tinctus, parentem omnis uitiositatis imitatur, in omnia scelera præceps ruens, si noui hominis & cœlestis Messiæ spiritu destitutus sit.

Per manum Vriæ.) Crimen homicidij augens, simplicitate & fide innocentis Vriæ ad ipsius necem abutitur, dum per eum epistolam ad cædem hortantem, ad Ioabũ mittit. Hanc fraudem ab eo serpente didicit, quem sacræ literæ uersutissimum fatentur: non à simplici agno, in cuius ore uates Iesaias nullum dolum uersari dicit. Hac igitur ex re cognoscimus, quantum interfit inter umbram & corpus, inter imaginem & ueritatem. Proinde ne crederetur Dauid uerus ille Messias esse, & unctus Dei, sed alius à conceptu & partu purus expectaretur: uisum est Deo, ut hoc modo prior Dauid laberetur, & sub occasione crucis mysterio adumbrando, de quo suis locis meminerimus, locus fieret. Idem iudicium de Salomone. Ex Dauidis igitur tam horrendo lapsu intelligimus, omnes ex primo homine generatos uitiosos esse, neminem uitio & culpa liberũ, quãlibet sanctus habeatur, & charus Deo. Exẽplo Dauid est, qui quàm gratus Deo fuerit, & sanctus, declarant de Christo ab eo edita oracula, declarat Christus ipse ex eo genitus, quem etiam diuinus spiritus Dauidis nomine appellare nõ est dedignatus. Deinde colligimus, sanctissimis etiã hominib. securitatẽ uitandam esse, ne ea decepti, putent se extra labendi periculum, dum hoc originis uitio corruptum corpus secum circumferunt, esse. In quo corpore quoniã immanis belua concupiscentia aduersus spiritum grassatur, semper armatura aduersus eam, quã Apostolus in epistola ad Ephesios describit, expedienda est. Nam non dormit hostis noster Satan, sed circuit tanquam leo rugiẽs, ad quærendũ quẽ aperto rictu deuoret: cui fide, precatione, ieiunijs, charitatis studijs iugiter resistendum est. Præterea deprehendimus, quàm

quàm insidiosa res sit ocium, & rerum affluentia, quæ pijs omnibus modis suspecta esse debet: ut exemplo est Saulus, Dauid, Salomon, Ezechias, & alij. Et contrà cognoscimus, quàm salutaris res sit crux & afflictio, quæ ueteris hominis cupiditates coercet, ne frenum aduersus spiritum rectorem excutiat. Quem usum Dauid expertus, liberè confessus est: Bonum est mihi quòd humiliasti me Domine. Postremò admonemur in hac narratione, desperandum non esse ijs quos Deus semel in gratiam recepit, si huiusmodi graues motus & ruinæ, quibus Dauid corruit, contigerint: sed in eo spes collocanda, qui tanta ipse misericordia est, quantus natura est: quiq; peccatum factus, triumphum de peccato, morte & potestatibus mortis & peccati, glorioſum egit. Is enim nostra iusticia, redemptio & sanctitas redditus, præstat, ut sua ipsius iusticia, sed efficaciter in nobis agente per fidem, coram Deo iusti habeamur, qui iam nostra culpa exitio fueramus destinati.

Varius enim est euentus belli.) Hebræus indicat, quæ belli sit natura. Hoc esse exitiale. Vnde Græcus uates de Marte sic canit:

Αρες αρες βροτολοιγε, μιαιφονε, τειχεσιπλητα.

Et displicuit.) ut dissentanea uoluntati eius, quæ his legibus exponitur: Ne adulterato, Ne occidito. In magnitudine igitur delicti quòd Dauid designauit, personæ & res in quibus peccatum est, considerantur. Res non fundus, non aurum, non animans rationis expers, sed homo fuit: quem quantum crimen sit perdere, tum creatio eius, tum pœna in noxã constituta declarat. Creationis dignitatem ostendit, efformatio hominis ad imaginem Dei: pœna ipsa capitale supplicium est, quo adulteræ & homicidæ afficiebantur. Personæ autem si considerentur, occurrit Deus, & is qui peccauit, & in quos peccatum est. Deus occurrit legislator, & fœderis lege coniunctus, cuius legem & fœdus turpe sit uiolare & contemnere. Dauid, quem conueniebat, ut Israelitã, non ad adulteria & homicidia, sed ad sanctiorẽ uitam, quæ diuini fœderis legibus respõderet, destinatum, sanctè & rectè agere. In huius persona etiam spectabatur, quòd rex esset, non priuatus homo: rex inquam non temerè delectus, qui in Israelitas sanctum populum imperaret, sed à Deo constitutus, & in regno depressis hostibus confirmatus. In personis autem eorum in quos peccatum est, primò ponderatur muliebris sexus, cuius ut infirmi, & carentis tum marito, Dauidem rationem habere decebat: cuius pudicitiam sartam tectam tueretur, non imminueret: præsertim q; Beersaba Israelitica fœmina esset, sacro fœdere cum Deo suo coniuncta. quòd fœdus sanctitate cõseruatur, impuritate uiolatur. Omitto hic, quòd Dauid in hoc suo turpi adulterio Dauidis cœlestis Christi Domini nostri immemor fuit: qui ut sponsam suam ecclesiam à fœdo deorum alienorum adulterio liberaret, et eam castam sibi uxorem copularet cœlestis coniugij uinculo, mori dedignatus non sit: tantum abest, ut ex pura impuram redderet. Vriæ persona si ponderatur, occurrit, hunc uirum fortem, & Israelitam, atq; unicã solum uxorem habentem, miserè & uxõris adulterio dehonestatum, & funesta cæde à Dauide, cui benefideret, contra sacri fœderis leges interemptum. Itaq; legimus hic, Dominũ Dauidis facinore offensum. De quo Dauid ipse ecinit: O disti omnes qui faciunt scelera. item: Quoniam tu Deus non es cui placeat improbitas. Ex his quæ iam delibata sunt, unde scelerum æqualitatem & inæqualitatem ponderemus, facilè licet cognoscere, si hæc tria expendamus, fontem, res in quib. delinquitur, & personas quæ delinquunt & in quas delinquitur. Fons scelerum, animi cupiditas est, aduersa legi diuinæ. In hac, crimina paria sunt, ut aquarum riui in suo fonte. Cupiditas enim uitiosa est illa radix, ex qua omnes uitiosæ actiones pullulant atq; nascuntur. ut si quis per illam unum aliquod crimen fecerit, omnia (ut sacræ literæ docent) fecisse dicatur. Perturbato enim semel ordine atque ratione, nihil posse addi quo peccetur, satis perspicuum est. Sin uerò altera duo consideres, delicta æqualia non erunt, ut nec res in quibus delinquitur, nec personæ quæ delinquunt, & in quas delinquitur. Ex horũ pensitatione, pœnarum quibus crimina mulctantur, uarietas æstimatur. De quo discrimine apud Mosem, & in iure gentium uideris.

IN CAPVT XII.

Misit ergo Dominus Nathan.) Vt Deus offensus est facinore Dauidis: ita turpitudinem illius à Dauide intelligi, & eius conscientiam per seuerũ legis iudicium damnari uoluit, ut expertus Dei iram, clementiã eiusdem quanta esset persentiret. Ad hoc munus peragendum usus est Nathane propheta. Is partim reprehendit Dauidẽ de culpa, Mosæo munere functus, quòd in accusando & damnãdo uersatur, de quo Dominus, Moses est qui uos accusat: & Apostolus, Per legem cognitio peccati. partim reprehenso crimine eum in uiam reuocat, ostensa ei clementia diuina, qua pœnitenti scelerum gratia fiat. quod Euangelij munus est. Vtrũq; hic indicatur.

Duo

Duo erant uiri.) Agit Nathan per parabolam cum Dauide, quæ in ipsa narratione exponitur: Dives ille, Dauid est: pauper uerò, Vrias. copia ouium & boum, uxores multæ, quas Dauid habuit. ouicula una, uxor Vriæ.

Quam emerat.) Duobus locis utitur in accusando Dauide. Vnus est: Anteponenda, quæ sola & per se chara sunt, ijs quæ coniuncta alijs chara habẽtur. ut si quis unam uxorem habet, ea charior erit quàm si plures habeat: unus filius charior, quàm si multi ei sint fratres. Alter: Quæ magno, aut aliquo precio constant, magis diligi, quàm ea quæ paruo aut nullo constant.

Cum autem peregrinus.) Hospes is à sapientibus uiris cupiditas ac libido, quã Hebræi יצר הרע uocant, accipitur: cui Dauid ut satisfaceret, non contentus suis uxoribus, alienam rapuerit. Atq; sapiẽter cupiditas hospes appellatur, quæ in pijs sedem suam tanquam cuis habere nõ debeat: sed quam mox abire, & se in uiam dare conueniat: in eis sacro Dei spiritu, tanquam in domo sua, sedem sibi firmam uendicante.

In quadruplum.) Ex lege, de qua Exod. 22. Hæc monet, furtum pecoris quadruplo pensandum. Itaq; quod Dauid dicit, tale facinus morte dignum esse: is non ex legis scriptæ uerbis iudicauit, sed ex sententia seuerioris iudicis, qui personas & rerũ attributa perpendẽs, interdum maius supplicium intentat, quàm uerba legis præferunt: sicut etiam nonnunquam æquitate interprete pœnas remittit. Dauid nondum intelligens in se parabolam cudi, hac, quam de diuite tulit, sententia se condemnauit. Quare sequitur:

Tu es ille uir.) Accommodatio parabolæ, qua miseri Dauidis conscientia graui legis, Ne adulterato, Ne occidito, iudicio iugulatur.

Ego unxi te in regem.) Ad crimẽ amplificandum, Dei in Dauidem commemorat beneficia. Ea enim scelera grauiora iudicantur, quæ in benemeritos de nobis committuntur.

In regem.) ex infima conditione.

De manu Saul.) grauissimi & potentissimi hostis.

Domum domini tui.) Opes & agros Sauli, quos mortuo Isbosetho, ut usurparit Dauid, declarat eorum restitutio, de qua suprà fit mentio cap. 9.

Et uxores Domini tui.) Interpretantur de Egla. Nonnulli etiam putant, Ritzpam à Dauide ductam. Michol ex filiabus fuit.

Etsi parua sunt ista.) Defectum ita sarciunt interpretes: Alia atque alia insuper tributurus, modò legem meam seruasses.

Quare ergo contempsisti.) Commemorationem beneficiorum ad reprehensionẽ accommodat. Opprobrium quo affectus est Vrias, pro suo interpretatur, tum quòd contra legem factum esset, tum quòd Vrias in fœdere diuino contineretur, qui tanta labe aspergi non potuerit, nõ etiam Deo aspersо.

In conspectu meo.) In oculis Domini tantum scelus factum dicit, quos fallere non potuerit, qui humanos fallere studuerit per hypocrisim. In quo stulticia regis redarguitur: & diuina iusticia, cuius oculi omnia in cœlo & in terra perlustrent, commendatur. Quòd etiam Græcus uates agnoscens canit:

θεὸς ὁρᾷ καὶ Ζεύς.—

Gladio filiorum Amnon.) A persona hostili, criminis amplificatio.

Quamobrẽ nõ recedet gladius.) Iure talionis, quòd his uerbis à Domino exponitur: Qua mensura mensi fueritis, eâdem metientur uobis alij. Præcesserat: Vriam, Hethæũ percussisti gladio. Gladius autem ut grassatus sit in familiam Dauidis, Amnon interfectus ab Absalomo, & idem Absalomus inimicè insectatus patrẽ Dauidẽ, & à Ioabo trucidatus, declarat. Metuãt ergo sibi ab hac legis talionis seueritate sanguinarij. Sic Pharaones, Sennacheribi, Nabuchodonosores, Antiochi, Diocletiani perierũt. Tyrãnis nostris quid his postremis temporibus sit euenturũ, ipsi breui experientur, cum sanguinaria illa meretrice Babylonica.

Et tollam uxorem tuam.) qui tuleris uxorem Vriæ. Si Deus traditurum se dicit Dauidis cõcubinas Absalomo, qui cum eis rem habeat, quomodo ergo deliquit Absalomus, eis stupro illato? Si ita usum est Deo, ut Absalomus persequeretur patrem, quî igitur is in legem illam, Parẽtes uenerator, commisisse iudicabitur? Si lege cauet Deus parentes honorandos esse, & stupra uitanda, quomodo ergo hic legitur, Deo autore hæc mala designanda? Aliàs aliquoties hæc quæstio explicata est, ut non sit necesse eius explicationẽ retexere. De ea uideris in loco, quo explicatur in Deuteronomio liberum arbitrium: & in Exodo, ubi exponitur indurationis impiorum locus.

Solis.) Meminit nõ lunæ, nocturni luminis: sed solis, diei præpositi luminis, sua luce cuncta illustrantis. Quanto uerius omnes omnium hominum cogitationes & facinora coram eo sole, de quo illud, Sol iusticiæ orietur uobis, manifestabuntur?

Tu enim feciſti abſcondite.) Reuocata hypotheſi ad theſim, horrenda hæc hypocritis ſententia conſtituitur: Fœdas cogitationes & ſcelera in occulto cõmiſſa ad fallendos homines, patefacienda eſſe & uindicanda iudicio diuino. Nobis igitur ſic uiuẽdum eſt, ut intelligamus nos in Dei conſpectu uiuere, cuius uindicis oculos nihil lateat & fugiat. Hæc cogitatio multum proderit ad ſanctè & cogitandum & uiuendum.

Peccaui Domino.) Vſus ſeuerioris reprehenſionis oſtenditur, qui eſt confeſſio peccati, non ſolum ui conſcientiæ, ſed odio peccati & amore Dei expreſſa. Qua in re quantum inter piorum & impiorum peccata & peccatorum cõfeſſionem interſit, ex hac narratione ſatis liquet. Diſcrimen à perſonis & exitu delictorum petitur. Alteri ſecundum electionis gratiã chari Deo ſunt, alteri non item. In alteris peccatum uenia caret, in alteris ueniam habet. Alteri peccant, ut exerceatur in eis ſeueritas iuſticiæ diuinæ: alteri, ut declaretur palàm, quanta ſit clementia Dei. Alteri libera & ingenua confeſſione, cũ certa fiducia impetrãdæ ueniæ, fatentur crimina ſua, qua ſe deijciunt, & Deũ amplificãt in filio eius Meſsia, huius iuſticiã amplexi, ſuã iniuſticiã deteſtati, & probitatẽ quæ ex lege naſcitur proſtercore habẽtes. alteri ſeruili cõfeſſione ſua ſcelera cõfitentur, quã eis cõſcientiæ uis extorquet arbitra lege, ſpe cõciliandi fauoris diuini abiecta. Hi igitur cũ ſua confeſſione funeſtum exitum ſortiuntur, ut exemplo ſunt Cain, Pharao, Saulus, Iudas, & alij: illi uerò felicem ſortiuntur, ut hic Dauid documẽto eſt. Nam horum peccata, pœnitentiam & exitum, regit prouidentia electionis diuinæ, per quam ſemel electi, ac ab æterno deſtinati ad ſalutem, ex ampliſſima Dei manu, qua continentur, nunquam excidunt. alteri in contrario ſtatu ſunt. Beati igitur, qui partem in Chriſto habent: in quo qui continentur, audiunt hanc ſententiã ſemel latã: Et nemo rapiet eos de manu mea. neq; nimirũ peccatũ, neq; mors, neq; infernus, neq; ulli principatus.

Tranſtulit peccatum tuum.) Vſus confeſsionis peccati, eius uenia & condonatio. Quæ autem in uera confeſsione & pœnitentia cernantur, aliàs expoſitum eſt: ut uitioſa cõfeſsio & pœnitentia iam ſatis & multum à multis refutata. Cæterùm in utraq; pœnitentia hæc conſideranda fuerint, ortus cauſæ, natura, exitus.

Non morieris.) Vt dignus eſſes qui morere, tuo ipſius teſtimonio, & legis iudicio, quæ adulteros & homicidas capitali ſupplicio afficit: & niſi redeant in uiam, ad gehennam eos æterno ſupplicio condemnat. Tripartitum genus mortis eſt. Vna, communis omnibus, de qua apud Adamum Dominus: Ex terra es, & in terrã, &c. Altera ciuilis, à magiſtratu in ſceleratos irrogata. Tertia æterna. A poſtremis duabus liberatur Dauid. primum genus cum cæteris mortalibus tulit: non ut pœnam, ſed ut medicinam, cuius occaſione ad ueram uitam pertingeret. Diuerſa igitur uox legis eſt, & euangelij. Hoc dicit, Nõ morieris: illa dictura fuiſſet, Morieris. Hinc fit, ut alterius miniſterium mortis & iræ, alterius uitæ et gratiæ miniſterium habeatur.

Veruntamen quoniam blaſphemare.) Intelligimus hic, eorum qui in diuino fœdere ſunt, uitia hoſtibus ad dehoneſtandũ Deum occaſionem præbere, ut dicant ueriſsimile nõ eſſe, diuinum populum eſſe, uereq; Deum ſuum colere, qui tam ſceleratè uiuat. quod maximũ eſt Dei opprobriũ. Sicut hodie maximè contemnitur euangelium ab aduerſarijs eius, q; ij qui id profitẽtur, tam improbam uitam degunt, ore crepantes euangelium, pectore & moribus ſpirantes Epicureos & Sardanapalos. Et ut diuinum fœdus opprobrio afficitur, ſi eius ſectatores malè ſe gerũt: ita amplificatur ſuorum cultorũ probitate & benefactis. de qua amplificatione Dominus his uerbis: Sic luceat lux ueſtra apud homines, ut uidentes ueſtra benefacta, deprædicent ueſtrum patrem qui eſt in cœlis: Matth. 5. Huc Dei fœdus cum Iſraelitis ictum, huc oracula & diuinus cultus, huc promiſſa de Meſsia ſeruatore, huc ſacri ſpiritus dona & reliqua ſpectant, ut electorum fide, innocentia, probitate glorificetur Deus pater in filio Chriſto.

Filius qui natus eſt tibi, morietur.) Dicas, legi apud uatem: Filius non feret iniquitatem patris. Bene quidem, ſi ipſe inſons ſit. At infans quamuis facinoris à ſe editi culpa careret, originis tamen uitio, quo tota poſteritas primi hominis morti obnoxia facta eſt, non caruit: qui etiam uitioſo adulterio, ex adultero & in adultera conceptus, & ex ea natus eſſet. Obijt igitur, ne Iſraeliticũ regnum & eius rectorem Deũ tam deprauatus fœtus ignominia afficeret. In ciuilibus iudicijs nõ luit pœnas ſceleris parentũ ſuorum infans filius. In Dei uerò iudicio ſecus res habet, coram quo quis inſons iudicabitur? Firmum eſt quod Iobus confirmat: Et quomodo innocens erit homo apud Deum, & purus, fœmina natus? Quod cum agnoſceret Dauid, ſic canit: Et in peccato concepit me mater mea.

Et reuerſus eſt Nathan.) incolumis, non

nō malè ob aſperiorē reprehenſionem à rege tractatus: contrà quàm à regibus fieri ſolet, qui obiurgationes iniquius ferunt, ut in hac Regum hiſtoria liquet. Quò ſpectās uates Græcus, qui uatem liberius admonentē, à ſuo rege hac uerborū aſperitate exceptum fingit:

μαντι κακῶς ὸ πώπο τέ μοι τὸ κρήγυον εἰπες,
αἰεί τοι τὰ κακ' ὀὐ φίλα φρεσὶ μαντεύεαι.

Deprecatusq; eſt Dauid.) Cur pro puero orauit, qui ex uatis ore percepiſſet hāc ſententiam: Filius, qui tibi natus eſt, morietur. Arbitratus eſt Dauid, ſententiam hanc ex earum ſententiarum numero eſſe, quæ cū adiunctione ſunt: Morietur, niſi precibus commotus Deus, eum tibi incolumem reddat. Qualis fuit ſententia in Niniuitas pronunciata. At uerò hæc de puero Dauidis ſententia adiunctione ac conditione caruit: ideo exauditus non eſt Dauid, ut ſequitur.

Die ſeptimo mortuus eſt.) inclinatio ualitudinis die. Myſterium diei ſeptimi, & interfecti primi ex Berſabe partus, quale ſit, ſapiētes perpendant. Duo homines in ea ſobole, quæ ex ſponſa eccleſia cœleſtis Dauidis naſcitur, ſpectantur: alter uetus, alter nouus. is diligitur & ſeruatur, ille repudiatur & moritur. alter adumbratus primo partu, alter ſecundo, qui Salomon dicitur. Et ut ſeptenarius renouationis charæ Deo ſobolis finem imponit, ita idem numerus mortificationem ueteris hominis terminat.

Nunquid potero reuocare eum.) Conſolatur ſe ab exitu irreuocabili, & ab immutabili ſententia Dei, qua ſemel omnes in primo Adamo ad mortem deſtinati ſumus. Nō doluiſſe hic legitur, quòd incircunciſus puer obiiſſet: qui noſſet, ad nulla externa ſalutem & diuinum fauorem alligatum.

Ego uadam.) itinere hoc ex ſententia illa Dei conſtituto: Ex terra es, & in terram conuerteris. Non legitur hic, Dauidē pro defuncto puero oraſſe, ſed pro eo dum uiueret. Vnde efficitur, ſanctorum hominum precationes uiuentibus ſeruire, mortuis diuinæ curæ relictis. Quod non fit in regno beſtiæ, in quo mortuorū cura habetur, uiuentium relinquitur: purgatorio in eum errorem cum tot mercenarijs Miſſis, precibus, tot uanis ſatisfactionibus pro delictis, & indulgentijs quæſtuoſis excogitatis. At par eſt, ut mortui mortuorum curam gerant: qui uiuos, ut minimè uiui, curare nequeant.

Salomon.) Duo nomina is filius habuit. alterum à pace, qua Salomone regnante Iſraelitæ floruerunt: alterum ab amore, quo Deus eum cōplexus eſt, inditum. Vtrumque in Meſſiam cœleſtem Salomonem terreno adumbratum cōuenit. Nam ſi pacem ſpectes, legimus apud uatem Ieſaiam, hunc principem pacis appellari: & apud Apoſtolum, omnia eius ſanguine, cœleſtia & terreſtria, pacificari. Sin uerò amorem Dei conſideres, hoc de ipſo teſtimonium Dei extat: Hic eſt filius meus dilectus. Mat. 3.

Et dilexit eum.) de quo amore ſuprà: Et ego ero ei pro patre.

Miſitq; Ioab nuncios.) Redit ad narrationem belli Ammonitici.

Vrbs aquarum.) Sic à fontibus Iabocci fluuij appellatam uolunt, qui apud eam ſcaturiant, magnam aquarum copiam ſuppeditantes. aut ſic uocata eſt, quòd eam partem urbis, in qua rex habitabat, aquæ in foſſam deductæ munirent. Hebræus indicat, eam urbis partē in qua aquatio erat, captā. igitur reliqua pars quam populus obtinebat, reſeruabatur Dauidis uictoriæ.

Nomine meo attribuatur.) prudentiæ & moderationis in Ioabo duce exemplum, aptum ad inuidiam quæ ex rebus fortiter & præclarè geſtis conflatur, declinandam. Hebraiſmū commodè reddit interpres, Ne nomen meum uocetur ſuper eam.

Diadema regis.) Talionis ius. Ammonita, qui legatos regios ignominia, abraſa ipſis uirilis ornamenti barba, affecerat, ipſe ſpoliatus regia corona, dedecoratur.

Et ſerrauit.) Grauis & horrendæ ultionis exemplum. Sic pereunt, qui Dauidem & eius legatos ignominia afficiūt. Noſtro Dauidi Meſſiæ ut ſuæ ſint ſerræ, ſua tribula ferrea, ſuæq; ſecures, quibus conficiat hoſtes ſuos Ammonitas, declarat illud: Et reget eos uirga ferrea. Intueantur hoc horribile ſupplicium tyranni orbis terrarum, qui Chriſtum cum doctrina ſua, eiusq; cultores, hoſtiliter perſequuntur: cogitentq;, huic à Deo patre omne iudicium datum, quo pœnas de ſontibus expetat, & inſontes liberet. Cæterùm non apparet tam atrociter à Dauide promiſcuè in omnes Ammonitas ſæuitum: ſed in ſenatores, duces, & in ignominiæ, qua regij legati notati fuerant, autores.

In typo laterum.) calcaria & furno excruciatos. Punitur Ammonites per ignem, qui ſuos liberos per ignem tranſeūtes Molocho deo ſuo conſecrare ſolitus fuerat. Per quem ignem puniat noſter Dauid ſuos Ammonitas, indicat ſententia illa: Ite in ignem æternum.

IN CAPVT XIII.

FActum autem est post hæc.) Narrantur pœnæ, quibus Nathan prædixerat, Dauidem ob commissa crimina puniendum esse. Pœna autem tripartita proponitur. una primogeniti Amnonis, ob uitiatam Thamarem sororem, cædes ab Absalomo facta: altera, in conspectu populi XIIII concubinarum constupratio: tertia, duce Absalomo filio, populi aduersus patrem Dauidem rebellio.

Sororem speciosissimam.) Ex Maacha Tholmais regis Gessaris filia, quæ mater Absalomi fuit. Formæ elegantia in sorore abusus est Amnon, in qua Deum honestari, nõ dehonestari conueniebat: in cuius muneribus, etiã corporum pulchritudo numeratur. Adeò nihil est tam excellens ac præstans in rerum natura, quo non labes illa ac fœda lues in corpore uitiato, quam Apostolus legem peccati, & ἀποβύμισιν uocat, abutatur. Turpe erat, regis filium stuprum cõmittere: turpius, Israelitam, sacri fœderis lege uiolata: turpissimum, sorori illud offerre. Quòd ut capitale sit, ex Leuitico patet 20. cap.

Amnon.) primogenitus Dauidis filius, ex Achinoama Iezraelensi. Vt igitur sint affecti primogeniti secundũ carnem, declarat Cain, Esau, Ruben, & hic Amnon. Quare meritò uni primogenito Christo innocentiæ gloria tribuitur, nemini alteri. Vt primogeniti tanquam initium uirilis roboris magis amantur, ita grauior is Amnonis casus Dauidi fuit.

Vt propter amorem eius ægrotaret.) Exemplum de ui impotentis amoris. Sapienter igitur quidam dixit, Omnes perditè amantes in alieno uiuere corpore, in suo uerò mortuos esse. Amnonem regius luxus & ocium, ut parentẽ, in hunc morbũ coniecit: ut uerè dixerint ueteres, ociosorum animorũ illiberalẽ & inhonestũ amorem affectionem esse. Cui contrà, mederi tradiderunt aut famẽ, aut tempus, aut laqueum. De fame comicus: Sine Cerere & Baccho friget Venus. Vt tempus omnia deterit, ita amorem tollit, aut lenit. Accedit ad remedium famis & temporis, labor. Si hæc medicina absit, rectè iudicatur unũ laqueum superesse, quo huiusmodi ægritudo tollatur. Festiua sunt Græca: λιμὸς, χρόνος, βρόχος. At nobis sacra scriptura medicinam salubrẽ ostendit, honestum matrimonium, et precationẽ.

Difficile ei uidebatur.) quòd de more gentis uirgines domi custodirentur, nõ temerè foràs prodeũtes. Vnde et עלמיות dictas apparet. Et quo difficilius factu uidebatur Amnoni, ea potiri, eo magis amore ardebat. Difficiliora enim maiore animi cupiditate expetuntur.

Amicũ.) Qui uerius inimicus erat, ut cuius consiliũ & turpe & exitiosum uindice Deo Amnoni fuerit. Veri enim amici dant operam, ut neq; consulant res turpes, neq; faciant rogati: & ut amicorum causa honesta faciant, non turpia. Rectè ergo iudicatũ est à ueteribus, aut fidis amicis opus esse, aut acribus inimicis: quòd hi seuerè reprehendant, illi uerè & bona fide moneant.

Vir prudens ualde.) Humana prudẽtia, nõ diuina, ut præsens exemplũ docet. Quod, qualis aulicorum hominũ sapientia sit, clarè indicat.

Et non negabit me tibi.) Hæc dixit, ut ad præsens Amnonis uim declinaret. Alioqui ipsa nõ ignorabat, per legem non licere fratri suã sororem matrimonio sibi iungere. Sunt qui tradunt, Thamarem à Maecha conceptam, priusquã eam Israelitica religione imbutam uxorẽ Dauid duxisset. Nõ enim fas fuisse Israelitis, si quas pulchras fœminas cæpissent bello, prius eas sibi coniugio copulare q̃ luxissent parentes, & præfectis unguibus initiatæ essent sacri populi religione. Vtaq; Thamarem. si ante contractum connubium concepta fuisset ex alio marito, potuisse nubere Amnoni, dicũt. Atq; huc spectasse hãc, his uerbis: Colloquere cũ rege, neq; enim me tibi denegabit.

Noluit autem Amnon acquiescere.) uincente honestum consilium in sani amoris impotentia, cui furorem consilij expertem poeta Latinus his uerbis tribuit:

Sæuit inops animi, totamq; incensa per urbem
Bacchatur. —

Oppressit eam.) Vt sentẽtia Dei impleretur: Ego suscitabo in te malũ de domo tua. Dauid, qui alienã domum adulterio cõtaminauerat, æquo Dei iudicio & suam, & à suis, cernere contaminari cogitur. Scitum igitur est illud Hebræorum, מידה כנגד מידה. Quod dictum Dominus noster his uerbis explicat: Qua mensura mensi fueritis, eãdem metientur uobis alij.

Et exosam eã habuit.) fœdum amorem & uoluptatẽ excipit odiũ et dolor. Prudenter ergo quidã admonuit, uoluptates nõ uenientes, sed abeũtes contẽplandas esse. Veniẽtes enim, fucata specie blandiri: abeuntes aũt pœnitentiã, tædiũ et dolorẽ relinquere. Nec minus scitè alius, uoluptatem ex amore turpi natã mulso letalibus uenenis tẽperato cõparauit, quod initio illa grata et suauis esset, sed quam dolor et exitium sequeretur, ut hic Amnon exemplo est. cæteros prætereo. Contrà habet amor honestus, quẽ non dolor et pernicies, sed

sed uoluptas firma,& certa salus consequitur.

Maius est hoc malum.)Vitiatam enim probrosè expellere,& omniũ ludibrio exponere, duplex malũ est: uitiare, simplex. Hoc tegi poterat,illo ut scortũ infame traducebatur. Augebat turpitudinem, quòd regio genere nata,à fratre cõ stupratã se uideret. Turpes enim res grauant rerum & personarum attributa:ut si sacris in locis, si tempore alieno, si à personis à quibus minimè oportebat, fœdius aliquid commissum sit: ut sunt, à Rubene,à ciuibus Gibea,à Dauide, ab Amnone,& ab Absalomo commissa stupra.

Huiuscemodi enim filiæ regis.) Locus de uetustate discriminis in uestitu nobilũ & ignobilium hominum. Versicolore enimueste regum liberi utebantur. De Iosepho legimus in Genesi, ut Iacobus pater illi uersicolorem uestem fecerit:quæ Hebræa uox & hic usurpatur.

Impositisq; manibus.)Magni luctus signum. Sic apud Germanos, **Die hend auff dem kopff zůsamen schlahen**. Hunc luctum pudor regiæ uirgini extorsit,qui ægritudo animi est, ex malis præteritis aut futuris, quæ ignominiam aut dedecus afferre uideantur, nata. se pudicitiæ honore atq; ornamentis priuatam, omnium probris exponi sentiebat.

Frater tuus est.) quem non possis traducere sine tuo & nostro omniũ dedecore.ut solent res turpes,quæ nobis dedecori sunt, etiam ijs qui nos propinquitate & arctiore necessitudine attingunt(ut sunt parentes,fratres,affines, nepotes,amici)dedecori esse.Tu igitur tace,neq; hac de re sis sollicita:erit, quando tantum opprobrium uindicabitur.Quod latinis est demittere in animum, curæ habere,ac de aliquo sollicitum esse, Hebræi efferunt חשים את לב לרבר.

Cum autem audisset rex Dauid.) Quæstio est,an ne pater Dauid deliquerit, quòd filium Amnonẽ ob stuprum illatum sorori nõ puniuerit. Quia stuprum hoc occultum fuit, quod Thamar occultabat ex Absalomi consilio:qui,ne proderetur id in uulgus, operã dabat, accusatore nullo Amnonẽ in ius uocante,Dauidi ut filij facinus uulgaret,& publicè de eo pœnas sumeret,ui sum non fuit:Thamaris etiã habita ratione, quæ per uim uiolata fuisset. Lex quidẽ extat in Deut. 22.capitale esse,si quis uirginem opprimat,ac per uim ei uitium offerat. At ea lex,de uirgine despon sata alteri,loquitur.Itaq; neq; hanc uim capitalem fuisse,qua Thamarem Amnon oppressit.Neq; tamen Dauid à noxa omnino liberari temerè debet,quẽ per amorem,quo Amnonem cõplecteba-tur ut primogenitũ,paulo indulgentiorẽ fuisse apparet,quo minus libidinem & stuprum tantum aliqua seueritate uindicaret. At hæc ita accidebant, ut locus gladio foret, qui in familiam illius diuina uindicta stringeretur, de quo mox mentio fiet.

Oderat enim Absalon Amnon.) ut solent fratrum iræ esse acerbissimæ.Acerbum enim est ab ijs lædi,quos benefacere nobis propinquitatis iure oportere cogitamus. Odio hoc quo flagrauit Absalomus, exitiũ Amnoni parabatur. Qua in re quantum differat odium ab ira,cognoscere licet. Ira tempore sanatur, odium non item: deinde qui irascitur,alterum non extinctum uult, sed dolore ac molestia aliqua affici. Secus qui oderit,habet:qui,ut is quem odit,pereat, cupit. Exemplo hic est Absalomus,exẽplo Saulus,exemplo Cain,& alij.

Interficite.) Pueri Absalomi exequũtur sententiam iudicis Dei suprà expositã: Quamobrẽ non recedet gladius,&c. Dicas: qui remiserat culpã per Nathanẽ,dicens, Transtulit Dominus peccatum tuum: cur non idem remisit etiam pœnam?Remisit & idem pœnã:dixit enim, Non morieris. Sed obijcias: cur igitur ferrũ intentauit, quo in familiam illius grassaretur?Remansit quidem aliqua mulcta,sed quæ non pœnæ uim ac nomen obtineret, sed medicinæ salubris, quæ in his rebus cernitur.Primò tolerantur afflictiones,sed temporariæ, ut sit quod perpetuò nos admoneat nostræ miseriæ à peccato: quam admonitionem excuterent res prosperæ. ut exemplo Israelitæ sunt,de quibus Moses:Incrassatus est, recalcitrauit.& hic Dauid,qui rebus prosperè affluentibus adulter factus est,& homicidia. Deinde res aduersæ immituntur, post contractã culpam, ut sit materia inuocandi nomen Dei: quæ inuocatiò præcipuum locum in rebus aduersis habet.ut ipse Dauid cõfitetur,ubi ait:Cum affligerer inuocauite,& liberasti me. Tertiò placet bonitati diuinæ, uexationibus uarijs nos obijcere, earum ansam uitiosa natura præbente: quibus representemus formas crucis Domini nostri IESV CHRISTI: ut quemadmodum cum eo crucifigimur, ita cum eodem glorificemur. De quibus crucis & gloriæ formis Apostolus his uerbis:Siquidem simul cum eo patimur,ut & cum eo glorificemur. Itaque quoniam capiti cum corpore sua intercedit communio, fit ut idem Apostolus dicat, nos explere quæ desunt afflictionibus Christi. quòd nisi ea quæ in capite cernuntur, in corpore quoque cernantur, capiti quiddam

deesse intelligatur. Expletio igitur conformationis, qua utrūq; alteri, corpus capiti, & caput corpori conformatur, non satisfactionis pro peccato hic accipitur. Non sine igitur pernicioso errore dicitur ab aduersarijs, Christi cruci aliquid deesse ad satisfaciendum pro delictis, quod nos nostra afflictione tanquam mulcta ad sedandam diuinam iram expleamus atq; sarciamus. Etenim si quis id confirmarit, unicum satisfactionis pro culpa precium Messiam cōculcarit: & meritis nostris, quæ omnia misericordia Dei in sanguine filij euertit, quicquam falso tribuerit.

Et non remansit ex eis saltē unus.) fama, ut solet, clademin maius auxit. Hinc Latinus uates:

Fama malum, quo non aliud uelocius ullum,
Mobilitate uiget, uiresq; acquirit eundo.

Et scidit uestimēta sua.) qui nunciū de occiso insonte Vria lætus acceperat, iam triste nūcium de interfectis filijs magno cū luctu accepit.

Mulas suas.) interpres mulas reddit, quæ ex equo & asina natæ, effrenes sunt, & torditatis indomitæ. Hebræus mulū habet, qui ex equa & asino genitus, uiribus ad labores eximius est. Cæterùm de natura mulorū & mularum, & sterilitate earum, uideris apud rerum scriptores.

Rex & omnes serui eius fleuerūt.) Reuocata hypothesi ad thesim, nascitur is locus: Filios, si in tempore ob delicta nō castigantur, tandem parentibus afferre luctum. De quo loco sapiens Dauidis filius his uerbis: Filius sapiens lætificat patrem, filius autem stultus mœrori est matri. Hinc illa Romano principi uox nata:

αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τε μεῖναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

Ad Thalmai.) patrem matris suæ. Sic enim suprà: Porrò tertius Absalomus Maeche filiæ Tholmai regis Gessuri.

Eo quòd consolatus esset.) Consolationem confirmabat, quòd agnosceret æquo Dei iudicio eum mortē oppetijsse: deinde, quòd semel amissa uita reuocari non posset: demū, quòd diuina sententia semel omnibus moriēdum esset. Accedebat tempus ipsum, quo ira & dolores leniri solent. Tres anni enim præterierāt, ex quo Amnon perijt.

IN CAPVT XIIII.

INtelligens autem Ioab.) ex iam sedato dolore necis Amnonis.

Misit Thecuam.) Aserianæ tribus ciuitas est, clara Amos uate, & olei prouentu, à quo ea tribus commendatur in Deut. 33. Et pedem suū oleo intinget.

Lugere te simula.) Cum duo genera sint exemplorum, alterum fictorum, alterū uerorum: fictorum autem quædam parabolæ sint, quædam λόγοι, id est, fabulæ: παραβολὴ hic instituitur, ad regem mouendum, ut reconcilietur Absalomo filio. Est enim parabola, oratio, rem cum re per similitudinem comparans. At cum interdum ornatus solum gratia collatio fiat, interdum probandi & confirmandi caussa, hoc ultimum genus hic usurpatur. Ex præsenti exemplo licet intelligere, quanta parabolarum sit uetustas. In hac parabola fingitur mulier uidua duos habere filios, quorum unus alterum in agro occiderit: quæ cum iniquum esse putaret, illo se quoq; priuari, qui alterū interfecisset, quod intelligeret inde mariti genus interiturum, & se senem & uiduam omni præsidio & ope spoliatum iri: Regem igitur ea de re appellauit, ut unicum filium superstitem, à gentilibus ad necem postulatum, uindicaret. Hoc autem cum impetrasset à rege, prudens mulier ei suadet, accommodata ad eum usum parabola, ut filium Absalomū quoq;, qui fratrem Amnonem interfecerat, sibi reconciliatum, domum redire incolumē patiatur. De argumentis, quibus sapiens mulier utitur, inter interpretandum memmerimus.

Et induere uestē lugubrē.) Omnia ad mouendum apta sunt: muliebris sexus, cui ob infirmitatem natura misericordiam tribuimus: luctus, lugubris uestitus, uiduæ conditio, orbatio liberorum, unici filij ad necem petitio.

Posuit autem uerba.) cui regius animus notus esset, quiq; sciret mulieres in rebus grauibus gerendis uirorum consilijs regendas, non suis permittendas, quas tela & colus ornent, ut uiros oratio: ueluti est apud Græcum uatem,

—μῦθοι δ' ἄνδρεσι μελήσει, &c.

Salua me rex.) Exordium aptum miseram se fingenti. Hæc enim statim miseriam suam ostendit, qua, nisi rex seruet, peritura sit. Atq; hoc exordio etiam regem sui officij admonebat, eius esse oppressos defendere, & aduersus sontes ius pro insontibus dicere. Ideo sequitur:

Et ait ad eam rex.) Viduæ caussam rex non alijs, ut solet fieri, permittit audiendam & iudicandam: sed ipse de ea decernit, qui nosset Deo uiduas & pupillos præcipuè curæ esse. Quod exemplum Dauidis regis, orbis terrarum principibus ad imitandum propositum esse debet. Sequitur narratio:

Mulier uidua ego sum.) præsidio humano contra aduersarios meos destituta, quo magis tuo auxilio egeo, qui qua es potentia, me iuuare pos-

re possis: & qua clementia & bonitate, uelis.

In agro.) Loci attributum probat, testes deesse aduersarijs, qui iniuria à filio separatim fratrem interemptum probent.

Et ecce consurgens uniuersa cognatio.) quam me consolari oportebat, & hæredem marito relinquere.

Et deleamus heredem.) ut ipsi adeamus hæreditatem. A' spe utilitatis, quam capiant, odiosos regi facere aduersarios studet. Ad propinquos enim hæreditas liberis extinctis ueniebat.

Et quærũt extinguere scintillam.) Scita metaphora. ut in scintilla ac igniculo foueatur conseruaturq; ignis: sic tanquam scintillulam unicum hunc superesse filium, in quo propagandi generis spes posita sit.

Vt non superstet uiro meo nomen.) contra legem, qua iubetur frater mortui fratris relictam uxorem ducere, ad excitandam mortuo marito sobolem, ad genus eius conseruandum.

Ego pro te iubebo.) cauebo tibi, ne gẽtiles filio tuo manus inferant. אזרה, in loco cauere alicui.

In me Domine misit iniquitas.) Nõnulli interpretes, honoris causa de se ita fœminã loqui, contrariũ sentientẽ putãt: Tu rex, si quid in hac causa neglectum fuerit, tibi imputabitur, posteaquã à me tibi causa filij mei satis planè exposita est, de qua conueniet te regem ex iure pronunciare. Neq; infrequens in sacris literis huiusmodi loquendi formula occurrit. Hanc interpretationem confirmare uidentur, quæ sequuntur. sed alij aliter. Nam sunt qui in hunc modum: Feram ego cum tota paterna domo culpam, si quid hic ignoscendo fuerit peccatum, maximè cum aduersarij probare non possint, à meo hoc filio fratrem iniuria esse occisum.

Recordetur rex Domini Dei sui.) Iusiurãdum uolunt à mulierẽ his uerbis peti, quod rex interponat, quo confirmet filium tutum fore ab aduersariorum ui, ne eum tot sanguinis uindices ad nocendũ parati perdãt. Paraphrastes Chaldæus, quia hic legitur, Recordetur rex Domini Dei sui, putat à sapienti muliere regi in memoriam reuocari, quæ Deus in Deuteronomio moneat de prohibẽda ui, qua sanguinis uindices eum qui alterum uel casu uel inuitus, uel necessitate impulsus occiderit, nimis inimicè insectantur. Sic enim reddit: ואמרת ודכר בעון מלבא מיה דכתיב בספר אוריתא דיי אלהך.

Quia non cadet de capillis.) Summã curam declarat locutio hæc. Eadem usurpatur à Domino apud Lucam 21. Et capillus de capite uestro non perit.

Quare cogitasti.) A' periculo populi diuini, quòd cogatur Absalomus cum suis apud profanam gentem idololatria obstrictam exul esse. ἀντιπόδοσις, qua similitudinem parabolicam ad Absalomi reuocationem accommodat.

Vt pecces.) A' periculo regis, qui nisi profugum filium reuocet, noxa misere se sit obligaturus, qui negata exuli Israelitæ reconciliationis gratia, materiã præbeat colẽdi deos alienos extra sacram terram, uero Dei cultui præ cæteris terris destinatam.

Omnes morimur.) Per occupationem uidetur respõdere tacitæ obiectioni: O' rex, non est cur tantopere moueare, primogenitum filium Amnonem per Absalomum obijsse: sed potius motus diuina sententia, qua nascimur ut moriamur, mortẽ eius facilè ferto. Quare cum mortuo uitã reddere nequeas, reuoca uiuũ. Aut in hũc modũ: Cum omnib. semel moriẽdum sit, & cuncti de sententia diuina ad mortẽ tendant, nõ est par ô rex, ut ad interitũ quærantur uiui homines: sed magis elaborandum, quantum in nobis est, ut conseruentur ij qui uiuunt, non perdantur ne uiuant.

Et quasi aqua dilabimur.) Elegans similitudo, nos instar aquæ humi fusæ, quæ recolligi nequeat, diffluere.

Nec uult Deus perire animam.) Ab exemplo Dei, qui pronior sit ad dandam uitam, quàm eripiendam: qui etiam cogitet de non abalienandis à se illis qui sunt abalienati. Non enim is cupit mortem eius qui peccauit, sed potius uult ut ad se rediens uiuat. Hæc sententia simplex est. Alij in hunc modum: Deum non parcere ullis, neque cuiusquam rationem habere, sed omnes eius sentẽtia pariter mori. Per expolitionem repetita sententia illa: Omnes morimur.

Ne penitus pereat.) Quamuis omnibus moriendũ sit, tamẽ interea, ne qs per uim intereat, cauet per magistratum, ordinatis ad uim propulsandam iudicib. inter quos tu ô rex summũ locum cum teneas, tuum fuerit, qui meo filio parcere studes, multo magis tuo ut parcas, misere inter fœdas gẽtes & suo & tuo & totius populi periculo exulanti. Quis etiã crediturus sit, te uelle meũ filium seruare, si tuũ seruare nolis? Atq; hæc cũ cogitarẽ, quãuis mulier ego abiecta & uidua, uulgò deterrerer à te adeundo: animo tamẽ sumpto, adire te iustum regem bonitate causæ freta malui, quàm deterrita, per pudorem, filij tui Absalomi salutem negligere.

Sicut

Sicut sacrificium.) *in* למנחה *uerbo facilitas, tranquillitas ac placatio animi. Cogitabã, si rex exoratus me defenderet, & filium meum in Dei hæreditate retineret: fore etiam ut in recipiendo Absalomo in gratiã, facilem se præberet.*

Sicut enim angelus Dei.) *Laus aspergitur, ad cõciliandum apta. Ab æquitatis & iuris tuendi studio, atq; ab ipsa sapientia & fauore diuino, regem angelo cõparat. Reuocata igitur hypothesi ad thesim, nascitur locus qui admouet, in rege bono requiri sapientiam gubernandi, & iuris atq; æquitatis studium, quo genijs cœlestibus sint similes: quorum uidentium uultum Dei, sapientia & studium defendendi insontes, & puniendi sontes, exploratum est. Exempla in euersis Sodomis & liberato Lotho, in miserè perditis Aegyptijs et seruatis Israelitis, in deletis Assyrijs & Hierosolymis defensis, cernuntur.*

Vt uerterem figuram sermonis.) *parabolicè loquerer, dum intelligeres alludi ad filium tuum. In hac significatione utitur Hebræus* פנה.

Et faciem meam non uideat.) *partim, ne eo in conspectu meo uersante, mihi dolor de interfecto Amnone primogenito filio renouetur: partim, ne eum in oculis ferens, uidear probare necem ab ipso factam magna populi offensione. Sed quæras, cur ex legis sententia fratricidam supplicio non affecit? Accusatores aberant: & Dauid intelligebat, iusto Dei iudicio Amnonem, quamuis non iustè ab Absalomo, interfectũ: & hãc cladem suæ familiæ ob crimina sua à Deo intentatam. Postremò occulta sententia reseruabatur Absalomus ad interitum, qui suo tempore expediretur. Contentus igitur pater exilio filij, ei domum redeundi potestatem fecit: sed hac lege, ne in conspectum suum ueniret. In quo exẽplum editum ab illo est paternæ grauitatis, sed suis clementiæ notis aspersæ.*

Vir pulcher.) *Laus à pulchritudine corporis, qua fretus regnum affectasse uidetur, qui sciret Saulum à forma commendatum, similiter ad regnum peruenisse. Exemplo hi duo & alij sunt, animos sæpe corporum pulchritudini nõ respondere. Quare scitè Isocrates dicebat, eos qui pulchrum haberent corpus, animum autem deformem, bonam habere nauem, gubernatorem autẽ malum. In utrisq; Saulo & Absalomo, hypocritarum ingenium figuratur, qui externa specie se uenditantes, ambitiosè ad magna aspirant.*

Ducentis siclis.) *qui octingentarũ drachmarum pondus habebant: singulis siclis quatuor drachmas Atticas continentibus.*

Semel in anno.) ימים, *in loco annus. Veluti etiam ex illo patet,* ימים תהיה גאלתו.

Pondere publico.) באבן המלך, *id est, pondere regio. Duplex pondus erat: alterum sanctuarij, alterum publicum & regium.*

Nati sunt Absalom.) *Hi ignobiles fuerunt.*

Nomine Thamar.) *Græci addunt,* ἧς γένετο γυνὴ ῥοδοκάμινος, ἧς ἔτεκε θυγατέρα τὴν ὡραίαν. *Similiter Iosephus, imitatus Græcos.*

Et noluit ad eum uenire.) *qui memor esset huius regij mandati: Sed in conspectũ meum ne ueniat. A quo igitur rex abhorrebat, eius etiã consuetudine abstinuit Ioabus: cui, ut apparet, Absolomi ingenium ab ambitione suspectum esset. At hoc consilium tandem damnum ab Absalomo illatum uicit, ut sequitur.*

Scitis agrum.) *Alterum exemplum crudelitatis in Absalomo, à quo Ioabi ager, quòd uocatus non uenisset, incenditur. Igitur sæuum animum, quem corporis pulchritudo tegebat, malefacta prodiderunt. Atq; hoc iniuriandi studium contemptus iram pariens, in Absalomo excitauit. Adiuuit idem iniuriandi studium, qui regis filius esset, & magna ambiret.*

Obsecro ergo ut uideam faciem regis.) *Prodit se mendax hypocrisis. Hæc enim non erant uerba amantis patrem, sed occasionem quærentis, sub specie amicitiæ insidias ei tendendi, ad inuadendum regnum.*

Quod si memor est.) *Hebræus: Si est in me culpa. Non agnoscit crimen, per insidias necati fratris. quod erat hominis legem diuinam cõtemnentis, Ne occidito: & patris expostulationẽ iustam contemnentis, & in eum odium alentis, quod mox erupisse narratio sequens ostendit.*

Atadorauit.) *prono in terram uultu regi patri honorem tribuit, cuius regnum hypocrita ipse ambiebat. Sic est hypocritarum ingenium & natura.*

Osculatus est.) *Ignarus consilij, quod Absalomus aduersus ipsum moliebatur. Dauid igitur mysticus hominum corda non cognoscebat. Secus noster cœlestis Dauid cõparatus est, de quo apud uatem legimus, eum sic oppletum spiritu sacro, ut odore narium hominum pectora subodoretur. de quo uideris apud Iesaiam cap. 11.*

IN CAPVT XV.

IGitur post hæc fecit sibi Absalõ.) *Narratur*

Narratur affectandi regni studium in Absalomo, quod in parandis curribus, equitatu, præcursoribus, & in Israelitarum animis conciliandis cernebatur. At quæ res sollicitauit illum ad ambiendum regnum? Primò regnandi innata cupiditas, quòd iucunda res sit regium imperium: quo qui funguntur, omnia se habere arbitrãtur. Hanc cupiditatem extimulabat, quòd sciret se regis filium esse, dignum imperio etiam propter pulchritudinem gratam uulgo: neq; deesse sibi illud inuadendi occasionem putauit, patre de se, ut reconciliato, nihil mali suspicante. Quales homines iniuriæ, ut incauti, opportuni sunt. Sed quod patre uiuente regnum expetiuit, factum id esse uidetur, ne illo adhuc uiuente, imperium Salomoni decerneretur, quod mortuo patre obtineret. Vnde etiam propensius primogenitum Amnonem è medio sustulisse uerisimile est. Occultae etiam irae uidetur stimulatus, ut ambiret regnum, qui contemptus à parente & fratribus tamdiu fuisset, & intelligeret matrem suam eo honore non haberi, quo cæteræ habebantur, quòd Israelitica non esset: à qua quoque fortassis ut tanta moliretur, incitatus fuit, ut & suam & filij contemptionem uindicaret. Nec defuerunt eorum consilia, apud quos exul fuerat, quos olim pater gratui bello uexauerat. Quales ad iniuriam inferendam proclines sunt. Postremò sub præuisione diuina Absalomus patri insidias struxit, ut impleretur sententia qua semel Dauid suorũ insidijs destinatus fuit, tum ob castiganda scelera eius, tum ad probandam ipsius fidem per graues tentationes, quibus promissionis illius (Firmabo thronum tuum) fides non secus atque aurum igni probaretur. Accedebat occultum consilium Dei, de adumbranda persecutione, qua Messias cœlestis Dauid à suis & inter suos erat diuexandus, siue Israelitas, siue gentes spectemus. Porrò Israelitæ legis iusticiam sectantes, & Dei contemnentes, stupro infamem Amnonem imitantur. Quam meretricationem ut redarguat diuinus spiritus, ijs notum est, qui quæ sit fidei iusticia, hoc est, quam fides nobis de plenitudine Messiæ cum uita communicat, intelligunt. Gentium uerò Ecclesia, ut sub aduersario regni cœlorum defecerit ab Euangelij, fide cum Absalamo persequẽs suum Dauidem Christum, profanationis tempora à Prophetis & Apostolis descripta satis clarè declarant. Hanc autem Ecclesiam qui typus aptius nobis representarit, quàm Absalomus ex gentili fœmina natus, & Dauidis patris sui regni perfidus persecutor? Hæc ecclesia quid aliud tot secu-

lis præ se tulit, quàm simulatam illam speciem religionis, tot ceremoniarum apparatu oculos superstitiosorum hominum fascinantem? Talis pulchri Absalomi species fuit, qua regnum expulso Dauide ambiuit.

Omnem uirum qui habet negocium.) Regnum qui ambiret, regium munus obire studet: quod in cõtrouersijs iudicandis, & in iure reddendo uersatur.

Videntur mihi sermones tui.) דבר, in loco causa est. Blanditijs aucupatur fauorẽ populi, ut solẽt populares homines, captata uulgi beneuolentia, ad honores aspirare, aut aliquid noui moliri.

Non est qui te audiat.) Falsò regẽ traducit, à quo nemo sit qui de causis iudicet. Qui igitur à Deo probitatis laudem & testimoniũ ferebat, à filio improbitatis dãnatur. Hæ sunt ambitiosorũ hominũ uanissimæ artes: quos neq; Dei metus, neq; parentũ reuerẽtia, neq; reliquæ cognationis studiũ ab honorum, quos animo præsumpserint, cupiditate auertit. Quare meritò Timon ille μισάνθρωπος appellatus, auaritiã & ambitionem duo malorum elementa uocauit, quòd ex horum uitiorum fonte cætera omnia uitia dimanent.

Quis me constituat.) Prodit se hypocritæ ambitio, qui à Deo non uocatus, ultro se Israelitis, quibus imperet, obtrudit.

Et iustè iudicem.) In Hebræo iustificandi uerbum ponitur, in qua lingua iustificare interdum est, pronunciare aliquem iustum esse: & probata eius causa, culpa absoluere, ut apud Salomonem, Et qui impiũ iustificat: hoc est, crimine liberat, & insontẽ pronunciat. Interdum est, ex improbis probos efficere: ut cum Deus dicitur impios iustificare, hoc est, suam iusticiam eis per fidem in filium cõmunicare. Quæ fides de plenitudine Messiæ, opes iusticiæ, uitæ & sapientiæ in credentes effundit. Sed de hac re in eo loco tractatio instituta est uberior, ubi ex fontibus tota iustificationis causa ducta explicatur. Est item iustificare, testimoniũ de alicuius iusticia dare, & eum iustum declarare: ut cum in sacris literis ex dictis & factis dicimur iustificari. hic accipitur, ut idem ualeat quod ius dicere uel reddere. Iniustus cũ esset Absalomus, se ius redditurũ, hoc est, de sontibus suppliciũ sumpturũ, & insontes iniuria liberaturũ profitetur, ad augendum odium in patrẽ, quò fortasse putauit eum laborare propter adulteriũ & homicidium, & fœdissimũ stuprum Amnonis primogeniti domi suæ admissum, & ab eo dum uiueret ille nõ punitum. Accedebat opinio de odio Israelita-

citarum, quod existimauit eos in Dauidem retinere, propter ereptũ Saulo regnum. Nam nõ ignorabat, adhuc multos, præsertim in Beniamensi tribu esse, qui regni huius splendorem Dauidi propter Sauli memoriam inuiderent.

Osculabatur eum.) præcipua ambitiosorum hominum nota est, ad obtinẽdum imperiũ, ut tandem suam tyrannidem declarent, in adulatione, blanditijs & osculis præsidia sua collocare: & cum sint angeli tenebrarum, in angelos lucis se trãsformare. In hos, ut ille dixit, lõgè grauius est incidere, quàm in coruos. Hi enim mortuos, quib. nocere nequeunt, lacerãt: illi uiuis, quos perdãt, insidiantur. & quod grauius est, hoc faciunt sub specie probitatis, cum improbitatem meditentur, prouehendæ. ut hic Absalomus exemplo est.

Et sollicitabat corda.) Hebræus furabatur corda, habet: hoc est, furtim sibi Israelitarũ animos conciliabat. Tropus satis notus est. furari pectora, pro celare consilia sua, subdolè atq; uersutè quippiam agere. Sic in Genesi, furatus animũ Labanis Iacobus dicitur: hoc est, consilium fugæ suæ illum celasse. ubi Paraphrastes Chaldæus celandi uerbum רבסי habet. Verbum hoc conuenit in hypocritã Absalomum, qui sub iusticiæ colore Israelitarum pectora, eis ignorantibus quid moliretur, abstulit, ut decepti ab eo starent aduersus Dauidem, semel à Deo unctum regem. Intueamur in naturam & ingenium eorum, qui regno cœlestis Dauidis Christi insidias struunt: ut eorum hic in Absalomo aptissimus typus præformetur, facile intelligimus.

Post quadraginta autẽ annos.) Interpretes alij supputãt à tẽpore primũ Sauli in regẽ uncti, alij à prima Dauidis unctione à Samuele facta, à qua anni hi quadraginta numerati in grandiorem Dauidis ætatem incurrebant, qua iam regnum eius finiendum erat: atq; hoc tempus uisum fuisse Absalomo, ad affectandum imperiũ, aptum, qui uerebatur, nisi ipsè prior id inuaderet, id Salomoni cessurum. At is prudentia sua falsus, regnum adeptus non fuit, superante humana consilia Dei consilio, de quo sapiens Salomon in Prouerbijs: Multæ sunt in hominis animo cogitationes, sed Domini consilium firmum est. Veteres Hebræi interpretes hos quadraginta annos supputant ab eo tempore, quo Israelitis petentibus regem, Saul unctus rex est: alij à tempore quo à Saulo in Noba sacerdotes interẽpti sunt. Sunt qui pro quadraginta, legant quatuor, exactis quatuor annis: atq; eos à reconciliatione Absalomi cum patre supputant. In horum numero Iosephus est. μετὰ δὲ τοῦτο τὸ πεντήκοντα αὐτῷ καὶ τέσσαρα ἔτη τῆς βασιλείας.

Vadam & reddam uota mea.) Sub specie religionis, quam falsò prætexit, regnum captat. Quẽ qui in regno illo, ex meris mẽdacijs & simulatione cõflato, imitẽtur, satis hodie notũ est. Intueamur nostra & superiora tempora, quibus fucata illa meretrix Babylon opes, imperia, regna, insidiata regno cœlestis nostri Dauidis Iesu Christi, nanciscì studuit. Cæterùm de ratione sacrificiorum uotiuorum, uideris in Leuitici 7.

In Gessur Syriæ.) Is locus indicat, Gessurem Syriæ fuisse regionem.

In Hebron.) maiorũ inclytà ciuitate, & in qua patrem Dauidem regem creatum sciret. Quia nondum cultus Dei, qui Hierosolymis agebatur, institutus erat, licebat non uno in loco sacrificare.

Achitophel Silonitem.) Insignis perfidiæ exemplum, undiquaq; quærit occupandi regni præsidia. Viros enim prudentia & consilijs præditos, & popularibus artibus uulgus sibi conciliat. Qualibus præsidijs septi, ad magnas iniurias faciendas apti sunt.

De ciuitate sua Gilo.) Iudææ ciuitas est, de qua uideris apud Iosuam 15.

Surgite & fugiamus.) Metum hunc sententia diuina per Nathanem exposita incutiebat: Quamobrem non recedit gladius de domo tua. Maluit igitur prudens rex ad tempus cedere furori Absalomi, aduersus se ferens iudicium Dei, quàm illi temerè repugnare. Nam sciebat ab humilibus, demissis, & iniuria affectis, contra arrogantes, superbos & incuriosos Deũ stare. Quæ depresso Dauidi expressit hãc sacram orationẽ: Domine multi me insultant, quàm multi in me consurgũt, quàm multi negãt in Domino mihi salutẽ sutã esse, Sela. Atqui tu Domine meus es clypeus, & gloria mea, quiq; meum caput extollis. Exemplum igitur hoc Dauidis docet, interdum hosti cedendũ esse, nobis permissis curæ diuinæ, ut sit locus patientiæ, per spem certam salutem consecuti.

Et uniuersa domus eius pedibus suis.) Pro quo Paraphrastes reddit עמיה, cum eo totam familiam migrasse. Similiter alias, רבהעם אשר ברגליו. phrasis hæc imperij significationem in subiectos habet.

Decem mulieres concubinas.) Sed cur has non tulit secum? Erat implenda sententia Dei: Ecce ego suscitabo malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo alteri.

Neq;

Neq; enim erit nobis effugium.) Prudens rex nouerat, cum regnandi cupiditate crudelitatẽ coniunctã esse, qua contra omne humanitatis ius, in eos qui de gradu regij imperij deijciendi sunt, sæuiatur, ne resistant. Itaq; hãc in tyrannis considerans sæuitiẽ Antisthenes philosophus, carnifices solitus est præferre tyrannis, qui intelligeret à carnificibus improbos interimi, à tyrannis etiam insontes, & sæpe de ipsis bene meritos.

Et omnes Gethæi.) Alij interpretantur Gethæos fuisse Israelitas, uersantes in Gath urbe, qui ad Dauidem uenerint, ut ei in bello tam graui auxilium ferrent. Paraphrastes interpretatur, qui eum à Getha comitati fuerãt. Iosephus de sexcentis illis, qui in priori fuga, cum Saulũ fugeret, Dauidem secuti sunt, accipit.

At Ethai Gethæum.) Hunc ducem sexcentorum illorum fuisse apparet. Infrà enim legitur: Transiuit Ethai Gethæus, & omnes uiri qui cum eo erant.

Habita cum rege.) Absalomo iam ab Israelitis creato rege.

Fratres tuos.) sexcentos illos Gethæos. Horum saluti maluit consulere pius rex, quàm eos secum periclitari, qui omnẽ suam salutem Deo permisisset, posthabito apparatu bellico. ut is ipse fatetur in Psalmo: Tu Domine clypeus meus es. is erat usus salutaris crucis.

Peregrinus es.) Exemplo Dei, peregrini habet rationem, qui sciret peregrinos, uiduas & pupillos Deo in primis curæ esse.

Ego autem uadam.) sententiæ Dei in me latæ exitum expectans. Hebræus indicat sibi incertum iter fore, sola diuina ratione gubernandum.

Et Dominus faciet tecum.) Imitatur Græcos, qui uertũt, καὶ ποιήσει μετ' ἐμοῦ ἔλεος καὶ ἀλήθεια. Hebræus solum habet חסד ואמת. Quibus uerbis bonitas & fides notatur. Siue igitur ad Dauidem, qui polliceatur se bonitate & fide parem gratiam repositurum, ut Paraphrastes interpretatur: siue ad Dominum referas, ut Græci & noster, id nullo sententiæ fit periculo. Nam ut summa fide & bonitate erga suos se gerit Deus, ita inter se pij gerunt ad imitationem Dei, cuius uiua sunt in terra simulachra. Atq; hoc sanctè se gerendi studium in cruce excitatur, quod sæpe res prosperæ excutiunt. Hæ enim ueteris & terreni hominis libidinem suscitant: illa deprimit, accenso per fidem Dei & alterius amore. Itaq; ut equos propter crebras contẽtiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere solent, ut ijs facilius possint uti: sic suos Dominus secũdis rebus effrenatos, sibiq; præfidentes, tanquam in gyrum crucis mortificantis ueteris hominis cupiditates, ducit, ut perspiciant rerum humanarum imbecillitatem: & hac perspecta, ea bona quæ in cœlo reposita sunt, ab omni, ui libera & tuta quærant.

Et respondit Ethai.) Exemplum fidei in Gethæo proselyto, quæ Absalomi filij, & eorum qui illi adhæserunt perfidiã grauiorem reddidit. Vmbra rerum futurarũ quæ hic designata sit, non est obscurum.

Flebant uoce magna.) Is fletus cœlum penetrans, potentior in infirmis fuit ad salutem comparandam, quàm omnium hostium arma ad uincendum. Vnde intelligimus, sanctorum arma temporibus angustis, precationem, fletũ & pœnitentiam esse: non equos, currum, arcum, clypeos & fundam. Hunc ploratum misericordia illis expressit, quæ animi affectio est, ex miseria alterius, quam indignè uidentur pati, nata. Quid autem indignius poterat accidere Dauidi, quàm cernere sibi filium uiolato naturæ iure exitium machinari? Quantum momentum ad commouendam miserationẽ hoc in Absalomo perfidiæ exemplũ habuerit, patris sanctitas, rerum gestarum gloria, & regnum à Deo traditum atque confirmatum satis declarant. Accedebat senectus, quæ ut digna iudicatur cui misericordia tribuatur: ita miserabilior efficitur, si amicis & honore destituta exilium subeat. In hanc autem miseriam per occasionem peccati suos conijcit Dominus, ut deserti omni humano subsidio, suam experiantur opem, orantes cum Dauide: Non timebo multa milia populi circundantis me, exurge Domine; saluum me fac Deus meus, Psalm. 3. itẽ: Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eo: protector meus, & cornu salutis meæ. Psalm. 17.

In desertum.) מדבר, uolunt esse locum pascuum, à ducendi uerbo uoce deducta. In solitudinibus enim maiora & crebriora sunt pascua, in quibus armenta & pecorum greges à pastoribus ducuntur. solitudo inter Hierosolymam & Hierichuntem satis nota est.

Torrentem Cedron.) Sic & Christus legitur transisse Cedronem, oratũ in monte Oliuarum, cum à Iudæis iam in crucem adigendus esset. Huius torrentis etiam in Paralipomenis fit mẽtio, libro 2. cap. 30.

Reporta arcam Dei in urbem.) Vt cuius sedem Hierosolymam sciret esse, in qua maneret,

neret, non amplius portanda à Leuitis, ueluti in Paralipomenis proditum est libro primo, capite uigesimotertio, & altero Paralipomenon capite trigesimoquinto. Arca quæ antea solita fuerat educi contra hostes, quos consulto & inuocato ad eam Deo uincerent, à Dauide domum remittitur. Etenim sanctus uir, qua erat fide præditus, præsentia eius contentus fuit, qui propitiatorio adumbrabatur. Quem cognosceret in rebus aduersis: extra omnes res aspectabiles, suos liberare posse, hoc est, sine tabernaculo, arca, uictimis.

Et ascendit Abiathar.) Nonnulli arbitrantur, hic Abiatharem destitutum munere sacerdotali, & Zadocum ei præfectum, atq; id notari in uerbo וירע. Accedere huc, quod legitur: Et dixit rex ad Zadocam, Refer tu arcam in urbem. Infrà traditur signatè, Abiatharem priuatum sacerdotio, & à Salomone unctum sacerdotem Zadocum, ut sacra illa functio restitueretur familiæ Phinees, de quo suprà legitur in Numeris, ut cũ eo perpetui sacerdotij fœdus Deus inierit. Abiathar enim erat de familia Eli, quæ ex oraculo Samuelis fuit spolianda sacerdotij dignitate, & ea ornandus Zadocus, qui ex genere Phinees ortũ duxit.

Præstò sum.) Vox boni consulentis uoluntatem Dei, tum in rebus aduersis, tum prosperis. Hac sua patientia nobis eius Dauidis obedientiã representauit, qui in cruce uersans dixit: Verunta men non sicut ego uolo, sed sicut tu. Matth. 26.

O uidens.) Hebr. Num tu non uidens es? hoc est, qui ex Vrim & Thumim oracula diuina cernere queas? Ideo ex re mea fuerit, ut in urbem redeas, & ex ea me certiorem reddas, consulto Deo, quid mihi facto opus sit. Aliter se gerit Dauid, aliter Absalomus. Is pro libidine affectat regnum, non consulto Deo: ille quid sibi agendum sit, ex Dei oraculo cognoscere studet: pariter in aduersis & prosperis rebus paratus parère Deo, & nihil ex sententia sua, sed omnia de consilio diuino moliens facere. unde accidit, ut non pariter euasit in regnum, cum gloria restitutus.

Oliuum oliuarum.) qui & Messiæ filij Dauidis precibus sacer fuit.

Operto capite.) cum ascenderet, non cũ oraret. Notum enim est illud Apostoli 1. Corint. 11. Omnis uir operto capite orans, aut prophetãs, caput suum turpificat.

Nudis pedibus.) Signum cessionis erat de iure regio: ut etiam opertum caput notam subiectionis præferebat. Ruth. 4.

Infatua quæso Domine.) Agnoscit pius rex, in manu Dei humana consilia posita esse, quæ aut irrita aut rata faciat. Vnde hanc sententiam protulit: Dominus dissipat consilia principum. Hanc sententiam sæpe etiam in Saulo, uecram esse expertus fuerat. Sciebat, callidis & uersutis consilijs ualere Achitophelem: sed quæ facilè dissolueret Dominus, cuius consilia rata sint, & firma, de quibus canit: Consilium autem Domini manet in æternum.

In quo adoraturus erat Deum.) ut ex quo monte poterat prospici tabernaculum arcæ oracularis.

Arachites.) A loco, cuius apud Iosuam fit mentio, in hæreditate filiorum Iosephi, cap. 16.

Occurrit ei Chusai.) Exemplum curæ diuinæ, quam in pios gerit. Dauid ut orasset, Infatua consilium Achitophelis: statim illi à Deo offertur Chusai, uir prudentia, cõsilijs et eloquẽtia præditus, quem opponeret Achitophelis calliditati, qui intelligeret clauum clauo pellendum esse: hoc est, artes artibus, cõsiliaq; consilijs uincenda. Itaq; quamuis sciret à Domino uersutorum hominum consilia cassa reddi, præsens tamen exemplũ probat, Deum ea in re hominum quoq; ministerio uti. Quod perpendens Dauid, maluit hunc amicũ suũ ad dissoluẽda Achitophelis cõsilia in urbẽ redire, quàm eum secũ, cum utriusq; periculo retinere.

Amico Dauid.) Qui etiã in rebus aduersis Dauidi adesse uoluerit, in quibus amici fides noscitur, & probatur, ut aurum igni, ut est apud Salomonem: Omni tẽpore diligit amicus, & frater in rebus aduersis nascitur.

Absalom quoq; ingressus est Hierusalem.) ut regia sede occupata, regnũ commodius inuaderet. Vndiquaq; igitur Dauidis regnũ infestatur. Id enim ut antea Saulus infectatus fuit, ita iam Absalomus manũ ei affert. Is filius: ille uarijs beneficijs à sancto rege, quem Deus regem crearat, exornatus. Reducto uelo mysticæ historiæ, quàm infesti sint nostri Dauidis regno hostes sui, satis perspicuum est. Is ne possideret regnum, à suis, & inter suos occisus est: & ut à morte ad uitam reuocatus illud occupauit, denuò per pulchrum illum Absalomum, hypocritarum regem, aduersarium regni cœlorum, deuastari idem cœpit, sed omnia frustra hæc tentata. Nam Christus Dauid morte deuicta regnum ita assecutus est, ut quamuis id dissipare molitus sit multis iam seculis filius perditus, his tamen postremis temporibus maiore gloria & splendore restituatur, quàm unquam antea floruerit. Qui est Messiæ æternus honos, & hostium eius

nunquã abolenda ignominia. Legitur hic, egressum ex Hierosolyma Dauidem, et in eam ingressum Absalomum: Sic cõstat, filium perditum, tempore profanationis spiritualis, illam spiritualem electorum Hierosolymam, in loco sancto sede occupata ingressum, in quo Dauidem Christum sedere oportebat: ueluti ex Apostolo in altera epistola quam ad Thessalonicenses scripsit, cognoscere licet. Sed ut sunt sua consecrationis & profanationis ciuitatis Dei tempora: ita tandem Christo uincente, & uicto specioso hypocrita et pseudopropheta Antichristo, Hierosolymam matore cum dignitate seruator Messias, quàm unquã amissa fuerat, recuperat: Quemadmodum, ut rediisset Dauid ad ciuitatem suam, superato Absalomo, clarior reddita est illa, quàm antea fuerat: ut Salomonis tempora documento sunt.

IN CAPVT XVI.

APparuit Siba.) Tentationes narrantur, quibus Dauid iam exul factus, tentatus est: quarum duo sunt genera. Vnum eius tentationis, qua per amicitiæ speciem à Siba Mephibosethi famulo tentata Dauidis innocentia fuit: alterum, quo ab hostibus uexatus est, ut erant Semei & Achitophel: hoc, ad stuprum ut raperẽtur concubinæ ab Absalomo, consulente: illo apertè maledicta in exulem regem iaciente. At uerò ut diuina cura suo bono uexatus est Dauid: ita tandem fide omnia superante, huiusmodi uexationes lætum sortitæ sunt exitum, per eum qui non sinit quenquam suorum grauius tentari quàm ferat.

Remansit in Hierusalem.) Auaritiæ cum perfidia coniunctæ exemplum. In quo licet perpendere, quàm parum fidum sit suis Domi nis seruile ingenium. Vnde locus datus prouerbio illi: Quot serui, tot hostes. Deinde quantum uicium sit auaritia, intelligitur, quæ hic Sibam ad perfidiam impulisse legitur, qui ut inuaderet Domini sui facultates, eum apud regem defectionis ac rebellionis accusauit, opibus eius insidiatus, & uitæ. ut rectè Latinus uates canat:

—Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?—

Itaq; philosophus ille, auaritiam omnis improbitatis metropolim & arcem appellauit. Postremò auaritia nõ solum animum Sibæ peruertit, sed Dauidem etiam per adulationẽ deceptum eò adduxit, ut fidem mentienti seruo habens, Mephibosethum bonis suis spoliaret, quas antea ei donauerat amore Ionathæ, patris illius. Sapienter igitur Salomon amici plagas fideles esse dicit, inimicorum uerò oscula acerba.

Tua sunt omnia.) Sententiam hanc, decepto à perfido seruo regi, uerisimilis suspicio de regni cupiditate res nouas molienti in Mephibosetho expressit, qui etiam cogitaret, odiorum, quibus parentes laborarunt, semina in posteris remanere.

Vsq; Bathurim.) tribus Beniaminensis urbs. de qua suprà mentio fit. Hæc appellatur in Paralipomenis Alma. Ideo hic Paraphrastes עַלְמוֹת.

Et ecce egrediebatur Semei.) Narrantur conuicia Semei in Dauidem iacta. Is amore Sauli, cuius propinquus erat, odio persecutus est Dauidem. Nam ut amicos & propinquos amamus, ita eos oderimus, quibus quos amamus, infestos esse scimus.

Mittebatq; lapides.) non contentus maledictis. ut est natura odij, eos in quos illud fertur, perdere uelle, non solum conuicijs petere.

Vir sanguinum.) Semei, ut ex sequentibus apparet, suspectum habuit Dauidem de cæde Abneris & Isbosethi.

Reddidit tibi Dominus.) supplicium de cæsa Sauli stirpe à te sumens, quam delere molitus es, ut regnum occupares. Odij sæui & crudelis affectus natura exprimitur, quo ut pereat is qui odio habetur, mendacijs non abstinetur. Nullius enim de familia Sauli necis autor fuit Dauid: & regnum nõ ui & iniuria, sed nutu & arbitrio Dei adeptus est. Odium igitur quod ad tempus tegitur fuco & simulatione, occasionem ubi nactũ est, erumpit, ut flamma ignis è cineribus. Semei sanguinarium Dauidem cum uocat, se sanguinarium prodit, dum odium, quo sanctum regem perdere uult, aperit. Sic sunt hypocritæ, sua uitia tegẽtes, & aliorum innocentiam falsis criminibus insectantes. sed suo malo, uindice Deo, ut de Semei & alijs exempla constant.

Et dedit Dominus regnum.) Dauidem regnum per uim occupasse dicit, & Absalomo illud à Domino traditum confirmat: cum alter id uoluntate Domini accepisset, alter ui & iniuria inuasisset. Qua in re ostenditur ingenium eorum, qui odio bonorum uirorum flagrãt, ut hi non solum in homines iniurij, sed etiam iniqui iudicio diuino sint: quo boni probantur, mali reprobantur. Itaque Timon ille, qui ab odio quo homines persequebatur, μισάνθρωπος appellatus est, interrogatus cur homines odisset, sic respondisse fertur: Meritò improbos odi: reliquos autem, quia improbos non oderunt. Semei probum Dauidem reprobauit,

improbum Absalomum probauit, dum in altero res aduersas, in altero prosperas considerat. Vt solent improbi homines ex miseria eos qui illa afficiuntur, improbos iudicare, & ex prosperitate alios probos. Qua in re miserè hallucinantes, non perpendunt afflictiones, quæ in his fluxis seculis feruntur, non peccati opus esse, sed beneuolentiæ diuinæ, quibus sanctorum hominum fides probetur, & probata glorioſos reddat. Quò referendum illud Domini apud Ioannem: Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Opera nimirum salutis, ad amplificandum nomen Dei, prælucente luce fidei. Hoc Dei consilium hypocritæ euertere studeant, odijs suis cæcati, & duces cæcorum. Qua cæcitate etiam Iobi amici laborarunt, cum illius improbitatem ex calamitate, quam Deus non maleuolentia, sed beneuolentia immiserat, colligerent. Hæc igitur in hac causa expendenda fuerint. Primò, malè concludi, his bene & prosperè res cadunt, opulenti sunt & potẽtes, igitur boni sunt & grati Deo. Contrarium enim effici, res ipsa docet, & sacræ literæ: quæ admonent, non diuites & potentes locum in regno cœlorum habere, sed lugentes, inopes & oppressos. Atque ita neque cõsequitur, si aliqui rebus aduersis uexantur, in diuina eos ira & odio esse, & propter culpam affligi. Contrariũ comprobant uerum esse, sanctorum à tyrannis trucidatorum exempla. Secundò, uerisimili indicio colligimus, eos quibus omnia in hoc seculo prosperè eueniunt, cum spurijs temporarijs bonis, non hæreditate donari. Tertium est, electos tandem in futuro seculo, æterno gaudio cum Christo perfundendos, qui in hoc seculo uarijs calamitatibus uexantur. Stat enim illud: Beati qui lugent. Quartum, quòd si pij in hoc seculo bene habent, id eis contingere iure hæreditario. firmum enim est illud: Iusti hæreditabunt terram. item: Pietas ad omnia utilis est, promissiones habet præsentis & futuræ uitæ. Quòd si priuantur possessione terræ, in hoc priuantur, ut intelligant regnum Messiæ non esse de hoc mũdo: & ueras benedictiones nõ terrenas esse, sed cœlestes, imò supracœlestes, in throno gloriæ Messiæ repositas. Itaque discimus ex hoc patientiæ Dauidis exemplo, quam utilitatem afferat afflictio pijs. hanc cerni in probanda fide & amore Dei, in contemptu mundi inducendo, & amore rerum cœlestium excitando, in patientia creanda, & ea conseruanda: in suscitanda inuocatione Dei, in gustanda gloria futuræ uitæ, dum ignominia crucis splendorem, labor quietem molitur: in conformatione, qua nos Messiæ capiti conformemur, qui sub onere crucis depressus ad infima, super omnia elatus est, cœlestiũ & terrestrium & infernorũ mortis & uitæ Dominus.

Quare maledicit.) Hæc uox fuit charitatis in Dauidem uox, sed humanæ, non diuinæ, quæ hortatur etiam hostibus benefaciendũ esse.

Quid mihi & uobis.) Reprehenditur studium ulciscendi, qui nosset Deo permittendã ultionem esse, & sanctis per patientiam tolerandas esse iniurias, non rependendas. De qua tolerantia uideris apud Salomonem præclaram sententiam, capite trigesimo. Cæterùm quòd nominat filios Saruiæ, Ioabum quoq; in reprehensione attingit, qui Abnerem Sauli propinquum interfecerat per dolum.

Dimittite eum.) Vox charitatis diuinæ, quã fides excitat, non natura: eiusq; spiritum pijs de capite Christo conformantem nostram uoluntatem cum diuina communicat, qui promissus in prophetis, temporibus noui fœderis in pectora sanctorum publicè funditur. de quo illud Apostoli: Per fidem accipimus promissionem spiritus. Hoc charitatis spiritu afflati filij Dei, etiam hostibus benefacere student, ad imitationem eius qui pro sontibus mortuus est: & ad exemplum Dei patris, qui solem suum sinit lucere bonis & malis. Itaque de Christo præfigurato per Dauidem, Petrus: Qui cum malediceretur, non maledicebat. At quoniam figura cum re figurata non in omnibus consentit, differt in eo Christus à Dauide, quòd alter pro alienis peccatis, alter pro suis maledictionem tulit.

Dominus enim præcepit ei.) Ratio ferendi maledicti à uoluntate diuina, cui ita uisum sit, ut probris afficiar. אמר, hoc est dicere, sumitur pro excitare et impellere. Deus excitauit Semei, ut mihi conuicietur. Nam quoniam is uerbo nutu & arbitrio omnia efficit, fit, ut dicere atque præcipere in Deo idem sit atque impellere, agere, atq; efficere. Dicas, Si Dominus excitauit Semei, ut malediceret Dauidi, autor igitur is peccati dicetur. Hæc quæstio aliàs tractata est. In excitatione Semei ad maledicendũ Dauidi duæ mouẽtes causæ cõsiderantur: altera Deus est, altera praua uolũtas Semei & Satã. Is impellẽdo peccat, Deus nõ itẽ. Is enim in agitãdo bonũ cogitat in quod malũ, quod accidit, conuertatur: ille malum exitum machinatur, quo cui malum euenit, pereat: alter Dei, & eius qui malis afficitur odio impellit: alter nominis sui amplificandi, & deiectos humiliatosq; cruce extollendi studio, dum

dum uitiositatem suam, in qua sunt, agnoscant, afflictionum uerbere castigati? Itaque Deus cum malos agit, non aliter eos agitat quàm bonus eques uitiosos equos agitat, quos cuperet sanatos, ut eis bene commodeq; uteretur. Contrà Satan malos agit, ut eos totos euertat: bonos studet agere, quos malos reddat, & ita ad exitium perducat, non eos emendatos calamitate ad salutem reducat. Igitur contingit, ut in una aliqua actione uitiũ cernatur, & integritas atq; bonitas. Vitium quidem, si uitiosa causa à qua labem ducit, spectetur: bonitas, si bona. Sicut à fonte aliquo riui dimanantes, à puro alueo per quem fluunt, puritatem, ab impuro impuritatem trahunt. Potestas igitur impiorum, qua electos Dei uexant, si in Deo consideratur, à quo proficiscitur, uitio omni caret. Sin in impijs, ut in Satana & eius uasis, à uitiosa eorum natura uitium ducit, ut dicatur tyrannis & potestas tenebrarum.

Quare sic fecerit.) Creationis iure omnia Deo subiecta esse agnoscit sanctus uir: eorũ nimirum creatorem Dominum esse, quæ creet et condit: neminiq; ius esse in ea inquirere, quæ fecerit & creauit. Itaq; Dauid, sic monente sacro spiritu, non perpendit Semei personam, quid ob illatas iniurias mereretur: sed quid iusto atq; æquo Dei iudicio esset dignum, qui neminem immeritò plecteret, etiam instrumentis malis usus, quale Satan est, & eius ministri impij homines. Vnde nascitur is locus, in miseria & afflictionibus nõ esse spectandos, à quibus uexamur iniuria: sed Dei tum iusticiam, tum bonitatem. Iusticiam quidem, qui iure sontium delicta atq; uitia emendet: bonitatem uerò, qui puniat ut seruet, non perdat. Qua re Dauid dicit hic: Si fortè respiciat Deus afflictionem meam, & bona pro conuicijs rependat. Dicit, Si fortè respiciat, clementiæ uidelicet suæ oculis, non inclementiæ, quibus in impiorum scelera intuetur, qui peccatorum pœnitentia nulla ducuntur. De quibus oculis noster uates in Psalmo: Oculi Domini gentes contemplantur, ne contumaces extollantur. Psalm. 66. Cæterùm solent conuicia iram excitare. Secus hic accidit in Dauide, in quo spiritus fortitudinis diuinæ contemptum quo affectus est à Semei, superauit, quo minus páreret tram. Simile exemplum cernitur in Iobo, qui ob maledicta uxori iratus non fuit, & acerbas atq; uirulentas amicorum hypocritarum reprehensiones moderatè tulit. Mansuetudinis & patientiæ exempla nobis proponuntur, ad imitandum, ut patienter feramus improborum hominum iniuriam & contumeliam. Quos nimirũ Deus immittat nostro bono, ad nos probandos, ut agnoscamus nostram miseriam à culpa, & diuinam bonitatem, qui nos resipiscentes uelit conseruare, non perdere.

Ecce filius meus.) qui me amare & uenerari ut patrem debuit. A' comparatione maiorum & minorum. Quod argumentum & à naturali non scripta lege, et à diuina scripta duxit: Parentes tuos obserua to.

Quærit animam meam.) à quo uitam secundum Deum habet. ut præcedit: Egressus ex utero meo. Quærere animam, Hebræa phrasi pro machinari mortem: quòd anima uitalis halitus sit, corporibus uitam afflans.

Filius Iemini.) hostis propter Saulum.

Dimittite eum.) quem dimittat Dominus: cuius uoluntati parendum sit, non humanis affectionibus.

Si fortè respiciat Dominus.) cui nota esset hæc sententia, quã ipse sic edoctus cruce protulit: Dominus respicit afflictos. Quã sententiam alijs uerbis enunciauit alter Dauid, Dominus noster: Beati lugentes, quoniam ipsi consolationem accipient. In Hebræo scribi uolunt עֲרִי, quod sonat afflictionem meam. quò spectant Græci, uertentes ἐφ' τῇ πάτπ εινώσει μου. Legi autem עֵירִי, oculum meum: Et respiciat Dominus oculum meum, uidelicet perturbatum, qui uideam à quibus animus abhorreat, & quæ uidere horribile sit. Itaq; Paraphrastes: רמיעה עיני, id est, lachrymas oculi mei.

Venit ergo rex Dauid.) Bachurim.

Hæc est, inquit, gratia tua.) εἰρωνικῶς. Absalomus spectaut sententiam illam uulgatam: Amicorum calamitates communes. quam Tragicus his uerbis expressit: κοινὰ γὰρ φίλων ἄχη.

Quem elegit Dominus.) Declarat Chusæus, ueram esse sententiam illam: Inimici oscula dura. Hac amicitiæ specie usus est diuina prouidentia, ut improborum cõsilia perturbaret, clauum clauo trudens.

Illius ero.) לא scribitur, & legitur לו. Similiter Paraphrastes רי ליה אימי. Et Græci αὐτῷ ἕπομαι.

Viuat rex.) Salutandi locutio, Salue rex. Paraphrastes: צלח, sit rex prosper & felix. Ironia hæc salutaris fuit Dauidi, & perniciosa Absalomo & Achitopheli.

Ingredere ad concubinas.) Fœdi consilij exemplũ, cum hac lege pugnans: Patris uerẽda ne aperito, Leuit. 18 & 20. Quod consiliũ & consul-

consultori,& qui illud ipsum secutus est,pernicio sum fuit.Achitophel id cõsilij dedit Absalomo, ut impleretur hæc sententia Dei, ex talionis iure deprompta,Et tollam uxores tuas, & dabo alteri. Vtriusq; igitur sententia, Dei & Achitophelis,,stupratæ sunt concubinæ Dauidis, sed nõ pari utriusq; animo. Alter enim interitum & exitiũ Dauidi machinabatur: alter in puniendo salutem & gloriam,quam castigatus recuperaret. Alteri placebant stupra contra legem,Ne adulterato: alteri displicebant,qui legem,Ne adulterato,tulisset.Alter igitur flagitiose, alter iustè de constuprandis concubinis statuit. Dicas, Si Dei decreto uitium oblatum est concubinis, cur ergo dicuntur illa displicuisse Domino? Bifariam considerantur peccata. Vno modo,ut pœna:altero,ut noxa & culpa.Hoc modo displicent,illo toleran tur. Nam Deus pro æquitate sua solet peccata peccatis punire, ueluti præsens exemplum comprobat, & alia innumera. Dicas, Etiam peccata,ut peccata, præuisa Dei decretis,quæ fiant. sic enim ait Apostolus: Concluſit omnes sub incredulitatem:& infrà, Vt ipse mendacẽ spiritũ ponat in ore falsorum uatum, proditũ est. Vt Deus autor sit peccatorum,& quatenus:& quomodo ei & displiceant crimina, & tolerentur ex eius decreto ut fiant,ea de re aliâs.

Vt cum audierit omnis Israel.) Callidus senator uulgi ingenium notum habuit, ut id non iudicio, sed affectionibus agatur, dum non quid æquum ac honestum sit,perpendit: sed quid præsens fortuna moneat, sequitur. Quod philosophus Phocion,considerãs,liberè dixit,sibi omnia displicere quæ uulgus agat atq; statuat. Qui hãc sententiam protulit, cũ oraculo esset proditũ Athenis, unum uirum esse qui cũctorum sententijs repugnaret,& populus iuberet inquiri illum ad necem. Intellexit diuinus uir,imperitam multitudinem non animi iudicio duci, sed affectibus in transuersum ferri,ut est apud uatẽ Latinum: Trahitur in contraria uulgus. Quò lex illa Mosæa spectat: Turbam ne sequitor in malo.

Quòd fœdaueris patrem tuum.) Intellexit Achitophel,serpentis ueteratoris uersutia præditus,non temerè liberos iuuandos esse in gerendo bello aduersus ipsorum parentes, qui inter se facilè reconcilientur,magna eorũ clade qui alterutros iuuissent. Itaq; consulit, ut Absalomus ita se gerat contra patrem,ut populus sentiat eum patri inuisum redditum,citra spem redeundi cum eo in gratiam. Id autem futurum,constupratis illius cõcubinis. Quæ fuit maxima ignominia,qua pater notari potuit. Vxorũ enim probrum in maritos redundat. atque hoc augebant attributa rerum & personarum,quòd id à filio,& in conspectu totius populi, & in ipsa regia aspersum esset, ut sequitur:

In solario.) על הגג, id est, super tecto: pro more gentis,ædium tecta plana erant, in quibus commodè inambulare liceret. In loco igitur conspicuo stuprum concubinis hic intulisse legitur Absalomus, ut satisfieret sententiæ illi: Quirem habebit cum uxoribus tuis,in conspectu sorlis huius. Iosephus reddit ἐπὶ τοῦ βασιλείου. Dicas,Si præuisum fuit hoc stuprum à Deo,sub necessitate igitur id decretorum illius designatum est. quod si ita habet, culpa Absalomus caruit. Nam si quid uitiose fit,ita uitiose dicimus fieri,si liberè fiat,non necessitate. Primò uerè iudicatur,omnia quæ fiunt,& futura sunt,præuisione diuina fieri,& futura esse: atq; præuideri ea non quia futura sint, sed quia præuisa sunt, futura esse. Deinde effici hac ratione,ut rectè confirmentur omnia necessitate consiliorum & decretorum Dei fieri,nihil fortuitò,ac (ut dicunt) contingenter,si Dei decreta spectentur. Postremò,nihilo minus uerum esse, si quid peccatur ab improbis,liberè ab eis peccari,non ui & necessitate coactionis: atq; cum necessitate præuisionis diuinæ non pugnare eam libertatem, qua quid improborum libera uoluntate, hoc est propensè & sponte ipsorum fit. aliudq; esse, aliquid necessitate ineuitabilitatis consiliorum Dei fieri: aliud,necessitate quæ in coactione & ui cernitur. Veluti uidere licet in Deo,qui altera necessitate, sed nõ minus liberè,hoc est uoluntariè,bonus est,altera non item. Similiter in Christo & electis eius res habet. Sicut etiam altera necessitate Satan malus est,altera non item. Sic altera necessitate stuprũ ab Absalomo commissum est.

Consilium autem Achitophel.) Achitophelem consiliarium fuisse Dauidis, in Paralipomenis legitur lib.1.cap.27. Oraculi loco habita consilia Achitophelis hic legimus. Sed percũctetur aliquis,cuiusmodi fuerit hæc prudentia Achitophelis,diuina ne an humana ac ciuilis. ciuilis prudẽtia fuit,qualis etiã in improbis uigere potest: hoc est,nõ ea probitate præditis, quæ Dei seuerũ iudicium ferat,coramq; eius tribunali consistat. Huiusmodi autem humanæ prudentiæ cõsilia pro oraculo habentur ea ratione,qua iudices & prudentes in republica senatores אלהים, id est diuini & iudicia eorum Dei iudicia ac sententiæ in sacris literis uocantur. At uerò aliter Achitophelis consi-

consilia à Dauide, aliter ab Absalomo probata sunt. A Dauide nimirum commendata sunt, quæ ab honestate non dissentirent: ab Absalomo, quæ commoda & utilia uiderentur, quamuis turpia forent. ut præsens de uitiandis concubinis Dauidis, & de eo inimicè insectando consilium fuit: quod non quia honestum esset, sed quia commodum ad præsens uideretur, pro oraculo ab impijs habitum fuit. ut solent in deliberationib. ciuilibus sæpe utilia honestis anteferri, quarum finis utilitas, ut laudationum honestas proponitur. Itaq; hic legimus, pro oraculo Achitophelis consilia habita. Quæ ex re cognoscimus, quantum inter diuinam & humanam prudentiam, ab ortu, ui & exitu intersit: quodq; discrimen etiam in humana prudentia cernatur, dum alij utilitatem suadent, honestatis rationem nõ habẽtes: alij utilitatem coniunctã cum honestate: alij cũ uident utilitatẽ pugnare cum honestate, potius ea quæ honesta sunt persequenda cõsulunt, quàm quæ utilia. Exempla in utrãq; partem in probis et improbis infinita, tũ sacra tum prophana, quæ nihil refert commemorare, occurrunt.

IN CAPVT XVII.

Eligam mihi duodecim.) Alterum Achitophelis consilium, & eius miser exitus narratur. Si percunctere, quæ res (cum nemo frustra, sine proposita aliqua utilitatis spe, scelere se obstringat) Achitophelem cõmouerit, ut tam exitialia cõsilia aduersus Dauidẽ Absalomo dederit, apparet duo senatorẽ hunc ad illa impulisse. Vnum est, honoris & opum, quas deleto Dauide se adepturum sperauit, cupiditas. uidebat enim Ioabum creatum exercitus ducem, in maxima apud regem & Israelitas dignitate esse. Ad hãc dignitatem Achitophelem, fretum eloquentia & prudentia, adspirantem cum Absalomo, hunc in modum consulit: Censeo, ut ego lectis duodecim millibus hominum proficiscar. Alteram causam interpretes afferunt, cum tradunt Achitophelem propterea tam atrociter Dauidem insectatum, ut ultionem de eo ob stuprũ Bethabæ illatum, sumeret. Nam huius auum fuisse Achitophelem probant, quod proditum est in Paralipomenis: Eliam filius Achitophel Gilonitæ. Bathabam autem fuisse filiam Eliam. Si ita res habet, intelligimus, qui maximè ad inferendas iniurias proni sint: eos uidelicet, quibus uires ad lædendum nõ desint: ut sunt, qui eloquentia, opibus et amicis florẽt: hos, ambitione cum auaritia coniuncta, non adleues iniurias solere concitari. Deinde cognoscimus ad nocendum procliues esse, qui se priores iniurijs affectos arbitrantur.

Hac nocte.) Ab occasione consilium, quæ facilium locis continetur.

Qui lassus est.) Huiusmodi humanæ prudentiæ, quæ spectat si quis humanis præsidijs destitutus sit, consilia, irrita facit prudentia eius qui dicit: Dominus sustinet cadentes, & alleuat lapsos.

Et solutis manibus.) Locutio de defesso et infirmo à uiribus & robore: quod in manibus, ad opera uarij generis conficienda diuina ratione elaboratis, ostenditur.

Percutiam eum.) Perterrefaciendi uerbum est in Hebræo. Perpendit Achitophel, metũ ac terrorem ex magno aliquo malo impendenti nasci. Ad hunc terrorem creandum putabat noctem, lassitudinem, defectas uires, et defectionem populi, & quæ sunt huius generis, commoda esse.

Fugietq; populus.) perterrefacto rege, à cuius fortitudine pendeat militũ fortitudo, quem communem locum considerat in deliberando usu callidus senator. Vere igitur iudicauit Epaminondas, si uel desit, uel in metu sit dux, prudentia & animi fortitudine carens, exercitum beluam esse sine capite. Nam hæc duo belli ducem præcipuè exornant: aduersus hostes fortitudo, & in oblata opportunitate ratio & consilium.

Percutiam regem.) Fallitur prudentia carnis. eum interficere conabatur, de quo hæc sentẽtia Dei lata fuerat per Nathanẽ: Nõ morieris. Quæ sententia omnia hostium cõsilia labefecit.

Vocate Chusai.) Sic diuinitùs instinctus euocauit Chusæũ, ut fieret quod prædixerat Dauid: Dissipabis consilium Achitophel. Sapienter ergo Salomon: Non est sapientia, non prudentia, non consilium, contra Dominum. Prouerb. 21.

Tu nosti patrem tuum.) Dehortatio à difficili & periculo.

Amaro animo.) Duos locos sapiens senator in consultando considerat. unus est, iniurijs solere stomachũ moueri, & iram excitari: alter, ira audaciam creari, quæ etiam neq; uictis propter iniuriarum memoriã desit. De quo uates Latinus: Quondam etiam uictis redit in præcordia uirtus.

Velut si ursa.) Simile. Similiter Græci fœminam habent. Sed Hebræus marem usurpat, ut indicat שבול. Atqui et ursi orbi sæuiunt, qui traduntur rigẽtes fœtus suos nõ alio incubitu, quàm oua uolucres, fouere. Similiter mas ursus nominatur à Salomone in Prouerbijs, capite 17.

Nec morabitur cum populo.) in abditis locis sibi cauens, ne ab hoste temerè capiatur:

tur: ut antea quoq; cũ ipsum Saul persequeretur, sibi cauit diuinæ curæ præsidio tectus. Refutatur consilium Achitophelis: Interficiam regem solum.

Et cum ceciderit.) ut solet prima clade posteri temporis præiudicium fieri. Quem locũ expendit senator.

Fortem esse patrem tuum.) Refellitur illud: Et perterrefaciam illum. ut enim fortitudo in rebus aduersis eluceat, fortiũ uirorum exempla docent.

Et robustos omnes.) Refutatur illud: Cumq; fugeret omnis populus, &c.

Congregetur ad te.) Refutato consilio Achitophelis, suum Chusæus exponit. Dixerat Achitophel, Eligam duodecim millia: contrà hic consulit Chusæus, omnes Israeliticas copias conuocandas esse.

Quasi arena maris.) Locum facilium instruit. Facilè tantis copijs obrutũ iri Dauidis exercitum. Arenæ maris Israeliticas copias comparat, ad diuinam promissionem respiciens, in Genesi expositam, & iam in figura impletam: Augebo sobolem tuam ad numerum arenæ maris.

Et tu eris in medio eorum.) ut dux exercitus. Præsẽtia ducis notatur in uoce פנים, quæ faciem ac uultum sonat. Hinc apud Latinos puerbia nata sunt: Frons occipitio prior, Oculus domini saginat equos. Suprà suaserat Achitophel, sibi committendum exercitum, relicto domi Absalomo: hic contraria consulit Chusæus, non quidem ut suo consilio iuuaret Absalomum, sed eum ut perderet, spacio impetrato quo euaderet in tutiora loca Dauid, & Absalomus in prælio miserè periret.

Ros.) Aliud simile. Suprà arenæ, hic rori terram operienti exercitum comparat. Qua hyperbole facilè opprimendum Dauidem indicat.

Et non relinquemus.) Secus Achitophel: Et solum regem interficiam.

In torrentem.) Sunt qui נחל pro ualle interpretantur: deijciendos muros in fossam urbi circumfossam, tanquam uallem.

Melius est consilium.) ut quod Deus ratum uellet, non Achitophelis. Deo igitur ita prouidente saluti Dauidis, Absalomus hostis utilius consilium pronunciauit Chusæi quàm Achitophelis, quamuis hoc utile illi fuisset futurum, & illud perniciosum fuerit. ut uerè indicetur, corda regum nõ suo ipsorum, sed Dei nutu atq; arbitrio gubernari. Non igitur consilium Chusæi mendacij & simulationis improbæ redarguetur, quod non Chusæi, sed Dei fuit, per Chusæum Absalomo explicandum, quo perniciosum Achitophelis consilium dissolueretur, ut sequitur.

Domini autem nutu.) De quo Dauid: Dominus dissoluit consilia gentium: hoc est, omnia consilia & studia aduersus suam gloriam & suorum salutem sumpta, irrita facit. Itaq; is apud uatem Iesaiam sic ludit impios, eorum consilia irridens: Inite consilium, & dissoluetur. Iesaiæ 8. Sequitur ergo:

Dissipatũ est consiliũ.) ut prædixerat Dauid: Dissipabis consilium Achitophelis.

Vt induceret Dominus super Absalom.) qui malè afficere Dauidem insontem uoluisset, nõ perpensa sententia illa: Qui foueam cauat, in eam cadet: & qui saxũ uoluit, id in eum recidet. Prouerb. 26. Discimus igitur hic primò, Deum iustum malorum esse uindicem, neq; temerè hominibus improbis mala euenire, sed certo Dei decreto & uoluntate, quibus in declaranda iusticia sua palàm faciat, quàm displiceant sibi sceleratorum flagitia. Deinde discimus, improbos calamitatẽ probis moliri, in quã ipsi tandẽ incidant.

Rogel.) Huius fontis fit mentio Iesaiæ capite 15.

Ne fortè absorbeatur rex.) accepto consilio Achitophelis, & neglecto meo.

In Bahurim.) quò primò fugerat Dauid cum suis.

Ptisanas.) חרפות de cõtrito & comminuto frumento interpretantur, uoce ducta à רוח quod est conterere ac cõminuere. De uerbo hoc apud Iobum: עמורי שמים יר ומפי

Et descenderunt in eum.) in puteo seruantur amici Dauidis oppanso uelo, in quo siccabatur contritum frumentum. Reducta umbra, occurrit puteus, in quem descendentes cœlestis Dauidis amici seruãtur, cœlo nimirum reseruati: sed non sine putei, hoc est inferni gustu saluandi. de quo illud: Deducit ad infernum, & reducit. & de Meßia Dauide: Descendit ad inferos. At quò uelo oppanso amici Dauidis seruantur? Velo gratiæ & beneuolentiæ diuinæ, in quo granũ frumenti expositum, suos seruat. Sed quale granum est illud? Granum est, de quo ipsum cœleste granũ his uerbis: Nisi granum frumenti iactum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si uerò mortuum fuerit, multum fructum affert. Hoc granũ Meßias est, morte & resurrectione sua eum fructum afferens, quem percipiũt electi magno cum gaudio & amplificatione nominis diuini.

Et ne unus quidem reliquus fuit.) Nemine

nemine desiderato, qui adhæreret Dauidi. Deponendus typus, nec non consideranda figura transitus Iordanis seruantis & fugientes & redeuntes. ut seruantur, qui & in mortem & in uitam, in Messia Dauide baptizati, aquis illis diuinis, quas nobis sacer Iordanis repræsentat, conseruantur, ut aliâs indicatum est.

Porro Achitophel.) Exemplum miserabilis interitus. Achitophel, qui exitiũ insonti Dauidi consilio suo machinatus fuerat, miserè illo perijt. ut impleretur sententia illa: Impius parat foueam, in quam cadat. Nota est etiam illa peruagata sententia: Malum consilium consultori pessimum. Sic pereunt omnes, qui Dauidi Christo, & ijs qui illi inserti sunt per fidem, mala moliuntur. Cogitabat Achitophel, satius esse uitã amittere, quàm in Dauidis manum incidere, quem præuidebat uictorem fore, dato ei ad aufugiendũ spacio. Partim igitur conscientiæ cestro percitus, partim metu futuri mali, laqueo uitã turpiter finiuit, qui turpiter mori quàm honestè uiuere maluisset. Atq; hinc accidit, ut iniussu imperatoris Dei, uiolata eius lege, Ne occidito, emigrare hinc desperatus uoluerit. Quod longè fœdissimum in homine Israelita, & uitæ fœdere cum Deo uiuente coniuncti, crimen fuit. Reperti sunt & in profanis gentibus, qui sibi mortem conflarunt: sed Dei oraculis carentes, & alia de causa mortem uitæ anteponẽtes. ut cernere licet in Themistocle, Catone, Bruto, Annibale, Seneca, & alijs.

Disposita domo sua.) datis familiæ præceptis, de curanda in posterum re familiari: cuius perfidus senator potius habuit rationẽ, quàm futuræ uitæ.

Suspendio interijt.) Laqueus igitur perfidorum hominum præmium est, quo pereant, qui seruari Dauide regnante nolint. Sic miserè etiam Iudas proditor Dauidis Messiæ perijt.

Venit in castra.) Mahanaim urbis nomẽ, in Gadina tribu trans Iordanem sitæ. de qua aliquoties suprà mentio facta est.

Ipse & omnes uiri Israel.) Ex sententia Chusæi: Cõgregetur ad te uniuersus populus Israel, & tu eris in medio eius.

Iethra de Israel.) In Paralipomenis uocatur Ismael, q; uel habitasset apud Ismaelitas, uel aliquid more Ismaelitarum fecisset.

Filiam Nahas.) Interpretum sententia, is Nahas fuit Isai, pater Dauidis: & hunc habuisse duas filias, Abigaelem & Saruiam, ex hac natum Ioabum & Abisæum, ex illa hunc Amasam. consobrini igitur fuerunt Amasa & Ioabus. Patrem autem Dauidis binominem fuisse, etiam Nahas appellatũ, probãt ex illo Iesaiæ uaticinio, 14. צמח מישרש נחש רצא. id est: Nam ex colubri stirpe nascetur aspis. ubi uolunt, Ezechiam, qui ex stirpe Isai natus est, significatum. Sed hæc reliquero autoribus suis.

Sobi filius Nahas.) Nahas rex Ammonitarum, qui olim Dauidem hospitio acceperat, cum eum Saulus persequeretur, duos filios habuit. Hannonẽ & Sobi, de quo hic fit mentio. Hannon cum opprobrio Dauidis legatos affecisset, miserè perijt, regno fratri eius Sobi à Dauide (ut uolũt) tradito: q gratus et memor de Dauide exule bene mereri studuerit. Dauidẽ igitur, quẽ filius cũ tribulibus Iudæis hostiliter insectatur, Ammonitæ fouent. Euoluendus typus. At sunt, qui hunc Sobi Nahas filium, non Ammonitã. sed Israelitam fuisse cõtendunt: eumq; quòd uersatus esset apud Ammonitas, nomen inde Ammonitæ accepisse.

De Rogelim.) Nomen urbis in Gadina tribu, uicinæ Mahanaim. Huius apud Iosuam non fit mentio.

Suspicati enim sunt.) Amplificatur beneficium ab occasione & tempore: ut qui difficillimo tempore opem tulerint. Numerantur hic opes sacri populi, triticum, hordeũ, farina, fabæ, lentes, mel, butyrum, oues, casei bubuli.

IN CAPVT XVIII.

IGitur considerato Dauid.) Recenset Dauid copias, tribunis & centurionibus constitutis. Tribunus mille præerat, centurio centũ. Neq; hac distributione contentus, exercitum in tres tribuit partes. uni Ioabus, alteri Abisæus, tertiæ Ettæus Gethanus præficitur: quo acies firmior pro militaris disciplinæ, qua ualebat, peritia à Dauide instrueretur. Quam disciplinã fides in sancto uiro, qua Deo nitebatur, non negligebat, ne Deum tentare uideretur. Vnde cognoscimus, cum sanctorum fide nullam uitæ conditionem, disciplinam, & artem pugnare: sed omnia in hoc mundo, quorum quidem aliquis honestus usus sit, piorum fidei, qua gubernentur ad amplificationem nominis diuini & ad usum humanæ uitæ, subiecta esse. Quare Dauid, dum ducis munere fungitur, interim non immemor est illius quod suprà legitur dixisse: Si autem dixerit mihi, Nõ places, faciat sanè mihi quod ei uisum fuerit. Si nostrum Dauidem Messiam consideres, is suum quoq; exercitum ex electis descriptum instruit, præfectis ei ducibus Apostolis, Prophetis & doctoribus, qui aduersus suum Absalomum, hoc est speciosos hypocritas pugnent. Sed quibus armis tecti? Armis

sanè de quibus uates Iesaias: Spiritu oris sui interficiet impiũ. Is spiritus, qui ueritatis spiritus est, armatur contra hypocrisim & mendacia eorum, qui ex cœtu Israelitarum prodeunt aduersus Dauidem: sed ex Israelitis, hoc est, ex eorum numero qui uero & æterno fœdere cum Deo in Messia coniungũtur, minimè sunt, qui hanc uocem olim audient: Et dissecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, ubi erit ploratus & stridor dentium.

Egrediar & ego.) pro officio fidelis ducis, exercitum ducturus, & communium periculorum socius futurus. Prudenter offert suam operam, prius quàm proficiscatur in bellum aduersum filium gerendum: qui cognosceret, in illo suspectam fore suam præsentiam, quòd patris in filium prælium rem suus sit. Ideo sequitur:

Non exibis.) Sunt igitur tempora, quibus præstat ducem interesse prælijs: sunt item, quibus satius est abesse quàm interesse. Exemplo Dauid est. Suaserat suprà Chusæus, ut Absalomus inter suos præsens incederet, quem cuperet extinctum. hic consulunt ne prælio interfit Dauid, quem uolunt saluum. Vtrumq; accidit prouidentia diuina, qua ut Absalomus perderetur, et Dauid seruaretur, prouisum fuerat ac constitutum, oculo Domini omnia speculante, bonos & malos.

Non satis curabunt.) Consilium Achitophelis eis notum erat: Percutiam regem solum, tibi uni insidiantur.

Quia tu unus pro decem millibus.) Agnoscunt dignitatem ducis, quanta sit, cuius unius fortitudine et prudentia exercitus seruetur, metu & imprudentia perdatur. Ideo sequitur:

Vt sis nobis in urbe præsidio.) consilijs tuis, & ardenti ad Deum supplicatione: quæ duo in bono rege præcipua sunt ad conficiendam salutem. Vtroq; munere præclarè fungebatur Dauid. Huius enim prudentia & pietas quanta fuerit, ex narratione sacra patet. In bono imperatore prudentes homines quatuor has res inesse oportere existimant: scientiam rei militaris, uirtutem, authoritatem, & felicitatem. Vt hæc fuerint in Dauide, hæc historia satis indicat. Sed longè meliore ratione in cœlesti Dauide Messia benedicto hæc cernuntur. Hunc enim nobis diuinæ literæ uirum bellicosum, authoritate summa præditum, cui cœlestes & terrestres exercitus pareãt, diuinas sacri spiritus uirtutes, & in seruandis suis & profligandis hostibus peccato, morte & potestatibus tenebrarũ felicitatẽ summã deprædicant.

Melius est igitur.) Concludunt consultationem, cõmodorum locis instructam. In qua perpendunt, multum ponderis ad uictoriam comparandam consilium ducis et precationem habere.

Seruate mihi puerum Absalom.) Parentũ in liberos animus exprimitur, quos nec rebelles quidem odisse possint. Vera igitur sententia illa est, amorem quamuis naturæ igneæ sit, non tamen ascendere, sed descẽdere. Magis enim parentes liberos amant, quàm contrà. Exemplo hic Dauid est, exemplo Deus pater est, qui quantum nos rebelles liberos amet, declarat unigenæ eius filius. Huius perfectionẽ hic imitatur Dauid, qui contumaci filio et hosti in grauissimo bello ut parceretur, uusit. Qua clementia nobis retulit eius Dauidis naturam, de quo legimus: Et pro sceleratis rogauit, Item illud Apostoli: Nam si cum inimici essemus, &c. Rom. 5. Sed cur Dauid pro filio, quem sciret ex lege plectendum esse capite ob contumaciam, precatus est? Ostendit sanctus rex innocentiam hic suam, dum pro hoste orat: iudicium de rebelli filio, Deo permittens: imitans eum qui in cruce pendens orauit, Ignosce eis, nesciunt quid faciunt. Hac igitur petitione indicaut Dauid, quàm suis animus à uindicandi studio liber esset, animum fauentem criminoni & sceleribus non ostendit. Hoc tamen ita à nobis dictum interpretentur pij lectores, me probis dictum interpretentur pij lectores, me propterea non uelle nimis sollicitè omni uitio Dauidem in hac indulgentia liberare.

In saltu Ephraim.) Dicat hic aliquis, eam regionem, ut trans Iordanensem, Gadinæ & Rubenensi atq; dimidiæ Manassenſiũ tribui cessisse. Quòd is saltus uicinus esset Ephraimitarum ditioni, interiecto solum Iordane, Ephraimitarum saltus, in quo peccora pascerent, appellatus est.

Et cæsus est populus Israel.) Luens perfidiæ & defectionis pœnam.

Et multo plures.) pugnant aduersus hostes Dauidis, Gladius, terra, bestiæ. nomine enim syluæ, nota Metonymia apparet, etiam bestias significari, adstipulante Paraphraste Chaldæo היית חרשא. Narratio indicat, plures fuga periisse quàm in pugna. Vnde Græcus uates canit: φαντας.

ἀλλα πολλῶν δ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι ἢε θανόντες

Adhæsit caput eius quercui.) Indignus qui occumberet fortiter pugnans, annexo capite in quercu, inter cœlum & terram suspensus, more eorum qui maledicti in crucem adacti sus, more eorum qui maledicti in crucem adacti pereunt, perijt. Is est funestus Dauidis hostiũ exitus. Sic laqueo perijt Achitophel. Non aliter proditor

ditor nostri Dauidis Messiæ Iudas Iscariotes interijt. Digni enim sunt ut capite luant pœnas, qui à Deo unctum caput hostiliter insectantur. Absalomus, qui ornatum suum & robur in cæsarie ostentauit, cum cæsarie gloriã et uitam amisit. Sic impij, cum rebus suis uanis quas iactant, pereunt: in quibus corporis pulchritudo, robur, opes & prudentia humana numerantur. Quid enim significent capilli, Samsonis crinis declarat. Contrà uerò pij homines, una fide numinis diuini seruantur, pensi humana præsidia non habentes.

Inter cœlum & terram.) utroq; elemento auersante rebellem Absalomum: etiam mulo opem ferre recusante.

Si appenderes.) Prudentis militis respõsum, in quo perpendit sententiam illam, quam Salomon in literas retulit: Ira regis nuncius mortis.

Nequaquam hoc regem latêre potuisset.) ut habet peruagata sententia illa, Regum longæ aures: item, Regum aures et oculi multi. Eôdem pertinet illud Salomonis: Ne per cogitationẽ quidem regi maledicito, uocem cœli aues ferent, & rem annuncibant uolucres.

Tulit ergo Ioab tres lanceas.) Sed cur Ioabus posthabito mandato regis, Absalomum filium regis, et suum propinquum, telis adortus est, quem miles adoriri non sustinuit? in forti uiro Ioabo hoc facinus laudandum fuit, ut in duce cui Absalomi ingenium studia & malefacta nota essent: scireq;, quantum periculum ipsum regnum aditurum fuisset, si contigisset superstitem remanere Absalomum. Itaq; fortis dux non regis in filium indulgentiam, non propinquitatem, sed suum munus & salutem reip. legemq; de puniendis rebellibus spectans, maluit perdere rebellem Absalomum communi reip. salute, quàm priuatæ patris uoluntati obsequendo illum conseruare, publica regni clade. Proinde de interfecto Absalomo rex cum Ioabo neq; expostulasse legitur: neq; cum Salomoni mandaret, ut de Ioabo supplicium sumeret ob interfectum ab eo Abnerem & Amasam, necis Absaloni, quam ulciscceretur, mentionem fecit: quem intelligeret, belli iure interijsse rebellem, qui in pace seruari parendo parenti renuisset.

Volens parcere populo.) autore belli extincto. Moderatæ uictoriæ exemplum. Spectabat prudens dux commune fœdus, communia sacra, communem cognationem, & lubricos humanæ uitæ casus: uim item beneuolentiæ, quæ ad conciliandos animos, & eos retinendos in fide, plus momenti haberet, quàm tyrannis & metus, quem intelligebat malum custodem esse diuturnitatis.

Aceruum lapidum.) Ex sententia legis Mosæ, qua cõtumaces liberi lapidibus obrui iubentur, Deuter. 21.

Porrò Absalom erexerat.) Non caruit, ut apparet, hoc factũ ambitionis specie. Ideo uidetur eius narratio obiter hic inserta.

Dixerat enim, Nõ habeo filium.) si caruit liberis, cur ergo suprà legitur, eum tres filios & unam filiam habuisse? aut liberi mortui interea sunt: aut eo cõsilio sibi statuit columnam, ut si fortè liberis priuaretur, in quibus parentum memoria in posteros trãsmittitur, columna esset nominis sui monumentum. Huius postremæ sententiæ autor Iosephus est: ὡς δὲ τῶν τέκνων αὐτὸν ἀπεφθαρμένων, ἐν τῇ στήλῃ μένει τὸ ὄνομα. Idem dicit, columnam marmoream fuisse.

In ualle regis.) Quæ etiam uallis שוה appellatur, Genesis 14. Hanc uallem duo à Hierosolymis stadia abesse, Iosephus monet.

Achimaas.) Qui primus periculorum nuncius fuerat, iam uictoriæ quoq; nuncium regi afferre studet, qui notam teneret sententiam illam: Quod est aqua frigida lasso, id est nuncius lætus.

De manu inimicorum eius.) Quos iucundum sit uictos cernere, ut est apud Tragicum,

ἔχει γὰρ ἡδονὰς θνήσκων ἀνὴρ
ἐχθροὺς. —

Filius enim regis est mortuus.) Ratio ἀπὸ τῆς σοφίας, quæ uincat in parentibus omnem liberorum rebellionem & contumaciam.

Chusai.) Non est Chusai ille amicus Dauidis, qui appellatur חושי, sed חושי. is aut Aegyptius fuit inter Hebræos habitans, aut Israelita, quacunq; ratione sic nominatus. Is fuit aptior uisus, qui rem gestam omnem Dauidi nunciaret, quàm Achimaas, qui Ioabo & Dauidi ualde charus erat. Malumus autem res tristes & acerbas per alios, quàm per amicos, amicis nunciari.

Fili mi Absalom, fili mi.) Duplicatio huiusmodi cõpetit lugẽtibus. Sicut in בני בני אורחילה.

Quis tribuat ut ego moriar pro te.) Hanc lamentationem partim naturalis amor, quo parentes liberos prosequuntur: partim pensitatio sententiæ illius à Nathane expositæ, Non recedet gladius de domo tua, Dauidi expressit. Hac in currente in memoriã, hãc flebilem uocem edidit, Fili mi Absalome, utinam pro te mortuus sim. Significare etiam uoluit, reducto uelo, luctum quo

Meßias cœlestis ille Dauid ſuæ ſobolis interitũ, quem ſibi ob rebellionis crimen contraxerat, ita luxit, ut pro illo expiando piacularis uictima fieri ſuſtinuerit, eo amore declarato, de quo illud: Cõmendat autem ſuam charitatẽ erga nos Deus quòd cum adhuc eſſemus improbi, Chriſtus pro nobis mortuus fuit, Rom. 5. unde diſcimus, diuinam ſapientiam etiam malis rebus abuti ad abdita myſteria adumbranda.

IN CAPVT XIX.

ET uerſa eſt uictoria in luctum.) Vera igitur hæc Salomonis ſentẽtia eſt: In luce, hoc eſt ſerenitate uultus regis, uita eſt, eiusq; fauor eſt quaſi ſerotina nubes. Prouerb. 16.

Et declinauit.) in Hebræo וַיִּתְגַּנֵּב eſt, furtim ſe ſubducere.

Et fugiens de prælio.) quod turpe putatur, & probroſum: quòd fuga timoris, degeneres animos declarantis, ſocia ſit. Itaq; in Hebræo additur pudendi uox גַּבְלֻמִּים.

Operuit caput.) more lugentium.

Confudiſti hodie uultus omnium.) Loci turpitudinis & periculorum adhibentur in hortatione: Phraſi Hebraica confundere uultum eſt, pudorem aſpergere. In cauſa es tu, cur exercitus, tanquam hoſtem fugiſſet turpiter, pudore afficiatur, ne lætus de parta uictoria urbem ingrediatur. Vultus autem nominatur, in quo affectionum animi notæ appareant.

Qui ſaluam fecerunt animam tuã.) Ingratitudinem reprehendit. נפש pro uita, incolumitate, ſalute. Explicantur commoda uictoriæ.

Diligis odientes te.) Cur hoc exprobrauit Dauidi Ioab? Ignorauit ne illud, inimicis exẽplo Dei benefaciendum eſſe? Sic Dauid Saulo non malum, ſed bonum repẽdens, laudem adeptus eſt. Qui ſic de ſe fatetur: Si reddidi retribuentibus mihi mala. In reprehenſione hac ſpectat Ioab ſalutem reip. & gloriam Dei, quæ periclitetur amore, quo Dauid Abſalomũ proſequitur. qualis amor hoſtibus non ſit impendendus, ſed potius precandum: Reple uultus eorũ de decore, ut nomen tuum requiratur. Pepercit quidem Dauid Saulo, ut priuatus homo regi, in crucis & afflictionum ſtatu uerſans: non parſurus autem regnum adeptus, & ad ſplendorem imperatoris translatus: ut etiam Meßias non prius iudicis munus ſibi uſurpauit, quam crucis curſu confecto, imperatoris cœli & terræ excitatus è mortuis amplitudinem ſibi uindicauit. Eſt igitur hoſtibus parcendi tempus, eſt item in eos ulciſcendi illatam iniuriam. Quare cũ Dominus citat ex lege illud, Audiſtis quod dictũ ſit, Diligito proximum tuum, & odio habeto inimicũ tuum: id non ita accipiendum erit, ut lex pugnet cum Euãgelio: ſed quòd lex eo modo, de quo meminimus, interpretanda ſit: uel intelligatur, legem quædam puerili ætati, gubernatæ pædagogia, propter infirmitatem permittere, quæ Euangelium adultiorem tractans non permittat: alteram ſpiritu timoris ad ſeruitutem, alteram ſpiritu adoptionis ad libertatẽ moderante. Quo pertinet etiam lex de repudio à Moſe non præcepto, ſed permiſſo ob duriciem populi, ferreo legis ſceptro ſubiecti, interprete ipſo Domino. Demum Ioabus ciuilem illam ſententiam, ut uir ciuilis ſpectaſſe uideri poterit, quam Tragicus enunciauit:

καὶ πόλις τὴν τροφέα φίλον
ἀπρυχεῖν, καὶ τὸ φίλον σώζεσθαι.

Quia ſi Abſalom uiueret.) Tuus & noſter hoſtis, fratricida, ſtuprator tuarum concubinarum. בילא pro אִילוּ, Paraphraſte interprete. Similiter Græci εἰ.

Et omnes nos occubuiſſemus.) amici tui, pro tua ſalute & regno nulla pericula fugientes. Contentione expoſtulationem amplificat.

Iuro enim tibi.) Confirmatio à iureiurando.

Ne unus quidem.) A periculo defectionis populi, in cuius multitudine ſita ſit regia maieſtas: ut contrà in eius defectu, occaſus Imperij. Vt eſt apud Salomonem: In multitudine populi maieſtas regis. Prouerb. 14.

In porta ciuitatis.) Mahanaim.

Omnis quoq; populus.) qui Abſalomo adhæſerat. Iam eo extincto, cum Dauide redit in gratiam. Vnde primò intelligimus, quanta ſit uulgi inconſtantia: deinde declaratur promiſſionis diuinæ ſtabilitas, quam, ne regnum maneret firmum Dauidi, néue filij rebellio, néue populi defectio, néue ulla humana prudentia efficere potuit: ſed uictoria ſic penes Dauidem fuit, ut eorũ animi qui antea rebellarant, iam in Dauidem inclinarint, ex hoſtibus amici redditi, per eum qui apud Salomonem dicit, Inimicos illi pacari, cuius uijs oblectatur Deus. Demùm oſtenditur quanta uis fidei ſit, quam ſancti Dei promiſſis habent: & quantũ ipſa innocentia, quã fides parat, apud Deũ ualeat, qua armati pij, omnia per eum cuius promiſſio neq; falli neq; fallere queat, uincunt.

Rex liberauit nos.) Hortatio ab æquo et honeſto. Beneficiorũ, quibus à Dauide affecti fuerũt, iã uicti recordãtur: quorũ cũ res ſperæ erãt, imme-

immemores fuerunt. Vulgus igitur iudicio carẽs, multa ex opinione iudicat, ex ueritate pauca. Nõ enim ratione, sed cupiditatibus agitur. Locus illustrandus exemplis est, ex historia depromptis.

Et nunc fugit de terra.) trans Iordanem, qui orientalis Chananææ limes fuit.

Et non reducitis regem.) Rex Dauid cum gloria reducitur ab ijs, qui eum ex regno expulerant: contrà uerò Absalomus turpiter cæsus est, regno spoliatus, qui patrẽ regno superbè spoliare statuerat. Vnde sapiens Salomon dicit, superbiam in comitatu calamitatem habere, humilitatem uerò gloriam. Exemplo hic Absalomus est, & Dauid. De superbia Salomon his uerbis: Ante afflictionem superbia, Prouerb. 16. De humilitate uerò: Ante gloriam afflictio, Prouerb. 18.

Vsq; quò siletis.) Concluditur hortatio uehementi interrogatione colorata. Silendi uerbum noto tropo, pro cunctandi.

Ad Sadoch.) Locus de officio sacerdotali, huius esse, monere senatores sui muneris. Sacerdotibus enim legis doctrina, sacrorum & religionis cura erat commendata. In Messia regium & sacerdotale munus coniuncta cernuntur, qui rex & sacerdos secundum Melchizedechi ordinem est.

Fratres mei uos.) Rex eos fratres blanda appellatione uocat, quos hostes expertus fuerat: non ignarus, delictorum condonatione & beneuolentia conseruari regna, tyrannide amitti. Deinde cognouit, à se eum Dauidem repræsentari, qui de se prædicat: Discite à me, quoniam mitis sum. Postremò nouerat, defectionem illam nõ tam populi consilio, quàm seuero Dei iudicio factam, qua ita castigari sua scelera placuisset. Da uidis igitur exemplo nostrorũ hostium iniurias, quibus nos afficiunt, moderatè ferre discamus, perpendentes, nemini aduersas res prorsus immeritò cõtingere. Deinde cogitemus, à nobis quoq; alios interdum læsos, eorum nullo merito. Adferendas item iniurias maximè proderit, proposita habere bonitatem diuinam, qua nobis mala eueniunt non nostro malo, sed bono: ut malis probati, tanquam aurum igni, sub spe ad ea bona per patientiam aspiremus, quæ uerè in bonis numerantur, dum gloriamur de afflictionibus, scientes quòd hæ patientiam pariunt, patientia probationem, probatio autem spem nunquam pudefacientem. Postremò patientiæ exemplum in Dauide, admonet nos Messiæ cœlestis Dauidis, quem pro inimicis suis mortem oppetere non puduit: tantum abest, ut iniurias quibus affectus fuit, & etiam nunc afficitur, uindicare studeat. Cuius exemplo & nos inuitamur ad condonandas nostris aduersarijs iniurias. Nam in hac animi probitate elucescit finis ille, perfectio legis, charitas, per quam omnia sufferentes, malè precantibus bene precamur, & malè merentibus benefacimus, ut patris cœlestis in nobis perfectio exprimatur, qui solem suum oriri sinit bonis & malis. Atq; hoc est illud præstans & excellens iusticiæ, obedientiæ legis diuinæ, donum, quod nobis fides ex capite Christo ad renouandos animos nostros cõmunicat. Atq; inde amor ille diuinus, non humana, non legis, sed fidei iusticia appellatur. Cuius exemplum in Dauide hic ostenditur, pro modo & mensura primitiarum spiritus sacri: perfectè autem & absolutè à Christo nostro Dauide editum constat.

Os meum & caro mea uos.) Hebraica locutio cognatos ac propinquos denotat. A quibus noster Dauid Messias, iam ipsis reconcilia tus, gloriosus haberi uult? Ab ijs sanè, de quibus Apostolus his uerbis: Quoniam membra sumus corporis eiusdem, ex carne eius & ossibus eius.

Et Amasæ dicite.) Hunc in gratiam recipit, quãuis exercitus dux contra eum creatus esset: in quo partim clementiam, partim prudentiã ciuilem declarauit. clementiam quidem, qui hosti placatus sit: prudentiam uerò, qui sciret Amasam multum ualere ad tribum Iudæam reuocandam ad fidem, sicut sequitur: Et inclinauit cor omniũ. ut etiam antea Abnerem sibi in eundem usum reconciliauit. Hæc prudentia ciuilis prudentia est, quam Græcus uates in suo principe commendauit, ut studuit reconciliari reip. bono ei, cum quo graues offensiones interceſſerant:

νῦν δ' ἤ τοι μὲν ἐγὼ παύω χόλον, ὃς πάρος ἦεν
ἀσκελέως αἰεί μιν ἐναίνομαι.—

Si non magister militiæ.) Qui honos Amasam tanta inuidia grauauit, ut à Ioabo duce interemptus sit. Hoc loco non liberabimus humanis affectibus Dauidem, quem apparet Ioabum uoluisse hoc munere priuare, quòd interemisset Absalomum: non reuocatis in memoriam tot præclaris præclari ducis factis. At uerò seuerius in tanti regis consilia non inquirimus, qui Ioabi uitia satis cognita habeamus. Dauidem autem diuino afflatum spiritu multa egisse, quorum ratio & prudentia humana rationem reddere nequeat.

In

In Galgala.) Locus celebris in ditione Beniamenſis tribus, uicinus Hierichonti. Tempore Hieronymi oſtẽdebatur locus deſertus, miro cultu habitus, propter Moſæi tabernaculi memoriã, quod eo loco fuit fixum annos plus minus quinq;, procul à Iord.ne ſtadijs L.

Ne reputet.) Deprecatio criminis, quã præſẽs neceſsitas Semei expreſſerat, nõ amor Dauidis.

Iniquitatem.) culpam contra legem commiſſam: Principi populi tui ne maledicito. Quod crimen, regiæ maieſtatis crimen fuit. Quod quàm capitale ſit, nomen אלהי commune Deo & magiſtratibus declarat.

De domo Ioſephi.) Erat Semei ex tribu Beniamenſi.

Tu ſathã.) Cur hodie mihi aduerſamini, quẽ conueniat hodiernum diem ob reſtitutum regnũ celebrare cum lætitia, non ſanguine multorum luctu funeſtare. Quò inuitabat etiam eum regia unctio, lætitiæ, nõ triſtitiæ conſecrata. De qua ſub mota umbra, illud: Vnxit eum præ conſortibus, oleo lætitiæ. Verebatur quoq; prudens rex, ne ultione ſumpta de Semei, magni graueſq; motus exiſterent in regno per illos, qui quoq; rebellionis conſcij ſibi erant. Itaq; hic reprehendens qui importunè amici erant, dicit, Cur aduerſamini mihi? Vera igitur ſententia illa prouerbialis eſt: Importunus amicus parum differt ab inimico.

Ergóne hodie interficietur?) Regnũ non à ſanguine inchoandum eſſe. Quare ſapienter Salomon dicit, Bonitate & fide conſeruari regnum. Quidam olim rogatus, quid oporteret bonum regem facere, cum reſpondiſſet, amicis bene facere, inimicis malè, alter quidam ſubiunxit: At quanto præſtantius eſt, amicis benefacere, & ex inimicis reddere amicos? Hanc ſententiam expendit ſapiens rex Dauid, priorem filij Saruiæ.

An ignoro, hodie me regem factum.) ab ijs reſtitutũ me regno, qui ex regno expulerunt. Cum ergo nihil tam regium ſit, nihil tam liberale ac magnificum, quàm obliuiſci iniuriarum, & eas bonitate uincere: etiam Semei parcam, de eius in me maledictis pœnam non expetens. Itaq; ſequitur:

Non morieris.) Vitam donat Semei Dauid, cuius uita ab illo petita ad necem fuit. Tantũ apud Dauidem deprecatio culpæ ualuit, qui expertus fuiſſet, quantum ſupplicatio hæc ſua ualuiſſet apud Deum: Miſerere mei Deus, pro magna miſericordia tua. Ad exemplum igitur Dei ſeſe in tota uita componentes pij, hortationem ſui Dauidis expendant, ubi his uerbis hortatur: Sitis uos perfecti, quemadmodum pater ueſter perfectus eſt. A quo cum Dauid hanc ſententiam per Nathanem poſt commiſſum adulterium & homicidiũ accepiſſet, Dominus trãſtulit peccatũ tuũ, nõ morieris: ipſe quoq; ad imitationem clementiæ diuinæ in ſe declaratæ, Semei criminis gratiam faciens dicit, Non morieris. Hoc bonitatis in Dauide exemplum, omnibus probis ad imitandum propoſitũ eſſe debet. Itaq; aliter propinqui Ioabus & Abiſæus, aliter Dauid comparatus fuit. Huius animus afflictionum & crucis peritus ad uindictam non inclinauit, illorum inclinauit, ut dixerit Abiſæus: Ideóne non occidetur Semei? Hi igitur neq; Dei conſilia de humiliato Dauide, neq; eius Dauidis ingenium quem nobis myſticus Dauid retulit, perpenderunt. Hunc, cum in crucis ſtatu uerſaretur, dixiſſe legimus, Ioan 12. Non ueni ut iudicem mundum. Dicas: At Dauid iam uicto Abſalomo reſtitutus regno, glorioſus factus fuit. Quem ſtatum, crucis ne, an glorioſum Meſsiæ in tota illa regni adminiſtratione, Dauid repreſentarit, Salomon, qui illi ſucceſsit, indicat: de quo ſuis locis infrà monebitur. Et ut Dauidis ſtatum non cõſiderarunt propinqui eius, ita neq; diſcipuli conſilia Dei patris conſiderarunt de deiecto Meſsia, cum peterent ignem de cœlo mitti, qui Chriſti aduerſarios abſumeret.

Iurauitq; ei.) Dicat aliquis, iuſiurandum hoc à Dauide non ſeruatum, qui infrà mandaſſe legatur Salomoni filio, ut eum ob conuicia in ſe iacta, impunitum non ſineret. Iuramentũ hoc tempus quo Dauid uixit, complecti accipitur, nõ extra eius fines egredi. Cur autem Salomon de maledico Semei ultionem ſumpſiſſe legatur, nõ Dauid, ea de re infrà meminerimus.

Contempſit me.) Fallendi uerbum eſt, in Hebræo: ſibi impoſitũ à ſeruo, qui clam ad regem profectus ſit, ipſo domi relicto, quamuis aſinum iuſſiſſet ſterni ut unà proficiſceretur. Ex genere iudiciali ſigna affert, quibus ſuſpicionem contempti regis, aut defectionis diluat, ſerui perfidia indicata.

Sicut angelus Dei es.) Hac appellatione diuinam in Dauide ſapientiam commendat, per quam de hac ſua cauſa iudicet.

Quid ultra loqueris.) Durũ atq; aſperum reſponſum, cuius cauſas ſapientes exquiſuerint. Ex hoc reſponſo facilè cognouit Mephiboſethus, uerum eſſe id quod poſtea Salomon literis prodidit: Bilis regia nũcius mortis, & eam uir ſapiẽs placat. Prouer. 16. Id ut ſtuduerit facere Mephiboſethus Sauli nepos, defenſio eius locis ad cõ

ciliandam

ciliandã beneuolentiã & ad declinandam irã & offensionẽ regiam aptis instructa, documẽto est.

Fixum est quod locutus sum.) Exẽplum hoc Dauidis, à Semel pronunciata sententia non recedentis, ostendit, usuuenire id de quo filius Dauidis in Prouerbijs meminit: קֶסֶם עַל שִׂפְתֵי מֶלֶךְ, id est, reges oraculum in labijs habere.

Veni mecum, ut requiescas securus in Hierusalem.) Commendatur à Dauide Bercellæus Galaadita, à bonitate & beneficijs ex amore profectis. Vt commendet suos noster Dauid Messias à benignitate, quam in se & hæredes regni sui ostenderint, declarãt bona quæ illis quibus in cœlesti Hierosolyma fruãtur, promittit: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi: esuriui enim, & dedistis mihi edere, &c. Mat. 25.

Cumq; transisset uniuersus populus & rex Iordanem.) Dauid Hierosolymã proficiscens, in ea regnaturus, Iordanem trajicit. Vt noster Dauid Messias non prius regnũ in cœlesti Hierosolyma ineat, quàm suum Iordanem transeat cum suis, spiritu diuino doctis, non est obscurum. Huc pertinent, quæ suprà in Iosua de Iordanis transitu annotata sunt.

IN CAPVT XX.

SEba.) Noua tentatio, ex defectione decem tribuum à Dauide, autore Seba nata, narratur: in cuius explicatione consultationis de defectione causæ & euentus perpendi debent. Causa non una fuit. Prima est, quòd decem tribus non priores Dauidem reduxissent: quarum hac de re expostulatio paulo suprà exposita est. Altera erat, uetus in Saulinam familiam amor necdum extinctus, ex qua familia natus Seba, defectionẽ hanc à Dauide molitus est. Tertia causa, ambitio in Seba fuit, in qua rebellionis in mutandis regnis origo ferè tota spectatur. Seba igitur qualemcunq; occasionem nactus, Dauidem regno spoliare conatus est, ueterem sententiam implẽs: Sceleratis nihil deest præter occasionem. Demum offertur causa in prouidentia diuina constituta, quæ in fine cernitur, ut Dauidis fides uarijs modis probata iustum roboris modum acquireret, atq; sententia Dei de gladio à familia illius non subtrahendo impleretur: & hoc modo uarijs crucis uerberibus Dauid castigatus, nobis eius Dauidis crucis formas representaret, qui à suis & inter suos omni afflictionum genere infestandus erat, priusquam ad splendorẽ regni patris sui perueniret. Euentus autem perfidiæ deliberationis, miser Sebæ autoris seditionis interitus fuit. ut habet sententia illa à Dauide suprà enunciata: Mali hominis malus exitus. De singulis ordine inter interpretandum.

Non est nobis pars.) Phrasis ac locutio regium imperium excutientium.

Et separatus est omnis Israel.) Exemplum leuitatis & inconstantiæ uulgi.

Et non est ingressus ad eas.) ut ab Absalomo constupratas. Ab his igitur abstinuit in posterum, partim quòd turpe esset cum ijs rem habere, quas filius uitiasset, de qua turpitudine uideris Leuit. 20. partim, ne si in publico uiderẽtur uersari, id sibi dedecori foret. Simile exemplum legitur in Iacobo, qui à Balæ congressu abstinuit, ut intellexit eam à Rubene compressam, ut proditum est in Geneſi cap. 49. Quia conscendisti lectum patris tui, lectus meus עָלָה. Vbi nonnulli עָלָה sic reddunt, עָלָה, id est desijt, uidelicet esse lectus meus: hoc est, usu & potestate uxoris meæ Balæ à te fœdatæ stupro, priuatus sum. עָלָה pro amotus est, noto tropo.

Amasa mortuus est.) Exemplum horrendæ cædis, per simulationem amicitiæ factæ: quam grauant attributa rerum & personarum. Rerum quidem, ut fuit tempus quo hostis persequendus erat, tempus item pacis quo nihil hostile à Ioabo expectabat Amasa. Personarum autem, qui missus à Dauide rege, à propinquo suo Ioabo præter expectationẽ dissimulato odio interfectus esset. Eodem dolo Amasa à Ioabo perijt, quo antea ab Abner perierat: quòd ab utroq; Ioabus metuerit sibi militarem honorem præripi. Ex quo intelligimus, quàm sæuus affectus sit ambitiosa inuidia, & quàm perniciosa res sit simulatio ac hypocrisis. Quæ sub beneuolentiæ colore exitiũ ijs machinatur, quibus se fingit bene uelle. At uerò nec Amasa insons perijt. Is enim quòd contra Dauidem Christum Domini rebellauit, pœnas perfidiæ uindici Deo pependit. Dicas, Cur igitur Dauid de illo supplicium non sumpsit propter rebellionem? Dauid sententiam Nathanis in sua crimina latam perpendens, ultionem Deo permisit, qui sciret hanc sententiam pijs considerandam esse: Ne statuito iniuriam rependere, sed expecta Dominum qui te liberet. Vnde etiam cognoscimus, ut aliâs quoq; annotatum est, sæpe accidere ut Deo ultore iustè pereant, qui pereunt: sed non iustè ab ijs, per quos pereunt: quòd aliter Deus qui malos punit, aliter ij per quos puniuntur, affecti sunt, ac cõparati. Exemplo hic est Amasa, & Ioabus.

Omnesq; uiri electi.) בריים in Hebræo est. Itaq; interpretes uolunt, Ioabum uicina Berienſibus, qui ad Beniaminenſem tribum pertinebant, tranſiſſe, dum ueniret Abelam. Sunt qui בריים regionem ſuperioris Galilææ eſſe uolũt, in qua Abela ſita fuerit. Alijs Abela & Bethmaca duæ urbes ſunt, alijs una eſt. apparet autẽ duas fuiſſe, ſed uicinas inter ſe. Ioſephus pro una ciuitate ἀβελμαχίαν uertit. Tradunt in Nephthalia tribu fuiſſe ſitam, in magno illo & amplo campo, de quo alio loco mentio facta eſt.

Congregati fuerant.) יקלחו pro יק חלו. Sunt quædam Hebræa uerba, quæ mutatis literis eandem ſignificationem retinent, ut בבש pro בשב. item, שלמיה & שמילה.

Et exclamauit mulier ſapiens.) Exemplum prudentis et ſapientis mulieris, cuius cõſilio Abela urbs ſeruata eſt, quæ per uiros periiſſet. Simile prudentiæ muliebris exemplum ſuprà in Abigaile & Thecuana mulieribus cernitur. Vera igitur ſententia illa eſt Salomonis: Sapiens mulier ædificat domum. Cæterũm quæ ueteres Hebræi commentantur de hac muliere, quomodo fuerit illa Surach filia Aſeris, quæ cum Iacobo patriarcha in Aegyptum profecta ſit, non eſt opus hic meminiſſe, quæ & illi ipſi inter ea quæ uocantur בשרים numerant.

In ueteri prouerbio.) Non fit mentio in Hebræo. Sed ſic habet ſententia: A principio dici ſolitum, eos qui obſidere urbem uellent, primum interrogaſſe ciues illius, dederẽne ſe uellẽt acceptis, quæ oblatæ fuiſſent, pacis conditionibus, an ſecus? atq; ita demum perfeciſſe ſuum inſtitutum. Quanto magis is mos erga Abelam ciuitatem fidelem & pacatam ſeruari debuit? Sapiens mulier in agenda cauſa ſuæ urbis Moſæa lege utitur, de qua uideris Deuteronomij uiceſimo. Hæc ſententia probatur etiam Paraphraſti, qui eam his uerbis explicat: ארבר בעין מיה רבחיב בספר אוריתא למישאל בקרתא בקרמין למימר חבתין חוה לר למישאל באבל אם מישלין, id eſt, Recordor ſcriptum eſſe in lege, ciuitatem principiò interrogandam eſſe. quæ quoq; iniri ratio debuit de interroganda Abela, ob latam ne pacem recuſaret, an non?

Nónne ego ſum qui reſpõdeo ueritatẽ.) In Hebræa lingua mulier prudens ciuitatem Abelam loquentem inducit, ſe unam eſſe ex pacatis & fidelibus urbibus, cui ob fidem & pacis ſtudia par ſit parcere. Itaque duo proponit, quæ commendent ciuitates, unum, ſi ciues pacati ſint, à ſeditione abhorrentes: alterum, ſi fidem magiſtratui ſuo ſeruent, res nouas & defectionem non molientes.

Matrem in Iſrael.) Honeſtè ciuitatem appellat matrem, ex qua ciues tanquam ex matre propagentur, & propagati nutriantur, alanturq; Etenim forma & conſtitutio reipublicæ eandem uim habet, quam in corpore anima, & in anima prudentia, & in mundo hoc numen Dei habet. Sed quanto uerius ciuitas illa cœleſtis, uera hæreditas Dei, mater eorum Iſraelitarum eſt, quorum nomina ſcripta ſunt in cœlis?

Qui abſciſſum caput.) Funeſti exitus rebellionis exemplum. Iuſtè caput Sebæ abſcinditur, qui ſublato legitimo capite Dauide, iniuſtè caput in ſacra rep. fieri uoluit. Hæc eſt talionis diuinæ æquitatis lex, qua genere ſupplicij quod ſceleribus reſpondeat, ſcelerati puniuntur. Sic caput ſerpenti Satanæ conteritur, qui caput Meſſiæ adoriri tentat. Monemur, reducto uelo, hoc miſerè perditi Sebæ exemplo, & ſuprà Abſalomi aduerſus cœleſtem noſtrum Dauidem, unctum illum Dei, omnia conſilia & conatus irritos eſſe & uanos: ut ſunt eorum conſilia, qui contra Meſſiam conſpirantes dicunt, Pſalm. 2. Dirumpamus uincula eorum: ut hic aduerſus Dauidem, cõſpirantem Sebam dixiſſe legimus, Non habemus partem in Dauide. Quòd ſi quis exemplo hoc generalius uti uolet, intelliget in uniuerſum, ſeditioſorum hominum ſtudia & molitionem impunitam non relinqui, ut uindice Deo rerumpub. tranquillitas conſeruetur, ut quæ præſtans in terra diuinæ ſapientiæ opus ſit. ueluti hæc de ſe apud ſapientem Salomonem prædicat: Per me reges regnant.

In tabernacula ſua.) Vtitur libenter Dei ſpiritu, uoce אהל, quæ tabernaculum & tentorium ſignificat: ad indicandum, ſanctos Iſraelitas in hoc ſeculo peregrinari, non ciues agere, ut Apoſtolus his uerbis indicat: Non enim habemus hic manentem ciuitatẽ, ſed futuram quærimus.

Fuit ergo Ioab.) Bipartitus magiſtratus memoratur: alter ciuilis, alter eccleſiaſticus. Ciuilis duces, conſiliarios, iudices & principes uiros, qui domi & foris prudenter rempub. curent, continet. Eccleſiaſticus ſacerdotes & antiſtites religionis complectitur. Quid autem inter utrãq; poteſtatẽ interſit, ea de re in Deuteronomio tractatio inſtituta eſt.

Super tributa.) Quæ partim ab exteris gentibus tributarijs factis, partim ab Iſraelitis colligeret

ligeret iure regio, de quo suprà libro primo mentio facta est.

A commentarijs.) המזכיר, qui rerum memorabilium capita annotaret, & literarũ monumentis consignaret.

Hiram autem Hiraites.) Hiram Tecuites fuit, de quo legitur: עירא בן עקש תקע רעי. Ideo hic Paraphrastes, תקע רעהי. Fuit autem hæc ciuitas sita in tribu Iudæa, prouentu olei clara, quæ Amos prophetam nobis dedit. Sapiente etiam muliere, quæ suprà memorata est, nobilis fuit.

Sacerdos Dauid.) inter principes consiliarios & iudices eius locum obtinens. Itaque בהן hic pro רב usurpatur, interprete etiam Paraphraste.

IN CAPVT XXI.

FActa est fames.) Bella fame excipiuntur, quæ fidei Dauidis probandæ, eiusq; regni cõfirmãdi & emendãdi materia sint. Promiserat Dominus firmum Dauidis regnũ fore, Sauli aũt funditus euersum iri. Igitur cũ perpetuo Sauli na familia Dauidi & eius regno interitum machinaretur, sollicitando Israelitas ad defectionem, tandem in hoc grauissima rerum penuria à Deo immittitur, tres continuos annos durans: qua admonerentur Israelitæ, omnino Deum statuisse Sauli stirpem abolere, & Dauidis regnum stabilire, ne posthac ab eo Israelitæ deficientes rebellarent. Famem autem à Deo in Israelitas excitatam propter iusiurandum, quod tempore Iosuæ inter Gabaonitas & Israelitas intercesserat, uiolatum à Saulo, sequens historia indicabit.

Et consuluit Dauid oraculum Domini.) Non una affertur interpretatio uocis פני, quæ faciem significat. Paraphrastes in hunc modum: ויבעא דוד רחמין קדם יי, id est, Et precatus est Dauid clementiam Domini, quã populo suo ostenderet in pellenda fame. Is eò spectauit, quod in facie clementiæ atque fauoris notæ appareant. Similiter Iosephus interpretatur: ἐκέτευσε Δαυὶδ τὸν θεὸν ἐλεῆσαι τὸν λαόν. Sunt quibus פני oraculum est, ut nostro interpreti: Scisscitatum Dauidem oraculum Domini. Neque mirum sit פני, id est faciem sic reddi: nam per responsa & oracula sua ad arcam oracularem præsentẽ se uelle declarare Dominus promiserat. Vtram sententiam sequare, non est periculum. Posteriorem sententiam ea quæ sequuntur, uidentur probare.

Propter Saul & domum eius.) Nõ respondet hic Dominus, tantam famem ex naturalibus causis extitisse: sed ad excindendam Sauli stirpem exortam, ob illius scelera. Aliter igitur bellorum, pestis & famis causas metitur ac ponderat sanctorum fides, aliter prudentia humana. Hæc omnia ex natura, & causis quæ in natura cernuntur, inquirit: illa consilia & decreta uoluntatis diuinæ, consideratis quæ probè & improbè ab hominibus fiunt, mente perpendit. Nec tamen ita omnia in Deum refert, ut non etiam animaduertat, à diuina prouidentia naturam & eius latentes causas gubernari, quæ ad uindicanda scelera rebellium præstò sint. Hinc illæ de cœlo æneo & de terra ferrea apud Mosem minæ natæ, & de sideribus in signa deputatis in Genesi mentio facta est. sic hic nemo dubitarit, ex clauso cœlo negatis pluuijs famem hanc exortam.

Et domum eius sanguinum.) domũ eius sanguinariam. Vulgaris loquendi apud Hebræos phrasis. Sic filius peccati, pro homo peccandi libidini deditus: & homo mortis, hoc est dignus capitali supplicio, quo ob scelera puniatur. Hæc causa delendæ familiæ Saulinæ ostendit, quantum Deus à sanguinarijs humanum sanguinem contra legem (Ne occidito) fundentibus, abhorreat. Ratio in Genesi his uerbis exponitur: Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Quò pertinet illud: Viri sanguinarij & fraudulenti ad dimidiũ ætatis suæ nõ peruement. Etenim opus Deum representans, & mundum ipsum perdiderint, qui hominem perdiderint. Nam homo ad Dei imaginem effictus uniuersitatis nomine in sacris literis appellatur, & à ueteribus minor mundus dictus est, in quo omnia quæ maior comprehendit, continẽtur elementa, stirpes, animantia, angeli, Deus per spiritum filij Messiæ.

Quia occidit Gabaonitas.) Nusquã legitur in hac sacra narratione, ubi et quando interfecerit Saulus Gabaonitas. Alij arbitrantur, in Nob urbe, unà cum sacerdotibus, quibus ex pacto, ut ex Iosua patet, ligna cædentes & aquam haurientes seruiebant, interfectos. Alij ex zelo ac studio Israelitarum, propter dolum quo se natores deceperant, à Saulo occisos uolũt: & hoc esse quod hic legitur, Saulum perdere conatum Gabaonitas studio Israelitarum.

Porrò Gabaonitæ nõ erãt.) Intexitur hoc narrationi, ut causa interfectorũ Gabaonitarũ à Saulo cognoscatur. Ex Amorræorũ reliquijs hos remãsisse, qui nati ex Chanaane, seruituti & exitio destinati essent. Porrò in Genesi inter Chanaanis maledicti liberos numeratur Amorræus.

Filij quippe Israel.) De hoc iureiurando uideris in Iosua.

Et uoluit Saul occidere eos.) Israelitis coniunctos fœdere & religione. Quæ res grauauit facinus Sauli, ut hic in posteros eius, sed ipsius ingenium referentes, Deus tantum sceleris uindicare uoluisse legatur. Qua ex ultione primò intelligimus, quàm graue sit delictum iuramenti uiolatio, in quo nimirum usurpetur nomen Dei, quod sacrosanctum haberi, coliq; cõueniat: & agatur pax atque tranquillitas inter eos qui iureurando inter se colligati sunt & constricti. Deinde intelligimus, etiam gentes pertinere ad sacrum fœdus, quod Deus cum sobole Abrahami percußit, à quo illas si quis separet, id ei tam capitale sit futurum, quàm Saulo capitale fuit Gabaonitas fœdere cum Israelitis consociatos perdere. Demum discimus ex hac narratione, Zelum & bonam intentionem, quam uocant, nihil ualere, si uerbo Dei non regatur. Exemplo hic Saulus est, cui nõ solum suus Zelus et populi sacri studium cõmodũ non fuit, sed etiam perniciẽ attulit.

Ex zelo.) studio legis & Israelitarũ. Lex erat prodita de Amorræis excindendis. At huius studium tale erat in Saulo, quale solet esse in omnibus hypocritis, qui legem sine lege, hoc est sine spiritu legis, cum mendacio & simulatione persequuntur. Simulantes enim amorem legis, suis cupiditatibus, quas expleant, seruiunt. His in ore lex, iusticia, probitas, amor Dei & proximi sonant: in pectore ira, odium, auaritia, & ambitio grassantur. ut exemplo est Saulus, & omnes omnium seculorum hypocritæ, hypocritam Saulum imitantes. Saulus per simulationẽ probitatis Gabaonitas fœdè cũ Israelitis cõiunctos interfecit, qui Amalechitis capitalibus Israelitarũ hostibus, contrà quàm ferret uoluntas Dei, pepercerat. Sic sunt hypocritarum ingenia comparata, ut in utramq; partem studio legis contra legem delinquant & indulgendo & sæuiendo. Demum igitur hoc exemplo admonemur, una uerbi Dei face prælucente, expeditam illam bene & cogitandi & uiuendi rationem teneri posse, ut rectè canit uates: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Sed quod uerbum? Verbum Dei Christus Iesus, qui se lucem illam ueram prædicat, in tenebris humanæ rationis lucentem, cum dicit: Ego sum lux uera. Hac cum hypocritæ carent cum Saulo miserè per suum legis & ecclesiæ, cuius pastores se esse mentiuntur, studium atq; Zelum corruunt. Exemplo bestia est, cornua agni gerens, & os draconis habens.

Quod erit uestri piaculum.) In sacris literis quoniam sceleratorum cædes pro expiatoria uictima habetur, qua placetur ira diuina: hic uerbum אבפר usurpatur, à Gabaonitis Saulì stirpe ad necem postulata, ut sequitur:

Vt benedicatis hæreditati.) bene ei precando. Mysticus locus est, Israelitas non redituros in gratiam cum Deo, nisi precantibus eis bene gentibus, quas hypocritæ studio legis præposteró inflati atrociter insectari sustinuerunt.

Non est nobis super argento.) Liberale responsum, & dignum gentibus in diuinum fœdus cooptatis. Hebræum textum melius uertit Paraphrastes, quàm noster interpres: לית אנחנא צריכין למיהיב בכסת ורחם מן שאול ומין ביתא, id est, non egemus auro & argento, quod à Saulo & domo eius accipiamus.

Et oppresit iniquè.) רמית est, subdola & malicioſa consilia ad perdendum inire. Ideo Græci uertunt, ὃς παρελογίσατο ἐξολοθρεῦσαι ὑμᾶς. Notum est uerbum παραλογίζεσθαι, & uox παραλογισμὸς. Sententia igitur est, רמית לבר, id est, malicioſa & perniciosa consilia de perdendis nobis agitauit.

Vt ne unus quidem residuus sit.) Ad tollendam materiam seditionis aduersus Dauidis regnum excitandæ. Nota est illa uulgaris sententia: Stultus est, qui occiso patre, liberis parcit. Ad hanc delendi generis Saulini occasionem usa est diuina prouidentia & scelere Saulinæ familiæ, & præsenti fame, per quam Dei cura Dauidis fides probata, eiq; regnum confirmatum, & diuina iusticia in uindicando uiolato iureiurando declarata est. Admonemur igitur hic, quàm horrendum sit flagitium frangere iuramentũ. Huius uiolationem legimus hic à Deo in omnes reliquias stirpis Saulinæ uindicatam. Quare in Caini & Sauli genere comprobata est sententia illa à Dauide exposita: Semen impiorũ extinguetur. Psal. 36. Perpendant igitur cum animis suis orbis terrarum principes, hanc diuini iudicij seueritatem. Etenim hi, quòd quauis de causa semel inita fœdera & iuramenta rumpunt, ut satisfaciant suis cupiditatibus, non est mirum, orbem terrarum tot & tantis cladibus infestari. Quòd si quis hic percunctetur, quid meriti sint Sauli nepotes & pronepotes, quòd in eos tantopere diuina ira sæuiit: suprà legitur in oraculo, Ob Saulum & stirpem sanguinariam. Soboles igitur quia representauit patrem, meritò cum patre amisso regno extincta est. Impletur sententia illa per Mosem in Exodo

xodo enunciata: Dominus Deus parentum culpam in natos & nepotes, ad tertiam & quartam usque sturpem persequitur. Exodi tricesimoquarto.

Dentur nobis septem filij.) Abdita septenarij significatio pensitanda hic fuerit.

Domino.) ut uindici periurij.

Et quinq; filios Michol.) Neque Michol genuit hos filios, neq; uxor fuit Adrielis. Nam suprà capite sexto legitur, Micholem caruisse liberis. & libro primo capite decimooctauo, Adrieli Merobam in matrimonium datam, non Micholem. Itaque rectè Paraphrastes nodum in hunc modum dissoluit: החמשת בני מרב דרבראת מיכל בת שאול ריולדת לעזריאל, id est, & quinq; filios Merobæ, educatos à Michole filia Sauli, quos genuit Adrieli. quare ילדה hic idem est quod גדלה, hoc est educauit. Sicut etiam in illo ילד בן לנעמי cum Noemi solum nutricis munere fungeretur.

In monte coram Domino.) Apparet ibi, in Israelitarum cœtu cum Vrim & Thummim arcam Domini affuisse. ideo legi hic: Coram Domino. In monte, loco conspicuo, crucifixi dicuntur, ut omnibus prætereuntibus diuinum iudicium notum fieret: & intelligerent gentes, se quoque charas esse Deo, propter quas uiolatum iuramentum tam grauiter uindicatum esset.

Tollens autem Rhizpa.) Exemplum pietatis in Rhizpa: quæ in quanto dolore fuerit, miserrimus is liberorum casus satis declarat.

De cœlo.) in quo nubibus liquatis, pluuia ad fœcundandam terram decidit, per eam præparationem, in qua ab initio Deus in eum usum aquas ab aquis separauit. Scita translatio cernitur in uerbo נתך, à fusione metallorum mutuata, pluuias nubibus instar metallorum liquatis ac fusis in terram defluere. Proba mulier non prius à liberis in crucem adactis abscessit, eos interdiu & noctu centone strato in petra contectos defendens, quàm cœlestis aqua in illos destillauit, quæ propter uiolatum iuramentum clauso cœlo tres annos negata fuerat. Sunt interpretes, qui à Martio, in quo solita fuit hordei messis fieri, usq; ad Septembrem, pluuium mensem, liberos Rhesphæ in cruce mansisse uolunt. Simplex sententia, non est obscura.

Et non permisit aues lacerare eos.) quæ studio sepeliendi illos teneretur: & cognosceret in diris & maledictione haberi mortuorũ Israelitarum insepulta corpora uolucribus in escam exponi: contrà uerò in benedictione diuina numerari, corpora in maiorum sepulchris requiescere. De diris legimus apud uatem: Et erunt huius populi cadauera pascua uolucribus. Et uates etiam ille Græcus pro ira diuina interpretatur, ab alitibus aereis cadauera laniari, cum canit lugubri carmine:

——αὐτὰρ δ' ἐλώρια τεῦχε κύνεσσιν
οἰωνοῖσί τε πᾶσι.——Iliad. 1.

Benedictionem uerò promissiones illæ testantur: Et requiesces cum maioribus tuis.

Per noctem.) Dicas, Videri hic à Dauide contra legem, de qua Deuteronomij uigesimo primo mentio fit, commissum, qua cauetur, ne cadauera suspensorum pernoctent in cruce: sed ea die qua patibulo affixa sunt, sepeliantur. Nõ commisit in legem, qui de sententia legislatoris, quod egit, egerit: quam sequi, non sit contra legem delinquere, sed eã seruare. Quid enim ageret Dauid, oraculo admonitus est. Pro ratione temporum, personarum & factorũ leges scriptas ad sententiam legislatoris reuocare, est animam legis ἀορίστῳ γνώμῃ sequi. Hæc autem anima & lesbia regula æquitas est.

Et nunciata sunt Dauidi.) Exemplum bonitatis in Dauide, in hostes etiam suos declaratæ, ut perficeret illud: Benefacite inimicis uestris. Dauid igitur suo exemplo docuit nos, magnorum uirorum esse obliuisci iniurias, præsertim in mortuos. Hoc perpendens uates Græcus, ducem Græcorum, quòd in mortuum Troianorum ducem sæuiisset, his uerbis acriter reprehensum canit:

ὦ ὄτ' ἄρ' φρένες εἰσὶν ἀμείλιχοι, οὔτε νόημα
γνωμπτὸν ἐνὶ στήθεσι.—Iliad 24.

In latere.) צלע nomen loci in tribu Beniamin, cuius apud Iosuam capite 18. mentio fit. Noster interpres Græcos sequitur, qui uertunt ἐν τῇ πλευρᾷ.

De genere Arapha.) הרפה est in Hebræo. Quæ uox indicat, Dauidem cum gigantibus in certamen descendisse. Quo prælio & uictoria amplificatur militaris fortitudo Dauidis, qui cum suis claros & illustres gigantes uicerit. Reducto uelo, quos gigantes Messias Dauid per suos duces Apostolos superet, satis ijs notum est, qui prælium cum principiatibus & rectoribus tenebrarum ineunt. Cum hic legimus Dauidem cum gigantibus manus conseruisse, indicatur, à diluuio etiam posteris tẽporibus portentosæ magnitudinis inuentos esse homines. Plinius refert,

hominem ſua ætate Claudio principi, Gabbaram nomine, ex Arabia aduectum, nouem pedum & totidem unciarum procerum uidiſſe. Idem refert, in Creta terræmotu rupto monte, inuentum eſſe corpus ſtans, XLVI cubitorum. Si robur ſpectes, noſtris temporibus tradunt uiſum ſaltatorem, binos in humeris, totidem in brachijs, unum in ceruice ferentem. Et ut mirandæ magnitudinis & roboris reperti ſunt homines, ita etiam pumiliones uiſi ſunt, & etiamnum uidentur. Noſtra ætate ferunt fuiſſe perfecta ætate uirum cubitali longitudine, in pſitaci cauea circunductum. Hanc uarietatem magnitudinis & roboris corporum humanorum diuinæ ſapientiæ, ut in cæteris rebus, placuit oſtendere.

Ne extinguas lucernam Iſrael.) Paraphraſtes pro lucerna reddit מילכות, hoc eſt regnum. Nam idem rex ſuis eſt, quod lumen oculis. De noſtro rege, ut is ipſe ſe lucem eorum Iſraelitarum uocet, qui in cœlo ſcripti ſunt, ex illo notum eſt: Ego ſum lux uera. item: Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Eos uidelicet illuminans claritate luminis regni ſacri ſpiritus, de quibus ſubiungitur illic: Quotquot autem acceperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt nomini eius. At credunt, ſcripti in libro uitæ, & quos pater filio dedit ut credãt, de quib. illud: Crediderunt quotquot ordinati erant in uitam.

In Gob.) In Paralipomenis legitur בגזר. 1. Paral. 20. Binominis igitur is locus fuit.

Adeobatus.) In Hebræo uocatur Elhanan. in Paralipomenis legitur is fratrem Goliathi Gethæi interfeciſſe. Paraphraſtes de Dauide interpretatur, qui occiderit hunc gigantem: at Dauid Goliathum in Damim. is autem Bethlemita fratrem Goliathi apud Gobam peremit.

IN CAPVT XXII.

LOcutus eſt autem Dauid.) Carmen hoc laudationem, qua bonitas & potentia diuina à Dauide celebratur, continet. Deinde ſub Dauidis perſona inducitur Chriſtus, patrem Deum prædicans. Nam omnino, ut ſuis locis indicabitur ex apoſtolo Paulo, hoc carmen ſubmota umbra myſtici Dauidis, in Meſſiam cõgruit. Biſariam igitur in explicanda hac laudatione peccatur. uno modo, cum omnia in Dauidem referuntur, quæ in hoc pſalmo, de Meſſia nuſquam facta mentione, canuntur: prætermiſſa ueteris fœderis ratione, in quo ſub uelo & typis rerum & perſonarum, ea quæ Chriſto & eius corpori Eccleſiæ eueniunt, adumbrantur. Altero modo delinquitur, cum neglecta hiſtoria & Dauidis perſona, ſolus Chriſtus inducitur loquens. Rectè igitur hãc exornationem tractant, qui ex ſententia Apoſtoli, qui figurata figuratè, & res figuratè adumbratas uerè dijudicantes, utrique ſua, Dauidi & Meſſiæ tribuunt. Quoniam autem communio crucis & gloriæ, mortis & uitæ, inter Chriſtum caput & corpus Eccleſiam intercedit, quæ hic canuntur, in Eccleſiam & membra eius quoque conueniunt. Quis enim ſanctorum eſt, qui dum à peccati, mortis, inferni & poteſtatum tenebrarum tentationibus liberatum ſe ſentit, non canat cum Dauide: Dominus petra mea eſt, circumdederunt me, &c. Cæterùm huius carminis uerba enunciauit Dauid iam prouectus ætate, uictoria de hoſtibus undiquaque parta. Quod autem ſeparatim hic mentio fit Sauli, id factum eſt, quòd is Dauidem præ cæteris hoſtibus infeſtarit. More linguæ Hebrææ genere propoſito, ſpeciatim alicuius quod genere continetur, præ alijs fit mentio, ut in propoſito exemplo uidere licet. item in illo: Dilexit Salomon uxores alienigenas, & filiam Pharaonis. Item, Viderunt terram & Hierichunta. Is Pſalmus qui in hac hiſtoria ponitur, in libro carminum Dauidicorum ordine XVIII eſt. Vtroque loco eadem ſententia contexitur, uerbis nonnihil diſcrepantibus. Statim à principio omittuntur hic quædam uerba, quæ in uolumine Pſalmorum ponuntur, ארחמך יהוה חזקי, id eſt, Diligam te Domine fortitudo mea. Vbi in uerbo ארחמך, non leuis amor, ſed intimus notatur. Vim uerbi Hebræi Apoſtolus perpendit, cum non uno in loco uiſcerum miſericordiæ meminit, quæ ſancti induant. Coloſſ. tertio.

Dominus petra mea.) Laus à robore & firmitate. Saxa prærupta tuta & firma præſidia præbent, & in fundamentis poſita, relictum ædificium ne collabatur, ſuſtinent: & in angulis collocata, ædificij muros committunt, ne diſſipentur. Sic Dominus eſt ſuis, qui de ſe dicit: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hoc fundamentum hic celebratũ, Chriſtus Dominus noſter eſt. Itaq; ſi Dauidẽ ſpectes, is Meſſiam petram ſuam agnoſcit, hoc eſt, ſeruatorem, & cornu ſalutis ſuæ, ex quo & per quem fortitudinẽ, iuſticiam & uitam Dei ſibi per fidem communicari ſentiret. Sin Chriſtum loquentem conſideras, is hæc ad Deum patrem refert, à quo cuncta ſe habere confitetur, & Eccleſia ab eodem in Chriſto & per Chriſtum.

Robur

Robur meum.) in quo tanquam in munitissima arce spes omnis salutis collocetur, contra omnem uim ac iniuriam hostilem. Nam in hac arce præsidia firma ueræ iusticiæ & uitæ, ueræ sapientiæ, ueræq; fortitudinis omnia uincentis posita sunt, ut quæ uox de se prædicet: Ego sum uia, ueritas & uita. & de eadem illud: Ipse est sapientia patris.

Saluator meus.) nemo alius neue in cœlo, neue in terra. Multæ & uariæ sunt afflictiones sanctorũ, quas sæui hostes, peccatum, mors, mundus, & eius principatus, intentant: sed potentior his est, qui hic celebratur, saluator meus. De quo Zacharias uates 9. Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, & saluator.

Sperabo in eum.) Redditur ratio fidei: & eius causa in præcedentibus & sequentibus. Dominus petra mea, & arx mea. Vnum numen Dei esse materiã, quã tractet fides, & in qua uersetur spes sanctorũ: non ullam creatã naturam, ut sunt opes, amici, potentia, prudentia & sapientia humana. Quæ in uanis numerantur, ut est apud Salomonem: Vanitas uanitatum, & omnia uanitas. & suprà Hanna: Neque glorietur prudens de prudentia sua, neq; potens de potentia.

Clypeus meus.) Per fidem & spem, de quo Apostolus, Ephes. 6. Super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia tela mali illius ignita extinguere.

Et cornu salutis meæ.) In cornu potentia & regnum notantur. Translatio sumitur à cornibus animantium, quibus pugnant, & sese defendunt.

Susceptor meus.) In משגב notatur amplitudinis fastigium, ad quod de pœdore ac puluere crucis elatus sit. Itaque משגב explicandi gratia coniungitur cum cornu salutari, de quo Hanna: Attollitur per Dominum cornu meum. Item: Deprimit & euehit, & pauperes de puluere attollit. Dicit hic significanter, Deum culmen suum esse, quo uno euehatur ad gloriæ & potentiæ amplitudinem. De Dauide literis proditum est, ut ad regnum beneficio Dei elatus sit, Saulo de eo deturbato. De Messia uerò cœlesti Dauide: Ascendit in cœlũ. & Apostolus: Semetipsum inanuit & humilem præbuit. Quapropter Deus illum in summam extulit sublimitatem, & donauit illi nomen quod est supra omne nomen. Atq; hoc ipsum est quod hic legitur שגבי. Ex quo cognoscimus, quantus crucis usus sit. hac nisi deprimamur & deijciamur cum Dauide nostro Christo, beneficia attollentis nos Dei ad splendorem regni sui, non sensuros. unde illud: Siquidem cum eo patimur, ut & cum illo glorificemur.

De iniquitate.) Est enim חמס apud Hebræos, idem quod apud Græcos ἀδικεῖν, & apud Latinos iniuria afficere: hoc est, studio uelle alteri nocere, & damnum dare. Quod uariè fit, uel detrahendo de fama alterius, uel opes spoliando, uel necem intentando, uel honestæ familiæ matronis aut filiabus uitium offerendo, uel uerum cultum Dei (quæ longè maxima iniuria est) tollendo. Hæc omnia iniuriarum genera passus est Dauid, ut ex ijs quæ suprà narrata sunt, liquet. Nam ut Semei nomen Dauidis dehonestarit, ut eum Saulus & Absalomus hæreditate paterna atque regno priuare tentarit, utq; idem Absalomus uxores eius constuprarit: ut alienos deos apud præputiatos Palæstinos, quantum in ipso fuit, colendi occasionẽ præbuerit, satis notum est. Sic enim Dauid de hac iniuria cum Saulinis expostulat: Qui eiecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, cole deos alienos. Quibus iniurijs affectus sit noster Dauid Messias, status crucis in quo uersatus est, declarat: præter conuicia, præter tentationes satanæ, quibus ab ipso ut se adoraret tentatus est, præter accusationem falsam, præter necem. Vt etiam cernat iam multis seculis, suam sponsam Ecclesiam fœdis stupris uitiari à specioso illo Absalomo, homine sceleroso, pleno fucis & simulatione, palàm est. At quid legimus hic? Ab iniuria & hominibus iniurioſis me tuetur, ut sequitur.

Liberabis me.) הרשיע futurum loco præteriti, aut pro præsenti, quod habitum innuat, qui tueatur & liberet me. Nam ut in deliberationem futura, & in accusationem & defensionem præterita, ita in laudationes ac exornationes præsentia cadunt.

Inuocabo Dominum.) Qui meminisset, Deum suum esse seruatorem, iam inuocationis meminit: quòd eius opẽ imploremus, quem agnoscimus talem esse, qui nos & uelit pro sua bonitate, & possit pro potentia, liberare, & sæpe liberarit. Itaq; in inuocatione duo cernuntur: alterum, Dei cognitio est, qua cognoscimus Deum & uelle & posse nos à malis asserere: alterum, nostræ infirmitatis atque miseriæ & obnoxiæ conditionis noticia est, qua intelligimus à peccato, uarijs calamitatibus, quas caro, mundus, & princeps mundi satan imponit, miseros nos esse, atque ita diuina ope habere opus. Hæc omnia his uerbis hic explicantur:

cum

cum laudatum inuoco Deum, ab hostibus meis defendit me. In quibus uerbis exitus etiam inuocationis ostenditur, qui est liberatio & gratiarum actio, ad amplificãdum nomen seruatoris instituta. Quare uerus cultus Dei in inuocatione eius uersatur, in qua illi per fidem suus honos ex prima Decalogi lege tribuitur, dum huic uni, & nemini alteri, per amorem omnis sapientiæ, bonitatis & potentiæ gloria assignatur. Quò propheta hic spectat, cum Deum מהלל appellat.

Contritiones mortis.) Mortis tentationes משברי appellantur, quod cor uitæ sedem frangant. Qualis inuasit Dauidem, cum Saulus eum in deserto Ziphæo, & in spelunca Odollam persequeretur, eum ad necem petens. Meßiæ Dauidis tentationes de morte notæ sunt. Nos legimus: Si fieri potest, trãseat à me calix iste. Sunt qui משברי uertũt pro גלי, hoc est fluctus: hoc est, pro uiolentis tentationib. quibus tanquã procellosa tempestate Dauid infestatus sit. Nam huiusmodi in loco significant illæ uoces, ut patet ex illo: משבריך וגליך עברו עלי. Scitam Paraphrastis sententiam præterimus, qui metaphorã sumptam à parturiente muliere arbitratur, quæ fœtum in sella ad partum destinata edit. Quam sellam uocat מהברא.

Torrentes Belial.) Impiorum hostium uim atq; impetum in se, eleganti metaphora torrentem omnia secum auferentem uocat, manens in translatione fluctuum. בליעל non de uno aliquo scelerato homine, sed de improborum hominum cœtu exponitur, ideo Paraphrastes סעת חיבין. Significat ad amplificandam calamitatem, non unum aliquem, sed multos hostes, neq; eos leuiter improbos, sed flagitiosos & perditè malos: neq; hos molli brachio, sed instar torrentis, in se ad perdendum impetum fecisse.

Funes inferni.) in Hebræa uoce dolor non leuis, sed qualis parturientem, quæ in nixu est, corripit, notatur: et in uoce Orci ac inferni, iudicium Dei, perpensa eius ira ob noxam accensa, indicatur. Si alterum Dauidem Meßiam spectes, ut is peccatum & maledictũ factus propter nos, inferni dolores & cruciatum senserit, declarat hæc eius uox: Deus Deus meus, quid dereliquisti me?

Laqueos mortis.) Repetit eandem sententiam diuersis uerbis amplificandi gratia. Sumpta translatio est à laqueis, quibus aues capiuntur, è quibus se explicare nequeunt.

De templo sancto suo.) De cœlo, in quo Dei puniendi improbos, & liberandi probos decreta scripta sunt. Sed quod est illud cœlum? Non sanè aer is nobis circumfusus, non stellis insignis æther sub aspectum nostrũ cadens, quod creatum est, locum, motum & tempus habens: sed cœlum diuinitatis est, luce & splendore non creato, sed æterno, in quo Deus uersatur: quod extra locum, motum & tempus est, ut lux eius & fulgur diuinus. Atq; hoc tertiũ illud cœlum est, in quod Paulus raptus, fatetur se in eo percepisse quæ fas non esset loqui. Deducto uelo, occurrit Meßias, qui illud cœleste diuinitatis templum est, in quo Deus pater inuocatus exauditur.

Et clamor meus.) Reuocata hypothesi ad thesim, plenus consolatione locus nascitur, piorũ in terra oppressorum clamorem per nubes in cœlum usq; ad solium clementiæ diuinæ penetrare, & exaudiri. De quo loco uates noster: Dominus exaudit pauperes.

Commota est & cõtremuit terra.) Figuratè de casu potentium hostium, quos terræ immobili et firmo elemẽto mundi comparat. prædicant enim hi de se: Non mouebimur. Similiter in Iudicum libro, Terra mota est: Significato fortissimarum gentium & regum interitu.

Fundamenta montium.) Hebræus cœlos habet. Eandem sententiam augendi gratia retexit. Cœlorum enim fundamentum terra esse uidetur, cui cœlum ut immoto cardini incumbat. Appositè autem terræ comparantur sanctorum hostes: qui nimirum ex terra nati, terrena, non cœlestia sapiant. De quibus Dominus: Qui è terra profectus est, terrenus est, & è terra loquitur. Si Dauidis hostes spectes, occurrunt interni hostes præter peccatum & mortem, Saulus eiusque familia, Absalomus & huius socij: externi uerò, Palæstini, Amalechitæ, Ammonitæ, Syri, etc. Sin Christi, occurrit mundus, & princeps mundi Satan, cum reliquis potestatibus tenebrarum, & satanæ instrumenta pharisæi, falsiq; prophetæ & doctores, cum filio perdito Antichristo. Tales hostes membra quoq; Meßiæ electi experiuntur, sed qua ui hæc terra concutitur? Sequitur:

Quoniã iratus est.) Is qui cœli & terræ dominus est, neq; leuiter irascitur, sed ira inflammatus & accensus. Tale enim sonãt Hebraææ uoces. is furor sequentibus uerbis explicatur.

Ascendit fumus de naribus.) ἀνέβη ὁ καπνὸς τῆς ὀργῆς hæc Deo irato tribuuntur. Nam ira accensis halitus instar fumi de narib. exit. Vnde & אף uox, quæ propriè nares significat, pro ira noto tropo usurpatur. Hæc est huius linguæ dignitas in suis uerbis, ad naturæ ipsius uim spectans. neq;

neq; eius rei Latinus uates ignarus est, cum canit,

——Spirant de naribus ignem.

Et ignis.) furoris diuini, de quo igni Naum uates: Indignatio eius effusa est ut ignis. & noster Dauid: Exardescet ut ignis ira. Hinc accidit, ut lex quoniam iræ, non gratiæ ministerium habet, cum igni, fulguribus & tonitruis, in Sina monte tradita sit. Est & ignis salutaris purgator & renouator, atque ad nouam uitam regenerans, qui pijs mittitur, quos ad claritatem iusticiæ, uitæ, & gloriæ Dei renouet. Huius ignis Messias ipse dispensator est: Baptizabit uos spiritu & igni.

Inclinauit cœlos.) De quibus in terram, ad seruandos pios in terra peregrinantes, in cœlo autem designatos ciues, omnia quæ salutaria sint, proficiscuntur: iusticia, sapientia, uita.

Et descendit.) Is Dei descensus non loco cernitur, sed declaratione bonitatis, potentiæ atq; iusticiæ: hoc est, uindictæ in hostes, & opis qua subleuet pios. Quare eruditè Paraphrastes pro descendit, reddit, patefacta est gloria eius. Notatur igitur in descensu Dei, omnia ab eo dependere, & hæc inferiora nutu eius & arbitrio regi, siue plectendi sint sontes, siue seruandi insontes.

Et caligo sub pedibus eius.) calamitates notantur, & res aduersæ, quibus Dauidis & eorum qui Messiæ chari sunt, hostes uexantur. Quæ quoniam in terra impijs hostibus parantur, pedibus Dei subiectæ hæ tenebræ dicuntur. Etenim terra tenebris & caligini, cœlum uerò luci destinatum est, pedumq; Dei terra scabellum uocatur, ut est apud Iesaiam: Cœlum sedes mea, terra scabellum pedum meorum. Neque infrequens est, tenebras in sacris literis pro rebus aduersis usurpari. Apud Iesaiam legimus: Aspiciemus terram, & ecce tenebræ. Metaphora mutuata est à natura tenebrarum, quibus nihil tristius: ut contrà, quia luce nihil suauius, hæc pro rebus prosperis & hilaritate usurpatur. ut ex illo patet: Lux oculorum lætificat animam. Prouer. 15.

Et ascendit super Cherubim.) Insidere uebiq; Cherubim dicitur Dominus, cum per legatos suos, siue angelos, siue in terra homines, decreta sua perficit ad homines. Est enim ברוב in genere alata forma, legatos diuinos representans, quæ in Ezechiele leonis, bouis, aquilæ & hominis figura proponitur spectanda. Et quoniam per suos legatos Dominus, quos nulla res impediat, quæ statuit, celeriter & expeditè procurat: Cherubim alæ affinguntur, uelut ex Exodo patet: ut etiam Seraphim, sicut est apud Iesaiã: Sex alæ uni, sex alæ alteri. Deinde quia diuinis legatis alæ, quibus insideat Deus, afformantur, dicitur is uolare, & super uentorum alis apparere. Præcesserat, Inclinatis cœlis descendit. Hic, quibus insidens, descendat, hoc est, quorum ministerio in perficiendis suis consilijs utatur, ostenditur. Frequentes metaphoræ hic à uate Dauide allatæ, sumptæ sunt ab eo opere, quod Deus in aere hoc nobis circumfuso conficit, in quo uenti primum è thesauris Dei euocantur, deinde eorum flatu nubes congregantur, continentes aquarum obscuram molem, quibus uelut umbraculo Deus circundari dicitur, tum fulgura cum tonitruis mittuntur. Si historiam spectes, talia acciderunt ijs qui diluuio deleti sunt: acciderũt item Aegyptijs, & Chananæis regibus. Sub Christi autem mortem, ut subitæ tenebræ offusæ sint orbi terrarũ, ut terra mota, & petræ scissæ, constat. Sin uerò eas res quæ sub uentorum, nubium, tenebrarum, fulgurum & tonitruorum, terræ motæ, ignis de cœlo delapsi, & grandinum imagine representantur consideras, occurrunt opera iræ diuinæ, ut est excæcatio & induratio hostium Messiæ & Ecclesiæ, quos tandem tonitru diuini furoris contactos perire uidemus.

Posuit tenebras.) in quibus uersari præsens Dei numen sentitur. Quis enim non sentiat Deum adesse tanquam rectorem, in illo admirabili opere, quod ex obscuris nubibus uentorum ui coactis exoritur? ut sunt pluuiæ, grando, fulgura, tonitrua. Vt hic dicitur tenebris circundatus, sic suprà caligo pedib. eius subiecta legitur. Præterea tenebris, aquarum nigrore, & nubium densitate circunsessum Deum, fatetur Dauid, non propter naturam suam, qui amictus luce ut ueste dicitur: sed propter nos, qui eius claritatem non feramus, cuius lux inaccessa est: unde eius gloriã in nube apparere, nobis Moses confirmat. Hinc etiam fit, ut Dauid canat, Dominum nubium densitate circumfundi.

Cribratas aquas de nubib.) חשרת legitur hic, & in uolumine Psalmorum חשבת. altero uerbo colligatio aquarum, altero obscuritas notatur. utrobiq; eadem sententia est. Nam condensatæ nubes atras aquas continent. Quibus pro חשבת placet בברת, hoc est cribrum, accipiunt pluuias aquas tanquam cribro ex colatas, ex linquatis nubibus destillare.

Præfulgore.) Si naturam operis in nubibus confecti consideres, fulmina tanquam carbones igne accensi in terram mittuntur: sin furorem

rorem diuinum, accipitur hoc hostes Dauidis dissipari, non secus atque carbones igni accensi in fauillas dissipantur. In libro Psalmorum legimus, grandinem & candentes carbones emicasse transeuntibus, hoc est discussis nubibus, ad fulgorem præsentiæ Dei.

Vocem suam.) Tonitruum esset, hoc si luctetur in nube, uapor aut flatus editur. Seruat in in describenda ira diuina eum ordinem, qui in aerea tempestate conficienda seruatur: in qua fulgorem consequitur tonitruum.

Misit sagittas.) fulmina. Perstat in figurato sermone semel cœpto, in quo perpendenda hæc ordine fuerint: uentus, nubes, aquæ, fulgura, tonitrua, fulmina, & clades ab his in terra accepta. Metaphora sagittarum fulminibus congruit. Nam hæc non secus è nubibus celeri impetu, luctante in illis spiritu Deus eiaculatur, atq; è neruo intenti arcus mittũtur sagittæ. Cæterùm de fulminum ortu, ui & natura atque generibus, uideris apud rerum scriptores.

Et apparuerunt effusiones aquarum.) אפיקי sunt hic loca, quibus continentur aquæ, à firmitate sic nominata. אפק enim uerbum notum est. Sententia igitur est: Tempore maximarum tempestatum uehementiori spiritu ita moueri aquas, ut earum aluei in altum fluctibus elatis, appareant. Alluditur ad id tempus, quo Dei ira sæuiente in Aegyptios, maris rubri alueus siccus apparuit, Euro uento flante. Figuratè accipitur, afflictionis aquis absorptos hostes Dauidis, & hunc liberatum in sicco uersantem. Sed hanc diuinam ultionem longè uerius deprædicat Messias à Dauide representatus, qui in mari mundi huius uarijs fluctibus iactatus, tandem trãquillitatem & quietem sedatis procellosi maris fluctibus adeptus est. De qua requie uates: Eritq; requies eius gloria. Esa. 11.

Et reuelata sunt fundamenta orbis.) qui fuerant obtecta aquis. Repetitur amplificandi gratia eadem sententia, sed alijs uerbis.

Ab increpatione Domini.) In increpatione Domini, imperium & mandatum Domini uolentis aliquid uel impedire, uel perdere, indicatur. Vt est apud Iesaiam 17. Increpabit eum: hoc est, immisso terrore reprimet eum, & conatus eius retardabit quodam impetu & ui. Sic apud Lucam legimus, à Domino increpatam febrim remisisse. Vbi apud Græcos ἐπετίμησεν idem ualet, quod hic גערת. Sicut etiam Septuaginta hic uertunt, ἐν τῇ ἐπιτιμήσει. Notatur igitur increpandi uerbo, Dei nutu & imperio omnia in hac uniuersitate teneri, cuius mandato & imperio omnia subiecta sint, terra, maria, cœlum, & quæ his continentur.

Ab inspiratione spiritus furoris eius.) Narium flatu atque spiritu patefacta fundamenta orbis, unde amplificat potentiam seruatoris sui. Significatur opus arefactæ terræ submotis spiritu diuino aquis, de quo in libro Geneseos: Et spiritus Domini ferebatur super aquas. Humano more Deo affinguntur nares, è quibus flatus & spiritus exeat. Quare ex אפי melius redduntur nares, quàm furor. Etenim in naribus uitalis halitus atq; spiritus residet & afflatur. Quò pertinet illud: Et inspirauit in nares eius halitum uitæ.

Misit de cœlo.) in quo clamor meus exauditur. Sed quid misit de cœlo? opem & auxilium aduersus hostes meos, ut sequitur.

De aquis multis.) ne eis strangularer, ut aquis suffocatur uitalis spiritus. Notantur figuratè afflictiones, de quibus idem Dauid: Intrauerunt aquæ usq; ad animam meam. Sunt & aquæ salutares, quibus sancti uitam tuentur, & inimicis aduersis reficiuntur, de quibus illud: Super aquam refectionis.

Liberauit me de inimico meo.) Explicãtur aquæ. Si Messiam spectes, & is potentes hostes ad tempus expertus est: qui satana autore, primo homicida, per Pharisæos, pontifices & Pilatum ad necem quæsitus, occisus est: sed in morte, uicta per mortem, non mansit, potente hoste principe huius mundi cum cunctis tenebrarum potestatibus superatis. De qua uictoria Iesaias: Et fortium diuidet spolia. Et Apostolus: Expoliatosq; principatus ac potestates ostentauit, palàm triumphans de illis per semetipsum.

Potentissimo.) Dicit, se ab hostibus potentioribus ereptum. Vbi & hostium uires & suam infirmitatem agnoscendo, Dei seruatoris sui potentiam amplificat.

Præuenit me.) suis insidijs & dolo. Si Dauidem spectes, occurrunt Ziphæi, & Achitopheles. Is quale consilium dederit, plenum dolo malo & malicia, suprà narratum est capite 17. illi ut Saulum incitarint, ut in Ziphæa solitudine Dauidem incautum opprimeret, constat. Christum quibus consilijs præuenerint hostes ad eum occidendum, ea nox qua captus est insidijs à sacerdotibus structis, satis declarat.

Eduxit me in latitudinem.) Opponitur

nitur illi superiori בצר לי. Translatio sumpta ab ijs, qui ex angustis locis in quibus cum uitæ periculo detinebantur, in libera & spaciosa, in quibus uel fugiendo uel defendendo se tueantur, loca euadunt. Figura loquendi indicat, Dauidem in tutum eductum, quum eum Saulus & Absalomus persequerentur. Messias noster ut ex angustijs mortis & inferni in spaciosa loca, hoc est tuta euaserit, ostendunt illa uerba: Ascendit in altum. Sed à quo eductus ascendit? Per eum qui suprà descendisse legitur ex alto, ut suum Messiam in altum eueheret, ex angustijs explicatum. de quibus illud: In angustia imploratus exaudiuit me de sanctuario suo.

Quia complacui ei.) Caussa explicationis ex angustia exponitur: quæ est, amor et beneuolentia diuina. De Dauide suprà legis: Delegi mihi uirũ ex corde. De Christo Domino nostro: Hic est filius meus dilectus, cui faueo. Et si membra corporis illius spectas, ut sempiterno in amore Dei sint electi, declarat electionis gratia, de qua illud: In æternum conseruati sunt. Quæ summa piorum est consolatio. Item: Gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlo, ex quo nimirum nulla aduersaria ui, ne ue peccati, ne ue mortis, néue portarum inferni expungi possint. Est autem nomina piorum scribi in cœlis, hos ipsos in Christo ad optimum statum æternæ uitæ & gloriæ ab æterno prædestinari. Qui status, cœli nomine ac notione, ut contrarius, inferni, designatur.

Secundum iusticiam meam.) iusticia hæc non probitas erat, quam natura præbeat, qui de se fateatur: In peccatis concepit me mater mea: sed iustæ caussæ, bonæq; conscientiæ probitas fuit. Sic enim Dauidem se purgasse Saulo, suprà legimus: Animaduerte & uide, quòd nõ est malum in manu mea, neque scelus, neque commissum in te. Quam etiam probitatem Saulus, quamuis hostis esset, in Dauide his uerbis commendauit: Iustior tu es quàm ego. Tu enim tribuisti bona, ego autem reddidi tibi mala. Itaque in pijs duplex iusticiæ fidei munus est. unum, quo agnoscunt se iusticia meriti & satisfactionis filij iustos esse, quam per imputationem suam esse percipiũt, ure cõmunionis, quæ inter caput & corpus, inter sponsum & sponsam intercedit. alterum munus est, sentire spiritus sacri uim, qua incitati cupimus obedire uoluntati Dei, & in regno lucis et uitæ uersari, abdicato regno tenebrarum ac mortis. Hoc donum iusticiæ renouãtis nos ad nouam uitam, fide nobis communicatum in charitate & amore, quo Deum & proximum complectimur, sese profert. Atq; hoc munus iusticiæ, ornandum suis præmijs sciunt sancti, non ex merito suo, sed pro liberali beneuolentia Dei, suas dotes quas nobis in Messia tribuit, exornantis. In uerbo igitur גמלני indicatur retributio, non quasi mercedis pro merito, sed præmij pro fauore diuino, sua in nobis dona atq; munera decorantis splẽdore regni sui. Quæ iusticia in Dauide & cæteris sanctis per imputationem ex adoptionis gratia inesse cernitur, ea in Christo naturalis est, & natiua, ut naturalis filij Dei, non adoptiui. unde uerè is de se dicit: Rependet mihi Deus pro iusticia mea. De quo illud apud uatem: Eo quòd scelus non fecerit, & in ore eius dolus repertus non fuerit. Sed quæ præmia pater rependit filio pro sua innocentia? De his uideris apud Apostolum, in epistola quam ad Philippenses scripsit.

Quia custodiui uias Domini.) in nouo homine prælucente fide. De uetere in primi Adami sobole illud uerum est: Si quis dicit peccato se carere, mẽdax est. Vt Messias cœlestis & nouus de se prædicet, custodiui uias Domini, ex illo patet: Quis est qui arguet me de peccato? item: Venit princeps huius mundi, & non deprehẽdet in me quicquam.

Et cum robusto perfectus.) Erga integros integrum te ostendis, cum tuam integritatem, qua integros tueris, & uitiosos punis, declaras. תמים idem est apud Hebræos, quod est apud Latinos integrũ & uitio carens. cui contraria uox est מום, hoc est uitiosum. Dicas, si Dauid cũ omnibus pijs cõqueritur de uitiositate sua, quam à cõceptu & partu hauserit, qui sunt igitur illi integri, quos hic probari Deo legimus? Bipartita integritas in sacris literis nobis consideranda proponitur: una, perfecta, & omnibus numeris absoluta. Hæc sola in Deo & filio eius Christo Domino nostro spectatur. altera, quæ certũ modum habet, & mensuram: hanc membra capitis, quod Christus est, tenent, cuius beneficio cuique membro suus integritatis modus assignatur. De quo modo Apostolus: Vnicuiq; nostrùm data est gratia iuxta mensuram donationis Christi. Sed neque hic deest partitio. Nam etiam hæc integritas duplicem considerationem habet: altera, modo & gradu renouationis, qui præsenti seculo, quod uiatorum seculum est, congruit, cernitur: altera futuro seculo conuenit. A' uiatorum integritate patriarchæ, Dauid, prophetæ, Apostoli, & cæteri sancti, dum uetere homine circũdati in hoc mundo uiuunt, in interiore homine nouitatem

uitatem meditantes, Deo probantur, ea integritate probandi Deo, in altero seculo corporibus è pulueribus terræ excitatis, de qua illud Apostoli: Cum uenerit quod perfectũ est, id quod ex parte est abolebitur. Alteram integritatem iam per primitias spiritus tenemus: alteram spe præsumimus, non pudefacienda. altera integritas non omnia uitia excludit, altera excludit. Etenim integri qui dicuntur, dum adhuc in carne uersantur, uitia quidem coniuncta habent, sed quæ Deus eis non imputet propter fidem in filium, & inchoatam iusticiam: quæ quoniam Dei est, non humana iusticia est, omnia uincit. Nam iusticiam hanc nobis de copia & abundantia spiritus Messiæ fides communicat, de quo spiritu his uerbis Apostolus: Lex spiritus uitæ per CHRISTVM IESVM, liberum me reddit à iure peccati & mortis. Cæterùm גבור uox non temerè uidetur hic usurpata, quod qui diuina iusticia, quam sacer spiritus in ipsorũ pectoribus format, innocentiam suam aduersus mundum & principem mundi tuentur, uerè גבורים, hoc est heroes appellantur. Inter quos principem locum obtinẽs Messias, heroicum suum spiritum, quo omnia superẽt, suis impertit. De quo heroe alio loco Dauid: Exultauit ut heros & fortis athleta ad decurrendum curriculum, hoc est, ad absoluendum cum hostibus suis pugnandi cursum. Itaq; qui hic גבור pro גבר interpretantur, non uidentur, heroicam fortitudinem in heroe Messia & in cæteris sanctis, quos Christus suo regio & heroico spiritu heroes efficit, perpendere. Quare noster interpres huc spectans גבור, robustum reddit, sed omisso תמים.

Et cum electo electus eris.) cum syncero syncerum te præstabis: hoc est, pro synceritate tua cum illis ages, eos suis honestãs præmijs. quæ est Hebræi uersus sententia. Eandem sententiam, sed alijs uerbis, Christus expressit, ubi ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebũt. sed unde corda munda redduntur? Nos legimus in Actis: Fide purificantur corda. Sed qua fide? Sanè per charitatẽ fide agente, qua Deũ supra omnia amamus, & alterum ut nos diligimus. Nam hunc amoris spiritum promissum per prophetas fides illa iustificans nobis à capite Christo communicat, quo pectora nostra mundantur exterſis uitijs amori, quem lex Mosæa requirit, nec tamen præstat, contrarijs. Hinc illud Apostoli: Qui diligit, legem implet.

Et cum peruersis peruertêris.) cum peruersis peruersum, hoc est durum & asperum, contra naturam tuam, qua clemens es, te ostẽdes: cuius opus proprium sit misereri, non irasci: seruare, non perdere. Locus indicat, Deum se cuique talem exhibere, ut compositus est ac comparatus: hoc est, malis malum, id est seuerum iudicem: bonis bonum, hoc est clementem patrem: talemq; Deum quemque sortiri, qualem fide uel infidelitate sibi finxerit. Cainos Deum iudicem condemnantem habere, qui dicunt: Maior est improbitas nostra quàm ut remittatur. contrà Dauidem, Deum misericordem, & condonantem delicta, nanciſci, qui clementem Deum per fidem agnoscens, oret: Miserere mei Deus pro magna misericordia tua. Cæterùm עקש est, qui Dei uias, hoc est ordinem & rationem operũ peruertit, de recto ueroq; statu in prauum detortus. Quod fit & uiuendo & docendo. Docendo quidem, cum doctrinæ contrariæ uerbo Dei traduntur, ut fit à pseudoprophetis & falsis doctoribus, de quibus Micheas his uerbis: Et omne quod rectum est peruertunt. Et in Actis: Ex uobis ipsis exorientur uiri loquentes peruersa. ubi ponitur uox διεστραμμένα, quæ respondet uoci Hebrææ עקש. Domim autem uia uiuendo peruertitur, cum contra rectum ordinem ab illo institutum uiuitur. Est autem ordo rectus, qui respondet legibus Decalogi: Deum præ omnibus amato, & secundum Deum hominem ut alterum te diligito. Et cum post hominem quæq; natura condita ea dignitate habetur, qua à Deo condita est: hunc ordinem peruertunt Deorum alienorum cultores, nominis Dei uiolatores, homines iniuria afficientes, parentes dehonestantes, fures, adulteri, homicidæ, falso testimonio circumscribentes proximum. Hoc modo se Deus quoq; peruersum se illis ostendit, hoc est, duri iudicis & uindicis, qui perdat, non seruet, ratione, ad quam naturà non propendet.

Et populum pauperem saluum facies.) עני humilis est, ab afflictione sic appellatus, quòd afflictiones humiles reddant, & submissos: ut contrà, res prosperæ insolentes. Qui hic dicitur עני, alijs locis uocatur נשבר לב, hoc est, fractus pectore. Cuiusmodi Deus propensè sanat & seruat, ut legimus in Psal. 47. Qui sanat contritos corde. Ex contrariorũ comparatione consequitur, Si Deus deiectos & humiles seruat, superbos & arrogantes perdet: ut sequitur.

Oculisq; tuis excelsos humiliabis.) Contentione æquitatẽ diuinam illustrat: humiles efferri, superbos deijci. Aliter ergo oculos Deus ferũt pij, aliter impij. aliter hos intuetur Deus, aliter illos.

illos. ut alij etiã oculi sunt humiliũ, alij insolentiũ. Hi oculos suos supra Deum attollentes, dicunt: In cœlum ascendã, & supra astra Dei collocabo sedem meam: illi dejecti & fracti animo, in oculis suis cõtinentes se intra terminos infirmitatis suæ, imbecillitatem suam & Dei robur, miseriam suã & maiestatem Dei, stulticiam suam & sapientiã Dei contemplantur. Contraria insolentes & arrigantes faciunt, qui audent dicere: Quis est Deus? Et cum arroganter dicunt, Deus non uidet nos: audiunt hic Dauidem dicentem, Oculis tuis dejcis superbos. Hos uindices oculos expertus est Pharao, Saulus, Assyrius, Nabuchodonosor, & alij innumeri orbis terrarum tyranni: & his postremis temporibus experietur eos aduersarius Christi, cum pseudoprophetis.

Tu lucerna mea.) Deum lucem suam uocat, partim propter fidei lumen, quo prælucente uideat ea quæ sibi ad salutem expediendam commoda & necessaria sint: partim propter res prosperas, & felicem suarum afflictionum exitum. Nam ut afflictio & res aduersæ tenebris, ita prosperæ luci comparantur. Præcesserat, Et humiles conseruas. hic sequitur, Lux mea es: quæ suauis lux in conseruando splendet. Micheas: Cum sedero in tenebris, Dominus lux mihi: Non dicit, Ratio & intelligentia humana: nõ dicit, philosophia: non dicit etiam, Moses cũ lege sua: sed Dominus. Sed quis est ille Dominus? is est, qui de se dicit: Ego sum lux uera: qui est Messias benedictus, in quo & per quẽ, splendor diuinitatis in filijs Dei ad nouam uitam splendet: non lumen rationis, in qua tenebræ sunt, quas cœlestis illa lux discutit, ut sequitur. Quare stultè prædicatur lux animorum creata quæ non secus ad lucem Messiam cæcutit, atq; noctuarum oculi ad fulgorem solis. stat enim illud: Et tenebræ eum non comprehenderunt. Suprà legitur ignis splendens ex Domini ore exire, sed qui consumat hostes: hic uerò lucis mentio fit, quæ seruet sanctos. Deus igitur ignis impijs est perdens, pijs ignis & lux seruans. ut solaris lux ceram emollit, & lutum indurat. Proinde uates hic dixit, Deum bonis bonum, malis malum esse.

In te curram accinctus.) Sunt quibus אש בר est אארץ, Per te frangam agmina, ac perrumpam. Notum est frangendi uerbum ריץ. Agmina hostilia, quæ armatus Deo Dauid perfregerit, nota sunt: Si Syros, Moabitas, Amalechitas, Palæstinos & Idumæos spectes. Messiæ uictorias de agminibus suorum hostium relatas, uictus mundus & exercitus eius, triumphatus princeps mundi Satan, & legiones eius ex potestatibus tenebrarum descriptæ, satis declarant.

Transiliam muros.) Expedita urbium hostiliũ expugnatio notatur. Quas noster Messias ciuitates expugnet, ostendit magna ciuitas mundus, & fortis ciuitas Babylon hodie nota: nec non inferni ipsius horribilis urbis euersæ portæ, de quibus illud, Et portæ inferorum non præualebunt.

Deus immaculata uia eius.) Celebrat Dominum à uijs suis, hoc est, à consilijs institutis & factis: hæc integra esse, & à dictis, quæ pura sint. metaphora in Hebræa uoce à metallis igni expurgatis mutuata. Talem sermonem Dei esse.

Scutum est.) aduersus hostes impios, quorum improbitatem pro integritate sua, impunita nõ ferat. Quorum igitur est protector, num omnium? Absit, sequitur enim:

Sperantium in se.) non in opes, potentiam, & sapientiam mundi, quæ uana sunt, cum Dominus is sit, cuius dicta & facta pura sint & integra, & ab omni uanitate libera: quibus tutò fidas, ut quæ neque falli neque fallere queant. Itaque sequitur:

Quis est Deus.) qui tam uerax sit, ut suo præsidio fretos fallere nequeat: & tam bonus, qui uelit: & tam potens, qui possit seruare.

Præter Dominum.) possessorem cœli & terræ, & omnium quæ his continentur. Explicat rationem, cur Dominus præsidio sit fidentibus in se. Sententiam interrogatione apta ad mouendam admirationem colorat.

Et quis fortis.) Suprà dixerat, Deus petra mea. hic reuocata hypothesi ad thesim, generatim Deum petram uocat.

Dominus accinxit me.) Laus Dei à fortitudine. hic, ut hanc suis communicet, qua hostes uincant, ostendit, cum diuina uirtute corroborari se dicit. Vbi indicatur, sanctos diuinæ fortitudinis, diuinæ sapientiæ, diuinæ iusticiæ, diuinæ uitæ, quæ creata natura non sit, participes esse. Sic paulo suprà, Deum suam lucem appellauit. Hinc Petrus: Vos estis consortes diuinæ naturæ. Quod fit beneficio regenerationis, quæ conficitur non ex creata natura, sed diuina, nimirum spiritu Dei, & semine non mortali, sed immortali per sermonem Dei uiuẽtis. Quò pertinet illud: Sed ex Deo nati sunt.

Et complanauit perfectam uiam meam.) Suprà dixerat: Per te agmina perrum

po. Hic de uia, quam sibi aperuerit ad hostilia agmina perfringenda, loquitur, ostendens se ea uirtute Dei corroboratum, ut sine offensione hostium aciem perrumpat, eorum strage uia sibi facta. Sed quæ est illa uia expedita & plana? Via hæc de se dicit: Ego sum uia, ueritas & uita: qui Messias benedictus est. In hac uia qui sacro spiritu ducti ambulant, hostibus mundo & principe mundi cum potestatibus tenebrarum prostratis, salutem certam sibi expediunt, omnibus quæ offendant salebris amotis.

Aequans pedes meos ceruis.) tempore fugæ. Nam fortibus uiris tam fugiendi quàm pugnandi tempora & artes sunt. Quoties porrò Dauid furori Sauli cessit? Vt fugerit Absalomũ, & eorũ quorũ consilio ille utebatur, rabiẽ, supra expositum est. De Christo, ut sæpe ad Phærisæorum insidias uitandas secesserit, satis est notum. Ceruorum in concinnanda similitudine meminit, quorum uelocitas in cursu & fuga perspecta est. Ab his tradunt editos fœtus exerceri cursu, & quomodo fugam meditentur, doceri. Velocitas hæc cernitur non in fugiendo, sed in celeri persequendi hostes studio & conatu.

Et super excelsa mea statuens.) A ceruis similitudinem ductam seruat. Hi ex angustis locis, in quibus à canibus petebantur, in lata & aperta eluctati, in altiora fugiunt, in quibus ad cauendas insidias circunspiciant. Habent sancti refugium & præsidium in suis fastigijs, de quibus suprà uates meminit: Exaudit Dominus de excelso uocem meã. De hoc fastigio Apostolus: Superna quærite, ubi Christus est, ad dextram patris.

Docens manus meas.) Spiritu doctore. De Christo legimus Iesaiæ undecimo: Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & fortitudinis. Sed in quem usum? In usum præliandi cum impijs hostibus. Sequitur enim inibi: Et spiritu labiorum suorum interficiet impium. In מלמד etiam assuefaciendi uis notatur.

Et componens.) Præcessit de scientia militari, hic felix exitus prælij explicatur: se ita belli gerendi artem tenere, ut lacertis suis hostiũ ferreos arcus frangat. In arcu notatur potentia & robur hostile.

Dedisti mihi clypeum.) Seruat militaria uerba, qui præliorum & belli mentionem feciſſet.

Multiplicauit me.) Me, qui humi iacebam neglectus & contemptus, amplificauit, ad regiam dignitatem euectum. Nam in loco Hebræum uerbum amplificare est.

Sub pedibus meis.) De Messia suo pater: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Persequar inimicos meos.) Si de hostibus benemerendum est, cur igitur hic dicit se eos persecuturum? Duplex hostium genus est: alterum contumax, quod à studio imminuendæ gloriæ Dei & salutis piorum, nulla res reuocat: alterum eorum quos concilient benefacta, quiq; facile in uiam reducuntur. Huic generi Dauid pepercit, & pro talibus Messias orauit, & etiamnum orat, ut pro quibus sanguinem suum fuderit. Sic enim scriptum est: Nam si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij. De illo superiore genere Dauid hic loquitur: Persequar inimicos meos. Vt qui essent & inimici Dei, quos Deus statuisset perdere. Sic enim suprà de eius furore canit Dauid: Misit sagittas, et dissipauit eos. Et de ijsdem Christus: Pro mundo (hoc est, pro impijs, qui in mundo uersantur, & soboles Satanæ principis mundi sunt) non rogo. Hinc Ioannes dicit, quosdam delinquere pro quibus orandũ sit: quosdam uerò delinquere, pro quibus orãdum non sit: sed eos diris deuouendos, ut eos deuouet Messias, diras in eos imprecans: Fiat mensa eorũ ipsis in laqueum: Obscurentur oculi eorum ne uideant. effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos, deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur. Tales sunt omnes, quorum nomina signata sunt in tabulis aeli bro mortis & inferni, ante conditum mundum, qui carentes sacro iusticiæ spiritu Christi, suo spiritu, hoc est prauo animo præcipites ruunt in exitium.

Dedisti mihi dorsum.) Quos antea persequentes fugerat Dauid, ceruinos adeptus pedes, iam eos in fugam conuerti canit. Sic mysterium crucis habet.

Odientes me.) Perniciale igitur est odium hostibus suum, quo Messiam & eius sanctos persequuntur. ut sequitur: Et disperdam eos. Sicut cõtra salutaris amor est, quo Christus diligitur, ut ipse apud Ioannem his uerbis testatur: Qui autem diligit me, ei aperiam meipsum: hoc est uitam, iusticiam & sapientiam meam ei patefaciam & communicabo.

Clamabunt.) oppressi calamitatibus, qui dixerant, Non commouebimur: circumspicient de ope, qua liberentur: sed nemo aderit, qui seruet. Contrà Dauid suprà: Dominum inuoco, & ab hostibus meis me liberat.

Et

Et non exaudiet eos.) Qui ex mundo sunt, fide carentes. Aliter igitur Dominum impij calamitatum tempore, aliter pij inuocant. Infide, illi non item: alteris amor Dei inuocationem exprimit, alteris necessitas citra amorem. alteri intelligunt Deum potentem esse, qui possit liberare: sed non tam bonum agnoscunt, qui uelit. Nam in alteris desperatio regnat, in alteris fiducia, qua freti cum Dauide canunt: In angustia mea imploro Deum, & exaudit me. Contrà hic de impijs legitur: Inuocant Dominum, & non exaudit eos. Exemplo Saulus est, qui cum Dominum consuleret, is ei neq; per somnia, neq; per sacerdotes, neq; per prophetas respondisse legitur.

Delebo eos.) comminuam ac conteram eos pulueris terræ modo. Quid uilius puluere terreno, quem quiuis uentus in aerem dissipet? Tales fore impios hostes. Huc pertinet illud: Impij similes paleæ, quam uentus agitat. Exemplo est ante diluuium impia Cain progenies, inimica sanctis patriarchis, Abeli, Setho, Enocho, Noæ, &c. Post diluuium Chami posteri: in quibus Pharao cum suis ut contritus sit, satis liquidum est. Sic Chananæi, Amalechitæ, Assyrius, Chaldæus, & alij, terreni pulueris ritu contusi & comminuti sunt. Qui puluis & cinis erant. Secus habent ij quos Deus amat, qui ex illo ipso nati, non ex puluere, nulla hostili ui atteruntur, in omnem æternitatem in Messia suo, de cœlo cœlesti homine, cõseruati. Cæterum in uerbo אשחקם monuit, impios instar aeris nobis circumfusi extenuãdos, ut nusquam appareant. Nam nomine שחק aerem notari, indicat illud Salomonis רבעצמו שחקים. Idem Dauid significat in attenuandi uerbo ארקעם.

A' cõtradictionibus populi mei.) Qualis contentio, rebellio & seditio spectabatur in Saulo, Nabale, Doego, Absalomo, Achitophele & Seba. Si Christum spectes, occurrunt Pharisæi & pontifices, occurrit aduersarius eius, pseudoprophetæ, Babylon meretrix illa magna cum scortatoribus suis, hypocritis & tyrannis orbis terrarum.

Custodies me in caput gentium.) in principem & regem gentium. In uerbo Hebræo significatur cura diuina, qua contra hostium consilia conseruatus sit ad regiam dignitatem. Quas gentes subiectas habuerit Dauid, ex historia hac sacra notum est. De Christo legimus: Et fluent ad eum omnes gentes. & Iacobus in suo oraculari testamento: Et ad illum aggregabuntur gentes.

Populus quem ignoro.) De quo supra in Deuteronomio: Ego prouocabo eos in eo qui non est populus. Ignorat Messias populum, quem ad tempus non ornat spiritu suo, à quo agnoscatur seruator.

Seruiet mihi.) colet me, fide Euangelij mei.

Filij alieni.) Israelitæ. Hos alienos, tanquam degeneres filios uocat. de quibus Iesaias: Filij quos educaui, à me defecerunt. Hos igitur tãquam spurios & nothos, hic reprehendit diuinus spiritus.

Resistent mihi.) fidem suã fallent: quod sonat in loco Hebræum uerbum. Si Dauidem spectes, occurrunt tempora defectionis sub Absalomo & Seba. Sin Christum, legimus apud Ioannem: In sua uenit, & sui eum non acceperunt.

Auditu auris obedient mihi.) corde longe à me absente. Notatur hypocrisis & simulatio pietatis, de qua Dominus ipse ex Iesaia uate: Appropinquant mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, cæterum cor eorum procul à me abest. Aut referes hanc partem ad superiora: Gentes quas non agnoui, ad auscultationem Euangelij obediẽt mihi per fidem: meis filijs, quos magna cura educaui, me negantibus, & doctrinæ meæ cœlesti non credentibus. Huc referenda expostulatio Domini de degenere uinea, apud Iesaiam capite quinto instituta: Vineam habebat amicus meus, quam cum uuas edituram speraret, edidit labruscas. Sed quid accidit spurijs his filijs? Sequitur,

Filij alieni defluxerunt.) instar folij emarcescunt & defluunt. Contrà de iustis obedientibus Messiæ regi: Et folia eius non decident. Sunt quibus fatigandi uerbum placet hic: quod congruit in eos, qui fide in Messiam posthabita, legem Mosæam per hypocrisim sectantur, hoc inani studio suo fessi pereuntes. Quò etiam pertinet metus, de quo sequitur mentio: Hos pertimescere in latebris, conspectum Dei non ferentes. Qui metus in hypocritas cadit, & eo liberi sunt, de quibus Apostolus: Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamatis abba pater.

Viuit Dominus.) Concludit carmen, laudes Dei summatim perstringens. Iehoua, qui uiuus es, & benedictus, & supra omnia excelsa extolleris, fortitudo mea, petra salutis meæ, uindex meus es. Hæc Messiæ uerba sunt, quibus iam post confectum crucis suæ cursum, & ad regiam maiestatem elatus, Deum patrem gratus & memor celebrat: & in eo Dauid

uid & reliqui sancti Deum patrem quoq; deprædicant, cum sentiunt se deiecto peccato ad iusticiam, superata morte ad uitam, perfractis ferreis inferni portis in cœlos translatos, tanquam ciues & domesticos Dei per filium, in quo agnoscunt Deum uiuum, & omni bonorum copia affluentem, & supra omnia sublimem, suam uitam, sua bona, suam sublimitatem & maiestatem suis communicare. Hoc modo in Christo, & propter Christum, Deum nobis fauentem, nobis uiuere, nobis beneuolum, nobis sublimem agnoscere per fidem, uerè Deum est celebrare & amplificare. Quod solum possunt facere, & faciunt, pij, per eum qui in ipsis habitat spiritum Dei: quo carentes impij, neq; uolunt neq; possunt per improbitatem facere.

Et benedictus.) omni genere bonorum cumulatus & auctus, & his suos augẽs & exornans. Messias dicit: Omnia quæ pater habet, mea sunt, sapientia, potentia, uita & gloria. Similiter eius membra fatentur, patris bona sua esse iure adoptionis, quo se filios & hæredes illius esse sentiunt per spiritum, de quo Apostolus his uerbis: Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, q̃ sumus filij Dei: quod si filij, igitur & hæredes.

Deus meus.) צורי a formando Deus sic appellatus, qui cuncta formet, et suos electos per cœlestem genituram è sacro spiritu cœlestem sobolem effermet. Alij, fortitudo mea, translatione à petra sumpta. Sic etiam Paraphrastes: סקיפא.

Exaltabitur Deus.) in Messia, infra omnia deiecto, & à deiectione super omnia elato. De quo alio loco Dauid: Dixit Dominus domino meo, sede ad dextram meam. item: Ascendit in altum. Locus ex Apostolo ad Philippenses suprà citatus est. De membris Messiæ legimus illud: Si quidem simul cum eo patimur, ut unà cum illo glorificemur.

Deus qui das uindictas mihi.) meas ultus iniurias, q̃ pro maiestate potentiæ tuæ, supra omnia excelsus sis. Suprà: Inclinauit cœlos, & descendit. item: Misit de cœlo, & assumpsit me, & liberauit me ab inimicis. Hic igitur in conclusione locum facultatis & uoluntatis accommodat ad salutis opera, quæ per Deum sublimem & benedictum effecta sunt, cum per hunc Deum salutem se nactũ, hostes profligatos, & populos subactos confitetur.

Et deijcis populos.) superbos.

Sub me.) elatum ad thronum regij splendoris, quem ad orcum usque detruseras. Suprà: Funes inferni circundederunt me.

Eleuas me.) assertum de ui hostium deprimentium me. Suprà: Deus exultatio mea.

A uiro iniquo.) ab iniurijs & crudelibus.

Propterea confitebor.) celebrabo te. Grati Messiæ uox.

In gentibus.) per Euangelij mei prædicationem ad te conuertendis. Quo uno tu sanctè coleris, in me filio tuo. Voca huc, quæ Apostolus ad Romanos hoc citato loco monet, cap. 15.

Christo suo Dauidi.) Typus & umbra in Dauide & regno eius: ueritas & in Christo, & eius regno cœlesti, atq; sobole è spiritu sacro regenerato cernitur. Messiam uocari Dauidem, ostendit Ezechiel cap. 34. & Oseas 3.

Vsq; in sempiternum.) De hac æterna bonitate, quam ostendit Deus pater Christo suo Dauidi, & eius posteris, his uerbis apud Lucam: Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis, Luc. 1. Quale aũt regnum hic accipiatur, & ut figurã eius præ tulerit Dauidis regnum, & qui Iacobæi, in quos regnaturus sit, intelligantur, satis notum est ex illo Apostoli: Non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui sunt filij promissionis, numerantur in semine. Rom. 9. hoc est, ueri Iacobæi habẽtur, in quibus per spiritum iusticiæ & uitæ regnet cœlestis Dauid Messias. Itaq; cum is seruator rex, sit uera uita, lux, uia & ueritas: si Dauidem spectes, & sanctos, hi hoc carmẽ de Christo Domino canũt: sin hunc, is de Deo patre, quæ hoc carmine continentur, prædicat. Nam ut sancti Christi sunt, ita is Dei est. Sic enim Apostolus dicit: Nos Christi, Christus uerò Dei. id est, nos Christi, ut capitis, membra sumus: Christus uerò Dei est, in quo diuinitatis plenitudo ut filio unigena, uersetur. cuius diuinitatis spiritum, in sponsam ecclesiã, ut in corpus suum, fundit, ut sequitur:

Et semini eius.) Soboli eius numerosæ, neq; ex sanguinibus, neq; ex uolũtate carnis, sed ex Deo natæ. Ioan. 1.

IN CAPVT XXIII.

HAec sunt uerba.) Exponitur oraculum sub mentione Dauidici regni, de firmo Messiæ regno, & certo aduersariorum interitu. Quod uaticinium similitudinib. exornatur, aptis ad Christi regnum, quale esset futurum, describendum. Itaq; pro uoce רברי Paraphrastes reddit: מיתגמי נבראה רוך.

Nouissima.) Nam hoc carmen oraculare post

re post reliquos psalmos à Dauide iam sene editum est, defungente in eo munere modulandi cantiones spiritu.

Filius Isai.) Patris meminit, qui nosset hũc delectum à Deo, ex quo rex in Israelitas futurus nasceretur, & ex ipso Messias benedictus, quiq; sciret liberorum sapientiam & dignitatem maioribus afferre decus & læticiam, ut filius eius Salomon his uerbis admonet: Sapiens filius læticia afficit parentem.

Dicit uir cui constitutum est.) oraculi autoritas à persona uaticinantis: quòd editum sit ab uncto Dei, Iacobæorum rege constituto. Sunt qui על pro עליון interpretantur, hoc oraculum editum ab eo qui sit constitutus excelsus & rex. Paraphrastes: דמרבא למלכו משיחא.

Egregius psaltes.) Suauis modulator carminum Israeliticorum. Nam huius carmina in literas relata extant, quæ ut ex Paralipomenis liquet, à Leuitis ante arcam diuinam in sanctuario cantari solita sunt, 2. Paralip. 7.

Spiritus Domini locutus est.) Dignitas oraculi ab autore spiritu diuino. in quanta ergo existimatione haberi debeant psalmi Dauidici, Messias ipse indicat, in his decãtatus, ubi ait: Oportet impleri quæ scripta sunt in lege & prophetis & psalmis de me. Item discipuli in Actis: Tu spiritu sancto per os patris nostri Dauid serui tui dixisti. Is locus indicat, quanti prophetæ debeant fieri, quorum animus diuini spiritus officina sit, & lingua plectrum eius habeatur, ut hic legitur: Et eius sermo in lingua mea uersatur.

Mihi locutus est.) Nonnulli לי uertunt, de me: De se per uatem Samuelem locutum, à quo ungeretur in regem, & hominum rectorem. Alij ad Deum referunt, Deus iustus rector hominum promisit mihi meam domum firmam atq; stabilem fore. Paraphrastes Chaldæus de Messia interpretatur. Dauidi per spiritum indicatum, olim uenturum Messiam, qui suos religiose gubernet דהוא משיחא דעתיד דיקום מלכא וישלוט ברחלהא דיי.

Sicut lux auroræ.) splendorem regni Christi non secus augendum, atque solis mane orientis lumen, dum perueniat ad summum cælum, augetur. Dicas, Dauidem loqui de regno suo. in hoc tenuis umbra apparuit: in Messiæ imperio ueritas cernitur expressa. Scriptura sacra frequenter similitudines à solari lumine mutuat, cum de auctu & progressu regni Christi Domini nostri loquitur. ut cum dicit: Thronus eius sicut sol in conspectu meo. & de iustis in libro Iudicum: Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendent.

Et sicut pluuijs.) Similitudo à stirpibus & pluuia. Sententia est: Quales stirpes sunt, quæ splendore à pluuia existunt in terra, sic florebit domus ac posteritas mea cum Deo. Alluditur ad opus tertij diei, in quo iam condita luce, & paratis pluuijs, terra stirpes egerminare iussa fuit, separatis iam aquis cœlestibus à terrestribus. De qua separatione uideris in libro Geneseos. Stirpibus autem iustos comparari, & Messiam ipsum iusticiæ germen uocari, ex Psalmo primo, & ex Hieremia capite 23. & alij locis patet.

Nec tanta est domus mea.) Non inquã sic erit domus mea, ut obscuratæ & nubibus obductæ nubi conferatur: sed clarè fulgenti luci, stirpesq; à pluuia ex terræ sinu producenti similis erit. Nonnulli בי לא affirmare hic dicunt, non negare: Sic planè erit domus mea, splendorem suum ac fulgorem instar solaris lucis intendens. Sicut בי לא in Genesi capite 18. pro imò ponitur לא בי יצחקה hoc est, Imò risisti. Hæc uersio per ἀντιπρόσωπα similia similibus reddit.

Cuncta enim salus mea.) Variè reddũtur Hebræa. uno modo, in eo salus mea omnis & uoluntas uersatur, ut non germinet: hoc est, ut non instar germinis, quod mane floret & uespere marcescit, regnum meum sit: sed exopto omni studio, ut in omnem æternitatem firmum maneat, ex fœdere diuino, quod Deus mecum æternum fecit, stabilitum omnino atque ratum. Hæc interpretatio non est consentanea ei quæ allata est, qua stirpibus regnum Dauidis ex splendore à pluuia procreatis comparatum est, quibus tamen aliâs comparari solet. Itaque Paraphrastes hanc partem לא יצמיח ad sequentia refert: Opto ut hostium impiorum regnum non floreat.

Præuaricatores autem quasi spinæ.) Messiæ regnum Dauidis regno adumbratum in æternum fore firmum & stabile: Belial autem, hoc est hostium Christi imperium, spinarum modo euellendum. Memorabili contentione committitur regnum Christi, cum regno Antichristi: hoc tenebris, illo luci: altero stirpibus frugiferis, altero spinis fructum nullum ferentibus comparato: item alterum firmum, alterum fluxum & caducum fore confirmatur.

Quæ non tolluntur manibus.) ne pungant. Adhibentur ferrum & ignis: ferrum, quo euellantur: ignis, quo crementur. Sic perituros impios, indicatur ferreo, hoc est seuero iudicio Dei, & igni furoris diuini perituros hostes Messiæ. de quo igni suprà: Incensi sunt carbones ignis. Ignis inquam, missi de throno igneo Christi, cuius apud Danielem mentio fit: Thronus eius flamma ignis. Et Ioannes in Apocalypsi: Et descendit ignis de cœlo, & deuorauit eos.

Hæc sunt nomina fortium Dauid.) Recensentur nomina fortium uirorum, quorum domi consilijs, foris fortitudine contra hostes usus sit Dauid. Vbi duo nobis proponuntur cognoscenda. Vnum est, clarorum uirorum pietate & rebus gestis nomina digna censeri à Domino, quæ literis mandentur: quæ etiam ipse apud se obliuione non sinit obliterari, ut in cœlis scripta, quæ nulla uis deleat. Alterum est, regna præclarè constituta conseruari, si leges floreant, & uiri probitate, prudentia & fortitudine præditi in eis uigeant: contrà interire illa, si his spoliati sint. Sicut Dominus, ubi apud Iesaiam minatur Hierosolymis interitum, hunc ei affore his uerbis nunciat: Dominus ablaturus est Hierosolymis milites & bellatores, iudices & uates, &c. 3. capite. At uerò quoniam in regno Dauidis cœlestis Iesu Christi fortes heroes cernuntur, qui Euangelij spiritu armati, hostes suos peccatum, mortem, mundum, & principem mundi Satanam uincunt, ad Israelitas illos in cœlo consignatos duce Christo liberandos, in his uera heroica uirtus spectatur: in illis Dauidis mystici heroibus, quos hic sacra narratio numerat, figura & umbra, cum modo diuini spiritus, qui puerili ætati sub lege congruebat. Vt in Dauidis regno, in Chananæa terra, populo, eiusq; sacerdotio & templi cultu figura eorum quæ ad regnum & sacerdotium atque hæreditatem noui fœderis pertinent, spectabatur. Celebrantur hic heroes, quorum alius octingentos, alius alium numerum peremerit: alius in fugam hostibus conuersis, suos ad prælium, qui iam fugerant, reuocarit: alius castra hostium perruperit. At hæc fortitudo nihil ad heroicam illam fortitudinem, de qua Apostolus ad Corinthios his uerbis meminit: Siquidem arma militiæ nostræ sunt potentia Deo, ad demolitionem munitionum, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem quæ se aduersus cognitionem Dei extollit, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo. Heroes qui hic laudantur, Palæstinos & reliquos sacri populi hostes uicerunt. At Heroes quos illi adumbrarunt, superant hostes, de quibus idem Apostolus ad Ephesios 5. Nobis non est lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi Dominos, rectores seculi huius, aduersus spirituales nequitias, in cœlestibus: hoc est, propter res cœlestes, non terrenas, ut in hac lucta strenuè certantes, non terreni, sed cœlestis regni coronam, tanquam fortes pugiles & athletæ, assequamur. De qua idem Apostolus: Nos certamus, ut immortalem coronam nanciscamur. 1. ad Corinthios 9. In utrisque igitur athletis & heroibus sua prælia, sua arma, sui hostes, suæ uictoriæ, sua item præmia, quibus ornantur, uidere licet.

IN CAPVT XXIIII.

ET addidit furor Domini.) Quæri hic solet primò, quamobrem Deus Israelitis post illatam famem iratus, sub occasione numerationis, pestem immiserit? Deinde, quomodo idem dicatur Dauidem ad recensendos Israelitas incitasse, qui non mali, sed boni autor habeatur? ut est apud uatem: Deus non oblectatur improbitate. Tertiò, in quo deliquerit Dauid, numerans Israelitas, cum nulla edita lex, ne numerentur, prohiberet. Demum, quem usum atque fructum populi castigatio attulerit. De singulis ordine inter interpretandum meminerimus.

Contra Israel.) Etsi narratio aperte non ostendit iræ diuinæ in Israelitas caussam: ex iis tamen quæ exposita sunt, eam cognoscere licet. Post famem & rerum penuriam suprà narratam, reddita iam rerum copia, ad libidinem & luxum uidetur Israel defluxisse, alioqui ad rebellionem & uitia procliuis, qualem legis in saxo scriptæ administratio reddit. Quod antea prædixerat Moses futurum, his uerbis: Incrassatus est, recalcitrauit Israel: ut solet abundantia & affluentia rerum libidinem à metu Dei auocantem ad uanarum rerum cupiditates, importare. Accedebant tot uictoriæ, quas Dauid de hostibus suis reportauerat, quæ insolentiam in Israelitica gente, & securitatem quam Deus minimè ferret, creasse existimantur.

Commouitq; Dauid.) A Domino incitatum Dauidem esse, ad numerandos Israelitas. Dicat aliquis: Culpa igitur numerati populi, Deo qui incitarit, non Dauidi ascribenda fuerit. Deus bifariam incitare dicitur pectora hominum

minum: uno modo, cum impellit ad rectè & cogitandum & agendum. Hæc incitatio ac impulsio propria Dei est, quæ spiritu sacro filij Messiæ fit, de quo legimus: In nobis perficit cogitare, uelle & agere. Altero modo incitare dicitur, cum humana pectora cupiditatibus suis & satanæ relinquit: & in sic relictis ac permissis sibi, cupiditates ad exitum, motu quo cuncta in hac rerum uniuersitate mouet atque agitat, perducit. Hoc modo Semei ad maledicendum Dauidi, & Dauidem ad numerandum populum incitauit. Itaque ubi hic legimus, Et incitauit Dauidem: in Paralipomenis legitur, à satana Dauidem impulsum ad recensendos Israelitas. ubi uox שטן, cõmunis uox est hostiũ & aduersariorũ. intelligitur autem hic nomine Satan, diabolus omnium malorum autor & architectus, aut consiliarius aliquis malus diaboli minister, qui Dauidi suaserit ut populum numeraret. Hebræis est יצר הרע hoc est mala cupiditas, ac affectio in carne aduersus spiritũ rebellans. Vt aũt aliter Deus, aliter satan, aliter cupiditas uitiosa in uetere homine ad scelera moueat, ea de re aliàs, ubi in Exodo indurationis improborum argumentum explicatur, meminimus. Legimus hic, incitatum Dauidem, qui numeraret Israelitas: & cur numerarit, caussa quoq; exponitur, quòd iratus Deus hoc modo plectere uellet Israelitas. unde hæc ordine nobis consideranda in hac caussa proponuntur. Primò, Deum peccata peccatis tanquam pœna solere punire. Etenim hic legimus, Dauidem per satanam impulsum à Deo, qui iuberet Israelitas recenseri, ad capiendã occasionem de illis obuitia quibus se defœdarãt, supplicium expetendi. Deinde solere Deum principem excitare, qui faciuus aliquod malum committat, quod redundet in cladem subiectæ gentis. Sic porrò comperimus omnibus temporibus accidere, ut uulgi scelera malorum principum delictis castigentur. unde hæc sententia à Iobo enunciata est: Propter peccata populi Deus dat hypocritam regem. Intueamur in nostra tempora, quæ exemplis abundant.

Et Iudam.) Separatim mentionẽ facit tribus Iudææ, ut suæ, et numero capitũ atq; fortium uirorum claræ. occultoq; iudicio Dei præluſum est separationi, quæ posteris temporibus sub Roboamo consecuta est.

Adaugeat Dominus.) Exordium dehortationis ad regem aptum. In quo nimirum tacitè indicat, Dei esse, multiplicare sacram gentem: regis uerò, de benedictione summisse gratias agere, non ad ostentationem potentiæ numerum ambitiosius inire, præsertim eius gentis quam Deus innumerabilem, ab ipso numerandum, auxisset, ex promissione illa ad Abrahamum facta: Multiplicabo sobolem tuam ad numerum stellarum cœli & puluerís terræ. Hanc autem promissionem tunc impletam, ostendunt ea quæ primo Regum, capite quarto scripta sunt: Iuda & Israel innumerabilis, ad arenæ maris numerum.

Sed quid sibi Dominus meus.) A' re tum inutili, tum perniciosa Israelitis, dehortatio instituitur. Sic enim in Paralipomenis legimus: Cur tãdem hoc quærat Dominus rex, ut Israelitis noxam importet. Sed frustra hæc ad regem, ad tempus suis consilijs permissum Dei consilio immutabili, ut sequitur.

Obtinuit autem.) ut semel sententia diuina de castigandis Israelitis lata impleretur. Suprà legimus, Eli filios suos non obtemperasse recta monenti, quòd Deus statuisset perdere illos. Sic legimus, Ioabo Dauidem non paruisse, quòd Deus omnino statuisset Israelitas clade afficere. Quare omnia quæ in cœlo & in terra fiunt, consilio Dei definito & immutabili, cui nulla uis resistat, fiunt, siue bona siue mala fuerint.

Aroer.) urbs sita in tribu Gadi na, ad ripã Arnonis fluuij, qui per abrupta montium decurrens, & per deserta Arabiæ fluens, in mare Salsum illabitur. In eadem tribu sita est Iazer, fontibus Arnonis clara.

Et in terram inferiorem.) Paraphrastes תרגומא uertit ארמיא: quòd septentrio sublimis sit, australis uerò cardo decliuior.

Hodsi.) Apud Iosuam huius loci nulla fit mentio in descriptione terræ sacræ, ut nec in reliqua scriptura. Itaq; interpretes non pro proprio nomine loci interpretantur, sed pro terra cœpta nuper coli. Tale sonat חרשי, ut latinis suum nouale.

In Beersabe.) urbs est Iudææ tribus, & Simeonis, ultimus ad austrum terræ sacræ terminus: quæ ad angulum meridionalem occidentem uersus sita est. Itaq; primò traiecto Iordane in ortum profecti sunt, ab ortu Danem uersus præterlegentes aquilonare latus usq; ad Sidonem: ab hac descendẽtes per occidentalẽ limitem, usq; ad australem partem peruenerunt, atq; ita Chananæa per quatuor suos cardines & angulos perlustrata, numerum atque summam capitum quæ in narratione explicatur, septem mensium & uiginti dierum spacio subduxerunt.

Et inuenta sunt.) Numerus qui hic poni

tur, dissentit ab eo numero qui in Paralipomenis memoratur, ubi legitur undecies centena millia Israelitarum fuisse, qui arma ferrent, numerata. hic uerò solùm octingenta millia recensentur. Interpretum sententia duo hi loci inspeciem dissentientes, hoc modo componuntur. Trecenta millia, quæ hic non numerantur, esse illas duodecim classes militum à Dauide selectas, quarum singulæ uicena quaterna millia per uices in singulos anni menses regi seruierint. Hæc uicena quaterna millia per duodenas classes numerata, si coniuncta sint, ducenta octoginta octo millia efficere: quibus duodena principum & ducum millia addita si sint, trecenta illa millia confici, quæ hic numerata non sunt: neq; opus fuisse eorum numerũ, qui notus regi esset, in rationes referre. De duodecim autem illis militum classibus ad nutum & arbitrium regis paratis, in priore Paralipomenũ libro uideris.

Et de Iuda quíngenta míllia.) Secus in Paralipomenis: De Iuda autem quadringenta septuaginta millia, qui arma ferre possent. Qui numerus nostro hoc triginta millibus minor est. Interpretes uolunt, Iudæorum numerum qui post acceptam cladem repertus est, hic designari, in ea tribu triginta millibus peste absumptis.

Percussít autem cor Dauid.) Hæc animi percussio erat conscientiæ, grauiter de noxa condemnantis iudicium, quo nihil grauius. ut uulgò dicitur, Conscientia mille testes.

Peccaui.) Duo hic in consideratione ueniunt. alterum animus Dauidis est, alterum numeratio populi ritè non facta. Animus in Dauide nõ fide, sed ambitione ad numerandos Israelitas mouebatur, qui ex tot uictorijs insolẽtior factus, scire uoluit numeratis suis copijs, quàm potens rex ipse esset, carnem brachium suum ponens. In numerando autem populo, non ueniebat ei in mentem legis, de qua his uerbis præmonuerat Moses in Exodo: Cum recensebis Israelitas, in eo censu pro suo quisq; capite precium Domino pendito, cladis auertendæ gratia. Itaq; nõ aliter licebat Israelitas numerari, quàm penso dimidio sicli pro capite, ut ex persoluto precio propitiatorio cognosceretur Israelitarum numerus. Mysterium hoc in Christo unico redemptorio precio clarum efficitur, extra quem nullus sanctorum census ualeat, & in eo solum sacri populi numeratio Deo placeat.

Aut septem annis ueniet.) In Paralipomenis legitur, tribus annis. Sunt qui iudicant tres annos separatim ab illis tribus, quibus suprà leguntur Israelitæ fame laborasse, in Paralipomenis numeratos. hic uerò adnumerari illis reliquos, quibus laborandum sit. Tres communes clades, quibus hominum scelera emendantur, proponit: Bellum, famem, & pestem, quorum unum quoduis eligat.

Vt incidam ín manus Domini.) electa peste. quæ solo et unius Dei nutu infligitur: cum in bellica clade & rerum penuria multa etiam humano arbitrio & libidine gerantur. Pietatis & prudentiæ exemplum in rege Dauide cernitur. prudentiæ quidem, qui propositis fortunæ aut corporis malis, minus eligendum esse iudicarit. Dico fortunæ, aut corporis: nam uitia atq; crimina omnia sunt uitanda, nullum eligendum. firmum enim est illud: Non licet mala facere, ut eueniant bona. Pietatis autem exemplum partim in ueneratione Dei, & eius clementiæ agnitione, partim in populi subiecti amore apparuit. Nam peste electa, se cum populo communem mortis periculo exposuit, quæ nulli hominum generi parcat, sed pariter omnes tenues et diuites, sapiẽtes et insipiẽtes inuadat. Venerationem Dei declarauit in eo, quod alteris duabus cladib. intellexit nominis diuini amplificationẽ ualde imminui, dũ populus diuinus magno Dei sui opprobrio pfanis gentibus in comparandis rebus ad uictum necessarijs tempore famis sese submittere cogitur. ab hostibus uerò uictus, in Deum suum conuicia audit, cum dicunt: Vbi est Deus uester, quem uos colitis? iuuet iam uos, & liberet. Sicut Palæstini gloriati sunt de dijs suis, capta Israelitarum arca: & ante Hierosolyma gloriatus legitur Assyrius ille, iam occupata decem tribuum terra.

Multæ enim misericordiæ.) Ratio à clementia diuina, qui sciret Deum natura clementem esse, eiusq; iram misericordia uinci, ut sæpe id expertus fuerat, qui canat: Misericordia tua plena est terra. item: Nam tu Domine bonus, & ad clementiã propensus omnibus inuocãtibus te. Nam is etiam cum irascitur, non irascitur ut perdat, sed ut eos in quos irascitur, ad meliorem frugẽ reuocatos seruet. De quo illud celebre: Vulnerat ut sanet.

Quàm ín manus hominum.) quorũ iniquum sit iudicium, & natura ad malefaciendum procliuis. Etenim hi belli tẽpore seruitutem adempta libertate inducunt, respublicas & earũ leges mutant, alienam religionem sublata uera important, agros & urbes uastant, fœdas libidines exercẽt, ferro in omne genus hominũ promiscuè grassantur. Tempore uerò famis egestas ad mala consilia

consilia impellit, supplices ijs efficiens, qui à nobis religione dissentiunt, cum magno Dei quem colimus opprobrio. Hinc fames probrosa appellatur in sacris literis. Itaq; utroq; tempore, belli & famis, in hominum manus cum incidimus, præ his duabus cladibus Dauid pestem elegit, ut sequitur.

Immisitq; Dominus pestem.) per quam Israelitæ sentirent Dei clemens iudicium, non hominum sæuitiem: qui natura ex ueteris hominis ingenio sæui sunt, Deus uerò benignus & ad clementiam propensus. Nam in uetere homine uirus prauarum cupiditatum à serpente sata na afflatum cernitur, qui serpens ab initio suam credulitatem declarauit.

De mane usq; ad tempus constitutum.) Variant interpretes. Sunt qui hoc præfinitum spacium interpretantur de tribus diebus, de quibus in textu fit mentio: Aut ut tribus diebus terra tua peste afficiatur. Sunt qui in hunc modũ exponunt, mane exorsam luem, & durasse ad meridiem: atque hoc tempus sit constitutum illud tempus, cuius in scripto fit mentio. Sunt demum qui de uespertino tempore accipiũt, ad quod usq; mane prta pestis durarit. Huius sententiæ uidetur esse Paraphrastes, qui à matutino tẽpore quo iugi sacrificio litatur Deo, usq; ad tempus quo lucernæ sub uesperam accenduntur, pestem in populum grassatam interpretatur his uerbis: מיערין דמיהנביס תמיד אועד דמיתסס. Qui hanc sententiã sequuntur, propterea ad tertium diem pestem non durasse dicunt, quòd legitur, Dauidem iussum holocaustũ offerre Deo ad luem sedandam, placata ira diuina. Si quis obijciat, Gadum uatem meminisse trium dierum, quibus lues duraret: dicunt hi, de hoc tempore, intercedente precatione & litatione Dauidis piaculari, detractum. Obijcias, Deum de sua sententia semel pronunciata, quæ sit immutabilis, non recedere. De sententia absolutè & simpliciter pronũciata nõ recedit: de ea autem sententia quam cum adiunctione aut conditione, seu per comminationem enũciat, ut recedat, Niniuitæ sunt exemplo. Non legitur hic, pestis orta ex corrupto aere, quã causam Physici perpendunt: sed legitur à Deo immissa, ut uindice scelerum. Quam causam fides põderat, ad usum pœnitentiæ. Quæ theologica consideratio pietati firmandæ utilis est, ad placandum Deum.

Misertus est Dominus.) In Hebræo est ינחם pœnitendi uerbum, Deo pœnæ quæ inflicta est, pœnitudine ἀνθρωποπαθῶς tributa. Qua loquendi forma diuinus spiritus indicat, Deum seruandi, non perdendi studio oblectari: atq; alienum opus eius esse punire & malefacere, proprium benefacere. In eodem uerbo notatur etiam, Deum consolationem quandam accepisse castigato populo suo. Nam parentes emendatis liberorum uitijs, se consolantur in eo, quod liberis suis castigationem utilitatem afferre, & sibi aditum ad paternam beneuolentiam erga emendatos declarandam patefieri intelligũt. Sapienter ergo Salomon monet, liberos castigatione priuandos non esse. hos enim, si ferula uerberentur, non mori, sed meliores factos supplicium uitare.

Et ait angelo.) In Paralipomenis legimus, angelum strictum gladium habentem apparuisse, & Dauidẽ hunc cõspicatũ abiecisse se pronũ cum maiorib. natu in terrã, 1. Paralip. 21. Quòd Dauid populi peccata in se trãsfert, quem nobis Dauidẽ repræsentet, indicat uates: Attritus est ppter scelera nostra. Dissimilitudo in eo cernitur: Dauid suo crimine non caruit, Messias caruit: aliena in se recipiens, quæ expiaret, delicta. Vnde discimus magna nostri consolatione, peccata nostra non in nobis quæ nos perdant, sed in Christo cuius sanguine expientur, nobis consideranda esse.

Ascende.) Arca Araunæ in excelsiore loco Moriæ montis sita fuit, ubi templum ædificandum erat, & ubi Abrahamus filium suum Isaacũ immolare iussus fuit. Loci excelsitas admonet nos Sionis cœlestis Hierosolymæ, in qua sola diuinæ iræ placandæ locus est, omnibus extra eam ad exitium & interitum damnatis.

Araunæ Iebusæi.) Inter filios Chanaanis numeratur Iebusæus in Genesi, capite decimo. Hic patet, Iebusæos Hierosolymis, cum capta arx Sion esset, à Dauide extinctos non fuisse, sed remansisse qui tributa Iudæis & Beniamitis penderent ex sententia illa semel lata: Et Canaan erit seruus eorũ, Genes. 19. Cæterùm q hic Arauna uocatur, in Paralipomenis appellatur Ornan. Dicitur rex, qui princeps & summæ autoritatis inter suos esset.

Argenti siclis quinquaginta.) In Paralipomenis legitur: Dedit ergo Dauid Ornan pro loco siclos auri iusti ponderis sexcentos. hic uerò de argento legitur, quod penderit. Nonnulli interpretes Hebræi in hunc modum locos conciliant, à singulis tribubus quinquaginta argenti siclos collectos, qui summatim subducta ratione conficiant sexcentos siclos argenti. Quinquagies enim duodenis sexcenta conflari. Quod autem hic non auri, sed argenti fit mentio, dicunt, argentum à tribubus collectum, in

aurũ à rege commutatum. Sed etiam alio modo locorum concordia tentatur, quinquaginta argenti siclis emptam aream cum bobus, sicut hic traditur: Emit Dauid aream & boues, sed totam eius domum sexcentis. Sic enim in Paralipomenis scriptum est: Dedit ergo Ornam pro loco siclos auri iusti ponderis sexcentos: pro loco uidelicet toto, in quo templum à Salomone extruendũ erat. Demum sunt, qui dicunt aream sexcentis siclis emptam, & boues cum tribulis et cæteris instrumentis quinquaginta, precio areæ non hic, sed in Paralipomenis prodito.

Holocausta.) quæ ad placandam iram Dei apta erãt. Nam his adumbrabatur Christus, ad sedandam diuinam iram selecta hostia: qui immolatus, factusq; holocaustum ad claritatem Dei per excitationem è mortuis diuino igni trãslatus est. Adũbratæ sunt item holocaustis Leuiticis uictimæ, regeneratore igni cremãdæ ad nouitatem noui et cœlestis hominis, qui Christus est, de quo igni regenerante ad splendorem ueræ iusticiæ et uitæ in Christo, uetere homine exusto, illud: Baptizabit uos spiritu & igni. His hostijs Dei ira placatur, propter uictimam & dimanantem ex ea uim, de qua uates: Vt pecus ad mactationem ducitur. Itaque additur in Paralipomenis, Dauidem igni de cœlo demisso in aram holocausti, exauditum. Tanta uis est lustratoris ignis.

Pacifica.) quorum oblatione gratias agerent Deo de restituta salute: & earum carnibus uescentes, læti Dominũ de sedata eius ira celebrarent. De quo usu uideris in Leuitico.

Et propitiatus est Dominus terræ.) Paraphrastes: Accepit Dominus precationem incolarum terræ. Hierosolyma placãdæ iræ diuinæ deputata est, ex qua nimirum Euangelij lex profectura erat, de qua uates: Ex Sion proficiscetur lex, & ex Hierosolymis uerbum Domini. uerbum inquam reconciliatorium beneuolentiæ diuinæ, in Christo benedicto: ut ex Sione Arabiæ Petreæ mõte lex Mosaica, administra iræ et mortis, profecta est.

Ab Israel.) electo, in quo clementiæ suæ & propitiationis opera declararet Deus, et eo reconciliato in mysterio scriptorum in libro uitæ, omnia tum quæ in cœlis tum in terra sunt, arbitro & placatore sanguine Messiæ, cœlestis Hierosolymæ regis, Deo reconciliarentur. Quæ maxima bonitas Dei est, & dignitas in Christo electorum, quòd ex horum salute totius reliquæ naturæ salus pendeat, qui complementum sint Christi Domini, principis et finis totius uniuersitatis. Ad quod arcanum Dei consilium præsignificandum, manus angeli à Hierosolymis depopulandis cohibita est. Si quis percunctetur, ubi tabernaculum sacri fœderis & propitiatorium mysticum cum arca oraculari illo tempore fuerit, liber Paralipomenum indicat, Gabaone fuisse. Qui locus quoniam delectus non fuit, qui firma arcæ et diuini cultus sedes foret, placuit diuinæ sapientiæ, in ijs quæ iam in Araunæ area contigerunt, futuræ sedi & templo Dei præludere. De quo sacro loco antea prædixerat Moses in Exodo, capite 20: Quocunq; in loco mei nominis monumentum posuero. et in eodem libro capite 15: Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ. & de eo Deuteronomij duodecimo capite: Sed ad locum quem elegerit Dominus Deus uester, de cunctis tribubus uestris, ut ponat nomen suum ibi, &c.

IN

IN TERTIVM DE REGNO ISRAELITICO LIbrum, Martini Borrhai Commentarius.

IN CAPVT I.

ET rex Dauid senuerat.) septuaginta natus annos. Nam triginta annos habebat, cum Rex crearetur: et quadraginta annos regnasse in Israelitas, infrà legitur. Ad eam igitur ætatem peruenit, quam ipse in Psalmo nonagesimo septuaginta annis, aut si bona ualetudo sit, octoginta terminari ait. Ratio aũt cur ante diluuiũ tot annos uixerint patres, à diluuio uerò cœperit breuior uita subinde fieri, alio loco exposita est.

Adolescentulam uirginem.) Deligitur uirgo, & ea formosa, non ex una aliqua tribu, sed ex cunctis Israeliticis finibus: neq; deligitur cum qua Dauid rem habeat, sed complexu eius foueatur, qui natiuum uigorem & calorem laboribus & senio confectus amisisset. Quærat hic aliquis, an ne Dauid puellam illam duxerit uxorem? Narratio non indicat, puellam uxorem Dauidis fuisse: sed delectam, quæ illius corpus calore foueret. Sed dicas, Si uxor nõ fuit, quomodo igitur sancto uiro puellã uirginem in amplexum admittere licuit, præter exemplum maiorum suorum, & non sine periculo tale factũ imitandi cum offensione piorum? Fatentur, qui sic sentiunt, præter exemplum sanctorum hominum à Dauide id factitatum: neq; propterea tamen temerè iudicandum esse, Dauidem in eo facto deliquisse, quem quod fecit, singulari Dei instinctu fecisse ueri simile sit, in quod inquirere nobis fas non sit: neq; etiam tale facinus pro exemplo statui debere, quod alij sequantur. Etenim sanctorum hominum fidem, & quæ ex hac sequuntur bonas actiones, quæ quidem communi legi consentaneæ habeantur, imitari decet: non facta, quorum nobis ratio, cur edita sint, non semper cõstat. Sicut etiam nobis Abrahami exemplum de Agare in cõgressum admissa, exemplum item tot uxorum & concubinarum, quas Iacobus, Dauid & Salomon, atq; cæteri in ueteris fœderis administratione habuerunt, sequi nos haud conueniet. Apparet hic occulto consilio Dei, à Dauide non aliquam ex uxoribus quæ secum uarijs casibus iactatæ fuissent, sed uirginem: neq; deformem uirginem, sed formosam, & eam ex cunctis finibus Israeliticæ gentis selectam esse, qua iam senex ad effœtum corpus fouendum, non ad libidinem explendam, uteretur: et eo tempore uteretur, quo regnum bellis, sanguine, magnisq; laboribus partum, Salomoni cum summa pace regnaturo tradendum erat, ut sicut per reliquas uxores ecclesiæ cœlestis Dauidis Messiæ sponsæ, uarijs afflictionibus affectæ status fuerat repræsentatus: ita per hanc formosam uirginem eiusdem Ecclesiæ ad gloriam transferendæ cõditio adumbraretur. Hinc commoti sunt ueteres Hebræorum sapientes, ut dicerent, non sine mystica ratione, hanc Sunamitidem puellam iam mortuo Dauide patre, fas fuisse Salomoni ducere uxorem. Sed hanc & alias huius generis mysticas interpretationes relinquimus lectori, ad analogiam fidei iudicandas: libenter cessuri, meliora proferentibus ex thesauris sacrarum literarum.

Et foueat eam.) כבנת uoce calefaciendi uim notari, declarat illud apud Ecclesiastem: וברוקע עצים יסכן בם. Est igitur hic הכבנת idem quod מיהמימת. Et Arabũ lingua כבין esse חם dicunt.

Adonias autem.) Maior natu inter filios Dauidis, ætate, pulchritudine & præstantiũ uirorum fauore fretus, regnum Salomoni eripere molitur. Et spem faciebat regni comparandi, quòd patre conniuente ea quæ ad inuadendum regnum facerent comparasset.

Fecitq; sibi currus & equites.) Similiter suprà fecisse Absalomus regnum ambiens legitur: comparauit sibi Absalomus currus & equites, & quinquaginta præcursores. Hi dicuntur de suo consilio, hoc est humano, hunc apparatum comparasse. Contrà Dauid, non hoc modo ad regnum aspirasse legitur, non item Salomon. sed diuino consilio & uoluntate. Horum igitur regnũ firmum & ratum, illorum infirmum et irritum factum est.

Nec corripuit eum pater.) quem amaret ut maiorem natu, & formosum. Atqui hac paterna indulgentia usus est Deus, ad deijciendũ Adoniã, & ad Salomonẽ minorẽ natu & contemptũ apud multos præ Adonia amplificandũ. Prætulit igitur Deus minorẽ natu maiori: ut olim Abel Cain, Iacobus Esaõ, Ephraimus Manasse, Dauid

ſuis fratribus prælatus fuit. Qua in re quàm uera ſit ſententia illa cognoſcimus: Infirma mundi elegit Deus, ut firma & fortia pudefaceret: et contempta mundi elegit Deus, ut ea quæ aliquid ſunt aboleret, ne quis mortalium glorietur apud Deũ.

Erat autem ipſe pulcher.) Vt Abſalomus, & Saulus, à pulchritudine fuit commendatus. At uerò Adonias pulchritudine fretus, cum ambitioſius regnum peteret, non perpendit ſententiam illam: Fallax gratia, & uana pulchritudo eſt.

Secundus natus eſt Abſalom.) poſt Abſalomum igitur maior natu fuit Adonias. obierat enim Amnon, obierat & Abſalomus. ueriſimile eſt et Cheleabum ex Abigaile natũ obiiſſe. Cæterùm de ordine filiorum Dauidis, & nominibus uxorum quas habuit, uideris in ſuperiori libro, capite tertio. Meminit hic Abſalomi, qui pari ambitione regnum affectaſſet, pulchritudine, ætate, & potentibus amicis confiſus.

Et ſermo eius cum Ioab.) Adiungit ad ætatem & formam, potentium amicorum conſilia: qui ſciret, quantum momenti ad res magnas aggrediendas in amicis poſitum eſſet. Ioabum autem in conſilium adhibuit, cui intelligeret non fauere patrem Dauidem, propter necem Abneris et Amaſæ & Abſalomi: atq; ita hunc metuere, ne ſi Salomon rex creatus eſſet, ab eo ſuorum ſcelerũ pœna expeteretur. Adoniam igitur Ioabus libenter adiuuabat, per quem putaret ſe uitam et dignitatem conſeruaturum. Idem ſpectauit Abiathar. Is enim ex eo quod Dauid Zadaco ſacerdotium tribuit, ut ſupra capite decimoquinto indicatur, facile potuit cognoſcere regem ſibi infenſum eſſe. ut ergo dignitatem ſuam recuperaret, aut quicquid eius reliquum erat, retineret, ab Adonia contra Salomonem ſtetit. Sed omnia fruſtra tentata ab his ſunt, Dei conſilio diuerſa moliente.

Zadoc uerò pontifex.) cui ut nato ex Eleazaro, per Salomonem erat confirmandum ſacerdotium: eo Abiathari, qui ex Eli familia erat, adempto.

Et Benaias.) qui præerat Ceretheis & Phelethei.

Et Nathan.) cui, ut uati diuino, Dei conſilia de ſucceſſore regni nota erant: contrà quæ aduerſarij fruſtra ſua, ut humana, hoc eſt uana perſequebantur.

Ad fontem Rogel.) De hoc uicino Hieroſolymis fonte, Ioſuæ 15 uideris.

Immolatis ergo Adonias arietibus.) ſed quas uictimas reprobaret Dominus, cui fides & innocentia placeat, non ſacrificium, ut eſt apud Oſeam: Miſericordiam uolo, non ſacrificium.

Vniuerſos fratres ſuos.) ut minores natu, quos ſuis conſilijs repugnaturos non ſuſpicaretur.

Nathan autem prophetans.) cui Adonias ſua conſilia, quæ clam patre, cum ijs quibus pater infeſtus erat, inibat, diſplicere nõ ignoraret. Ad hæc ueriſimile eſt, oraculum de creando Salomone in regẽ Nathani expoſitũ, Adoniã non prorſus latuiſſe. de quo ſupra capite 7 & 22 prioris Paralipomenum libri fit mentio. Qua in re licet cernere, ut humana prudentia, cum regnũ & opes aguntur, diuinæ ſeſe opponat: non conſiderans, reprobatis principum conſilijs, Deum ſua ſtabilire.

Et robuſtos quoſq;.) Heroas quoque, quorum aliquot ſupra numerantur, ut malis conſilijs pro fortitudine ſua iniquos, Adoniæ nõ affuiſſe. Fortiũ enim uirorum eſt, honeſta conſilia fortiter perſequi, inhoneſta fugere. Dicas, Ioabum quoq; in Heroum numero habitum. Supra non recenſetur, uel quia exercitus dux eſſet: atq; ita inter illos ut principem & ducem numeratum. aut numeratus non eſt, qui ſe ſcelere indigno heroibus defœdaſſet.

Et Salomonem fratrem ſuũ.) quem regni æmulum ſciret. Regni cupiditate frater fratrem odio perſequitur: ut ſupra, nec Abſalomus patri Dauidi, ut regnaret peperciſſe legitur. Tantum uitium eſt ambitio, quæ omnia & humana & diuina iura uiolet, dum per eam ambitioſi homines omnia quæ intẽperanter cupiũt, obtineãt.

Dixit ergo Nathan.) Humana conſilia tractat Adonias, diuina ſtant à Salomone, quæ per diuinum uatem Nathanem exponuntur. His igitur Salomon tectus, uincit omnia: ille ſuis fretus, uincitur. Vt uera ſit ſententia illa: Deus infatuat ſapientiã mũdi. itẽ: Perdã ſapientiã ſapientũ.

Et ſalua animam tuam.) Sapienti prophetæ ſuſpecta erat regnandi ambitio in Adonia: quæ ſolet cum ſæuo illorum odio, quibus inuidetur, coniungi. Itaq; ut ſeruaret uitam & ſuam & filij Salomonis Bethebæ, ſalubre ei à Nathane datum eſt cõſilium. Dicat aliquis, nihil opus fuiſſe iſto conſilio, cum cognoſceret Nathan ex promiſſo Dei regnaturum Salomonem. cognoſcebat quidem eum regnaturum, ſed ut id ſciebat, ita etiam media quæ ad obtinendum imperium, et ad aduerſariorum conſilia diſſipanda pertinebant, non neglexit. pariter enim ſapiens uates finem,

finem,& quæ ad finem referebantur,Dei prouidentia cõtineri intelligebat. Quæ media, ne uideretur tentare Deũ, nequaquã negligenda duxit.

Domine mi rex.) Exordium à modesta appellatione regis,ad cõciliandũ eius fauorẽ apta, quã cõmendabat decẽs corporis summissi gestus.

Iurasti.) A' iureiurando suadendi locus.

Per Dominum.) quẽ non fefelleris:quẽ fallere uelle, qui omnia intelligat,& pro iusticia iusurandũ uiolatũ puniat,impiũ sit,& exitiosum.

Deum tuum.) quem ut bonum,& de te optimè meritum, amare:ut sapientem & ueracẽ, suspicere:ut potentẽ, metuere te decebit. Quod facies, si iusurandum per eum factum seruaris. In quo nimirum iureiurando hæc omnia Deo tribuuntur:ueritas, sapientia,iusticia,& de sceleratis iurisiurandi uiolatoribus expetendi suppliciũ facultas. His machinis sapiens mulier regis animum oppugnat.

Te ignorante.) & uiuente. Tacitè Adoniam rebellionis reprehendit,qui imperium patre adhuc uiuente affectarit.

Mactauit boues.) A' signo comprobat effectatum regnum.

Salomonem seruum tuum non inuitauit.) Non sine odij & inuidiæ in filiũ tuum significatione,quem tu dicis à te amari. Vox seruus non indicat seruilem & degenerem conditionem, sed generatim obedientiam quæ siue in heri li, siue patrio imperio ei qui præest,tribuitur.

Veruntamen Domine.) A' potestate regia, cui facile sit conatus Adoniæ reprimere, locus facultatis usurpatur.

Peccatores.) Non una sententia affertur. Sunt enim qui in hunc modum interpretantur: Si filius meus priuabitur regno,dicetur uulgò id accidisse uitio aliquo & crimine nostro. Videtur respicere ad adulterium,hoc sibi maleuolos exprobraturos. Altera interpretatio sic habet: Filius meus Salomon si priuabitur regno, Adonias occasionẽ quæret nos miserè perdendi. ut solent regni riuales atque æmuli è medio tolli à tyrannis, quo metu amittendi regni in posterum liberi sint. Nota metonymia est, qua interdum peccatũ pro pœna ac mulcta peccati sumitur. Paraphrastes מיתרצין,hoc est despecti erimus,& cõtempti.

Et mihi non indicasti seruo tuo.) quo me Deus ad te utitur propheta,per quem tibi patefaciat consilia sua,quæ scquaris:& quo interprete didiceris,Salomonem esse regem creandũ, qui post te in solio tuo sedeat.

Viuit Dominus.) Per Dominum iurat, qui & ipse uerè uiuat, perennisq; uita sit,& cæteris uitam tribuat, sicut sequitur: Qui eripuit animam,hoc est uitam meam, ex omni angustia,uidelicet mortis:quam opponit uiuenti Deo,& uitæ muneri quod is ipse suis largitur.

Viuat Dominus meus rex Dauid in æternũ.) Respicit Bethaba עולם הבא, hoc est futurum seculum,quo in sempiternum uicturus esset Dauid spiritu, cum corpore uicinus esset morti. Pia igitur mulier per fidem intellexit,animos sanctorum hominum corpore solutos uerè uiuere, & corpora quoq; suo tempore ex mortuis excitata sempiternam uitam uictura. Postremò sub umbra Dauidis significauit,Messiæ regnum nunquam nõ augustum fore,& incolume.

Seruos Domini uestri.) More linguæ Hebrææ,pro seruos meos,de Phelethæis & Cerethæis accipitur.de quib. infrà legitur: Misitq; cum eo Zadocum, sacerdotem & Cerethi & Phelethi. Si requiris locum alium, in quo talis personarum commutatio cernatur, occurrit ille: Mosæ dixit Dominus,Ascende ad Dominũ: pro, Ascende ad me.

Super mulam meam.) in signum traditi regni,ut qua solus rex Dauid solitus esset equitare.

Viuat rex Salomon.) Acclamatio,qua populus prosperum regnum Salomoni fore precabatur. Quare Paraphrastes pro uiuat, reddit ריצלח. Cõtinebat igitur hæc acclamatio omnia quæ ad bene administrandum & conseruandum regnum commoda forent:ut erat ciuilis prudentia, sapientes consiliarij,æqui iudices,legum tuendarum studium, pax & tranquillitas publica,res ad tuendum regnum necessariæ,& ante omnia cognitio Dei,& eius uerus cultus,quo uno,si adsit,conseruantur resp.& regna: sin absit,labefactantur & corruunt.

Amen.) אמין uerbum, precantium & confirmantium uerbum est,ut omnia quæ à Deo constituta sunt, aut ab eo petita, certa & rata sint, hoc est certò perficiantur. Vbi precantium fides declaratur, qua persuasum sit ita fore, ut Deus statuit. Proinde in uoce Amen ueritas quoq; notatur,ut in Apocalypsi Ioannis: Hæc dicit Amen, hoc est ueritas,quæ Messias est,de se prædicans: Ego sum uia,ueritas & uita. Et dicitur is Amen, q. omnes promissiones diuinæ sint in eo firmæ & ratæ,& ut Apostolus dicit,Etiam. Hinc fit,ut uno Hebræi uerbi ambitu firmum, uerum, uerax, fides,& credere contineantur, ut licet uidere in his uocibus אמן אמינה נאמן האמין.

Et sublimius faciat.) De amplitudine, splendore atq; tranquillitate regni Salomonis à cunctis hostibus, paulo pòst mentio fiet. Submota umbra, cur Dauidis regno augustius factum sit Salomonis, facile ex Messiæ regno licet intellige re. Porrò ut huius status duplex cernitur, alter crucis, alter glorioſus: ita uisum est diuinæ sapien tiæ, alterũ Dauidis imperio quod uarijs afflictionibus fuit obnoxium, alterum Salomonis regno tranquillo & pacato præfigurare. Sed hac de re suis locis planius meminerimus.

Descendit ergo Sadoch.) Vngitur Salomon à sacerdote & propheta rex, quo is intelligeret regium munus esse, legi, quam sacerdos doceret, & oraculis diuinis quæ prophetæ exponerent, obtemperare. Dicat hic aliquis, opus non fuisse ut ungeretur Salomon, cum pater & sibi & posteris rex unctus fuisset, eius regno hæreditario iure posteris ipsius cedẽte. Confirmãdi regni gratia aduersus Adoniã unctus Salomõ est.

In Gion.) celebris Hierosolymorum fons fuit, Siloe etiam appellatus. Itaque Paraphrastes: לשילוחא. Apud Ioan. cap. 9 mentio fit piscinæ Siloe, quam is fons confecerit. Extra Hierosolyma salutatus est rex Adonias, ad fontem Regelẽ. Hierosolymis autem Salomon à patre ad fontem Gihonem, aquas placidè leniterq; fluentes præbentem, iussus ungi, & proclamari rex: quæ quieto & tranquillo Salomonis regno conueniebant. De huius enim fontis aquis sensim fluentibus, his uerbis uates Iesaias 8. Quoniam spreuit populus iste aquam Siloe, quæ placidè fluit. Hæ aquæ leniter fluentes, quas aquas nobis repræsentent, Christus ipse apud Ioannẽ explicat: & qualis figura rerum cœlestium cernatur in piscina Siloe, nobili propter cæcum illum aspectui restitutum, pijs non est obscurum. Demum cur Salomõ non extra Hierosolyma rex in Israelitas creatus sit, ratio in Messia & electorum cœlesti Hierosolyma satis nota. Extra quam Hierosolymam neq; Messias, neq; oleum uulnera peccati sanans, & lucem uiuificam fouens, neq; regnum cœlestis splẽdoris & amplitudinis locum habet: sed principatus Satanæ et Antichristi, ad mortem & exitiũ.

De cornu olei.) De unctorio oleo, quod iusserat confici Moses, accipiendum interpretes uolunt. Olei natura regiæ dignitati conuenit. Nã in hac lenitas, beneficentia, sapientiæ lumen cum amabili gratia requiritur. Perspicuum autem est, in oleo leniendi, sanandi & conseruandæ lucis, obscura manifestantis uim inesse. Hinc illud: Vnctio docebit uos omnia. In qua oleum diuinitatis cernitur: quòd quoniam unctus est Christus præ consortibus, per oleum mysticum reseruatum in tabernaculo, quo pontifices & reges ungi soliti sunt, oleum sacri spiritus quo Messias ungendus erat, placuit Deo adumbrari.

De tabernaculo.) Alij de tabernaculo, quod supra arcam in urbe sua tetenderat Dauid: alij de fœderis tabernaculo, quod erat Gabaone, accipiunt. Dicas, Oleum unctoriũ prope arcam reponi solitum, quæ tum Hierosolymis erat, non Gabaone, ut ex superiori historia patet. Erat quidem ad arcam oleum, priusquam ea de tabernaculo exportata esset, tempore eius belli quod infeliciter cum Palæstinis sub Eli ad gubernacula reipub. sedente gestum fuit. Hac autem alio translata, in tabernaculo fœderis olei ampullam cum reliquis sacris uasis remansisse uolunt. Sic enim Hebræi interpretes: באחל מועד כי שם חיח שמן חבישחח ראם על פי שאחל בועד חיח בומן חחרא בגבעון חלך שם צדוק אר שלח לחביאר דאם על פי שאמר כי צלוחית של שמן חמשחח חיחח בחורגח לפני חארון דח חיח כי שחארון חיח באחל בועד אבל כי שחרציאן ארחר בושם למלחמח פלשחים חצלוחית רצנצנת שמן חניחג שם באחל בועד ולא לקחר בושם אלא חארון ראם חביאר צלוחית אחב רחביחוח לפני חארון בירר שלם.

Et cecinerunt buccina.) Reducto uello, quo clangore buccinæ noster Salomon, iam cõfecto crucis cursu, uerè unctus diuinitatis oleo rex, cœperit ab electis in orbe terrarum pro rege pacem æternam afferente proclamari, satis indicat illud: In omnem terram exiuit sonus eorum.

IN CAPVT II.

Vlam uiã uniuersæ terræ ingrediOr.) Ex hac sententia Dei semel lata: Puluis es, & in puluerẽ cõuertêris. Via igitur terræ, moriendi illa lex est, omnibus ex terra ortis posita: quæ ueteris & terreni hominis uia atq; lex est. Cui contraria noui & cœlestis hominis lex est, quæ uitæ & cœli uia habetur, de qua uates noster Dauid canit: Notas mihi fecisti uias uitæ. Hanc uiam aperit fides in eum qui de se dicit: Ego sum uia, ueritas & uita. Viam aũt terræ, quam dicit se ingredi Dauid, peccatum & uitiositas in uetere homine patefacit. Quæ uitiositas mortis uiã terit, de qua illud: Mors stipendium peccati.

Cõfortare & esto uir fortis.) Hortatio qua ad studiũ legis diuinæ Salomonem filium hortatur Dauid, locos honesti & utilitatis continet. Apta uerba hic ad hortandum usurpãtur: in quib. strenua aggressio & uis fortiter exequẽdi ea quæ aggressus sis, notatur. Notũ enim est qd sit חזק, quid

quid item יאריש. Quæ uox de uiris fortibus & excelsos ſpiritus gerentibus uſurpatur, in quibus igneus omnia uincens uigor ineſt. Vt appareat, uiros in Hebræa lingua ab אש, quod ignis eſt, nominatos. Intelligebat prudens rex Dauid, regni adminiſtratoribus multa obſtare, quæ eorum animos à recto auertant, quos opes & rerum abundantia ad luxum, potentia ad ſuperbiam, hoſtes & aduerſarij rebelles ad metum, pax & tranquillitas ad ſecuritatem ſollicitet. Quamobrem ſapiens pater, & harum peritus rerum, hic filium Salomonem hortatur, ut diuinam inſtitutionem ſeruet. Deinde, ut de ſceleratis remp. turbantib. pœnas expetat. Poſtremò, ut bonos uiros præmijs ornet. In qua breui admonitione, tribus rebus docet reſp. conſeruari ne dilabantur: metu Dei, ſupplicio ſontium & inſontium, proborumq; hominum præmijs. Hæc aũt ut rex præſtet, opus ei eſſe uirili ſpiritu monet his uerbis: רחזיה לאיש. in quo ſpiritu uis ineſt, carnem & mundum uitiorum palæſtram uincens. Quapropter hic Paraphraſtes pro איש uertit רחזיל הטאיך. Is intellexit, uirum præſtare, eſſe Deum metuere, & uicta cupiditate uitare uitia. Hinc apud Latinos uir à uirtute appellatus eſt.

Et cuſtodias ceremonias.) Tria legis diuinæ genera commemorat. Vnum חקות, id eſt ceremonias: alterum מצות, hoc eſt, de pietate et moribus formandis præcepta, quæ Decalogo continentur: tertium משפטים, id eſt iura ciuilia complectitur.

Sicut ſcriptum eſt in lege Moſæ.) Quem nouerat etiam præcipere, Deuteronomium in regum manibus terendum eſſe, ad cuius præſcriptum regnum adminiſtrent: Poſtquam ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius. Sed ad quem uſum? Sequitur: Vt diſcat timere Dominum Deum, &c.

Vt intelligas uniuerſa.) Duo in uerbo השביל indicãtur. Vnum eſt, prudentia, hoc eſt rerum expetendarum & fugiendarũ ex præſcripto legis diuinæ ſcientia. alterum, rerum gerẽdarum ſucceſſus. Vtrumq; hic accipitur. Ideo Paraphraſtes pro השביל uertit הצלית. Proſperum enim rerum gerendarum euentus diuinam fidei prudentiam conſequitur, Dei prouidentia probos tuente, & eorum conſilia & facta, præluente fidei face, fortunante. Hinc illud uatis noſtri Dauidis, in hac palæſtra exercitati athletæ: Et quæcunq; aget, proſperè aget.

Vt confirmet Dominus Deus.) Ex promiſſo illo: Et firmabo regnum eius. Dicat aliquis, Si promiſsio hic locum habet, cur igitur dicit Dauid, Salomoni ſeruanti legẽ Dei firmum fore? Hæc promiſsio fuit ex earũ promiſsionum genere, quæ cum adiunctione ſunt: hoc eſt, quæ medias res quibus præſtentur, requirunt. In medijs autem rebus continentur, metus Dei, obedientia legis, honeſtæ actiones, & benefacta. Dicas, Merita igitur humana locum hic inuenient? Abſit. Nam etiam metus Dei, fides & benefacta promiſsionis diuinæ gratuita ſunt munera, nõ operis & conatus humani: ut mox infrà ex Salomonis precatione patebit. & ex illo Hieremiæ: Dabo legem meam in pectora ueſtra, ut metuatis me. cuius generis promiſsiones ſimplices ſunt, & ſine adiunctione. Dicit hic pater, Cuſtodienti legem Dei regnum ſtabile fore. Hoc agnoſcens Salomon filius, in Prouerbijs ait: Regem bonitate & fide defendi.

Quid in me commiſerit Ioabus.) Commendato legum ſtudio, iam ad exempla ſe conuertit, quibus legum obſeruatio declaratur: ut ſunt ſceleratorũ ſupplicia, & bonorum præmia. Sed percunctetur hic aliquis, cur ipſe Dauid de Ioabo non ſumpſerit pœnam? Tres rationes afferuntur, cur à Dauide ſupplicia, quæ hic recenſentur, ad Salomonis imperium reiecta ſint. Vna, q. Dauid perpenſa hac ſententia à Nathane expoſita, Non recedet gladius tuus de domo tua: uindictam de ijs à quibus læſus fuerat, noluit, dum uiueret, expetere, ſed eam Dei iudicio permittere, ne uideretur cupidè quid ulciſcendi priuatam iniuriã ſtudio, facere. Nam quòd rebelles & ſedioſos bello perſecutus eſt, id ut faceret, reip. interfuit: cuius ſalutem perditurus fuiſſet, ſi ea clementia in illos uti uoluiſſet, qua in Ioabum & Semei, dum uixit, uſus eſt. Altera ratio myſtica eſt, quæ in Meſſiæ cœleſtis Dauidis adumbratione cernitur: qui cum in hoc mundo cruci ſubiectus uiueret, non iudicis, ſed ſeruatoris partes egit, dicens: Non ueni ut iudicem quenquam, ſed ut ſeruem. Crucis autem ſtatus Meſſiæ ut à Dauide uarijs afflictionum fluctibus iactatio repreſentatus ſit, ex ſuperioribus patet. At uerò, quoniam Chriſtus de curſo crucis ſpacio elatus ad ſplendorem regni paterni munus iudiciarium adeptus eſt, de quo illud, Pater dedit filio omne iudicium: hunc Chriſti iudicis glorioſum ſtatum Deus adumbrare per amplum & ſplendidum Salomonis regnum uoluit. Poſtrema cauſa eſt, à Dauide eos iuſſos, à Salomone è medio tolli, quos intelligeret illius regnum turbaturos: quales plenum pace & tranquillitate regnum Salomonis, non ſine myſterio ferre non

poterat. Atq; hac re commotus Salomon, hanc in Prouerb. 25 sententiam edidit: Auser ex conspectu regis impios, & firmabitur solium eius in iusticia.

Et effudit sanguinẽ belli in pace.) Abnerem enim occidit eo tempore, quo iam fœdus inter eum & Dauidem de pace initum erat: cuius suprà libro secundo mentio facta est. Amasam autem cognatum, & nihil mali suspicantem, & in communi periculo uersantem, sub amicitiæ specie per dolum interfecit, non perpendens sententiam illam: Virum sanguinarium & fraudulentum execratur Dominus. Non meminit hic Absalomi filij à Ioabo interfecti, qui nimirũ belli tempore tanquam hostis belli iure interemptus à Ioabo esset. Historia indicat primò, sceleratis quoq; ad tempus res secundas & prosperas euenire, sed qui tandem iudicio Dei iusto puniantur. Deinde, aliam rationem belli, aliam pacis esse, ex sententia illa: Est suum pacis & belli tempus. Quæ tempora si quis cõmisceat ac perturbet, ordinem diuinæ prouidentiæ ut perturbet necesse est. Postremò figura quadã nobis hic hypocrisis repræsentatur, per quam sub colore amicitiæ eos quos cœlestis noster Dauid Messias in gratiam recipit, hypocritæ perdere tentant. Si requiris nostris hisce temporibus exempla, intueare bestiam illam ex terra ortam, ut hæc & eius pseudoprophetæ ex mendacijs & simulatione conflati, optimos quosq; per simulationem amoris, euertere, et quantum in ipsis est, funditus perdere studeant. Sed hæc eorũ sæua hypocrisis inulta et impunita nõ relinquitur. Nã insontiũ sanguis de terra in cœlum cum Abelis sanguine inclamans, & per nubes usq; ad solium iusticiæ diuinæ penetrans, iudicis Messiæ cœlestis Salomonis ad uindicandum iram excitat.

In baltheo suo.) qui cinctus innocentiæ admonere debebat Ioabum, quòd repræsentaret baltheum, de quo Iesaias meminit: Et iusticia cinctus lumborum eius.

Lumbos eius.) quos fide, nõ dolo & fraudulentia cinctos esse oportebat. de quo lumborũ cinctu idem uates: Et cingulum renum eius fides.

Et in calceamento suo.) Quo præparandi ad pacem animi admoneri debebat, de qua præparatione Apostolus: Calceati, ut parati sitis ad Euangelium pacis.

In pedibus eius.) quos non ad fundendum sanguinem, sed ad declarandam beneuolentiam & amorem currere oportebat. De quibus pedibus illud scriptum est: Quàm speciosi sunt pedes annunciantium pacem.

Pacificè.) non naturali morte, sed uiolenta, per gladium illata. ut sit firma sententia illa in homicidas lata: Qui effuderit sanguinẽ hominis, per hominem sanguis eius effundatur, Gen. 9.

Ad inferos.) Notatur nomine שְׁאוֹל sepulchrum. Itaq; non animi interitus, quali mulctãtur designati in libro damnatorũ ad ignem æternum, sed corporis significatur. Atqui quoties accipiatur שְׁאוֹל in sacris literis, aliàs indicatũ est.

Et Semei.) Dicas, Cur iubet hic supplicium sumi de Semei, qui suprà legatur iussus à Domino maledicere Dauidi? Quid sit iubere Dominũ maledicere, ut item nihilominus Semei deliquerit maledicens, Deus non deliquerit præcipiens, suprà explicatum est. Percunctetur hic aliquis, an Dauid iusiurandum uiolarit, quo se de non perimendo Semei obstrinxit, cum hic iubet Salomoni ut ut pœnas de Semei expetat? Non uiolauit. nam iuramentum de non uindicando scelere Semei, intra spacium uitæ Dauidis firmum fuit, ad Salomonem quo obligaretur non pertinens. Neq; etiam quia Dauid ob adulteriũ & Vriæ necem dignus fuit cui malediceretur, ideo fas fuit Semei illi maledicere. Etenim huius ut priuati hominis erat, Dauidi ut regi honorem habere, non eum dehonestare conuicijs. Qui non ignoraret legem illam Mosæã: Principi populi tui ne maledicito. Exod. 22. Expertus est tandem Semei, quanta sit regia ira, eam mortis nunciã esse, ut est apud Salomonem, qui illam in Semei declarauit: Furor regis, nuncius mortis.

Maledictione pessima.) Tribus in locis hic, & apud Iobum & Micheam prophetam uerbum Hebræũ reperias. Execratio suprà exponitur: Vir sanguinarius & filius בְּלִיָּעַל. Hebræi interpretes ex uoce quinq; literarum בְּלִיַּ quinq; maledictionis uerba colligunt, quæ Semei in Dauidem iecerit, eo בְּאָה; id est mœcho, in Nũ notato: & Moabita, propter genus ex Rutha Moabitide ductum, cuius nota Mem erat: & רָשָׁע, id est impio, quẽ Reth notarit: & צָרוּעַ, id est leproso, quem Zade signarit. Demum eo תֹּעֲבַת, hoc est homine detestabili incusato, qui literã Thau monstretur. Hæc etiam Hieronymus ex Hebræis annotat.

Ad castra.) fugiens Absalomum. De loco Mahanaim, unde is sic nominatus sit, aliàs indicatum est.

Dormiuit aũt Dauid.) Sub finẽ lib. 1. Paralip. explicãtur, quæ Dauid rex Salomoni de ijs quæ ad Dei cultum pertinent, præceperit.

Meum

Meum erat regnum.) sed dolo petitũ.

Et me præposuerat omnis populus.) Sed fraude Ioabi & Abiatharis sacerdotis, contra patris Dauidis & Dei consilium atq; uoluntatem circumscriptus.

A' Domino enim constitutum est ei.) Loquuntur & hypocritæ uera, sed non uerè: hoc est, non ex fide. Apto ad misericordiam excitandum loco utitur. Nouerat enim, misericordiam tribui de summo honorũ gradu deiectis. Atq; mulierem aggreditur, ut ad miserescendum procliuem sexum.

Neq; enim negare tibi.) A' facili. Vtilitatis locũ reticet, quem nollet ab ipsa intelligi.

Vt det mihi Abisag Sunamitem uxorem.) Petitio plena fraudis, sed quã simplex mulier non animaduerteret. Nam illo tempore nemini fas erat habere coniugem quam rex habuisset, nisi & ipse rex esset. Itaq; & suprà legimus, ab Absalomo cõstupratas patris Dauidis concubinas, quo sibi spem ad regnum occupandum confirmaret. Pulcherrimã puellam, & eam uirginẽ, quæ ad fouendum calore senile Dauidis corpus delecta fuerat, in matrimonium sibi dari Adonias fraudulẽtè petit. Is quẽ nobis hypocritã adũbret, sapientibus notum est. Vt enim ille hypocritarum princeps, filius perditus, Ecclesiam pulchram uirginem, qua ad euertendum Messiæ cœlestis Salomonis regnũ abutatur, ambiat, satis perspicuum.

Et adorauit eam.) ueneratus summisse eam, tali honore ei tributo, qualem parentib. liberi debent, ex lege hac: Honora parentes. Sapiens rex non ignorabat illã sententiam: Qui matrem suã honorat, perinde est ac si thesaurum cõparet. Et contrà, diris deuoueri à Deo liberos, dehonestantes matrem, ut est apud Syrachum: Domino maledictus qui matrem exasperat.

Petitionem unam paruulam.) Facilium locis in suadendo utitur ad mulierẽ, quam intelligeret suæ fraudis ignaram. Non enim parui momenti erat res quam petebat: sed magni, ut sequitur.

Postula ei & regnum.) Retegit dolum Adoniæ sapiẽs rex, quẽ intelligeret pro sua sapientia, Abisagam petere in matrimoniũ, ut regnum inuaderet. Qua in re & regis prudentia, & muliebris sexus naturalis imprudẽtia declaratur. Quare ueteres nõ temerè dixerunt, animi & corporis uigore mulieribus uiros præstare. Atq; muliebrẽ sexum natiuam corporum & animorum imbecillitatem habere.

Ipse enim est maior natu.) Affectati regni rationes exponit, quas partim ab ætate, partim à potentiũ amicorũ ope æstimat ac ponderat.

Et habet Abiathar sacerdotẽ.) Nonnulli in hunc modum interpretãtur: Et postula Abiathari, quod habuit, sacerdotium: & Ioabo imperium in exercitum, quod hactenus tenuit. Paraphrastes indicat, Abiatharis & Ioabi consilio Adoniam usum in affectando regno. Sed quam utilitatem attulit illis suum consilium? Exitium attulit, ut uera sit illa sententia: Malum consilium consultori pessimum. item: Qui serit improbitatem, metet calamitatem. Quare sequitur:

Hodie occidetur Adonias.) ut rebellis, & turbator regni à Deo mihi traditi. Seruat legem illam Salomon: Rationem personæ ne habeto. Præfert hic ius necessitudini. sic non parcet cœlestis Salomon illis, de quibus apud Ioannẽ: Ex nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. de falsis fratribus & hypocritis loquens.

Et quidem uir mortis.) dignus morte, qui clam patre meo Dauide regnum inuadendi Adoniæ consilium dederis, & aduersus me contra consilium Dei conspiraris. Quam rebellionẽ capitali supplicio dignam esse, declarat Abironis & Dathanis miser interitus.

Sed hodie te non interficiam.) Aequitatis exẽplum in sapiente rege, qui intelligeret summum ius summam iniuriam esse. Itaq; cum in Abiathare sacerdotalẽ dignitatẽ, qui fuisset põtifex, & labores quos pro patre tulisset, perpenderet, priuare sacerdotio illum cõtentus fuit, uita ei donata, qui hac una in re, quòd adiuuisset Adoniam, deliquisset. Solet autem æquus iudex in ponderandis criminibus nõ semper considerare, qualis quis nunc sit, sed qualis antea fuerit: ut si cuius uita anteacta uitio caruerit, si maiora beneficia quæ cõtulit fuerint, quàm præsens delictũ, quod cõmisit. In quo æquitatis loco uersatur assumptiui status pars, quæ deprecationẽ cõtinet. Qua reus ut sibi ignoscatur, utitur, cum cõmemorat, si quæ poterit, beneficia atq; merita. Atq; etiam hac deprecatione uer. simile est Abiatharem usum, & eam à Salomone acceptam, illis etiam à patre Dauide ad Abiatharem uerbis expensis: Ego sum reus omnium animarum patris tui, mane mecum, ne timeas: si quis quesierit animam meam, quæret & tuam, mecumq; seruaberis. lib. 1. cap. 22.

Eiecit ergo Salomõ Abiathar.) Abrogatum sacerdotium Abiathari, partim ut eo munere priuatus, posthac nihil cõtra Salomonis regnũ moliretur (in deliberatione loco illo considerato, potẽtia & dignitate florẽtes homines ad iniuriã

inferendam multum ualere: ea priuatos, parum) partim, ut id confieret, quod Deus Elis sacerdotis stirpi Silunte minatus fuerat. Qua in re diuina sapientia rebellione Abiatharis usa est, ut sacerdotium Zadoco de familia Eleazari ex promisso diuino cederet. Itaq; uera est sententia illa Salomonis, Eccles. 3. Ea quæ facit Deus, æterna sunt, neque eis quicquam aut addi aut detrahi potest. id autem facere Deum, ut metuatur.

Venit ergo nuncius ad Salomonem.) Hebræa indicant, eorum quæ Salomon egisset cum Adonia & Abiathare, famã ad Ioabũ perlatam. Itẽ in Hebræo mentio Absalomi fit. Ioabum, qui ad Absalomum, cum ad regnum aspiraret, non inclinasset, ad Adoniam inclinasse. Vbi sacra narratio ostendit, Ioabum non parem in fugienda rebellione animum seruasse. Similiter Paraphrastes de Absalomo interpretatur, non de Salomone. Et Absalomus non temerè, ut indicatum, hic memoratur. Græci tamen similiter nostro interpreti uertunt. Quos uidetur etiam Iosephus sequi, qui Salomonis, non Absalomi mentionem facit. At non temerè recedendum est à litera Hebræa, neq; putandum in eam irrepsisse mendum, cum quæ illa continet, ut recipiantur, ratio sit: nulla autem causa appareat, cur reijcianttur, alijs substitutis.

Cornu altaris.) quod erat Hierosolymis cum arca, in quo Dauid solitus fuerat holocaustis & uictimis de pace litare. Et quoniam in Sione monte ara posita erat, dicitur infrà Banaias ascendere.

Et amouebis sanguinem innocentem.) Amouendi uerbum, pro expiandi. Notatur, supplicia de sontibus sumpta, expiamentum quoddam & lustrationem regnorum atque imperiorum esse: contrà uerò impiari regna, de sceleratis non expetitis pœnis. Hinc fit, ut nemo miretur cur hodie tot malis & calamitatibus resp. infestentur.

Et interfice eum.) Non tuetur ara sontem Ioabum, non etiam propinquitas, qua Salomonem attingebat: non præclaræ res gestæ & merita in remp. quo minus Salomon legem illam exequeretur: Si quis studio occiderit alterũ, & per insidias, ab ara mea auelles eum, ut moriatur. Tantum crimen est, occidere hominem. Nam eum qui læserit, Dei imaginem læserit, & mundum corruperit: quòd minor mũdus, maiorem ambitu complexus, homo habeatur: stirpes, animantia, angelos, & Deum continens. Quod iussus est Benaias perimere Ioabũ, monemur, apud Israelitas carnifices locum non habuisse, qui iudicum sententiã in puniendis sontibus exequerentur: sed id munus honestos uiros obiisse, ut id etiã suprà annotatũ.

Et sepeli eum.) Dignatur eum sepultura, ex sententia patris Dauidis: Ne dimittas quietè canos eius ad infernum.

Sanguis illorum in caput Ioab.) Recitat filius execrationem patris Dauidis, qua is Ioabum suprà execratus legitur. Quæ indicat, nequaquam Solomonem hanc execrationem in se & stirpem suam recepisse, ut nonnulli interpretes uolunt: qui dicunt, Ioabum noluisse aram deserere, priusquam Salomon promisisset, in se & familiam suam diras quas pater Dauid Ioabo imprecatus fuerat, deriuare, atq; has etiam in genus Salomonis reiectas. Nam Oziam etiã lepra affectũ: Asam pedibus laborasse, ut nõ posset nisi baculo innixus incedere: Ioachim interfectum gladio: Ezechiam caritate annonæ tentatum ob diuturnã obsidionem, qua à Sennacheribo obsessus fuit, legimus. Atqui ut alia de causa posteri Salomonis his malis affecti sint, quam ob reiectam in ipsos maledictionem Ioabi, ex sacra narratione, quæ sequitur, patebit.

Et Zadoch sacerdotem.) is est, de quo his uerbis legimus scriptum: Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui ex animi mei sententia sese gerat. Et deligitur is, ut præstetur promissum Phinehas factũ in Numeris, capite uicesimoquinto: Do ei pacẽ fœderis mei, & erit tam ipsi quàm stirpi eius pactum sacerdotij sempiternum. Sadocus aũt ex genere Phineas, filij Eleazari, fuit: qui patri Aaroni in sacerdotio successerat, ut proditũ est in Numeris capite uicesimo. Eli, ut iudex & rector reip. Israeliticæ fuit delectus: sacerdotium quoq; sibi usurpauit, quod Deus, ut in Eleazari familia, nõ Ithamaris permaneret, decreuerat. Ex Ithamaro autem, altero Aaronis filio, natus fuit Eli: ex cuius posteris genitus Abiathar is, à Salomone priuatus sacerdotio. Qua ex re intelligimus, alterius sacerdotio legale sacerdotium, alterius noui fœderis significatum: cui Mosæum sacerdotium, mortuo iam Dauide, hoc est Messia & Salomone, hoc est eodem Christo ad gloriosum regnum translato, cedit.

Aedifica tibi in Hierusalem.) qui habitarat in Bahurim. Voluit illum apud se uersari, quo eius dolis in moliendis rebus nouis melius caueret, & occasionem eius perimendi satis iustam captaret: qui pro sua sapientia sciret, improbis ad patranda scelera nihil deesse nisi occasionẽ. Quare pater sic eum admonuit: Scis enim, ut eum

pro

pro tua sapientia tractes. Pro sapiẽtia uidelicet ciuili, quæ longè prospicit. Facto igitur iureiurãdo, merito supplicio affectus est Semei: qui ut maledixisset regi Dauidi, dignus qui periret, fuisset, nisi rex pro sua clementia ei pepercisset. Sic scelerati delictis per delicta, sub occasione diuinæ prouidentiæ obseruata punitis, tandem intereunt, qui susceptæ ad meliorem uitam pœnitentiæ scelerum seruari nolint.

IN CAPVT III.

COnfirmatũ est ergo regnum.) Seditiosis & rebellibus è medio sublatis. ad cuius confirmationem pertinuerunt quoque, quæ in hac sequenti narratione exponuntur: ut erant metus Dei, sapientia, ædificatio tẽpli, & seruandi in eo cultus Dei cura, opes diuina benignitate auctæ, affinitas cum uicinis regibus cõtracta: quæ per se ne fieret, prohibita non fuerat, uitiũ ea abutẽdi prohibitũ fuerat. Qua de re in sequẽtib.

Affinitate coniunctus.) Affinitatem cum Aegypti rege contrahit, in qua antea miserã seruitutem Israelitæ seruierant. neq; hic de ea affinitate à Domino reprehẽsus Salomon legitur, sed ut mox patebit, laudatur. Neq; uidetur ratione caruisse hæc affinitas cum Pharaone contracta, ducta eius filia. Depositio enim typo, legimus illud: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini, & ad eum fluent omnes gentes. Is autem mons non alio modo ad eum aggregatis gentibus florere cœpit, quàm Messias è morte ad uitã trãslatus, cœleste regnum sibi confirmasset, ad soliũ patris elatus. Huius aũt gloriosi regni statum figura nobis à Salomone redditum, ex hac historia patet. Quem mysticum locum idem uates Iesaias, sed alio loco his uerbis explicat: Benedictus populus meus Aegyptus, & opus manuum mearũ Assur, & hæreditas mea Israel. Ad Messiæ autẽ tempora hoc uaticinium pertinet, quibus hæc affinitas cum Aegypto contracta à mystico Salomone, sub imagine rerũ futurarum præluſit. Dicas, fas nõ fuisse Salomoni alienigenã in uxorẽ ducere, ex lege illa, Ne affinitatẽ cum eis cõtrahitote: quæ in capite 7. Deuter. ponitur. Lex nõ de quibusuis gẽtibus præcipit, sed de Chananæis, ad exitium damnatis. cum his matrimonia iniri non debere: cum cæteris iniri fas esse, certa de causa. Sicut legimus Booz ũ, Rutham Moabitidem matrimonio sibi copulasse. Deuteronomij itẽ cap. 21. legimus, ut licuerit alienigenas captas in bello ducere uxores. Veluti etiã Dauidem, eadẽ illa lege fretũ, Tholmai regis Gessuris filiã duxisse constat, neq; eo de coniugio à Domino reprehensum. Dicas, Salomonem infrà reprehensum, quod alienigenas duxisset. Non quod alienigenas duxisset, reprehensus est: sed primò, quòd multas contra legem hanc, Vxores multas ne habeas, duxisset. deinde quòd eas præ nimio amore à falso deorum suorum cultu, ad uerum Dei sui cultum non reuocasset. Quò spectans Ezdras, summa cura elaborauit, ut Israelitæ Moabitidas & Ammonitidas & Chananæas, quas sibi coniugio iunxerant, ut ex Babylone redijssent domum, abdicarent. Cæterùm quod ad regni tranquillitatẽ attinet, referebat, ad illam tuẽdam cum finitimis regibus pacem facere: quæ affinitatibus cum illis contractis confirmabatur in usum ducendorum typorum de tranquillitate regni Messiæ, & de uocatione gentium ad Euangelium pacis.

In excelsis.) in quibus ante extructum à Salomone templum fas erat sacrificare, ac rem diuinam facere. Totum igitur illud tempus, quod à Silone usq; ad templi ædificationem defluxit, excelsa toleranit: quæ tolerata non sunt illo extructo. Etsi accidit, ut in eis res diuina fieret, id non contingebat nisi Dei iussu: ut Eliã in monte Carmello sacrificasse, infrà capite decimooctauo legimus.

Dilexit autem Salomõ Dominũ.) sed præueniẽtis amoris Dei beneficio. De quo supra his uerbis: Cum dormieris cũ maioribus tuis, suscitabo tibi semẽ, & firmabo regnũ eius. Amor igitur quo Salomon amatus fuit à Deo, priusquam intelligeret se amari, in causa fuit, ut Salomon amaret ac diligeret Deum. Omnia in nobis quæ ad salutem pertineãt, præueniente gratia diuina, nobis de nostris nihil addentibus: ut Deo efficiẽti in nobis per spiritum Messiæ & cogitare & uelle & agere, omnis gloria conficiendæ salutis tribuatur. Quare uerè iudicatur, amorem illum quo Salomon amauit Deum, fuisse amorem, de quo Ioannes: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet: nemine Deum amante, nisi per Deum: hoc est, per spiritum sacrum amoris de plenitudine & copia capitis Messiæ, in electos membra corporis illius dimanantem. Atque hæc est cognatio intima, qua per uim regenerationis filij regni cœlestis, diuinitatem in Christo proximè attingunt, per participatum illum de quo Petrus: Vos estis consortes diuinæ naturæ. Beati qui sunt in hoc participatu, quem participatum & coniunctionem amor præ lucente fide efficit, de quo Ioannes: Qui diligunt, ex Deo nati sunt. & Dominus apud Ioannem: Sint unum, ut nos unum sumus.

Ambulans

Ambulans in præceptis patris.) quæ Dei præcepta erant, & instituta. Commẽdatur igitur parens Dauid, qui uixerit ex præscripto legis diuinæ, & filios suos quoq; ut ex eo uiuerent, instituerit. Salomon autem laudatur, qui parentis monitis obtemperãs, Deum amarit. Hac disciplina institutus Salomon, has sententias prodidit liberis memorabiles. una est: Qui corde sapit, admittit præcepta. Altera, ex priori nata: Sapiens filius lætitia afficit patrem. Sacra narratio coniungit cum amore Dei parentum obseruãtiam, quòd secundum Deum parentes maximè uenerari cõueniat, qui Dei patris in terra imaginem referant, liberis & corpora tribuẽtes, & eorum animos honesta doctrina ad pietatem & ad uerũ Dei cultum conformantes. Præcesserat de amore Dei mentio, cui de præceptis diuinis, in quibus uersatus sit Salomon, subiungitur sermo: quorum nimirum caput & summa sit, Dei & hominum nõ quiuis, sed diuinus ex fide natus amor. Nam is in luce fidei non aliter continetur, atq; calor in igni & splendore solari. Quis autem amor, & qualis ex fide nascatur, quæq; fides ex qua ille oritur in sacris commendetur literis, ea de re, in loco de Iustificatione mentio facta est, in Commentarijs in Genesim.

Excepto quod in excelsis immolaret.) ante ædificatum templum. Nam hoc extructo, sciebat ex Deuteronomio, in eo solo licere sacrificare. in quo igitur redarguitur Salomon? In eo redarguitur, quod nõ fuit in Sione & Gabaone contentus uictimas offerre Deo, quibus pater contentus fuerat: in quorum altero arca, in altero ara ænea erat.

In Gabaon.) De hac urbe in Iosua capite nono mentio fit. Quæ urbs ex tribu Beniamensi Leuitis assignata fuit, & eius ciues tẽpore Iosuæ ministerio tabernaculi destinati sunt, cuius lignatores & lixas agerent. In hac urbe consederat tabernaculum Mosæũ, cum ara ænea, cum iam arca in Sionem translata esset, ut sequitur.

Excelsum maximum.) dignitate. id erat ara holocaustorum ænea, quam fecerat Moses in deserto, de qua his uerbis in libro altero Paralipomenon capite primo: Ara quoq; illic ænea, quam Beseleel fecerat, ante Domini tabernaculum posita erat: in qua ara reseruatum illum ignem dicunt, qui die octauo initiationis & consecrationis sacerdotij in solitudine de cœlo profectus, uictimas in ara perederat. De quo in Leuitico capite nono uideris.

Mille hostias.) Alij uno die, alij non uno die immolatas, sed tributas sacerdotib. qui eas priusquam Hierosolymam Salomon rediret, immolarent. Millenarius, qui est cubus denarij, conuenit perfecto & solido numero uictimarũ, uictimam illam perfectam representantium, cuius sanguine omnia in cœlo & in terra pacificantur, de qua ad Colossenses monet Apostolus.

Aparuit autem Dominus.) ut in uiso eum moneret quid peteret, & unde res expetendas acciperet. Qua in re significat sacra narratio, omnia quæ nobis sint salutaria, omnes nostros conatus, consilia & studia, anteuertẽti & præueniẽti gratiæ Dei tribuenda esse. Etenim Salomon antequam à Deo quicquam earum rerum peteret, quæ ad moderandum regnum necessariæ erant, præuentus nocturno Dei uiso in somnio, ad precandum incitatus est his uerbis: Postula quod tibi uis à me dari. Qua uoce animatus Salomon, in hunc modum precatus legitur.

Tu fecisti cum seruo tuo.) A' beneficijs Dei in parentem Dauidem collatis. Nititur in precando loco illo de clementia diuina, in Exodo capite triceſimoquarto posita: Dominus Deus misericors, qui clementia in mille usque ætates utitur.

Sicut ambulauit in cõspectu tuo.) Reuocata hypothesi ad thesim, indicatur quos Deus ornet beneficijs: eos qui fidei iusticiam sequuntur. Qua de Salomon, ut hanc æquitatẽ diuinam expertus, hanc sententiam edidit in Prouerbijs: Probis salutem reseruat. In ישרים לב autem rectus animi status notatur: cui ex contrario נעות לב, hoc est animus prauus opponitur. Est autem rectus hominis status, cum omnia in eo ad normam legis diuinæ per fidem respõdent: hoc est, cum corpus menti, hæc spiritui diuino cõsentit. Talẽ statũ tenuit primus homo, ut Salomõ noster in Ecclesiaste testatur: & amissus uitio illius, in altero homine nouo & cœlesti homine qui Christus est, restituitur. cuius spiritu qui nati sunt ex Deo, dicuntur integre, cũ Enocho, Noa, Abrahamo, & hic cum Dauide coram Deo ambulare. Probitate quidem præditi sunt, quæ primitijs spiritus sacri conueniat, & quam uiatoris status ferat, ea quæ ad absolutam integritatẽ desunt sarciente absoluta iusticia Messiæ, quæ nobis ascribitur per fidem, nostraq; fit iure communionis quod inter spõsum & sponsam, inter caput & corpus intercedit.

Et nunc Domine tu regnare fecisti.) ex promissionis tuæ gratia, nõ meo merito. De qua gratia superiori libro, cap. 7. uideris.

Ego

Ego autem sum puer paruulus.) per ætatem rerum imperitus, prudentem & rerum usum percallentem hominem postulãte. Exponit causas petendæ sapientiæ, quarum una ab imperita rerum ætate, altera ab amplitudine regni ducitur. Interpretes duodenos annos habuisse dicunt Salomonem, cum rex crearetur. Nam eo tempore hunc natum, quo Amnon stuprum Thamari sorori offerre studuit: & inde expleto biennio, Absalomum interfecto Amnone in Gessurẽ aufugisse, & confecto illic trium annorum spacio ut rediisset Hierosolymã, post duos annos regnum paternum inuadere molitum: quibus annis, si tres qui subsecuti sunt, & unum quo Dauid populum recenseri iussit, cum nouem recensionis mẽsibus adiũxeris, undecim annos colligi, quos duodecimus ætatis Salomonis annus, & quadragesimus regni Dauidis, quo is obijt, & Salomon regnare cœpit, exceperit. Circa tempora autẽ quibus Thamaris pudicitia ab Amnone tentata est, natum Salomonem, patêre ex capite duodecimo libri superioris.

Et ignorans egressum & introitum meum.) Hebraica hac phrasi administrandi res peritia notatur. Puerilis enim ætas suam naturalẽ imprudentiam habet, ut senilis prudentiam.

Qui numerari non potest.) impleta promissione illa ad Abrahamum facta: Augebo sobolem tuam, quæ numerari præ multitudine non possit. Submota umbra carnalis sobolis, quàm numerosa sit soboles Abrahami spiritualis, quã Messias cœlestis Salomõ regit, alio loco indicatũ est.

Cor docile.) לב שמע, id est, audiens mẽs, pro docili, quæ doctrinæ sapiẽtiæ capax sit. Quia auditus sensus doctrinæ destinatus est, fit ut audire pro intelligere & sapere, nota metonymia usurpetur. Sic in Deuteronomio: Audi Israel, hoc est mente percipe, credéq; Dominum Deum tuum unum esse. Igitur Paraphrastes שמ hic reddit, quod est intelligens & prudens. Præsta mentem, quæ percipiat doctrinam sapiẽtiæ, ad gubernandum tantum populum aptam. Tria igitur agnoscit hic Salomon. unum est, necessariam esse ad regendam remp. mentẽ docilem, quæ sapientiæ & prudentiæ particeps sit. alterum, hanc à Deo tribui, & eam diuinum munus esse atque donum. Ait enim: Da mihi seruo tuo animũ docilẽ. Quò spectans idem Salomon, hanc in Prouerbijs sententiam tradidit: Quoniam Dominus tribuit sapientiam, ex ore eius scientia & prudentia prosiciscitur. Tertium est, non solum sapientiã à Deo tribui, sed etiam cor præparari, ut eam accipias. sic enim ait: Da mihi cor docile. Similiter alter Salomon Messias loquitur: Qui ex Deo sunt, uerba eius audiunt.

Vt populum tuum.) fœderis & redemptionis ex Aegyptia seruitute iure. Ab æquo.

Iudicare possit.) gubernare ac regere. Vsus sapientiæ ostẽditur, de quo prodita est à sapiente Salomone hæc sentẽtia: Per me reges regnant. Si cœlestem Salomonem spectes, ut is spiritu sapientiæ, prudentiæ, cõsilij, fortitudinis & scientiæ à patre Deo ad regendos suos Israelitas exornatus sit, declarat Iesaias uates cap. 11.

Et discernere inter bonum & malum.) Quod sapientiæ munus est. Hac igitur carent, quos reprehẽdit uates Iesaias his uerbis: Væ qui dicitis malum bonum, qui tenebras in lucem, & lucem in tenebras conuertitis. Contrà sapientes compositi sunt, in quorũ pectore spirãs sapientia sic se loqui fatetur in Prouerbijs: Veritatẽ loquitur faux mea, & improbitatem detestantur labia mea.

Qui enim possit iudicare.) nisi sapientiæ lumine illustratus. Hoc lumine qui carent reges, audiunt in se illud dici: Væ terræ cuius rex puer est. Non quidem ætate, sed prudentia. Nam inuenias puerũ ætate qui sapiens sit, & senem qui stultus, ut idem Salomon dicit: Melior est puer sapiens rege sene & stulto. Exemplo Salomon hic est, & Daniel in historia Susannæ.

Placuit sermo.) qui sapientiam postulasset, qua & Deum amplificaret, & populũ gubernaret, eius salute procurata. Vtrumq; enim præstat diuina sapientia, cuius face prælucente Deus glorificatur: & qui eius cognatione tenentur sacri Israelitæ seruantur.

Et nõ petisti tibi dies multos.) qui cum multis calamitatibus cõiuncti sunt, & instar umbræ euanescunt. Deo iudice discimus, quis ordo bonorum sit. Primum locum sapientiam, ut firmum bonum, tenere: in altero longam ætatem, amicos, liberorum copiam, diuitias, honorem & gloriam, quæ fluxa bona sint, cerni.

Nec diuitias.) quæ tempore iræ diuinæ à malis stultos nõ liberẽt, ut est alicubi apud Salomonem. Hinc idem Salomon hoc sermone ad se Domini instructus, in eodem Prouerbiorum libro Sapientiæ laudes per comparationem cum alijs rebus tractans, sic ait: Melior est sapientia gemmis, auro & argento.

Nec animas inimicorum tuorum.) necem & exitium eorum. Hæc Salomoni dicit, cuius regnum paci sacratum sanguine cruentari

non conueniebat, ut patris cruentatum fuit.

Ecce feci tibi.) Locus admonet, æqua & iusta petentes à Deo exaudiri, ut erat sapiẽtia moderatrix regni. Itaq; alter Salomon sic ait: Quanto magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum poscentibus? Nam ut in rebus petendis ordo cernitur, alijs alias dignitate præstantibus: ita in petendo alijs aliæ præferri debent.

Vt nullus ante te similis fuerit.) Percunctetur hic aliquis, an' ne etiam primũ Adamũ, Mosem, Dauidẽ, prophetas, et ipsos Apostolos Salomon sapiẽtia superarit? Quæstioni in hunc modum occurrendum esse uidetur. Bipartitum donũ sapientiæ est. alterum in intelligentiæ naturalis luce uersatur, qua prælucente pij homines duce metu Dei, elementorum mundi, et eorum quæ ex his concreta sunt, uim & naturã inuestigant, & per eam in hanc uniuersitatem rerũ, quà cœlum, quà terra, quà maria, & quà quæ his continentur, patent, penetrant: & per quam etiam rerum gerendarum tum domesticarum tum ciuilium rationem atq; scientiam perdiscunt. Huius sapientiæ lumine illustrati homines, nobis tot de siderum cursu, de rerum natura, & de moribus atq; de omni genere doctrinarum monumenta ad posteros transmiserunt. Alterum sapientiæ genus est, quæ captum naturalis intelligentiæ superat, nobis ea patefaciens de quib. cœlestis noster Salomon Christus his uerbis meminit: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc sapientia cognitionem beneuolentiæ Dei nobis per filij sanguinem reconciliati, regeneratione è spiritu sacro ad nouam iusticiam & uitam, atq; spem translationis nostri ad splendorem regni cœlestis, & noticiam mysterij crucis, quod à seculis mundo & eius sapientibus absconditum, complectitur. Quod non naturali, sed illo lumine patefit, de quo pater Salomonis mentionem facit: In lumine tuo uidebimus lumen. Et de hac sapientia in mysterio recondita Apostolus: Porrò sapientiam loquimur non seculi huius, sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita. Item: Iuxta patefactionem mysterij æternis temporibus taciti, manifestati uerò nũc per scripturas propheticas. Hac distinctione doni sapientiæ delibata, facile licebit intelligere, quo genere sapientiæ excelluerit Salomon: priore nimirũ illo sapientiæ genere, nõ posteriori. Nã in hac altera sapientia, neq; cum Mosæ qui in abditarum rerum cognitionem familiariter loquens cum Deo uenerat, neq; cum patris Dauidis, cuius oracula de occultis & absconditis regni Messiæ edita extãt: multo minus cum Apostolorũ sapientia, qui arcana illa Dei consilia à seculis occultata aperuerunt, conferri poterit. Nam tali sapientia præditus fuit Salomõn, qualis administrationi ueteris fœderis, eiusq; regno gubernando congruebat. In quo ut terræ & cœli clementia, opes, honor, pax & tranquillitas ciuilis, eorum bonorum quæ in regno cœlesti cœlestis Salomonis Christi Iesu cernuntur, umbram gesserunt: ita etiam hæc Salomonis sapientia, eius sapientiæ quæ de se dicit apud Euangelistam, Et ecce plus quam Salomõ est in hoc loco, umbram ac figuram prætulit. In comparatione igitur qua Salomonis sapientia cum aliorum qui & anteceſſerunt & secuti sunt illum, sapientia cõparatur, uidẽdum erit, ut in eodem genere fiat collatio: hoc est, ut ea bona quæ in ueteris fœderis administrationem cadunt, in conferendo tractentur. deinde ut figuras cũ figuris, & spiritualia cum spiritualibus conferantur: hoc est, ut Apostolus dicit, Spiritualia spiritualiter dijudicentur. Quod cum factum fuerit, in comparando utriq; sapientiæ, quæ conuenient, tribuentur. Salomon, qui ciuilem sapientiã nactus à Domino, qua sapienter Israelitas regeret, & rerum tantam cognitionẽ tenuit, ut à cedris Libani usq; ad hyssopũ in parietinis nascentem differeret, per hanc suam sapientiam nequaquam cauit, quo minus nimio alienigenarum mulierum amore, & deorum alienigenarum, quos illæ colebãt, cultu defœdaretur. Christus uerò per suam sapientiam, imò ipse cum esset sapientia Dei, omni uitio caruit: & eos quoque uitijs liberat, quos suæ sapientiæ lumine illustrarit. Salomon per suam sapientiam molestia & curis animum excruciantibus non caruit, ut ipse in Ecclesiaste fatetur in hunc modum: Nam in multa sapientia multum est tædij: & qui scientiã accumulat, dolorẽ accumulat. Sapientia uerò quæ in Christo cernitur, quietem & tranquillitatẽ animis parit, ut cuius iugum per illam suaue reddatur & onus leue, tributa per eam uera iusticia, quæ Deo, deleto peccato, satisfaciat, ut est apud uatem: Cognitione sui iustos reddet multos seruus meus iustus. Hanc autem cognitionem tribuit sapientia, quam Messias suis de sua copia & plenitudine donat. de qua illud, De plenitudine eius omnes accepimus: donum uidelicet ueræ sapientiæ, ueræ iusticiæ & uitæ. Præterea Salomon per sapientiam suam opes, pacem, honorem, & gloriã terrenam sibi & suis acquirebat. Salomõ uerò ille alter, noster & cœlestis Salomon Dominus noster, opes non terrenas, sed cœlestes, pacem, de qua Apostolus, (Iustificati ex fide, pacẽ habemus erga Deũ)

pacem

pacem inquam deuictis hostibus, non Amalechitis, Ammonitis & Moabitis, Syris & Palæstinis, sed peccato & morte, mundo & principe mundi Satana, cum omnibus potestatibus tenebrarum. Demum Salomon pro sua sapientia uarias & obscuras quæstiones de rebus in naturæ obscuritate latentibus, & de ijs quæ in moribus & ciuili uita uersantur, aperuisse legitur, adeò ut sapientiam eius regina illa Saba & uicinæ gentes admirarentur. Noster Salomon Christus mysteria de uita per mortem comparãda, de cœlis per infernum aperiendis, de luce ex profundis tenebris eruẽda, de gloria cœlestis regni per crucis opprobria assignanda, patefacit. Quæ neque Moses, neque Salomon, neq; ulli alij per suam sapientiam patefacere potuerunt, neq; etiamnum possunt. Per hos enim omnes uelamen ignorãtiæ earum rerũ quæ abditæ sunt in regno cœlesti, ob oculos nostros positum manet: quod unus Messias patefactis mysterijs regni sui deponit. Sic enim is ait: Nemo scit quis sit pater, nisi filius, & cui uoluerit filius patefacere. Non dicit, Cui uoluerit Salomon, aut ulli patres: quanto minus dixisset, cui uoluerint philosophi manifestare? Sed dicit, Cui uoluerit filius Christus patefacere, uerus ille interpres uoluntatis paternæ, qui nõ solũ docet quæ expetẽda sint, sed etiam spiritum sacrũ largitur, cuius ui ea quæ docemur cõplecti & exequi possimus. Hactenus de comparatione, ut ea accipienda sit: Scito tantã me tibi sapientiam cõcedere, ut tibi par nemo neque ante te fuerit, neq; post te futurus sit.

Sed et hæc quæ nõ postulasti.) Huc pertinet illud Domini nostri: Quærite primùm regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

Diuitias scilicet & gloriam.) Hunc sapientiæ fructum explicat Salomon in Prouerbijs: Diuitiæ & gloria sunt apud me.

Cunctis diebus.) Sed dicas: Quid igitur Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum amplissimis imperijs & opibus facies? Aut sacræ literæ conferunt Salomonis opes & gloriam cum ijs regibus, quos terra sacra habuit: aut hæc bona cum sapientia & uero cultu Dei diuinisq; oraculis coniuncta in conferendo considerantur: aut diuitijs & honoribus ea ratione partis & cõseruatis, qua Salomon comparauit & cõseruauit, cæterorũ regum opes & potentiam conferri non posse. Accedit huc, quòd in Salomonis opibus & gloria figuram & imaginem earum opum & gloriæ quam Christus erat nacturus, & huic collaturus, diuinæ sapiẽtiæ placuit præfigurare. Quæ præstantia & dignitas opum atq; honorum in cæteris regnis non spectabatur, sed potius figura aduersarij Messiæ in eis cernebatur: ut documento sunt Assyrij, Babylonij, Græci & Romani, ut suis locis ostendemus.

Longos faciã dies.) Promissionem longæ ætatis pietas sortitur. De quo usu Salomon hanc sententiã enunciat: Fili mi, mea præcepta mẽte retine. nam tibi longam ætatem uitæq; annos & pacem conciliabunt. Sed quærat fortasse aliquis hic, quot annos Salomon uixerit. Dissentiũt interpretes. Iosephus eum nonagintaquatuor annos uixisse dicit libro, octauo Iudaicarum antiquitatum. nAnos natũ quatuordecim cœpisse in Israelitas regnare: & annos quos regnauit, non omnes in Paralipomenis numerari, sed eos solũ quib. rectè se gesserit. Idem exemplum in Saulo cerni dicunt, cuius suprà cap. 14 libri primi duos tantum annos recenseri, quibus imperarit: reliquos retineri, quibus iure non regnarit, regno Dauidi à Samuele uncto in regem deputato. Alij uerò interpretes dicunt, Salomonem solum quinquaginta duos uixisse annos. Duodecim enim annos natum cœpisse regnare, & quadraginta (ut ex Paralipomenis patet) imperasse. Quòd autem legitur hic, promissam ei longam ætatem: respondẽt hi, promissam quidem, sed hac lege, si sanctè se gereret. iam autem impotenti uxorum amore effectum, ut ei ætas sit imminuta. Iudicent lectores, utra sententia melior sit.

Sicut ambulauit pater tuus.) Locus plenus consolatione, etiã eos qui in legẽ Dei commiserint, dum ipsi suorum delictorum pœnitentiã agunt, ad se redeuntes, gratos Deo ita esse, ut abolita uitiorum memoria dicantur in lege Dei uersati. Exemplo Dauid est, adulterio & homicidio infamis, sed cuius criminum Deus oblitum se dicat, qui in uiam reuersus precatus esset: Miserere mei Deus pro magna clementia tua. In lege igitur uersari dicuntur, qui eam fide per amorem Dei et hominum agente seruant: & cum deliquerint, pœnitentiam suorum scelerum agunt, fide celebrantes misericordiam Dei in filio Christo seruatore, in uetere natura sua omnibus damnatis, & ad nouam naturam aspirantes cum Dauide orãtes: Spiritum rectum innoua in uisceribus meis, & spiritum sanctum ne auferas à me. Qui Messiæ spiritus est, unicus ad ueram probitatem & uitam instaurator. Atque hoc ipsum est quod hic legimus: Sicut ambulauit pater tuus.

Et intellexit.) doctore spiritu, unico interprete oraculorum Dei.

Quod esset somnium.) diuinum, non humanum, in quo nimirum ageretur gloria Dei, & populi electi salus. Quæ nota, profana à sacris somnijs separat. De hac nota uerorũ somniorum, uideris in capite 14. Deuteronomij.

Et fecit uictimas pacificas.) ad gratias agendas Deo, de cõfirmato sibi regno, & promisso sapientiæ munere. Et cum sint duo genera sacrificij de pace & salute, hic alterũ usurpatur. Qua de re uideris capite 7. in Leuitico.

Et tunc uenerunt duæ mulieres meretrices.) Cũ tria promisisset Dominus, sapientiam, gloriam & diuitias: primò sapientiæ ab illo illustre exemplum editur. deinde de reliquis muneribus narratio quoq; mentionem faciet. Quod ad exemplum sapientiæ attinet, id in eo apparuit, quòd Salomon, cum abessent testes, qui utra mulier uera mater uiuentis infantis esset, probarent, ad naturam se conuertit, ex cuius affectionibus certam discernendi fictam & falsam matrem à uera coniecturam caperet. Falsam matrem eam esse, quæ dixisset, Nec meus est, nec tuus, sed diuidatur: ueram autem, quæ rogasset regem, ut potius alteri daretur infans uiuus, quam perimeretur. At uerò apparet, in hac re gesta umbram nõ desiderari, quæ futuræ ueritati & luci in hac ueteris fœderis σκιαχαφίαι præluderet. Bipartitus populus cernitur. alter, qui lege marito utitur: alter, qui Christo per fidem. Vterq; meretricis mulieris nomina primò tenet. De eo enim qui legi subiectus est, legimus illud: Fornicata es, & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti. Ecclesia aũt in gentibus per electionis gratiã futuræ saluti designata, ut diuinis oraculis promissis, et spe uitæ in mũdo carens, meretricis sordib. aspersa primò appareat, uitiosa eius à primo Adamo sumpta natura, declarat: de cuius meretricis statu Apostolus his uerbis: Extranei à testamentis promissionis, spem non habentes, Deoq; carentes in mũdo: Deo inquã marito, qui Messias est, carẽtes, & mũdo adultero impudenter abutẽtes. sed quid his duabus mulieribus accidit? Alterius, quæ legẽ maritum habet, filius quem peperit, moritur, uitã non seruans. Lex enim maritus, neq; uitã dat, neq; eam seruat, sed aufert potius: cuius ministeriũ non uitæ, sed mortis ministerium habeatur. alterius uerò filius uitam retinet, per gratiam mariti Christi, qui uitam mundo cõcedit, & eam tuetur ne amittatur. Etenim is de se prædicat: Panis enim Dei qui de cœlo descendit, & dat uitam mũdo. Huius mulieris, quæ à uetere natura se scortum miserum agnoscit, liberos, non ex lege, sed ex gratiæ spiritu genitos, synagoga per inuidiam tollere, & sibi ascisere studet, ut impleat illud quod antea prædixerat Moses: Et ego puocabo eos in eo qui nõ est populus, & in gẽte stulta iritabo eos. Nec tamẽ temerè accidit, quod hic legimus in una domo & cubiculo ambas peperisse suos liberos. Nã ut gentes Israelitis copulãdæ fuerint sub Messia, ex utriusq; fœderis scriptura satis manifestũ est. Sed quid significat diuinus spiritus hic, quod utraq; mulier filium spirantẽ sibi uendicat? Nos scimus quomodo etiã lex in eos liberos, quos Ecclesia Christo nupta generat, suã potestatẽ exercere tẽtet, subinde propter peccati legẽ, hoc est cupiditatẽ in corpore mortali aduersus spiritũ grassantẽ illos reprehendens & accusans, atq; sub ferula & disciplina sua tanquã parens retinẽs. Quod animaduertẽs cœlestis Salomõ Christus primò præ se fert, se hos liberos uelle diuidere, hoc est, partẽ eorũ legi, partem gratiæ Euãgelij impertiri. Deinde cũ uidet Ecclesiam abhorrere à sectione, quæ uelit suã sobolem saluã manere: eam aũt mulierẽ, quæ ex lege suam prolẽ parit, dissectionẽ nulla miseratione tactã ferre: idem Messias clementiã et amoris erga liberos suos uim in Ecclesia electorum respiciens, nõ mulieri ex lege iram & interitũ molienti paret, sed ei quæ suos liberos ex uiuifico Euãgelij spiritu genitos seruari uult, uiuũ filiũ adiudicat: ut intelligatur quid sit, Lex spiritus uitæ per Christũ Iesum liberũ me reddidit à iure peccati & mortis. Hæc de hac mystica narratione explicare breuiter uisum est, de qua explicatione iudicent pij.

IN CAPVT IIII.

SVper omnẽ Israel.) Statim ab initio, nemine sibi rebellãte, imperiũ in omnes Israelitas nactus est. Alia initia imperij Dauidis fuerũt. nã is primò Hebrone septẽ annos in Iudæos regnauit, deinde in reliquos Israelitas imperiũ cœpit tenere. Alterius igitur regnũ primò angustũ & multis calamitatib. obnoxiũ, alterius augustũ atq; gloriosum, multáq; pace & trãquillitate inclytũ fuit. Explicato uno sapientiæ Salomoniæ exẽplo, iã alterũ cũ eius gloria & diuitijs explicabitur. Vt uerò hæc ordine narrẽtur, hoc modo licebit munera Salomoni à Deo tributa, cũ suis generib. describere. Tripartita hæc fuerũt: unum in sapientia, alterum in gloria, tertium in diuitijs cernebatur. Sapientiæ munus partim in rerum occultarũ in natura cognitione, partim in morum tum domestico rum tum ciuilium noticia uersabatur. Cuius prudentiæ exemplum in tot munerũ & officiorum, quibus tam amplum regnum administrabatur, distributione ostenditur, alijs religioni & re-

bus

bus sacris curandis, alijs rebus ciuilibus quas procurarent, præfectis. Commendabat etiam Salomonis sapientiam rerum domesticarum disciplina, qualem infrà legitur regina Saba magna cum admiratione probasse. Quantum aũt ad gloriam attinet, quæ sapientiam & cæteras animi uirtutes ut umbra corpus comitatur, hæc cum dignitate & amplitudine coniuncta in Salomone erat. Is enim illustri magnorum in suos meritorum fama & autoritate summa, cultu & honore digna, atq; potentia & maiestate amplissimi regni florebat. Diuitiæ uerò partim in amplitudine terræ, partim in auri & argenti copia, partim in iumentorum & pecorum abundãtia spectabãtur. In diuitijs etiam qualitas considerabatur, quæ in eo cernebatur, quòd Salomoni suæ diuitiæ tutæ firmæq; ab iniuria, & ad liberalem usum aptæ, utilesq; & commodæ essent. Quæ singula in narratione exponuntur. At uerò ut hic descripti Salomonis sapientia, gloria & diuitiæ, alterius Salomonis Messiæ benedicti sapientiam, gloriam & diuitias adumbrarint, satis manifestum est. Si sapientiam cœlestis Salomonis spectes, occurrit illud uatis Iesaiæ: Requiescet super eum spiritus sapientiæ. & hoc Apostoli: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ. Atq; per hãc sapientiam suam Salomon noster Christus Iesus, ut suos Israelitas in cœlo ciues scriptos regat, declarant in Ecclesia ab illo designati Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, pastores & doctores. de quibus apostolus Paulus ad Ephesios monet: Si gloriam consideramus, qua gloria, dignitate, amplitudine & splendore fulgeat noster rex Salomon, uates Dauid indicat, Gloria & dignitate coronasti eum: regia uidelicet cœlestis regni gloria & splendore, qui nunquam consenescat & intereat, ut uetus Salomonis gloria consenuit & exoleuit. Quẽ noster Salomon dicit cum lilijs agri, mox ut nata fuerint emorientibus, ornatu & decore comparari nõ potuisse. Tenuis igitur umbra in Salomonis gloria apparuit. Veritas aũt expressa et solida cernitur in illius gloria, de quo apud Ioannem: Conspeximus gloriam eius, gloriã ueluti unigenæ patris. Sed qualis gloria conspecta est? Sequitur inibi: Plenus gratia & ueritate. Gloriam & honorem nostri Salomonis declarat nomẽ illud, de quo Apostolus: Et donauit illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium & terrestrium & inferorũ: omnisq; lingua confiteatur, q, Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris. De quo glorioso regis glorioso nomine uates Iesaias his uerbis: Et uocabitur nomẽ eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Quẽ principẽ pacis Salomõ & nomine & regno tranquillo apta figura reddidit. Eandem gloriam Salomonis Christi, ostendunt quoq; nomina redemptoris, uerbi Dei, fontis uitæ, & uocabulũ ipsum diuinitatis, יהוה quo in prophetis nominatur. Et si eiusdem nostri Salomonis diuitias spectes, de his ille ipse his uerbis: Ne reponite uobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt & furantur: sed recondite uobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, &c.

Azarias filius Zadoch sacerdotis.) Is Azarias nepos Zadoci sacerdotis fuit. Nam Achimaus filius Zadoci fuit, ex quo genitũ Azariã tradũt. qua de re uideris in 2. Sam. lib. cap. 18.

Zadoch aũt & Abiathar.) Dicas, Suprà legi Abiatharem iussum Anathota se conferre, ne sacerdotio fungeretur. Respõdent interpretes, aut aliũ fuisse eodem nomine Abiatharẽ, aut interdum eum accersitum qui uicariã operã Zadoco sacerdoti nauaret: aut reuocatũ Hierosolymam Abiatharẽ, ut minoris notæ sacerdotio fungens, de ara uictũ haberet, ut suprà id Samuel posteris Heli sacerdotis euenturum prædixerat.

Sabud filius Nathan sacerdos.) Suprà legimus lib. 2. cap. 5. inter Dauidis liberos numerari Nathanẽ. Sacerdos igitur hic accipitur, ut in illo loco ubi legitur: Filij Dauidis erãt כהנים. Itaq; hic Paraphrastes pro כהנים uertit רבא.

Iuda & Israel innumerabiles.) Hæc multitudinis eorum qui Salomonis imperio paruerunt, narratio, quanta amplitudo regni Salomonis fuerit, declarat. Regiam enim maiestatem sitam esse in hominum multitudine, Salomõ in Prouerbijs indicat, ubi ait: ברב עם חדרת מלך. Si nostrum Salomonem spectes, in quantam multitudinem cœlestium Israelitarum is imperet, ostendit promissio illa: In semine tuo benedicentur omnes gentes. item: Ad te cõuertentur omnes fines terræ. Et sanctus Ioannes uidit turbam ingentem, quam numerare nemo possit, ex omnibus gẽtibus, populis & linguis, quæ salutem nacta, cultura sit Messiam.

Sicut arena maris.) ὑπερβολικῶς: sed quæ superlatio ostendat submota umbra, multitudinem illam sanctorum Israelitarũ, qui ex semine uerbi Dei uiuentis nascuntur. De qua numerosa sobole Iesaias: Generationem eius quis enarrabit? Vbi רוך interpretum sententia pro hominibus per successionem ex Messiæ spiritu gignendis, accipitur.

Et habebant pacem.) per quam liberis & pecorum fœtibus augebantur. de qua benedictione pacis beneficio aucta, paulo suprà: Iuda autem & Israel innumerabiles, &c. Vt bellis crebris Israelitæ regnante Dauide infestati sunt: ita pacem sub Salomone habuerunt. At quanto uerior pax cernitur regnante cœlesti nostro Salomone, de qua uates: Multiplicabo imperium eius, & pacis eius non erit finis. Pacis uidelicet, de qua Apostolus: Iustificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Christum. ut antè per primum Adamum conuulso naturæ ordine per peccatum, nobis bellum aduersus Deum fuit. Pax autem per sanguinem placatorem Messiæ constituta, pax est qua tranquilli animi & bene compositi erga Deum contra peccatum & mortem, & contra principatum peccati & mortis Satanam redduntur: qui crudelis scriptorum in libro uitæ accusator est. Quod autem legimus, tempore Salomonis Israelitas uitam suam sine metu hostium cum gaudio degisse: quale gaudium, & quæ securitas metu hostili carens in imperio Messiæ locum habeat, indicat Iesaias: Et gaudium æternum erit eis. Sed quale gaudium? non sanè gaudium quod afferunt terrenæ opes, corporis pulchritudo & robur, prudentia carnis, soboles numerosa, existimatio & dignitas quam mundus pensi & curæ habet: sed gaudium, de quo Apostolus, Pax & gaudium in spiritu sancto. In spiritu sancto inquam, nos cũ Deo patre in filio unum efficiente, per diuinæ naturæ cum nostra, ad summam felicitatem, coniunctionem. Extra quam cõiunctionem nulla neq; pax, neq; firmum gaudium, neq; uita, neq; uera probitas locum habet. Tot & tanta bona noster Salomon Messias per spiritum suum sacrum in suis Israelitis uersans, affert: & contraria mala aduersarius illius, per Satanæ spiritum in rebellibus habitans, apportat.

A' flumine terræ Philistijm.) Nullũ memorabile flumen Palæstinorum, cuius quidem sacræ literæ faciant mentionem, occurrit. Itaque Paraphrastes Chaldæus sic reddit Hebræa: A' flumine Euphrate usq; ad terram Palæstinorum. Similiter Iosephus hunc locum tractat. Promissio Abrahamo facta, hic impleta legitur: Semini tuo dabo hãc terram à flumine Aegypti, usq; ad fluuium magnum Euphratẽ. Amplum quidem Salomonis regnum fuit, sed quod esset certis finibus circumscriptum, Euphrate ab ortu, mari Palæstino ab occasu, Libanis montibus ab aquilone, Arabum solitudine à meridie. Nostri Salomonis imperium quàm latè pateat, declarat is ipse ubi ait: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Omnium orientalium.) ut erant magi Persici, & Brachmannes atq; Gymnosophistæ, sapientes Indiæ. Hi rerum cognitione uaria clari fuerunt, quos Græci honesta appellatione philosophos, & Latini sapientes uocarũt. Ad hos ut Græci, capiendi sapientiæ cultum gratia profecti sunt, literis proditum est. Ad hos Oriẽtis magos Apolloniũ penetrasse, Philostratus autor est. Pythagoram & Democritum de herbarum naturis, frequentatis prius Persidis, Arabiæ, Aethiopiæ, Aegyptiq; magis, scripsisse Plinius, tradit. Ab Oriente magos sapiẽtiæ professores, quibus hic Salomon ingenij & sapientiæ gloria antecelluisse legitur, in Iudæam uenisse adoratum Messiam, cœlestem Salomonem, Euangelista Matthæus fatetur. Atq; hos magos Persas fuisse uolunt, ab oriente Hierosolymam spectantes.

Et Aegyptiorum.) Qui & suis sapientibus celebres fuerunt, ut patet ex illo Iesaiæ: Sapientes consiliarij Pharaonis. Quæ Iosephus de arte incantandi, quam Salomon calluerit, refert, prætermitto. Nos hic legimus Salomonem suã sapientiam à Deo accepisse: qualis procul dubio longè ab ea arte, qua herbarum & uerborum præstigijs dæmonia eijciuntur, abfuit. Cõmendatur Salomon à sapientia, quæ rerum diuinarũ & humanarum scientia definitur. Laudatur à תבונה, hoc est à prudentia, quæ rerum expetendarum & fugiendarum scientia est: quæ in suis rebus domesticã, in publicis ciuilis prudentia uocatur. Postremò sacra narratio in eodem Salomone latitudinẽ mentis, quæ maris arenam æquet, celebrat: hoc est, infinitam quandam ingenij ubertatem diuinitus concessam, laudat. At uerò cum sapientia & prudentia tantopere in Salomone prædicatur, multo uerius prædicatur in altero Salomone Messia, qui sapientia Dei uocatur, eã laudem habens quam ei prior Salomon his uerbis tribuit: Dominus possedit me ab initio uiarum suarum, antequã quicquam faceret ab initio, ab æterno ordinata sum. Quæ sapientia latitudine sua comprehendit cœlum & terram, & omnia quæ hac rerum uniuersitate continentur. Quare hæc sapientia uerè de se prædicat: Ecce plusquã Salomõ hic est.

Sapiẽtior Ethan Ezraita.) Primo Paralip. lib. cap. 2. quatuor sapientes uiri q hic nominãtur, filij Zaræ, filij Iudæ, fuisse traditur. Quod autem hic legimus filij Machol, nonnulli putant Zaram binominem fuisse. Psalmo octogesimo nono

nono inter cantores numeratur Ethan Ezraita. Item in Paralipomenis inter filios Gersonis, Ethanis Ezraitæ fit mentio: quem nonnulli uolunt hunc ipsum esse, qui hic nominatur. Præterea inter liberos Caath refertur Heman cantor, cuius etiam Psalmo octogesimo octauo mentio fit his uerbis: Atqui si quatuor hi hic memorati Zaræ Iudæi filij fuerant, Ethan & Heman cantores qui in Psalmis recensentur, non sapientes illi fuerunt, quorum hoc loco sapientia celebratur, sed alij, iisdem nominibus nominati.

Tria millia parabolarum.) In משל accipiũtur parabolæ, prouerbia, & præclaræ sententiæ, quæ in uita quid uel expetendum uel fugiendum sit, declarant. Numerus sententiarum, quas Salomon hic dixisse legitur, non extat: sicut neq; carmina quinq; supra mille remanserunt, sed temporis omnia consumentis iniuria amissa sunt, desideratis quoq; libris quos de natura stirpium et animantium scripsit. Mos enim tum fuit, libros de memorabilibus reb. scribere, ut Salomon ipse testatur in Ecclesiaste suo, cum ait: Faciendi libros nullus est modus. Mirum aũt nemini uideri debet, in tantis & tam crebris diuturnisq; exilijs tot & tam præclara monumenta à Salomone edita intercidisse. Probabile etiam est, sententiarum & carminum quæ Salomon elaborauit, non paremfuisse curam, sed ex illis delecta, quæ præcipuam utilitatis & doctrinæ laudem tenerent. ut si carmina spectes, Canticum canticorum occurrit, quod ob præstantiam sic appellatũ sit. Sin sententias, liber qui inscribitur Prouerbia Salomonis, in precio habetur. Tractatur enim eis ea pars sapientiæ, quæ in tradendis institutis ad uitã probitate formandam utilibus uersatur.

Super lignis à cedro.) Alteram partẽ sapientiæ, quæ in rerum naturis inuestigandis uersatur, narratio explicat. Atq; ordo in numerãdis rebus seruatur, qui in lib. de creatione mundi seruatus à Mose est. A' stirpibus enim ad animãtia progreditur. Hic discimus, rerum in obscuritate naturæ inuolutarum noticiam à diuino spiritu cõmendari. Nam ab hac Salomon laudatur, qui de arboribus à cedris Libani usq; ad hyssopum, hoc est de singulis stirpium generibus, tum magnis tũ exiguis, de omni item animantium genere, & de tota hac uniuersitate rerum, sapienter cum amplificatione Dei conditoris disserere potuerit. Quã cognitionem qui in muneribus diuinis nõ numerant, non perpendunt quod hic legitur: Et Deus dedit sapientiam Salomoni. At uerò cum inter dona Dei Salomonis sapientiam referimus, non parum inter diuina dona ac munera interesse intelligimus. Dona nimirum quædam naturalia esse, quæ naturalis intelligentiæ finibus continentur. Horũ quædam in corpore, ut ualetudo, robur, pulchritudo, celeritas: quædam in externis bonis, ut opes, potentia, gloria, soboles, necessarij, amici: quædam in animi muneribus cernũtur, ut sunt ingenij celeritas, memoria, prudentia & sapientia. Talia dona in Salomone laudantur: quibus qui ornantur, neq; per se probiores, neq; improbiores redduntur, ut quæ etiam improbis tribuantur. Deinde dona quædam sunt Dei, naturam superantia: quibus qui præditi sunt, noui homines redduntur: ut sunt spiritus sancti dona, quibus regeneratio ad nouam sapientiam, iusticiã & uitam, constat. In his muneribus numerantur lumen sapientiæ fidei, de lumine diuinitatis in Messia in electorum cordibus accensum. Numeratur item spes, omnium calamitatum uictrix uirtus: & ipsa charitas, animorum nostrorum ad diuinam uoluntatem atq; naturã conformatrix uis, quæ nimirum sit legis uniuersæ in Christo perfectio atq; absolutio. Hæc diuina munera in pijs solum & filijs Dei, nõ in impijs & filijs huius mundi reperiuntur. Qui interdum donis naturalibus Dei filios superant. Veluti Dominus testatur, cum ait: Filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis. Quod si diuitias & opes & res prosperas spectes, his ut improbi abundent, & probi careant, declarat expostulatio illa Dauidis: Pedes mei ferè uacillarunt, quòd indignarer in stultos, res improborum prosperas animaduertens. Nos fatemur, utriusq; generis dona Dei Salomonem habuisse: naturalia, & diuina extra naturæ captum posita, sed non pari modo. hæc pro puerili ætate illi tributa credimus, quibus neq; Mosem, neq; Dauidem patrem, neq; Apostolos superarit: illa, quibus excelluerit præ alijs. Quæ tanta accepisse iudicamus, quanta legis administratio caperet.

Et ueniebant de cunctis populis.) Submota umbra legimus apud Iesaiam: Et fluent ad eum omnes gentes ad sapientiam legis Sion audiendam. de qua idem uates: De Sione proficiscetur lex. Lex uidelicet Euangelij, in quo lux sapientiæ splendet, quæ nobis non cedros, non hyssopos, non animantium naturas, sed Deum patrem cum suis thesauris, luce, uita, regno, & cum omnibus mysterijs suorum oraculorum patefacit, per eum Salomonem, de quo illud: Qui aperit nemine claudente, claudit nemine aperiente. Legimus hic, Salomonem de cedris Libani usque ad hyssopum

hyſſopum diſſeruiſſe. Noſter Salomon ut cedros Libani montis, hoc eſt excelſa huius mundi ad demoliendum, uſq; ad hyſſopum, hoc eſt ad humilia crucis & pœnitentiæ hyſſopo deiecta aperiat, utriq; ſatis, & excelſæ huius mundi cedri, & humiles hyſſopi experiuntur, dum horum demiſſionem quantum ualeat aduerſus ſublimia mundi, & illorum alta conſilia aperit & euertit.

IN CAPVT V.

Miſit Hiram rex Tyri.) De Tyro uide ris apud Ioſuam capite decimonono. Cum hac urbe fœdus amicitiæ Iſraelitis fuit, ut documento eſt Hirami cum Dauide & Salomone contracta ſocietas. Neq; etiã Sidonios & Tyrenſes ab altero Salomone Chriſto ſpretos, Chananæa mulier indicat: quæ è finibus Tyri & Sidonis cum ueniſſet petitum opem, eam ſanata eius filia impetrauit. Cuius fidem his uerbis Chriſtus laudauit: O' filia, magna eſt fides tua. Vocationi igitur gentium ad extruendum ex uiuis lapidibus templum per Euangelij regni cœlorum ſpiritum in hac hiſtoria aptis figuris præluditur, de quibus ſuis locis meminerimus.

Tu ſcis.) Opem ab Hiramo in extruendo tẽplo petiturus, per occupationem, quæ patri Dauidi obijci poſſent, diluit, expoſitis cauſis, cur ab illo ædificatum templum non ſit, cui uoluntas illius extruendi non defuerit, ſed occaſio.

Et quia non poterat ædificare.) per Nathanem à Deo prohibitus, ueluti ſuprà lib. 2. cap. 7 indicatum eſt.

Sub ueſtigio pedum eius.) Vt noſter Dauid Meſſias, hoſtes ſuos pedib. ſuis ſubiectos conterat, declarat ſententia illa in ſerpentem Satanam ad terram quam pectore terat damnatum lata: Ipſum conteret caput tuum.

Et non eſt ei Satan.) Cœleſtis noſter Salomon de ſuo aduerſario ſic ait, Princeps mundi iam iudicatus eſt, hoc eſt, damnatus & uictus, quo minus extructionem templi impediat, de quo illud: Vos templum Dei eſtis.

Nunc autem requiem dedit.) promiſſam antea his uerbis: Tranſibitis Iordanem, & habitabitis in terra quam Dominus Deus ueſter daturus eſt uobis, ut requieſcatis à cũctis per circuitum hoſtibus.

Deus meus.) Deus pacis, de quo Apoſtolus: Deus charitatis & pacis erit uobiſcum. Vbi coniungit charitatem cum pace, quod extra amorem nullus paci ſit locus, extra charitatem nimirum de qua Ioannes: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet. Itaque qui extra charitatem Deum ſunt, in Satana ſunt, autore odiorum & belli. Agnoſcit igitur ſapiens Salomon, Dei donum eſſe pacem: & Deum non belli, ſed pacis Deum eſſe. Pax conſtituta eſt Salomone regnante in terra certis terminis definita: pax autem per alterum Salomonẽ ſancitur, de qua Apoſtolus, cum omnia tum quæ in cœlis tum quæ in terra ſunt, pacificata eſſe dicit. Homine nimirum pacificato & reconciliato Deo, qui uniuerſitatem hanc ambitu ſuo continens, uniuerſitatis nomine appellatur.

Templum nomini Dei mei.) non dijs alienis. In Paralipomenis exponitur ratio & uſus extruendi templi. De quo uideris lib. 2. cap. 2. Itaq; in explicando templo Salomonis hæc fuerint ordine conſideranda: autor, opifices & fabri, materia, forma & locus ædificando templo deſtinatus, & quæ in illo reponenda erant: poſtremò uſus extructi templi. De ſingulis ordine admonebimus.

Cedros de Libano.) Materia templi primò explicatur, quæ cedrina atq; pinea erat. In Paralipomenis mentio etiam fit auri, argenti, æris & ferri, purpuræ item cocci & hyacinthi. Ex gentibus quoq; petuntur fabri, qui parãdo ædificio ſacro operam ſuam nauent. Quales fabri, quos fabros adumbrarint, declarãt hæc patefacti Euangelij tempora, in quibus non poſtremum locum apoſtoli & doctores, fabri cœleſtis templi his ultimis temporibus deligendi obtinent. Cæterum non legimus hic cedros ab Hiramo poſtulari, ſed fabros cædendæ materiæ peritos. Nam Libanus ditionis terræ ſacræ fuit, eius ab aquilone terminus.

Benedictus Dominus hodie.) In Paralipomenis additur: Deus Iſrael, qui fecit cœlum & terram. Agnoſcit Hiramus, gentilis rex, Deum conditorem cœli & terræ, Iſraelitarum Deum eſſe. Quæ confeßio ſpiritu illo diuino motus Dei, principij ſapientiæ, non carebat, quem Petrus in Cornelio Centurione his uerbis laudauit: Nunc ſcio, quòd in quauis gente qui timet ipſum, gratus eſt illi. Is igitur metus Dei, in ſacris literis laudatus, ut ex electionis diuinæ gratia naſcitur, ita nulli neq; ſeculo, neq; genti, neq; ullis mundi elementis, affixus eſt: qui uiam fœderi pacis ſacro cum Meſſia cœleſti Salomone ſanciendo, munit atq; præparat. cui timori ſi quæ iuſticia tribuitur, ea non eſt illa iuſticia, quam ſpiritus adoptionis adultiori ætati comparat: ſed iuſticia eſt puerili ætati congruens, quam ætatem dicit Apoſtolus parum differre à ſeruili conditione:

ne. Per timorem igitur illum principium sapientiæ, semper electi Deo sunt chari, in Christo patefaciendo: sed cui se charos per illum nondum sentiant, quos unus spiritus adoptionis certiores reddit de beneuolentia erga ipsos diuina.

Qui dedit filium Dauid sapientissimum.) Agnoscit liberos, & eorum sapientiam, Dei donum esse.

Super populũ hunc plurimũ.) In Paralip. additur: Vt ædificaret domum Domino.

Vsq; ad locum quem significaueris mihi.) Locus is exponitur in Paralipomenis: Et uehemus ea mari ad Ioppen.

Et applicabo ea ibi.) Verbo apto ratibus utitur רפסים. Nam rates ut ad portum appulerint, soluuntur. Vocantur autem rates ab Hebræis רברים, quòd per mare uehantur. Est enim רבר in loco ducere, atq; uehere. In Paralipomenis in hunc modum inducitur loqui Hiramus: Triticum ergo & hordeum & oleum & uinum, quæ pollicitus es, mitte seruis tuis. Hic uini & hordei non fit mentio.

Coros tritici.) In Paralipomenis legitur הטים מכות, hoc est, tritici ex spicis excussi. Corus autem, autore Iosepho lib. 3, cap. 18. medimnos unum & quadraginta Atticos continebat. Medimnus aũt sex modios, **eyn viertell/oder eyn malter**. Est corus mensura aridorum, ut batus liquidorum. Hic tamen corus etiam de liquidis dicitur. In Paralipomenis uerò de oleo & uino non corus, sed batus enunciatur. Continebat autem batus, eodem Iosepho autore, lib. 8. sextarios septuaginta duos, sextario duas heminas aut cotulas cõtinente, **eyn halbe maß**.

Purissimi olei.) Cum oliuæ nucleo, carne, oleo, amurca constent, succus oliuæ oleum est. Qui succus tanto purior est, quanto magis à fecibus, quæ amurca sunt, expressus fuerit.

Septuaginta millia eorum.) Hunc numerum baiulorum & lapicidarum cum præfectis qui opus urgerent, hoc est, peregrinorũ fuisse, non Israelitarum, ex Paralipomenis intelligimus. Ad ædificandum igitur templum Israelitæ, & peregrini in repub. Israelitica uersantes, quos LXX in altero Paralipomenon προσηλύτους uocant, Sidonij item & Tyrenses adhibiti sunt. Qua in cœlestium rerum adumbratio ne diuina bonitas & sapientia significare uoluit, in cœlesti Salomone Christo Domino nostro, neq; Iudæos, neq; Græcos, neq; barbaros, in extruendo templo Ecclesia, sed nouum hominem è spiritu sacro genitum spectari, qui tantum opus moliatur. Hic alios qui arbores cædant, alios qui lapides ex montibus eruant, alios qui erutos lapides ad structuram templi quadrent, alios qui onera baiulent, alios qui auri, argenti, æris, ferri, & cocci elaborãdi sint periti, aliosq; alterius artis ad ædificãdum exornandumq; templum utilis, gnaros cernere licet. Septenarius & octonarius numeri huc congruunt, quorum alter Sabbatho & quieti, quæ onera ecclesiæ sustinentes consequitur, conuenit: alter iusticiæ, quæ in ijs qui lapides excisos ad ædificium templi spiritualis cõformant, spectatur, accommodatus est. Nam octonarius primus solidus numerus est, ac cubus octo angulos continẽs, solidam in omnem partem iusticiam repræsentãs.

Qui onera portabant.) Submoto typo, legimus apud Apostolum: Alij aliorum onera portate. Quod cum fit, templum Dei extruitur, de quo idem Apostolus: Vos templum Dei estis.

Latomorum in monte.) Qui sint ueri lapides ex montibus huius mundi electi, Dominus declarat, ubi ait: Sed ego delegi uos de mundo, tanquam uidelicet uiuos lapides, ex quibus ad usum sanctitatis templum, in quo spiritus sanctus habitet, ædificetur. De quibus lapidibus Petrus his uerbis: Ipsi quoq; ueluti uiui lapides ædificemini domus spiritualis. Similiter cedri non prius aptam materiem templo extruendo præbuerunt, quàm cæsæ prostratæq; humi, per mare ad locũ sacrum deportatæ essent. Quos autem cedri repræsentent, quidq; earum desectio & deiectio significet, satis illud Iesaiæ uatis ostendit: Quem autem respiciam, nisi pauperculum, & contritum spiritu, atq; trementem ad sermones meos? Cedris autem Libani notari superbos, & potentia sapientiaq; huius mundi insolescentes, comprobant illa: Excelsi succidentur. item: Confringet Dominus cedros Libani. Sed cur confringuntur? Respondet Dominus apud Iesaiam: Humilia

Ita ut duodecim millia essent in domibus suis.) ad conseruandam disciplinam domesticã, quæ ægrè absente marito retinetur: & ea dissoluta, etiam ciuilis societas, quæ ex familijs bene administratis coalescit, euertitur. Deinde hæc quies sessis etiam, pro sapientia Salomonis danda ad uires reparandas erat. Quæ laborum & quietis uicissitudo in eum usum diuina ratione prouisa est, ut lex de Sabatho sanctè habendo admonet. Postremò diuini fœderis libertas nõ ferebat, ut tam obnoxia Israelitarum conditio esset, quàm exterorum: de quibus mentio sequitur. Itaq; legimus infrà: Nam Israelitarum nulli seruitutem imposuit.

bitur altitudo hominum, ut exaltetur Dominus. Quod est hic, à Salomone destinatos, qui cedros succiderent, atque succisas deiectasq; per mare notæ significationis, ad locum suum deferrent, ad construendum templum, in quo Dei nomen amplificetur. Quod arcanum consilium Dei Apostolus his uerbis explicat: Nostra arma sunt potentia Deo, ad demolitionem munitionum, quibus consilia & omnem celsitudinem se aduersus cognitionem Dei extollentem demolimur, ut obediatur Christo. Atque hæc est cedrorum procerarum in superbi mundi montibus, in usum ædificij sacri templi deiectio.

Numero trium millium & trecentorum.) Hic legimus præpositos tria millia trecentos: in Paralipomenis uerò, tria millia sexcentos. Locos ita componunt. Tria millia trecentos præpositos baiulis & lapidicidis: reliquos uerò trecentos, qui in Paralipomenis numerãtur, tum operis, tum his tribus millibus & trecentis præfectis præfuisse: qui hic רודים, in Exodo שוטרים, in Paralipomenis uerò מנצחים appellantur.

Lapides grandes.) ut quibus templum fundandum esset, uelut hic legimus: Ad fundandum templum. Hi lapides in fundamento collocandi, quos nobis lapides repræsentent, uates Iesaias explicat: Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris. Vbi de Ecclesia, templo diuinitatis, loquitur: quæ Ecclesia fundatur lapidibus in fundamento quod Messias est, positis, de quibus Apostolus his uerbis ad Ephesios meminit: Superstructi super fundamentum apostolorum & prophetarum. Hoc autem fundamentum idem Apostolus ad Corinthios his uerbis indicat: Fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. De quo etiam firmo fundamento templi ecclesiæ electorum, ædificator ipse his uerbis dicit: Super hanc petram (de se loquens) ædificabo Ecclesiam meam. Super hoc fundamentum quoniam duodecim Apostoli cœlesti Euangelij doctrina lapides, munerum sacri spiritus pondere grandes collocant, dicit Ioannes in sua Apocalypsi, murum ciuitatis quæ est Ecclesia, duodecim fundamenta habere, quòd duodecim Apostolorum doctrina unum fundamentum Christum spectaret, non Petrum, multo minus Pontifices Romanos, qui sibi per ambitionem summi sacerdotis titulum in Babylone Roma uendicarunt, à Christo non acceperunt, neque ullæ ecclesiæ ante Phocam ei tribuerunt.

Ex his, quantum inter utrumque templum ab autore & architecto, à materia, figura, loco, & à rebus quæ utroque templo continentur, atque ab ipso usu interfit, manifestum est. Veteris templi ædificator Salomon est, noui Messias Dominus noster. Alterius materia lignea, lapidea, aurea, argentea, ferrea & ærea est: in altero ea materies cernitur, ex qua cœleste templum extruitur, qui sunt scripti in libro uitæ. Quæ materia, à firmitate & pondere donorũ spiritus sancti, lapidum: à natura putridinis experte, cedrorum: à puritate & ui uincendi iniuriam ignis, auri & argenti: à ui domandi omnes aduersarias potestates, ferri nomen habet. Si figura spectetur, templum Salomonis quadrangulum ac quadrilaterum erat, sed quæ quatuor latera humana arte in area terrenus artifex, ad æternitatem minimè stabilia & firma duxerit. Contrà nostri Salomonis templum quatuor angulis & lateribus describitur, quæ nulla uis loco moueat. Nam hæc diuinis digitis, hoc est cœlestis architecti Messiæ spiritu, non in terra, sed in cœlo ducta sunt. De qua quadrangula figura templi cœlestis, Ioannes his uerbis meminit: καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται. A loco quoque inter se discrepat. Etenim alterum templum in Sione monte terreno, alterum in Sione monte cœlesti, hoc est in cœlo, cuius spacia nemo metiatur, fundatum est. De quo templo idem Ioannes: Et apertum est templum Dei in cœlo. Quàm diuersæ autem res utroque templo continẽtur, inter explicandum monebitur. Suæ enim in utroque aræ, sua mensa instructa panibus, suum candelabrum cum lucentibus lucernis, sua propitiatorio tecta arca cum cherubim alas suas super arcam extendentibus, cernuntur. Demum hinc quoque, quantum inter utrumque templum differat ab usu, sacrificia ipsa, suffitio, lucernarum præparatio, sacerdotij functio, & diuinitatis præsentia declarant. In altero enim templo umbra uerorum sacrificiorum, suffitus, lucis, sacerdotij, & præsentiæ Dei in nube ostendebatur: in altero, ipsa uera sacrificia, suffitio, lux, sacerdotium unctum spiritu sancto, & diuinitatis in spiritu Messiæ habitantis in templo non manufacto, quod ecclesia electorum est, præsentia declaratur. De qua uera præsentia ad nouam uitam & iusticiam, Apostolus his uerbis meminit: In quo & uos ædificamini in habitaculũ Dei, per spiritum.

Et quadrarent eos.) In גזרו metapho ra à tondendo sumpta est. Notum enim est uerbum

b: m גזז. Paraphraſtes reddit מסירלן. lapides ita formati accipiuntur, qui ſint ad ſtructuram apti: quales quadrati lapides ſunt.

Biblij.) הגבלים fabri ſunt tum murarij, tum lignarij, qui ad amuſſim & perpendiculum lapidibus & lignis fines, ad quos illa quadrent, deſignant. Nota uox eſt גבל, terminum ac finem ſignificans. Sunt qui גבלים ciues Gebalis eſſe putant, quos fabrili arte excelluiſſe dicũt. Hæc Syriæ urbs Biblus appellata eſt, de qua apud Strabonem uideris, lib. 16. Huius urbis mentio fit apud Ezechielem capite uiceſimoſeptimo, in uaticinio de Tyro, atque eius ciues ab ædificandi peritia laudantur.

IN CAPVT VI.

FActũ eſt igitur quadringẽteſimo octogeſimo egreſsionis, &c.) Numerus is annis, quibus Moſes, Iudices, Reges, Saulus, Dauid & Salomon regnarunt, ſupputatis, ex hiſtoria Iudicum & Regum facilè in hunc modum colligitur. Moſæ tribuuntur quadraginta anni, tot quoq; Ottonieli. in quibus Ioſua comprehẽditur: Ehudo octoginta, Delboræ quadraginta: tot etiam Gedeoni: Abimelecho tres, Tholæ uiginti tres, Iephthæ ſex, Abeſſani ſeptem, Eloni decem, Abdoni octo, Samſoni uiginti, Heli quadraginta: Saulo quadraginta, in quibus Samuelis imperium continetur: Dauidi quadraginta, quibus adduntur tres Salomonis anni. His numeris in ſummam ſubductis, orientur quadringenti octoginta anni hic memorati.

Menſe Ziff.) זיו Aprilis eſt, quẽ Hebræi etiam אייר uocant. Dictum autem hunc menſem זיו ab emicatione florum, qui hoc menſe oſtendere ſolent. Nam זיו ſplendorem ſignificari, indicat illud Ieſaiæ מזיר בבורח. Sicut etiam à Latinis Aprilis appellatur, quòd in eo terra ſe ad fructificandum aperiat, ſolaris ſplendoris acceſſu fœcundata. Quare Paraphraſtes hic habet מזיר נציצרא. Ab Hebræis menſes, quorum nomina ferè Chaldæa ſunt, ſic enunciantur: ניסן אייר סיון תמוז אב אלול תשרי מרחשון כסליו טבת שבט אדר, id eſt, Martius, Aprilis, Maius, Iunius, Iulius, Auguſtus, September, October, Nouember, December, Ianuarius, Februarius.

Domus autem quam ædificabat.) In Paralipomenis locus ipſe, in quo templum ædificari cœpit, his uerbis indicatur: Cœpit igitur Salomon Hieroſolymæ templum in mõte Moria ædificare. Moria igitur mons delectus eſt, in quo ſacrũ nomini diuino templũ extrueretur. Quem non uno modo clarum fuiſſe conſtat. Nam illuſtrem eum fecit Iſaacus, qui ad uictimam in illo immolandus deſtinatus fuit, ſed pro quo aries demonſtratus ſit ad mactãdum. Qui aries quem nobis piacularem pro peccatis mactãdum arietem, figura prætulerit, ex illo patet: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Deinde clarum Moriam montem reddidit placatio iræ diuinæ, quæ in eo ſublata peſte, quam Dauidis temeritas in numeratum à ſe populum excitarat, facta eſt. Accedit ad claritatem huius montis, quod ſingulari ratione à Deo is delectus fuit, in quo templum à Salomone ædificaretur, empto eo in eum uſum quinquaginta ſiclis. Qui numerus tum peccatorum condonationi, tum laborum, atque uniuerſæ ſeruitutis remiſsioni (ut Iubilæus documento eſt) conſecratur. Vnde accidit, ut idem numerus templo, quod placandæ iræ diuinæ, paciq; & quieti deſtinandum erat, accommodatus eſſe exiſtimetur. Poſtremò longè clariſſimus redditus eſt Meſsia ſeruatore, qui in illo concionibus ſalutaribus quas habuit, & miraculis à ſe editis floruit: atq; ex eo ſacroſanctum Euangelium in orbem terrarum, cuius ſpiritu Apoſtolorum miniſterio templum Dei uiuum ex cœleſtibus lapidibus extrueretur, diuulgauit. Prætermitto hic, hunc montem etiam ante diluuium celebrem fuiſſe Adami & patriarcharum cultu, quos, ut nonnulli tradunt, ueriſimile ſit, ibi habitaſſe. Quorum memoria etiam Hebron & uicina loca celebria ſunt.

Habebat ſexaginta cubitos in longitudine.) In hac magnitudinis templi Salomonij explicatione, totius ædis ſpacia nequaquam menſurantur: ſed eius partes ſolum, quarũ altera היכל, altera דביר appellatur. Hæc autem in uniuerſum in templi huius ſtructura conſideranda occurrunt: Aedis magnitudo, ueſtibuli ſitus & menſura, oſtia & portæ, ædiculæ ad murum adſtructæ, & earum magnitudo atq; numerus, parietum incruſtatio & ornamenta. Res inſuper partim in adyto, partim in reliquo templo repoſitæ, in conſiderationem ueniunt: ut ſunt, arca propitiatorio & cherubim tecta, aurea ara, candelabrum, menſa, inſtrumenta uaria, columnæ, lacus fuſilis, baſes, lauacra, atriorum item ſpacia, ueſtibula cum ſuis cellis & appendicibus. Demum expendendum erit, quis omnium iſtorum uſus fuerit. is autem partim in ſacris illius temporis, puerili ætati, quam lex gubernabat, ſub pædagogo Moſe aptis: partim in ſpirituali templo,

& in ijs rebus quas illud complectitur, adumbrandis, cernitur. Nam licet & in hoc altero templo sua atria, suum uestibulum, suum ostium sanctis notum, suum חיכל, suum adytum plenum diuinitate, suum propitiatorium cum cherubim, suam aram suffitoriam, candelabrum lucernis lucentibus splendens, mensam pane cœlesti instructam, suas ædiculas, suum murum, suos item cardines, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem spectare. De singulis ordine inter interpretandum meminerimus.

Et uiginti cubitos in latitudine.) quæ tertia pars erat longitudinis. Tripla igitur proportio longitudinis ad latitudinem fiat. Quare duplo latius Salomonium templum Mosæo tabernaculo: ut etiam duplo longius & triplo altius fuit. Nam Mosæum tabernaculum longitudinem triginta cubitorum, latitudinem decem habuit: totidem altitudo.

Et triginta cubitorum in altitudine.) A solo usq; ad proximum lacunar, & alterum cœnaculum. Nam templum habuisse suas cellas, & cœnacula, ex priore Paralipomenon capite decimooctauo probari uolunt. Huius sententiæ est etiam Iosephus. Etenim non putant uerisimile esse, templum Salomonis tam humile fuisse, cum post Babylonium exilium illud instauratum sexaginta cubitorum altitudinem habuerit, de quo uideris apud Esdram. Huc pertinet quod Herodes libro decimoquinto antiquitatum Iudaicarum, apud Iosephum dicit, Sexagena cubita altitudinis defuisse templo suo, tempore apud Iudæos florenti, quæ Salomonis ædes habuisset. Nominatur hic altitudo ex tribus denarijs constans, unde efficitur duplo longiorem sacram domum fuisse, quàm altiorem. Sin autem tota eius altitudo in rationem uenit, duplo altior quàm longior fuit. Nam centenos uigenos cubitos, uestibulum altum fuisse, ex Paralipomenis constat: cui parem altitudinem templum habuisse, Iosephus, & alij qui hunc sequuntur, confirmant. Cæterum qualis mensura fuerit cubitus, ex Exechiele licet cognoscere, qui ait, Cubitum, quo angelus templum mensus est, uulgarem cubitum & quatuor digitos tenuisse. Vulgaris autem cubitus sesquipede constat, qui sex palmos continet communes, hoc est, quatuor digitos transuersos. Dico communes. nam ut cubiti alij maiores sunt, ut erant sacri: alij minores, quales fuerunt profani: ita duplex genus palmorum est, alij maiores, alij minores Hebræis habentur. Maior ab Hebræis uocatur טפח, minor זרת, à Græcis autem σπιθαμὴ, à Germanis alludentibus ad Græcam uocem, spangen. Apud Ezechielem etiam calami mentio fit, quo templum mensurabatur, quem Latini decempeda uocant. Fit etiam mentio in Apocalypsi Ioannis mensuræ, sed cuiusmodi? Mensuræ sanè hominis, quæ sit angeli. Sed quæ est illa mensura hominis, & cuius hominis? Hominis planè continentis omnem diuinitatem corporatè, qui angelus est ille, hoc est, missus à patre legatus, de quo Malachias meminit: & legatus de se, Pater misit me. Etenim ut hoc cœleste templum omnibus Dei muneribus repletum est, ita nulla mensura ei mensurando apta erit, quàm homo Messias plenus Deo, plenecq; Deus, cuius ciuitas & templum Ecclesia πληρωμα appellatur.

Et porticus erat ante templum.) Describitur uestibulum à magnitudine et situ, positum id fuisse ante templum in Oriente, ubi in illud ingressus patebat.

Viginti cubitorum longitudinis.) Tam longum igitur fuit, quàm ædes lata. Longitudine eius mensurata à meridie septentrionẽ uersus, in fronte latitudinis templi. Quapropter longitudinis templi ad uestibuli latitudinẽ tripla proportio fuit.

Et habebat decem cubitos latitudinis.) Vt esset uestibulum duplo longius quàm latius, longitudine duos denarios continente, latitudine unum. Itaque templum duplo latius quàm uestibulum fuit. Neque etiam una supputandi utriusque latitudinem ratio cernebatur. Nam ædis latitudo Septentrionem uersus à meridie, uestibuli ab occasu ortum uersus secundum templi frontem mensurabatur. Idem discrimen mensionis longitudinis fuit. Sed in eo inter templum & uestibulum conuenit, quod quæ ratio fuit longitudinis templi ad suam latitudinem, ea etiam spectabatur longitudinis uestibuli ad suam latitudinem, quæ dupla fuit. In adyto autem respondebat ex pari latitudini longitudo, quòd id undique quadratum esset, pariter latum & longum, ut quod paribus lateribus constaret. Cæterùm hic altitudo uestibuli non exponitur, quæ in Paralipomenis legitur fuisse centum uiginti cubitorum. Duodecies igitur fuit altius quàm latius, & sexies altius quàm longius.

Fecitq; in templo fenestras obliquas.) Variant hic interpretes. Sunt qui in אטרמים & שקפים accipiũt fenestras intus latas, foris uerò angustas fuisse. Huius sententiæ

tiæ est Paraphrastes, quæ interpretatio conuenit commoditati spargendi lumnis in templum. Nam quanto intus latiores sunt fenestræ, tanto latius longiusq; diffunditur lux. Sunt alij qui fenestras foris latas, & intus angustas fuisse, uolunt.

Et ædificauit super parietem templi tabulata.) Breuis hæc narratio est, qua Salomonij templi structura explicatur. Non enim quæ parietis ac muri crassitudo, non cellæ quas interpres noster tabulata uocat, ut sanctius sacrarium & reliquam ædis partem ambierint: non atria, & quot quantaq;, & quæ eorum uestibula, portæ, cellæ, cœnacula atque appendices fuerint, describuntur. Quæ omnia accuratè & diligenter in uiso quod Ezechieli de templi ædificio repræsentatum est, explicantur. Murum, cuius crassitudo hic non indicatur, sex cubitos crassum apud Ezechielem fuisse legimus. Iosephus tradit tricenas ædiculas muro templi Salomonij adstructas fuisse, tot etiam numerantur in uiso Ezechielis.

Per gyrum tabulata.) cellæ, quarum iam mentio facta est, יצועות à contabulando, צלעות autem à quatuor lateribus appellatæ sunt.

Per gyrum templi & oraculi.) A latere meridionali & occidentali. Nam orientale ædiculis carebat, ut ostio locus esset. In templo autem ab Ezechiele descripto etiam occidentale latus expers ædicularum fuit. Etenim legitur apud illũ capite quadragesimoprimo, cellas solum quaternos latitudinis cubitos habuisse. Quare cum triginta essent, ad explendum utrumque longitudinis templi latus, meridionale uidelicet & septentrionale, effecerunt uicenos & cẽtenos cubitos. Quorum sexageni uni lateri, & totidem alteri aptabantur. In Salomonio autem templo cum cœnacula illa, quinos latitudinis cubitos haberent, effecerunt centenos quinquagenos cubitos. Horum sexageni quos duodecim cellæ continebant, latus meridionale & totidem septentrionale occuparunt. triginta autem cubiti, quos sex cellæ habebant, occidentali accommodati sunt.

Quinque cubitos latitudinis.) Quaternos ab Ezechiele descripta tabulata cubitos habent. In Mosæo tabernaculo huiusmodi mansiones non legimus fuisse. Quas autem mansiones adumbrarint hæ descriptæ hic mansiones, indicat illud apud Ioannem: In domo patris mei multæ sunt mansiones. quod mansionum discrimen in diuersis muneribus naturæ & sacri spiritus cernitur. Trinæ igitur aliæ alijs impositæ fuerunt contignationes. Harum infima quinos, media senos, summa septenos cubitos continebat. Qui numeri quam præstantiam teneant, satis manifestum est. Non enim obscurus quinarius est, sphæræ denariæ centrum. Nec non quàm nobilis sit senarius, mundus sex diebus conditus documento est. Septenarius à quiete & Sabbatho, cui consecratur, laudem suam habet. Hæc tripartita contignatio, arcæ quam Noa ædificauit, structuræ aliqua ex parte respondet. Nam hanc quoque tripartitam fuisse constat. Cernitur hic etiam ternarius numerus, sacris mysterijs sacratus.

Trabes autem posuit in domo.) מיגרעות non sunt trabes, sed retractiones ac recessus. Nam ut in tabulatis processus, ita in muro recessus spectabantur. Porrò quantæ in muro retractiones & recessus, tantæ proiecturæ in tabulatis fuerunt. Harum retractionum ratio subiungitur.

Vt nõ hærerent muris.) לבלתי אחז, id est, ne ædiculæ templi parietes attingerent. Quanti autem fuerint recessus in pariete, & processus in tabulatis, hic non explicatur. Neque etiam hic אלים, id est appendicum quales fuerint, fit mentio, quæ in Ezechiele explicantur. Vbi legimus medias ædiculas dimidium cubitum, supremas tantundem, utrinque ad meridiem & septentrionem porrectas fuisse, atque murum in fundamento sex cubitos, quinque in fastigio habuisse.

De lapidibus dolatis.) Hebræa uox lapides ex Libano allatos indicat: qui in lapidicinis illius quadrati sunt, quo facilius ad locum templo extruendo destinatum mari deportarentur.

Et malleus & securis & omne ferramentum.) Hæc enim scindentia & contundentia instrumenta, neq; tranquillo pacifico regis Salomonis regno, neq; templo paci & quieti sacrato, conueniebant.

Non sunt audita.) Submota figura cœlestium rerum, in quo extruendo templo, neque malleorum neq; ferramentorum, neq; secantis securis asper sonus, sed amabilis & suauis Euãgelij uox audiatur, declarat uates Iesaias, cum ait: Quàm speciosi sunt pedes annunciãtium pacem. Hoc sonitu lapides integri et benè quadrati ad structurã tẽpli componũtur, de quib. suprà ex Iesaia et Petro meminimus. Ab hac ratione ædificãdi tem-

pli abhorrent, qui malleos legis Moſeæ & ferramenta doctrinarum humanarum, conſcientiam miſerè frãgentium & contundentium, adhibent: ut facit aduerſarius Salomonis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ad pacem & tranquillitatem animorum euertendam, horribilem falſæ doctrinæ ſonum in templo Dei, hoc eſt in Eccleſia electorũ edit: de quo meminit Apoſtolus in priore ad Timotheum epiſtola cap. 4.

Oſtium lateris medij.) De medijs cellis ac tabulatis loquitur, quæ ut ſuprà indicatum eſt, צלעה etiam uocantur. Dextrum latus meridies eſt.

Laquearibus cedrinis.) Tam laquearia quàm parietes cedro incruſtatos.

Et ædificauit tabulatum ſuper omnem domum.) De cellis repetit mentionem, ut earum altitudinem oſtendat, qui latitudinem & longitudinem oſtendiſſet. Sententia igitur eſt: Aediculas illas ad domum per ipſius ambitum fuiſſe adſtructas, altas quinos cubitos. Quindecim igitur cubita trinam illam contabulationem fuiſſe altam, hic intelligimus. Quæ ſanè altitudo quo minus per feneſtras in muro paratas lumẽ in templum immitteretur, nequaquam impediebat. Impeditura autem fuiſſet, ſi ſingularum cellarum uiginti cubitorum (ueluti Ioſephus ſentit, ſi modò locus non eſt deprauatus) altitudo fuiſſet. Tota enim contignatio altitudinem ſexaginta cubitorum habuiſſet, quæ luci obſtitiſſet. Tabulatorum igitur altitudo dimidiam altitudinem ædis habuit: quam ſuprà fuiſſe triginta cubitorum legimus.

Et habitabo.) præſens per oracula mea, & ſpiritus mei, quæ uobis congruant, dona. per benedictionem item cœli & terræ, lucis, roris & pluuiæ, frumenti, ſobolis, pacis uobis adfuturus. Quæ benedictio, ueteris teſtamenti & legis benedictio eſt, ut eſt apud Apoſtolum, ubi ait: Nam lex umbram obtinet futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. hoc eſt, non ipſa uera bona, quæ in adminiſtratione noui fœderis ſine umbra exhibentur.

Quæ locutus ſum ad Dauid patrẽ tuum.) De qua uideris ſuperiore libro, capite ſeptimo.

Si ambulaueris.) ducente te fide, per amorem agente.

Et non derelinquam populum meum Iſrael.) Meum quidem lege fœderis, de quo ad Abrahamum: Vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. cuius fœderis conditiones hic exponuntur: Si ambulaueris in præceptis meis, & cuſtodieris omnia mandata mea. Promiſſionum igitur Dei duo genera ſunt: unum, earum quæ ſimplices ſunt, carentes conditione ſeu adiunctione: alterum, earum quæ cum adiunctione enunciantur. Harum aliæ ueteris fœderis ſunt, aliæ noui. Veteris, quales ſunt hæ: Si feceris quæ præcepi, ſi parueris legi meæ, ſi cuſtodieris mandata mea, &c. Noui, Si quis crediderit Euangelio, & in exuitionem ueteris hominis, & induitionem noui in Meſſia baptiz̃atus fuerit, ſaluus erit. Nam in hoc genere promiſſionum Meſſias & eius Euangelium, atque fidei quæ illi habeatur, clarè exprimuntur, quod in promiſſionibus ueteris fœderis fieri non tectius & occultius (ut quod ueli, non apertæ faciei ſit fœdus) ſolet. Simplices autem promiſſiones ſunt, cum ſimpliciter ſalus promittitur, nulla pacti & adiunctionis mentione facta. Qualis promiſſionis exemplum apud Moſem extat: In nouiſſimis temporibus circumcidet uobis Deus corda ueſtra, ut me ametis. Item illa Hieremiæ: Scribam legem meam in pectoribus ueſtris, ut me amore & fide colatis. Quod eſt apud uatem illum: Vt timeatis me. Inter hæc duo promiſſionum genera non parum intereſt. Nam cum adiunctione ſeu conditione promiſſiones enunciatæ, admonent primò, ſalutem nos non nacturos ſine rebus medijs, quæ ad illam comparandam neceſſariæ ſint. ut eſt pœnitentia, fides per amorem Dei & proximi agens, mortificatio ueteris hominis ad induendum nouum. Deinde admonent, media illa ut ad tempus abſunt, ita ſalutem differri: ut documento ſunt tempora, quibus abſente pœnitentia, & fide illuſtrante animos noſtros ad ueram iuſticiam & uitam, in erroribus uerſamur, & tenebris: ut id reiectionis Iſraelitarum, & profanationis eccleſiæ electorum ſub Antichriſto ſecula indicant. Demum admonemur, omnino tamen & ſimpliciter promitti electis, quæ pertinent atque conferunt ad adipiſcendam ſalutem: ut eſt Meſſias, & eius cognitio, circunciſio cordis, lex noua quæ ſpiritus ſanctus eſt, & ex eo proficiſcentia benefacta. Nam non quia electi ex Iſraelitis & gentibus ad tempus luce cognitionis Dei patris & Meſſiæ deſeruntur, ideo minus amor Dei erga illos perpetuus eſt & æternus. Relinquũtur enim ad tempus non ipſorum malo, ſed bono: ut per occaſionem occultatæ lucis, ſplendor diuini fauoris ac beneuolentiæ maior appareat: lumine è profundis tenebris emicante, & uita è morte, cœlo ex orci caligine ſe aperiente.

Igitur

Igitur ædificauit Salomon domũ.) Breui narratione reliqua persequitur. In qua hæc exponuntur: parietes & fundamentum, ianuæ & postes, & eorum ornamenta, fabricatio cherubim, eorumq; cum arca & propitiatorio in adyto collocatio: postremò atrium explicatur. De singulis, & eorum mystica explicatione, ordine meminerimus.

Tabulis cedrinis.) Cedri deliguntur ad contegendos parietes. Nam hæc arbor tum proceritate structuræ commoda, tum materia aduersus putredinem & tineas firma fidelisq; erat. Etenim inter arbores quæ cariem & uetustatem non sentiunt, cupressus, cedrus, ebenus, buxus, taxus, iuniperus, oleaster & olea numerantur. Oleum etiam confici ex cedris, scribunt autores, quo peruncta tineas non sentiunt. Salomonis iussu in Libano cedri cæsæ sunt. nam hæc arbor mõtes amat, & laudatissimæ cedri in Creta & Africa & Syria nascuntur.

Tabulis abiegnis.) Sunt quibus pro ברושים magis pineæ arbores probãtur. Nam ut abietes aptæ tectis sunt, ita pinus aptas pauimentis consternendis esse ferunt. Porrò & pinus aduersus cariem tutas esse tradunt. Hinc pinus, piceæ, alni, ad aquarum ductus in tubos cauantur: & obrutæ terris, plurimis durant annis. Plinius libro 16. cap. 42.

Aedificauitq; uiginti cubitorum.) In duas partes ædes diuiditur. Altera דביר est, altera היכל דביר. Sanctius sacrarium est, in quo ad arcam oracularem, qua diuina oracula & responsa reddebantur, uidetur ea pars templi interior nomen דביר accepisse. Paraphrastes בית כפורי uocat, propter propitiatorium, quod ibi uersabatur. Quamobrem hæc pars Sanctum sanctorum, altera היכל & קדש appellata est.

Porrò quadraginta cubitorũ erat.) Longitudo היכל explicatur. Itaque cum templi longitudo sexagenos cubitos haberet, uiginti sanctius sacrarium, quadraginta reliqua templi pars tenuit.

Et cedro omnis domus.) Explicatur ornatus tabularum, quibus parietes ornati erãt. Interiorem cedrorum templi materiam syluestriũ cucurbitarum sculptura, & patula florum cælatura ornatam fuisse. Tria igitur in tabularum, quibus parietes ex lapidibus constructi tecti erãt, ornatu spectãtur: sculptura, cælaturæ uariæ, & inauratio. Quare in Salomonis ueteris templo materiam lapideam, ligneã & aureã, cum uario ornatu deprehendas. In alterius Salomonis templo sua quoque materies satis nota, suus item ornatus occurrit: ornatus nimirum uariorum donorum spiritus sacri, qui pulchritudinem, quæ in templo spirituali cernitur & commendatur, continet. Hoc ornatu & decore sacram hanc ædem nostri Salomonis Messiæ aduersarius spoliat. de quo Apostolus his uerbis loquitur: Adeò ut in tẽplo Dei sedeat, ostentans se ipsum esse Deum.

Ne lapis appareret.) à suo ornatu nudus. Quæ nuditas quàm turpis sit nostri templi lapidibus, declarat Apostolus cum ait: Si tamen induti, non nudi reperiemur: sed induti uestitu, de quo ille idem, Christum induistis.

Oraculum autẽ in medio domus.) הדיר hic idem ualet, quod intus. In interiori & penitiori parte sacrarium repositum esse, occidentem uersus. Quæ autem in hoc situ significentur, intelligunt qui perpensum habent illud uatis: Vobis timentibus nomen meum orietur sol iusticiæ. quibus uerbis oriens, unde in templum Dei patet ingressus, explicatur. Quanto autem quisque penitius in sacrarium plenũ diuinitate intrarit, tanto uicinior est occidenti: hoc est, occultando lumini prudentiæ & sapientiæ carnis & animalis hominis, quod sub aduentu lucis illius quæ de se dicit, Ego sum lux uera, occidit atq; absconditur. Firmum enim illud est: Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc autem cum dicitis, Videmus, peccatum uestrum manet.

Vt poneret ibi arcam fœderis.) De cuius fabricatione, materia, magnitudine, forma, & mystica significatione, atq; de ijs quæ in ea reponebantur, uideris in Exodo.

Porrò oraculum habebat.) Sententia: Sacrariũ sanctius, quod in interiore parte tẽpli erat, habebat, &c. Iosephus דביר reddit ἄδυτον. Quæ uox arcanum in templo locum, quem subire fas non sit, significat.

Et uiginti cubitos altitudinis.) Dicas, suprà legi triginta cubitos templi altitudinem habere. Respondẽt interpretes, uiginti cubitos auro, reliquos decem gemmis fuisse tectos. Etenim legimus in Paralipomenis libro secundo, capite tertio: Et contexit templum lapidibus pretiosis. ubi noster interpres reddit, templi pauimentum pretioso marmore fuisse uestitum: nos uerò hic, abiegnis lignis sacrarij aream fuisse contectam, legimus.

Auro pretiosissimo.) Similiter Paraphrastes p סגור habet טבא. Tropus notus est.

Nec

Nec auro suo per ignẽ probato, et eum uincente, atq; diuturnitate, splendore atq; luce claro, alterũ templum, cœleste illud & spirituale templum caret, de quo auro igni diuini spiritus per crucem probato uates: Eloquia Domini pura sunt, ut argentum in argillacea septies perpurgatum. Psalmus argenti meminit: sed idem de auro iudicatur, in quo & argento eadem materia tum sulphuris, tum Mercurij cernitur: discrimen in præparatione, qua utrumq; perducitur ad suam perfectionẽ & absolutionem, spectatur. Quod ut uerum sit, abditarum rerum in natura periti homines cognitum habent. Cæterùm in Paralipomenis auri numerus indicatur. Sexcenta talenta auri in deauranda æde insumpta.

Sed & altare uestiuit cedro.) De ara suffitoria loquitur. Cæterùm de arbore שטים, de aræ item suffitoriæ quam Moses extruxit, magnitudine, forma, ornatu, situ, & usu, in Exodo uideris, capite quadragesimoquinto. Hic in ædificatione Salomoniæ aræ cedri fit mentio, in aræ Moseæ extructione שטים.

Domum quoq; ante oraculum.) De היכל loquitur.

Et affixit lamínas aureís clauís.) Intelligitur, muro, quo præcludebatur adytum à reliqua æde, uectes aut cathenas aureas adiunctas fuisse, ea parte qua uelum erat ponẽdum, locumq; illum & murum quoq; auro tectum.

Sed et totum altare oraculi.) Aram suffitoriam oraculi aram uocat, non quæ in oraculi loco reponeretur, sed ante ostium penitioris sacrarij extra uelum in æde intra candelabrum & mensam sita esset.

Duos cherubim.) Hi cherubim noui cherubim sunt, à Salomone, præter eos quos Moses fecerat, extructi: qui à Mosaicis materia, magnitudine, situ diuersi erant. Nam quantum ad materiam attinet, Mosaici ex solido auro, Salomonij ex oliuo ligno facti fuerant. Si magnitudinem spectes, paruitas Mosæorum cherubim ex arcæ magnitudine, & latitudine tabernaculi cognoscitur. Erat enim id decem cubitos latum, Salomonium uiginti. Quam latitudinem alis suis explebant cherubim à Salomone elaborati. A' situ discrimen inde sumitur. Mosaici arcam suis alis obuersa inter se facie tegebant, Salomoniorum alter alterius lateri assistebat, altero sua extrema ala septentrionale latus, altero aquilonare attingente.

De lignis oliuarum.) Similiter Paraphrastes. Græci ξύλων κυπαρισσίνων. Nam & cupressus suo oleo non caret. Sunt qui de genere arborum cedrinarum interpretantur. Hic cherubim ex olea fabricati, quos nobis cherubim oleum pacis & lætitiæ fundentes oraculorum Dei ministros & legatos, repræsentent, declarat ministerium, quo diuini legati, angeli, apostoli & prophetæ propitiatorio Christo assistentes funguntur, de quo Apostolus ad Corinthios his uerbis: Qui fecit nos ministros noui testamenti, non literæ, sed spiritus. Qui spiritus lucis, sapientiæ, iusticiæ & uitæ diuinitatis Messiæ spiritus est. Quam autem formam habuerint cherubim, in Paralipomenis explicatur, ubi legitur מעשה צעיצפים, hoc est, ut interpretatur libro 2. cap. 3. Paraphrastes, opere puerorum simile. Humanam igitur speciem cherubim præcipuè prætulerũt. Sed quid in uniuersum de ratione cherubim statuendum sit, ea de re in Exodo mentio facta est.

Et palmas.) Victricum palmarum significatio in templo paci post partam uictoriam à Dauide sacrato, nota est. Constat porrò, palmas urgentibus prementibusq; ponderibus non cedere, sed his è contrario remitẽtes fornicari, curuariq;. Vnde hæc arbor uictoriæ signum in certaminibus fuit. Quam uictoriam in certando referant palmæ illæ cœlestes in tẽplo uiuo Dei descriptæ, sanctus Ioannes docet: Hæc est uictoria uestra, quæ uincit mundum, fides uestra. Huc etiam pertinet similitudo illa, qua iusti, ex quibus ædes cœlestis ædificatur, palmæ comparantur à uate: Iustus ut palma floret. Hic igitur cum palmis iungũtur flores. Salomon enim præcipit palmarum & florum sculpturam fieri. Feruntur palmarum folia nunquam decidere. Sic palmæ se habent, de quibus illud: Et folia eius non decident. per eam uidelicet uictricem palmam, de qua hoc dicitur: Vicit leo de tribu Iuda. Is leo põderibus peccati, mortis, inferni & portarum inferni minimè cedens, omnia nixu suo, in cœlum tẽdens superat: qui est Messias benedictus.

Intrinsecus.) oraculi pauimentum.

Et extrinsecus.) reliquæ domus solum.

Et in ingressu oraculi.) Habet oraculum suum ostium, per quod in illud ipsum ingressus patet. nec caret cœleste adytum suo ostio, de quo ostium ipsum: Ego sum ostium. Et de foribus quibus hoc ostium clauditur & aperitur: Hæc dicit sanctus & uerax, qui habet clauem Dauid, qui aperit, nemine claudente: & claudit, nemine aperiente.

Postesq; angulorũ quinq;.) Non una affertur

affertur hic sententia. Sunt qui in hunc modum interpretantur, fores factas cum limine supero, et postibus quinq; angulos habẽtibus. sunt item qui his uerbis explicant Hebræa uerba: Hoc hostium quintum fuisse respectu aliorum. Numerari enim atriorum, uestibuli, & ædis ostia. Sunt præterea qui אזל pro proiectura interpretantur, superum limen ultra postes tanquam appendicem ac proiecturam quinariam, hoc est quinq; angulorum prominentiam, ornatus gratia eminuisse. Nam uoce אזל appendicem significari, metaphora sumpta ab arietinis cornibus, ex capite quadragesimo et quadragesimo primo Ezechielis patet. Alij uolunt latitudinem superi luminis & postium æqualem fuisse quintæ parti ualuarum.

Et duo ostia de lignis abiegnis.) Neq; in hoc loco explicando una affertur sententia. Nam sunt qui singulas ualuas cum duæ essent, duo rotunda latera fuisse interpretãtur, atq; id indicari uerbis צלעים & גלילים. Paraphrastes pro צלעים reddit צירי, quæ uox cardines significat, indicans singulis ualuis duos cardines fuisse rotundos. Sunt alij, qui ualuas binas fuisse uolunt, quarum utræq; fores uoluerentur, atq; id esse גלילים. Non dissimiliter Græci sentiunt, qui uertunt pro גלילים ἐσχαμμώσας. Cæterum hic in uno loco צלעים, in altero קלעים, dicunt interpretes utrisq; uerbis idem significari, ꝙde & capho commutatis: sicut etiam in רצר & רקר usu uenit.

Opere quadro ad regulam.) Sunt qui in hunc modum explicant: Cherubim auro, ut palmarum & florum sculptura appareret, obductos fuisse.

Et ædificauit atrium interius.) Is locus indicat, duo atria fuisse: alterum interius, alterum exterius, sed quomodo descripta sint hæc atria, hic nõ explicatur. Apud Ezechielem duo atria exponuntur, sed ita, ut bina singuli mundi cardines habuerint, occidẽs, oriens, meridies & septentrio. Octo igitur atria quæ ædem circundarent, ædificium Ezechieli oblatum in uiso, habuit: in quibus ut sua uestibula, domunculæ, porrecturæ seu appendices, ambulationes, cœnacula cernantur, in uate illo uideris. De mystica significatione atrij in Mose quæ perpendantur, annotata sunt.

Tribus ordinibus lapidum.) De muro accipitur.

Fundata est.) fundari cœpit anno quarto regni Salomonis.

Mense Bul.) Octobri, qui מרחשון etiam dicitur. Tradunt interpretes, hunc mensem בול uocari, quòd aquarum maioris & copia terram inundans, in eo existere soleat. Nota uox מבול est.

Annos septem.) Septenarius, qui est sacratus, obseruandus hic fuerit. Est & suus septenarius ædificationi templi cœlestis destinatus, quẽ docti spiritu homines notum habent.

IN CAPVT VII.

Domum autem suam ędificauit Salomon tredecim annos.) Generatim indicare uidetur, quot annos consumpserit in regijs suis ædificijs extruendis. Horum deinceps, ut apparet, partes persequitur, initio facto à nemoroso Libani domo.

Domum saltus Libani.) A materia quam Libanus mons suppeditauit, hanc domum sic appellatam uolunt. Iosephus eam nemus Libani uocatã dicit, ὅτι οἶκος ἦν ὅλου τοῦ καλουμένου. Hanc domum inter regias Salomonis Hierosolymis ædificatas, splendore & magnificentia clarã fuisse, ipsa descriptio, et admiratio reginæ Sabæ, preciosæ item res quæ in hoc palatio repositæ fuerunt, documento sunt: porticus postremo ad illam fabricatæ, splendorem illius quoq; quantus fuerit declarant. In hac domo hæc consideranda fuerint: materia, magnitudo, figura, & luminum atq; fenestrarum inter se triplici uersu respondentium ordo. De singulis ordine.

Et quatuor deambulatoria.) Hebræus indicat, domum hanc quatuor ordinibus cedrinarum columnarum impositam fuisse.

Ligna quoq; cedrina.) interpretibus קרות sunt trabes cedrinæ, bene ad regulam dedolatæ, quæ columnis ad sustentanda tabulata incubuerunt.

Et tabulatis cedrinis uestiuit totã camerã.) Nulla de camera fit mentio. צלעים sunt קרות, id est trabes, de quibus iam facta mentio est: Tabulatum cedrinum trabibus fuisse impositum. Quæ quadraginta quinq; columnis singulorum ordinum quindenis incumbebãt. Descriptio sic habet: Sint a b c d quatuor columnarũ ordines, a e longitudo centum cubitorum, a d latitudo quinquaginta. His columnis imponebantur trabes transuersæ ab a ad b, & à b ad c, & à c ad d. Trabibus uerò imponebantur tabulata, quæ de columnis tres ordines, hoc est quadraginta quinq; columnas occupabant, uacante spacio quarto, quod cedris non erat tectum.

Et eregione se respiciẽtes.) שקפים de fenestris interpretantur, quarum triplex fue-

rit ordo. In quo triplici uersu inter se respondebant, foribus cum postibus quadratam formam habentibus. Itaq; feneſtræ quæ hic deſcribuntur, eo ordine fuerunt, ut linea de media quauis ſummi ordinis demiſſa, duas duorũ ordinum inferiorum feneſtras per medium ſecarit.

Et porticum.) Hæc porticus columnata nemorẽſis Libani domus iam deſcriptæ fuit, ante cuius colũnas poſita fuit. quod indicat לפניהם quæ ſuis etiam columnis nitebatur.

Quinquaginta cubitorum.) Altitudo nõ oſtenditur, quã apparet regiæ parẽ fuiſſe, quæ porticus latitudinẽ cõtinebat, et eius duas tertias.

Et alteram porticum.) Interpretes de priore, nõ de noua porticu accipiũt. עב hic trabs eſt craſſior, ac coaſſatio. Similiter Paraphraſtes.

Porticum quoq; ſolij.) iudicialis tribunalis, in quo Salomon ius redderet.

A' fundamento uſq; ad ſummitatem.) id eſt, totum fundamentum, ab uno pariete uſq; ad alterum. Noſter interpres Græcos ſequitur, qui habent, ἕως τῶν γωνιαίων.

Et domuncula in qua ſedebatur.) De domo loquitur, in qua uerſabatur cubans, & conuiuia celebrans. Cuius atrium intra porticum fuit, opere ſimili porticus ſolij.

Domum quoq; fecit filij Pharaonis.) Typi hic regiæ ſedis Salomonis regis, iudicialis tribunalis porticus, regalis item domus reginæ filiæ Pharaonis, typi expendendi fuerint.

Omnia lapidibus.) Omnes has ædes extructas ex raris lapidibus, et ad normã quadratis.

A' fundamento uſq; ad ſummitatẽ parietum.) Hebræus, uſq; ad palmos, hoc eſt, uſq; ad eam partẽ parietũ, in qua prominentes lapides ad menſurã palmi trabiũ capita ſuſtentabant.

Et deſuper lapides precioſi.) Hebræus non indicat, lapides inſuper collocatos ſuper fundamentũ, fuiſſe æquales poſitis in fundamẽto lapidibus. Nam hi maiores fuerunt, ingentia ni mirum ſaxa, qualia pro more in fundamentis poni ſolent: illi minores, lapidum ad regulam quadratorum ſpeciem habentes.

Similiter de cedro.) Sentẽtia eſt, à fundamẽto lapideũ murũ cedrinis tabulis fuiſſe obtectũ.

Et atrium maius rotundũ.) domus regiæ. In Hebræo non fit mentio rotundi. Apparet quadratum fuiſſe, ut reliqua.

Et in atrio domus Domini interiori.) De quo ſuperiori cap. ppe finẽ mẽtio facta eſt.

De tribu Napthali.) Huius mater ex tribu Dania in Paralipomenis legitur fuiſſe. Quare quod legitur hic, De tribu Naphtali: id referendũ fuerit nõ ad matrem uiduam, ſed ad artificem, filiũ uiduæ, qui fuerit ex tribu Napthalienſi. At quod legitur, patrẽ fuiſſe Tyriũ, id nõ accipitur de genere, ſed ciuitatis iure, quo uſus fuit: eum ciuẽ Tyriũ fuiſſe, genere & familia Napthalienſem. Veluti ſupra legimus Obededom appellatũ Gethæũ, cum de Leuitica familia eſſet natus.

Aerarium.) In Paralipomenis legimus: Miſi ergo tibi hominem elaborandi auri, argenti, æris, ferri, lapidum, lignorum, purpuræ, hyacinthi, byſſi & cocci peritum: nec non in omni genere ſculpendi, & quoduis ingenioſum opus tractandi. Eius artis hic fit mentio, qua præcipuè uſus eſt Salomon in operibus elaborandis, quæ hic memorantur. Quæ ars, metalla tractandi ars erat.

Sapientiam & intelligentiam.) Annotant ſapientes interpretes, tria hic nominari, quibus mundus is ab artifice Deo fabricatus ſit חכמה תבונה ודעת, hoc eſt, ſapientiã, intelligentiam & ſcientiã. De quibus Salomon in Prouerbijs meminit, de ſapientia בחכמה יסד ארץ de intelligentia, בינן שמים כתכינהו de ſcientia, בדעתו נבקעו תהמות, id eſt, ſciẽtia eiuſdem fiſſæ ſunt abyſſi.

Finxit duas columnas æreas.) Hanc æris materiã, ex qua Salomon has columnas, lacum fuſilem, & baſes fecit, pater eius ex ſpolijs uicti regis Syriæ, ut id ex priore Paralipomenum capite decimo octauo patet, cõparauit. In colũnis quæ hic tractantur, hæc conſideranda fuerint: materia, magnitudo, figura, ornatus, & uſus, capitula demũ columnarũ, eorumq; magnitudo, forma & ornatus, cum myſtica ſignificatione. De ſingulis inter interpretandum meminerimus.


Decem & octo cubitorum altitudinis.) Ambæ igitur columnæ triginta ſex cubitorum altitudinẽ habuerũt. in Paralipomenis legitur columnas has formatas in altitudinẽ triginta quinq; cubitorũ: quid ergo faciemus uni cubito, qui hic ſuper eſt? Reſpondent interpretes, numerari cubitos columnarũ nõdum inſertarũ capitulis: in Paralipomenis, inſertarum immiſſurã dimidium cubitum de ſingulis occupaſſe.

Et linea duodecim cubitorũ.) Viriuſq; columnæ circuitũ duodecim cubitorũ fuiſſe. Semidimetiens igitur duorũ cubitorũ, & dimetiẽs quaternorum fuit. Quantas enim duas & uiceſimas circulus habet, tantas diametrũ habere ſeptimas. In Hieremia ſub finẽ traditur, colũnas cauas fuiſſe, neq; ære craſſiores q̃ palmum, hoc eſt, quaternos digitos.

Duo

Duo quoq; capitella fecit.) Duo capitula in modum coronæ facta.

Quinq; cubitorũ altitudinis.) Qui numerus medius denarij est, & centrum sphæræ ex denario confectæ, ut licet uidere in subiecta figura: in qua si maximo cuiq; numero tantum subtraxeris, quantum superat ipsum quinarium, atq; id minimo numero quem quinarius excedit, adiunxeris, efficietur ut utrinq; quinarius cernatur. Itaq; quoniã omnes numeri sphæræ ad quinarium referuntur, & in eum ut centrum spectant: quinarius hic non temerè usurpatur, ut medius denarij numerus & centrũ sphæræ ex denario confectæ, ad quod centrum ut omnes lineæ à circumferentia ductæ referuntur, ita ad Messiam omnes absolutionis & perfectionis, quæ quinario continentur, gradus rediguntur. Hi duo numeri quinarius & denarius cum senario, in sacrosancto nomine יהוה comprehenduntur, in iodo denario, in he quinario, & in uauo senario notato. Vt autem hoc diuinum nomen Messiæ cõgruit, ita caput hoc perplexo septem plagarum opere exornatum, & columnis coronæ ritu impositũ, eidẽ Christo (ut mox monebitur) cõpetet.



Cæterùm sub finem libri ultimi Regum legimus, capitula singula fuisse alta tres cubitos. Dicũt interpretes, tres solũ cubitos superiores fuisse cælatura operis reticulati et florũ exornatos, duos infimos nõ itẽ, atq; hos infrà in lib. 4. numeratos.

Et quasi in modum retis.) Singula capitula septenas plagas ac retia habuisse opere perplexo, florum opere catenato.

Et perfecit columnas.) perfectis colũnis, duos malorum punicorũ ordines elaboratos per circuitũ, in una plaga ad tegenda capitula imposita, fastigio uidelicet columnarum.

Quasi opere lilij.) שושן alijs rosæ sunt, capitula fuisse opere rosis florido. Rosam notari uoce שושן, declarat illud in Cantico canticorum: בשושן בין השושנים.

Erãt in porticu cubitorũ quatuor.) columnas in uestibulo templi positas fuisse, quaternos singulis in area occupantib. cubitos. Nam dimetiens columnæ tenebat quatuor cubitos, circumferentia duodenos habente. indicatur obiter situs columnarum, qui mox planius explicabitur.

Et rursus alia capitula in summitate.) Sentẽtia est: In capitulis columnis impositis, secundum uentrem qui erat contra rete, ducentorum malorum punicorũ ordines fuisse. בטן, hoc est, uenter, laxior pars est prominens in orbe. Ducentorum malorũ ordines sic accipiendi sunt, bini ordines malorum punicorũ fuerunt, singulis habentibus centena mala, ita ut in duobus capitibus accipiantur ducenta mala granata fuisse. proinde in Paralipomenis legimus: Fecit mala punica centum, & posuit ea ad catenas. Simliter Hieremias: Et mala punica erant centum in reticulato opere per circuitum.

Et statuit duas columnas.) Columnas non in tẽplo, sed in eius uestibulo collocatas fuisse. ut statum qui ingrederentur in templũ, uisis columnis sacræ ædi bene precarentur his uerbis: יכין, id est stet firma domus Dei, & det ei Deus fortitudinem & robur se aduersus hostes tuendi. hoc innuere uolunt בעז. Submota columnarum et capitulorũ umbra ac figura, occurrit columna Ecclesia, & caput eius Messias. De Ecclesia legimus: Ecclesia Dei uiui colũna & stabilimentũ ueritatis. Item apud Ioannẽ: Qui uicerit, faciã eum columnam in templo Dei mei. Legimus, columnã decem et octo cubitos altã fuisse. Octonarius, ut solidus numerus, firmitatem: denarius, continens summam numerorũ perfectionẽ columnæ Ecclesiæ demõstrauit. Quàm firmaaũt hæc sit, citatus ex Apostolo locus, et petra Messias super quẽ ædificata est, cõprobat. Perfectionẽ aũt eius declarat corporis ratio quam tenet, quæ nimirũ Christi, uniuersæ perfectionis spiritualis capitis, corpus habeatur. Si crassiciem colũnæ spectes, hanc duodenarius metitur. Qui numerus primò crescens à denario, ut fœcunditati sacratus est, ita in fœcunditatem columnæ Ecclesiæ ualde conuenit. Quod aũt duæ columnæ leguntur hic fuisse, annotatur in binario illo duplex unius columnæ Ecclesiæ status: alter crucis, alter gloriæ. Crucis conditioni nomen בעז cõpetit. Etenim is status robore & fortitudine opus habet ad uincendos grauissimos hostes, peccatũ, mortem, mundũ, & principem mundi Satanam. De qua fortitudine il-

lud:Dominus fortitudo uestra.item:Dominus fortitudo plebis suæ.Hanc fortitudinem in omnibus aduersis rebus experitur hæc columna Ecclesia, cõfitens:Diligã te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentũ meũ.Glorioso aũt statui nomen יבין,hoc est,stet firma,cõuenire,firmitas & stabilitas,quã Ecclesia translata ab his fluxis elemẽtis ad splendorẽ regni cœlestis accipiet,documento est. De quo stabili ad summã gloriã statu illud dicitur:Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate.Seminatur in ignominia,resurgit in gloria,etc.Hæc breuiter de columnis.Quantũ ad capitula attinet,occurrit deposita umbra,cõsideratio capitis Christi,quem figura sphærica in Salomonijs capitulis indicat,illũ neq; principium neq; finẽ habere,sed esse æternũ filiũ Dei. Huius sphæræ ac orbis quinarius numerus centrũ sphæræ ex denario quid significet, aliàs indicatũ est. Absolutionem spiritualem in Messia significãt septem plagæ in capitulis cælatæ.De perfectione et absolutione spirituali septenario cõprehensa, uates Iesaias cap.11.meminit.Ostendũtur etiã in hoc cap.Messia sui malorũ punicorũ ordines,qui quos fructus medicos & salutares edat,ex eodẽ illo uate Iesaia patet.Opus rosis inter crucis et afflictionum spinas fragrantibus floridum,sanctis notum est,& ex sacris literis manifestum.

Fecit q̃q; mare fusile.)apud Hebræos ים promiscuè mare & lacũ significat.Hic uas est æneũ,aquas in usum lauãdi cõtinens.Latini lacũ qd uocẽt,nõ est obscurũ.Huius uasis magnitudinem, formã,ornamẽta,boues lacũ ferẽtes,et eorũ numerũ narratio sacra accuratè,nõ sine præsignificatione earũ rerũ quæ in noui fœderis administratione cõtinentur,describit.De singulis ordine.Materia, ex qua fusilis is lacus elaboratus est, æs fuit.

Decem cubitorum à labio.) Hæc dimetientis magnitudo fuit.

Rotundũ.)figura ad capacitatẽ apta.Nulla ipsa rotunda figura capacior est, qua omnes reliquæ continentur. Duo autem sunt rotundæ figuræ præstãtia genera:ex solidis globus, ex planis circulus uel orbis.lacus is nõ integer globus fuit, sed dimidius, quẽ Iosephus ἡμισφαίριον uocat.

Quinq; cubitorum.)Quinarius is suprà expensus est,quem indicauimus globi ex denario cõfecti centrum esse.Hic igitur uterq; numerus, denarius & quinarius,usurpatur.

Et retiacula triginta cubitorũ.)Ambitus is ex dimetiente linea colligitur. Quæ si cõtinuerit denos cubitos,ambitum unum & triginta ferè continere necesse est.

Et sculptura super labium.) De uoce פקעים suprà mentio facta est,subter labrũ globos cucurbitarũ syluestriũ lacũ undiq; circũdedisse, et singulorũ cubitorũ spacio denos ornamẽti gratia huiusmodi globos fuisse.In ambitu igitur ex ipso lacu 300 huiusmodi globos cõflatos itelligimus i uno ordine:in altero,cũ duplex esset,totidẽ.

Et stabat super duodecim boues.) qui lacum sustentarent. Numerus duodenarius & boum usus,eorũq; in quatuor mundi cardines cõuersus uultus cõsideratus fuerit. Huc referẽdum erũt,quæ in Numeris de 12 bobus traditur,cap.7.

Crassitudo.) Cauus enim erat lacus, ad capiendã aquã,qua sacerdotes ad lauandũ uterẽtur.

Trium unciarũ.) palmaris erat crassicies.

Et folium repandi lilij.)Labri opus rosis floridum erat.Quale opus etiam suprà in capitulis cernitur.

Duo millia bathos.)De mensura בת suprà ex Iosepho meminimus. In Paralipomenis legitur, capacitatẽ trium milliũ batorũ fuisse.Sunt qui ita cõponunt in speciẽ dissidentes locos.In Paralipomenis de aridis fieri mentionẽ,hic de humidis.Hactenus de mystica narratione. Huius submotis typis, occurrit lacus ille cœlestis Messias benedictus,uitales & eluẽtes ueteris hominis sordes aquas cõtinens,de quibus,& eas cõtinente lacu,illud apud Ioannẽ:Ex uentre eius fluent flumina aquæ uiuæ.Similiter Zacharias:In die illa erit fons patens domui Iacob in ablutionẽ. Huc spectans diuinus spiritus apud uatem Ezechielem, mundantes has aquas cum spiritu Messiæ cõiungit:Et effundã super uos aquã mundã,et emũdabimini ab omnib.inquinamẽtis uestris.Sed quæ sunt hæ aquæ ex cœlesti lacu Messia effundendæ? Sequitur:Et spiritũ nouũ ponã in medio uestri.Quierè purgator uitiorũ spiritus est.Quò spectant cucurbitæ purgandi uim habentes,quibus cum eluentibus aquis bene cõgruit.Eódẽ pertinet labrũ odoriferis rosis respersum.Qui flagrãs odor quẽ nobis odorẽ referat,mdicat illud Apostoli: Christi odor bonus sumus Deo.Qui ex labro Messiæ per Euangeliũ longè lateq; funditur.Si boues cõsiderentur,occurrunt boues quorũ apud Ezechielẽ fit mentio,qui ut legatos Messiæ repræsentẽt, ex eodem illo uate non obscurè patet. In his bobus robur cernitur, quod mãdato à Deo muneri obeundo par sit.Boum duodenarius numerus Apostolis cõgruit,portantib.uitales Euangelij aquas in omnes orbis terrarũ fines. Quò refertur quod hic legimus,tres boues ad septẽtrionẽ, tres ad meridiẽ, tres ad orientem,tres ad occidentẽ spectasse.Hos

boues

boues aratores in diuino illo agro Ecclesia, sacrũ Euangeliũ humeris suis in terrarũ orbẽ ferentes, uates Dauid huius mysterij explicator his uerbis ostendit: In omnem terram exiuit sonus eorum.

Et fecit bases decem.) Basium quib. lauacra incumbebãt, descriptio narratur. in quibus sacra narratio quoq; materiã, magnitudinẽ, formã, ornatum & usum perpendendũ pponit. Materies æs fuit: magnitudo in longũ quatuor cubitorum, in latum totidẽ, in altũ tres patuit, quadrati speciẽ præferens. Sed in hac forma rotæ quoq; cõcludun tur, usus cernebatur in ferendis lauacris.

Et opus ipsum basiũ interrasile erat.) Hebræa uox clausulã notat. Atq hic, ut sequentia indicant, pro re suis finib. cõprehensa accipitur. hoc est, pro areolis ac spaciolis, clausulis suis circũscriptis. Quæ clausulæ ac iuncturæ in שלבים, ut ex cap. 26. Exodi patet, notantur.

Et sculpturæ inter iuncturas.) uertit מיסגר sculpturas. spaciola, ut indicatum, sunt in ter clausuras cõprehensa. Nam in his spaciolis aut areolis palmas, leones, boues, & cherubim fuisse depictas, narratio ipsa ostendit.


Similiter de super et subter leones.) Sententia est, clausulis tam suprà q̃ infra leones et boues fuisse superaddita quædã additamẽta ornatus gratia, opere depresso et simo. Germani uocãt, **lyste die kell vñ wel hand**. Cuiusmodi in opere artificiose elaborato solẽt cerni. Noster לורת uertit lora. à לורה, q. est adhærere, cõiungi, addi. מורד hic depressũ sonat qualis depressio in huiusmodi simis additamentis cernitur.

Et quatuor rotæ.) De harum arcana significatione mox mentio fiet.

Et axes ęrei.) Alij de tabulis æreis accipiũt, in quibus areolæ et picturæ leonum, boum, cherubim & palmarum fuerunt.

Et per quatuor partes quasi humeruli.) Sentẽtia est: in quatuor angulis basium humeros supter lauacrũ cõflatos cõtra additamẽta ac cymata. His humeris lauacrorũ uentres incubuerunt, qui collocati fuerunt cõtra & supra additamenta bases circundãtia. Itaq; cũ bases quatuor angulos haberẽt, hi in humerorũ modum ptumebant, ad lauacrum commodè excipiendum.

Os quoq; luteris.) Sententia est: In summa basi, ut mox patebit, capitulũ cũ esset dimidij cubiti altitudine, rotundo circuitu, supra hoc capitulũ, unũ cubitũ os lauacri patuisse, idq; opere undiq; rotundo sesqcubitale, et in ore etiã fuisse sculpturas. Quod hac sequenti figura accipitur: Esto a capitulũ basis, b lauacri sinus, c d oris lauacri altitudo sesquicubitalis. si lauacrũ capitulo imposueris, ita ut capitulũ in sinũ lauacri abdatur, os lauacri patebit supra capitulũ: hoc est, ab ea parte qua sinuatur ad accipiendũ capitulũ, cubitũ unũ in altitudinem e d, cum alioqui pateat unum cubitũ et dimidium c d. sinus enim est dimidij cubiti c e,



Et media intercolũnia quadrata.) Areolas ac spacia clausulis circumscripta, quadrata, nõ rotũda fuisse. De his suprà mentio facta est.

Quatuor aũt rotæ.) Spaciolis subfuisse quatuor rotas, quarum axes, in basibus infrà inerant.

Quales solent in curru fieri.) Hic dicunt ueteres Hebræorum, sapientes homines, Salomonem pro sapientia sua cognitam tenuisse quadrigam, qualis in uiso Ezechieli uati fuit repræsentata. In his rotis suæ axes, canthi, modioli & radij cernebantur.

Fecit quoq; decem lutẽres.) Lauacra tractat, quorũ usus exponitur in altero lib. Paralipomenum, capite 4. Hæc fabricata nimirum, in quib. lauarẽtur omnia quæ in holocausta oblaturi

erant, ut lacus fusilis lauandis sacerdotibus erat destinatus.

Quadraginta batos.) cum lacus acciperet duo millia batorum.

Eratq; quatuor cubitorum.) Ambitus eius. Nam dimetiens erat sesquicubitalis, ab ea parte qua nõ attingebatur sinus in lauacro, de quo iam meminimus. Huius dimidio cubito detracto, ambitus relinquitur quaternorũ cubitorum.

Quinq; ad dextram partem.) Quæ erat meridies, ut sequentia indicant.

Mare autem posuit.) Hoc collocatum ad orientem, qua parte ingressus in templum patebat: ut ingressuri sacerdotes in templũ, lacum cuius aquis se lauarent, in prõptu haberent. Monent interpretes, lacum cum lauacris decem collocatũ fuisse in עזרה, hoc est in atrio sacerdotũ, cuius mentio fit libro 2. Paralipomenõ, capite quarto et sexto. Hæc de lacu & decem basibus, cum earum lauacris. Submotis sciagraphiæ ueteris fœderis figuris, eadem in lauacris repræsentantur, quæ in lacu. Basium quibus incumbunt lauacra, significationem declarat basis ecclesia scriptorũ in libro uitæ: cui Christus incumbens, ab ea recipitur cum sua perfectione, hoc est, sapientia, iustitia & uita. firmum enim est illud: De plenitudine eius omnes accepimus. Quod aũt ad stabilitatem basium pertinet, legimus de Ecclesia illud Apostoli supra quoq; citatum: Quæ est Ecclesia Dei uiuentis, columna & stabilimentum ueritatis. In basibus leones, boues, cherubim, quos nobis referant, ex uate Ezechiele satis clarè patet. Nos legimus apud Apostolum de his leonibus, bobus et cherubim in basi Ecclesia descriptis: Et alios quidem Deus posuit in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò doctores. In his robur boum, fortitudo & intrepidus animus leonum, prudentia et sapientia angelorum in humana figura se declarans, et uictrix omnium palmarum uis cernitur. Demum in rotis ministerij ipsius sacri-Euangelij cursus notatur, quo aquæ lauacri Messiæ salutares in orbis terrarum fines deferuntur. Quòd uerò capitulũ in basi protumens in sinum ipsius lauacri inseritur, fit sanè id, ut intelligamus basim Ecclesiã, et eius leones, boues & cherubim extra lauacrũ Messiã nihil ualere: ministros q; salutaris lauacri, nisi sint ipsi inserti, in graue illã expostulationẽ incurrere, cuius Dauid uates memnit his uerbis: Impio aũt sic dixit Deus, Quare tu mea enarras instituta, et meũ fœdus sumis in os tuũ?

Et perfecit omne opus.) Ex sententia Dei, ne quis hæc opera quæ ad cœlestiũ rerũ exẽplaria fiebãt, de suo ingenio excogitasse Salomonem existimet. Quæ de re uideris 1. Paralip. 28.

IN CAPVT VIII.

TVnc cõgregati sunt.) iam ædificato templo. quod quoniam ædificatum erat, ut ad id cõfluerent Israelitæ ad colendum Deum, ad precandum, ad celebrãda beneficia Dei, ad sacra facienda, atq; ad accipienda diuina respõsa de gerendis rebus: hæc statim in extructo tẽplo peracta sunt, quæ sequenti narratione explicãtur. In qua primò ostenditur, ut cõgregati sint senatores qui ex Dauidis ciuitate arcã Mosẽ in templum Salomonium deferrent. Deinde, ut publicè de præsentia diuinitatis quæ in tẽplo apparuit, gratiæ actæ sint, ut per quam præsentiã significatio data esset, gratã ipsi esse à Salomone ædificatã domũ. Tertio, ut preces fusæ sint ad Deum de æde sacra conseruanda. Demum, ut dedicata sit ædes Domino, cum solenni sacrificiorum litatione.

De ciuitate Dauid.) Sione monte, qui ciuitas Dauidis uocatus est, ut ex libro superiori patet. Vt aũt Dauid de domo Obededomi arcã in Sionẽ trãstulerit, ex eodẽ illo libro manifestũ est.

In mense Ethamim.) Is septembere est, quem mensem אתנים appellatum uolunt à maturis fructibus, corpora nostra corroborãtibus, qui hoc mense colligi & recõdi solent. Paraphrastes uerò sic habet: In mense ueterũ, quem mensem primum uocarunt festum, iam aũt septimus est. Quibus uerbis declarat, mensem septembrem primum fuisse, antequam egressi fuissent Israelitæ ex Aegypto, quòd in eo mundus, ut tradũt, esset cõditus. Postea aũt q; exierũt, Martiũ primũ locũ occupasse, & septimũ septembrẽ, celebrib. festis clarum.

In solenni die,) De festo tabernaculorum tempore interpretantur. quod festum plenum hilaritate, tẽpli iam extructi dedicationi aptum erat. De quo uideris in Leuitico, cap. uicesimo tertio.

Et tabernaculum fœderis.) Loquitur de tabernaculo à Mose in Arabum solitudine ædificato: quod tum erat in Gabaõ, ut arca in Sione.

Et omnia uasa.) Accipiunt interpretes nonnulli de tabernaculo, quod tetenderat Dauid ipsi arcæ.

Ferebant ea sacerdotes & Leuitæ.) Sacerdotes quidem arcam, Leuitæ uerò tabernaculum oraculare, cum eius omni sacro instrumento. Quæ autem quibus gestanda mandata sint, in Numeris capite quarto explicatur.

Subter alas.) Horũ magnitudo, forma, materies, situs, ornatus et usus suprà exposita sunt. Dicas fortasse mirũ uideri, cur Salomõ nõ cõtentus cheru-

Cherubim quos Moses fecerat, alios extruxerit. Absurda quæstio est. Nam Salomon ea quæ fecisse legitur, nõ de sua, sed Dei sententia & uoluntate Dauidi patefacta fecit. Sic enim in priore libro Paralipomenum cap. 8 traditur: Dedit autem Dauid filio suo exẽplar porticus, eiusq; ædiculorum, &c. item: Atq; uniuersum horum operum exemplar dixit se Dauid ex ipsius Domini manus descriptione didicisse. Quòd non una ratio structuræ tabernaculi Mosæi & templi Salomonij fuit, nemo miretur. Discrimen hic inter Mosem & Salomonem, inter solitudinem Arabiæ in qua horribilis lex horribili modo in Sina monte tradita est, et montẽ Sionẽ pacifico Euangelio ex eo profecturo, perpendendum fuerit.

Expandebant alas super locum arcæ.) de uno pariete in alterum, alis suis uiginti cubitos occupantes, in quos sacrarij penitioris latitudo patebat.

Cumq; eminerent uectes.) Variant hic interpretes: alijs interpretantibus de uectibus Mosaicis, hos ita protractos, ut eorum capita ex sacrario in conspectu reliqui templi extarent: ita tamen, ne extra sacrarium apparerent. alij alios uectes longiores factos putant, pro ratione magnitudinis, quam maiorem Salomonium templum habuit quàm Mosaicum tabernaculum, quod solũ denos cubitos latum fuit, cum Salomonium uiginti latum esset. Ingredi igitur sacerdotem summum in ipsum adytum inter uectes tanquam certos limites solitum apparet: cum in illo semel ei in anno suffitus faciendus esset.

Vsq; in præsentem diem.) De quibus legimus Exodi uicesimoquinto capite וְלֹא יָסוּרוּ מִמֶּנּוּ.

In arca aũt nõ erat aliud nisi.) In epistola quæ ad Hebræos scripta extat, legimus, etiam urgam Aaronis, & urnam auream continentem mannam, in arca fuisse.

Tabulæ lapideæ.) Mysticam rationem harum tabularum aperit cognitum discrimen legis & gratiæ, Mosæ & Christi, ministerij legis & Euangelij: hoc est, eius legis de qua apud Hieremiam mentio fit: Scribã legem meam in cordibus, &c.

Quando pepigit Dominus fœdus.) uetus, quod sanguine uaccæ confirmabatur, ad terram Chananæam in hæreditatem possidendam. De quo fœdere Exodi capite 24. fit mentio. Diuersa ab hæredibus, sanguine cõfirmatore, hæreditate et conditionib. fœderis, noui fœderis ratio est.

Nebula impleuit domum.) ut etiam antea tabernaculũ replerat nubes, de qua in Numeris capite nono uideris: Die qua erectũ est tabernaculum, repleuit id nubes. De mystica significatione nubis, alias mentio facta est.

Dominus dixit ut habitaret in Nebula.) Est nebula ac caligo administrationis ueteris testamenti, quod à Mose uelato uultu administratur: cuius administratio literæ, nõ spiritus, uel nõ apertæ faciei administratio est. Cernitur item nebula in administrationis noui fœderis tempore, si referatur ad id quod olim futuri sumus. De qua caligine illud: Videmus nunc per speculũ in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quod tempus cum appetierit, habebit locum quod apud Ioannem legimus de alterius Salomonis templo: Nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius est agnus. ut ueteris Salomonis domum ueterem nubes, caligo & tenebræ replerunt.

In habitaculum tuum.) Si Salomoniũ templũ statio fuit in qua Dominus habitaret, qd ergo faciemus his Salomonis uerbis: En ipsi te cœli, cœlorũq; cœli nõ capiũt, nedum hæc à me ædificata domus. Item quid illi? In manufactis templis Deus non habitat. Fatetur quidẽ Salomon, se non posse Deo domũ construere, qua is ipse quantus sit, capiatur, in qua omnẽ suã potentiã, sapientiam, uitã & gloriã declaret atq; ostendat. Nam hoc modo neq; in cœlis, neq; in cœlorũ cœlis materiatis sic habitat, ut eũ capiãt: multo minus habitarit in aliquo templo manibus humanis elaborato, in quo cõprehendatur eius maiestas. Itaq; cum hic dicit Salomon, fabricasse se domũ Deo in qua cõmoretur, loquitur de habitatione, non cuius ambitu & cõplexu Deus concludatur, sed in qua aliquam sui fauoris præsentiã ostẽdat, & in qua puerili ætati pædagogia Mosææ legis, gubernatæ cõsentaneo cultu, colatur. Ex his igitur efficitur, tripartitam Dei domũ esse: Mundũ hunc, Salomoniũ templum, & huic ex altera parte respondentem ædem, quã submota figura Deus spiritu suæ sapiẽtiæ, iustitiæ, uitæ et gloriæ repleat. Si mundũ cõsideres, in hoc pro ratione creatæ perfectionis habitat: ueluti in stirpibus, pro modo creatæ uitæ quæ in crescendi et alendi facultate cernitur: in animantibus, cõmunicationis eius uitæ beneficio quæ in sensu et motu spectatur in ratione autem prædita natura, cum in ea munera dispensat quæ ratio & intelligentia continet. In cæteris aũt rebus omnibus, ut sunt rerũ elementa, & ipsæ cœlestes machinæ, uersatur pro cuiusq; accepta ab ipso perfectione. sed ea cum cõdita & creata sit,

nulla

nulla sic capit Deũ, ut eum cõcludat ac circũscribat. In templo Salomonio ut habitet, iam indicatum est. Tertium templum restat, in quo Deus ita commoratur, ut ab eo totus quantus est comprehendatur, & in quo non pro ratione creatæ perfectionis uersetur, sed ea ratione qua illa nobilitas & absolutio creata natura nõ est. Vt cum dicitur Deus sapientiæ, uitæ & iusticiæ suæ spiritu in aliquo habitare. Sic Deus in Christo, eteius corpore ecclesia habitat. In Christo quidẽ, ut capite uniuersæ perfectionis spiritualis. in corpore ecclesia uerò, ut cõplemento eius diuinæ perfectionis, quæ tota et omnib. numeris diuinitatis absoluta in Messia residet. Itaq; de Christo legimus: In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. De ecclesia uerò: Vos templum Dei estis uiuẽtis. in quo Deus non ut in reliquo mundo communicatione creatæ perfectionis, nõ ut in mystica domo Salomonis declaratione beneuolentiæ suæ habitat, sed ea habitandi uersandiq; ratione, de qua Petrus admonet: Vos estis cõsortes diuinæ naturæ. item: Spiritus Dei habitat in uobis: uos diuina sapientia, quæ creatura non sit, sapientes: uos diuina uita, quæ creata natura non sit, uiuos: uos diuina iusticia, quæ Dei iusticia sit, iustos: uos diuina fortitudine, de qua Dauid loquitur (Deus fortitudo mea est) fortes reddens.

In sempiternum.) non in Nobe, non in Gilgal, non in Gabaon, sed in hoc loco, à te selecto, qui mõs Moria est. Hæc igitur domus firma est, primò à loco in quo constructa est, qui sacer mons Sion est: deinde à fundamento ex saxis quadratis de Libano monte adductis, confecto: tertio à uerbo Dei, quo iussa est hæc domus ædificari: demum à promissis diuinis, quibus pollicitus est Deus se in illa uersaturum. Atqui typis submotis, in quo mõte Sione, in quo fundamẽto, super quod cœleste templum ædificatur, & in quibus promissis ueritas sit, iam indicatum est.

Conuertitq; faciem suam.) ad astantem cœtum Israelitarum, ut ei bene precaretur. formula precationis hic non explicatur.

Et ait Salomõ, Benedictus Dominus.) Gratias agit, deprædicans Dominum iam ædificata æde, qui promissa facta patri Dauidi præstitisset, ex prædictione Mosæ. Sic enim in Exodo legimus, capite decimoquinto: Introduces eos & conseres in monte hæreditatis tuæ. item Deuteronomij capite duodecimo: Sed ad locum quem elegerit Dominus Deus uester de cunctis tribubus uestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo.

Vt esset nomen meum ibi.) cultus nominis mei, & præsentia diuinitatis meæ, se ibi declarantis benefaciendo Israelitis meis.

Stetit autem ante altare.) ante æreã holocaustorum aram, in atrio sacerdotum extra uestibulum templi collocatam. In Paralipomenis legimus, à Salomone æream aram, longam uiginti cubitos, totidemq; latam, & decem altam, ædificatam. Sic enim legitur libro altero, capite quarto: Fecit quoq; altare æneum uiginti cubitorum longitudinis, & uiginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis. In eodem libro traditur, Salomonem super lauacrum æneum in medio atrio collocatum, precantem adstitisse: quod erat quinq; cubitos longum, totidem latum, & tres altum.

Domine.) Hortationem locis fidei & facultatis instructam adducit. Expendenda in locis nomina diuina יהוה & אל.

Deus Israel.) Ex fœdere, quo æquum sit Deum suos iuuare temporibus angustis & difficilibus.

Non est similis tui.) A facili, qui possis iuuare. Amplificat potentiam diuinam per comparationem. Vnam diuinã potentiam Dei, quem Israelitæ colunt, infernè & supernè in omnia pertinere, cui nulla par sit potestas. Tanto magis arrogantia illius est condemnanda, qui audet dicere: In cœlum ascendam, & supra astra cœli collocabo solium meum, similis ero altissimo. Qui non cum Salomone confitetur: Non est similis tui.

Qui custodis pactum.) A fide commendatio. In uerbo שמר notatur, Deum uelut inter thesauros fœderis sui cum maioribus Israelitarum miti fidem reponere, quam posteris illorũ integram declaret. Hinc illud Apostoli: Secũdum electionem autem dilecti propter patres. Conuenit igitur uerbum שמר, electionis fœderisq; diuini firmitati ac diuturnitati.

Seruis tuis qui ambulant.) Notantur conditiones fœderis, quæ sunt, Deum seruare quæ promiserit, Israelitis consentaneam fœderi uitam degentibus. De hac conditione uideris in Exodo capite uicesimoquarto, Leuitici uicesimo sexto. Si quis percunctetur hic, unde uim accipiant Israelitæ, congruenter se fœderi diuino gerendi: uis explicatur Deuteronomij tricesimo capite, & Hieremiæ 31.

In toto corde suo.) pro modo spiritus, quem ætas puerilis habet, si legis statum spectes sub pædagogo Mose: Et pro modo spiritus adoptionis, quem ætas adultior tenet, in administratione

tione noui fœderis Meßia patefacto. Cæterùm ut impleatur lex hæc, Ama Deũ toto corde: & quid ſit, Chriſtum finem & profectionem legis eſſe omni credenti, ea de re alio loco mentio facta eſt.

Ergo 'ne putandum eſt quòd Deus uere.) Per occupationem tacitæ obiectioni occurrit, quæ ſuprà diſſoluta eſt.

Et cœli cœlorum.) Indicat hac locutione, inter cœlos ſuum ordinem eſſe. Nam eſt cœlũ nobis uicinũ, ut eſt is aer terræ & nobis circumfuſus, uolucrum, nubium & pluuiarum ſedes. Eſt item cœlum ſtellis & ſiderib. inſigne. Et hoc cœlum ſuas quoq; partes habet pro ratione ſiderum errantium, & in certa ſede defixorum. Et alios quoq; ſtellato cœlo ſuperiores cœlos, ſapientes uiri ſtatuũt. Eſt demum cœlum ſplendore lucis inacceſſæ Dei illuſtre, de quo hic non ſit mentio.

Vt ſint oculi tui aperti.) per miſericordiam, non clauſi per iram. Oculorũ apertorum nomine notatur cura, prouidentia, protectioq; diuina: Oculi Domini ſuper iuſtos, et aures eius in preces eorum. Salomon legitur precari hic Deum, qui uelit domum à ſe conſtructam tueri, & in ea ſuorum Iſraelitarum preces exaudire. Vt Salomõ noſter Meßias benedictus patrem precetur, qui præſidio & ope ſua ſacram à ſe ædificatam ædem Eccleſiam electorum, & ſanguine ſuo charo redẽptam dignetur defendere, declarat illa oratio: Pater ſancte ſerua eos per nomen tuum, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos. Ioan. 17. Salomon in precatione ſua oſtendit, ſubmota myſtici templi figura, extra Eccleſiã ſpirituale Dei templum, nullum uerum Dei cultum, nullumq; exaudiendæ orationi à Deo locum eſſe: ſicut extra ædem Salomoniã non fuit locus, in quo ferret Deus ſe coli & adorari.

Et erit nomen meum ibi.) De quo his uerbis in Deutero. Quem elegerit Deus ueſter, ut ſit nomẽ eius in eo. itẽ ſuprà ſecundo Regum: Aedificabit domum nomini meo.

Si peccauerit.) Generi uniuerſo precationis, ſubiunguntur formæ rerum petẽdarum. primò hic cognoſcendum erit, quale delicti genus ſit, de quo uindicando preces ad Deum fiunt: deinde cur, ut id ulciſcatur Deus, oretur: demũ Moſaica lex de iuramentis inſpicienda fuerit, quando & quibus in rebus iuſiurandum deferri ſolitum ſit. Intelligitur hic, delinquere quempiam in alterum, ſi interpoſito iureiurando fraudulentè negarit ſe habere quæ habet, aut feciſſe quæ fecit, aut non feciſſe quæ debuit facere. Hic quoniam in utramq; legis diuinæ tabulam committitur, diuino nomine in uanum uſurpato, & altero bonis ſuis contra legem (Ne furator) defraudato, ut tale crimẽ uindicet Deus, iure fit ſupplicatio. Nam Deus qui ſolus cordium explorator eſt, occulta huiuſmodi ſcelera punire poteſt. In quibus autem rebus ſolita ſint iuramenta deferri & interponi, uideris in Exodo cap. 22. & quãtum crimen ſit periuriũ, legito in Leuitico cap. 6. ubi quomodo etiã cõſcius falſi iuramenti ab altero facti, & à ſe non indicati, ſceleris condemnetur, Moſes oſtendit.

Coram altari.) ante aram uictimariam.

Tu exaudi de cœlo.) Non accipitur hic aſpectabile & creatum cœlum, ſed inaſpectabile, néue loco, néue tempore definitum. In quo lux diuinæ ſapientiæ, iuſticiæ & uitæ fulget, angelos & pios in terra homines ciues habens. Quoniam autem cœlum aſpectabile propter puritatem & ſplendorem ſimile quadam ex parte eſt huic diuino cœlo, illuſtre ſideribus cœlum Dei ſedes, & terra ſcabellum eius, propter impuritatem, feculentiam & obſcuritatem, appellatur.

Condemnans impium.) irrogata in eũ pœna, quæ coram ſancto populo declaret, per iuria & fraudes in alterũ intentatas, impunitas te uindice non relinqui: cum putent ſcelebroſi homines æquè ſua ſcelera ſe te celare poſſe, atq; homines: quo crimine nullum execrabilius. Nam eo adimitur Deo ſapientia, qui non omnia intelligat, cuiusq; oculus nõ omnia ſupernè & infernè perluſtret. adimitur item iuſticia, qui ad improbitatẽ improborum conniueat, neq; eam puniat: quod eſt Deum iniquum iudicem confiteri, qui iuſti uindicis titulum ſibi uendicat: Deus iuſtus iudex. Tanti criminis atrocitate commotus Salomon, hanc precationem ad Deum ſtatim à principio dirigit.

Reddens uiam ſuam.) Retalionis & præmij rependendi phraſis eſt. Dicat hic aliquis, Cum charitas ſit perfectio legis, cur Salomon potius orat, ut Deus ultionem ſumat de improbis, quàm ut eorum miſereatur: quem cogноſceret ad miſerendum propenſiorem eſſe, quàm ad ulciſcendum? amor ac charitas, qua alter diligitur, ea charitate gubernatur, qua Deus ſupra omnia amatur: ut præcepta primæ tabulæ alterius tabulæ leges & præcepta moderantur. Itaq; ſi gloria nominis diuini, ſi reip. ſalus agitur, priuatorũ hominum amor poſtponitur Dei & Eccleſiæ dilectioni. ut ex hoc à Salomone propoſito exemplo & alijs diſcere licet.

Super caput eius.) quia caput, ut ſedes mentis, principatum inter membra tenet. ſolent

omnia tum bona tum mala cum imprecatione reijci in caput. Sic in Psalm. 7. Cõuertatur dolor eius in caput eius. Si bona spectes, deprimus in Deuteronomio, capite 33. Benedictio illius qui apparuit in rubo, ueniat super caput Iosephi.

Iustificansq; iustum.) Iustificare, pro absoluere innocentẽ, crimine ac culpa liberare: hoc est, palàm probare eum iniustè in ius uocatum. cõtrà quàm faciunt iniusti iudices, qui sontes sæpe absoluunt, insontes condemnant. in quos hæc Salomonis sententia dicitur: Qui absoluit sontẽ, & qui condemnat insontem, uterq; apud Deum detestabilis est. Hæc ratio iustificandi etiam in priuatis iudicijs cernitur. Sic enim legimus de pharisæo apud Lucam cap. 10. ut se iustificarit, hoc est pro iusto uenditarit. itẽ apud eundem Lucam cap. 16. Ait illis Iesus, Vos estis qui iustificatis uos coram hominibus: hoc est, pro iustis, cũ iniusti sitis, uos ostentatis. In contrario uerbo רשׁע similis phrasis est. ut autem uerbum iustificare accipiatur, ubi tractatur causa iustificationis impiorum per fidem, ea de re alio loco mentio facta est, in Genesi cap. 15.

Et tribuens ei secundum iusticiam suam.) Retributio præmij secundum gratiam, non meriti secundum debitum accipitur. Et ut duplex est iusticia, legis ac ciuilis, fidei & diuina: ita duplex ratio præmij est, quod iustis repẽditur. Sed de hac re quoq; alias meminimus.

Si fugerit populus tuus.) In hac precatione primò indicatur, Dei æquo iudicio bella excitari, quib. Israelitarum delicta puniantur. Deinde, bella immitti tanquam materiam resipiscendi, atq; ad Deum redeũdi scelerum pœnitentia suscepta, ad amplificandum nomen diuinum. Qui finis est malorum, quib. improbi afficiuntur. Atq; in his duobus iusticia & bonitas Dei declaratur. iusticia quidem, qui in delicta ut iustus iudex animaduertat: bonitas autem, qui pœnam in bonũ exitum arbitra pœnitentia conuertat, ut pœna pœnæ natura deposita, medicinæ naturam accipiat.

Et confitentes nomini tuo.) In uerbo celebrandi הודה innuitur, eam pœnitentiã Deo gratam esse, in qua fide & spe suscepta, Dei bonitas prædicatur, non per desperationem ueniæ negatur. Qualis Cain pœnitẽtia, Sauli et Iudæ fuit. in הודה etiã notatur confessio culpæ, quæ nisi ad sacram ædem fiat, eius nulla sit futura remissio. Demum indicatur, Deum pariter in aduersis & prosperis rebus celebrandum esse, ut fecit Dauid cum diceret: Bonum est mihi quòd humiliasti me Domine. ut fecit item Iobus: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen eius benedictum. Beati qui in hac sui abnegatione in templo Dei, hoc est in Ecclesia sanctorum, nomen diuinum, confitentes peccata sua, celebrant.

Et remitte peccata.) Remissionẽ peccatorum non meritis humanis, non ullis factis, sed supplici precatione per fidem facta, conciliari, intercedente illius merito, de quo uates: Attritus est propter scelera nostra.

Populi tui.) Ex fœderis cum eo iniit iure, cuius te pœnitere non possit.

Quam dedisti patribus eorum.) quam possiderent ad te sanctè colendum: non apud exteras gentes uiuerent, ad nomen tuum dehonestandum.

Si clausum fuerit cœlũ.) Recensentur aliæ ex lege calamitates, quas Moses minatus est Israelitis rebellionem meditantibus. Claudi dicitur cœlum, cum ab eo tẽpestiuæ pluuiæ negantur: ut contrà aperitur, cum eas exhibet. Loquitur hic de cœlo nubium sede.

Propter peccata eorum.) Horribilis peccatorũ uis ostẽditur, quæ cœlum æreum & terrã ferream incolis ipsius reddat. contrà salutaris iusticia declaratur, quæ cœlum & terram & totam hanc uniuersitatem rerum homini commodam efficiat.

Et conuersi fuerint propter afflictionem.) Locus de usu afflictionum.

Et ostende eis.) per lumen tuum, de quo pater Dauid: In lumine tuo uidebimus lumen.

Viam bonam.) De qua lumen ipsum: Ego sum uia. in qua qui uersantur, hostes uincunt, cœlum apertum sentiunt: fame, peste, & uarijs cladibus liberãtur. Sed quas clades omnes afferat peccatũ, cuius quamuis horrenda uis sit claudere cœlum hoc aspectabile ne pluat, longè tamen sæuior eius tyrannis est claudere cœlum inaspectabile diuinæ gratiæ, ne fauoris & beneuolentiæ pluuiam pluat, quam continet uerbum sacri Euangelij. de qua pluuia illud uatis: Præcipiã nubibus ne pluant pluuiam.

Exaudi eos.) Vsus orationis & pœnitentiæ. Seruandus hic ordo fuerit: peccatum, clades, deprecatio cum pœnitẽtia, exauditio de cœlo.

Fames si oborta fuerit.) Famis hic meminit, qui meminisset clausi cœli, cum quo fames & rerum penuria cõiuncta est. Etiam alijs ex rebus, quàm ex clauso cœlo, accidit fames, & rerũ penuria: nimirum ex hostiũ populantiũ incursionib. ex uredine, carbũculis, locustis, & erucis, de quibus Salomon in hac sua precatione meminit.

Aut

Aut ntia.) Meminit peſtis, quæ famem & cladem ellicam comitari ſolet. דבר proprie in ſacra lingua ſermo eſt, & ratio, atq; reſipſæ ratione & uerbo cõſtitutæ. Per ἀντίφρασιν igitur, pro peſte & lue res bene conſtitutas corrumpente ſumitur. Peſtem Moſes his uerbis ſceleratis minatur: Infeſtabit uos Dominus peſte.

Aut corruptus aer.) שדפון uredo eſt, der brẽner. In frugibus rubigo ſeu ærugo, in uitibus carbunculus eſt. Eſt & ſideratio morbus arborum, afflatarum ſidere, quæ præcipuè fit ſub ortum canis, cum arbores, præſertim nouellæ, & ſurculi per imbecillitatem ſiccata tellure calore nimio, humorem trahere nequeunt. Et huiuſmodi ſtirpes ſidere affectas Græci uocãt ἀνθρακωθείσας, hoc eſt ſideratas. Pro שדפון Græci reddũt ἐμπυρισμόν, Hebrææ uocis uim propius exprimentes.

Aut ęrugo.) Præmiſſo genere uredinis, ſpecies ſubiungitur. quæ rubigo aut ærugo eſt, quam ירקון uoce per ἀντίφρασιν ſignificari uolunt. Nam ירק propriè uiror eſt: cui contraria eſt rubigo, qua uirentes ſpicæ marcent, & in pulueremarentem confriatiles fiunt.

Aut locuſtę.) De locuſtarum partu, ouis, fœtu numeroſo, magnitudine, clade qua fruges afficiunt, omnia erodentes, uideris apud ſcriptores rerum. Inter mala quæ in ſacris literis intentãtur ſceleratis, crebrò memorantur locuſtæ. His etiã rebellis Aegyptus punita fuit. Moſes inter diras quas imprecatur criminoſis, numerat etiam locuſtas, cum in Deuteronomio ait, locuſtarum calamitate omnia conſumenda eſſe. Hebræis à copia & multitudine locuſtæ ארבה appellãtur. Nam tanto numero & ui ingruere traduntur, ut ſolem obumbrare uideantur.

Vel rubigo.) in חסיל erucæ notantur, animal dirum. frondem arrodunt, aliæ florem, de paſtam arborem turpi facie relinquunt. Naſcitur hoc malum tempore humido & lento. Hebræi animanti huic noxio nomen dant à uaſtãdo, quòd omnia uaſtet ac perdat.

Si quis cognouerit plagam cordis ſui.) Apparet, hac phraſi uulnus cordis bene cõtriti & deiecti per pœnitẽtiam indicari. Sunt qui de abdita & occulta infirmitate interpretantur: Omnis te precans, ſiue abditis ſiue apertis malis uexetur, exaudiatur. Animorum enim cruciatus & cõſcientiæ uulnera longè grauiora ſunt malis, quibus corpora infeſtantur.

Quia tu noſti ſolus cor hominis.) ut occultis eius morbis medeare, & cuiq; pro animi ſui cogitationibus rependas. Quarum tu ſolus ſcrutator es, & rimator. Hanc ſententiã alijs uerbis in Prouerbijs effert: Lucerna, hoc eſt, perſpicuus eſt ſpiritus hominis, Deo omnia intima uiſcera perſcrutanti.

Vt timeant te.) ſanctè te colant, caſtigati in melius, & à te exauditi. Exponitur & crucis & beneficiorum Dei uſus. illa ſollicitamur, ut ad meliorẽ frugem redeamus: his incitamur, ut Deũ colamus fide & amore, à quo nos in deſperationẽ adactos ſeueritas iudicij diuini abalienaret. Hæc Dei bonitas in ueteris fœderis diſpenſatione pro ratione puerilis ætatis & infirmæ, declarabatur & accipiebatur fide, & amore illi ætati conſentaneo, ſub ſpe olim patefaciendi Meſſiæ. in noui autem fœderis adminiſtratione benignitas Dei patris in morte filij, & eius excitatione ad uitã manifeſtatur, & per fidei ſpiritũ agnoſcitur, de quo Apoſtolus: Accepiſtis ſpiritum adoptionis. In quo cultus Dei ſine obſeruatione rerum externarum, & templi manibus humanis elaborati peragitur, de quo Meſſias cœleſtis Salomon his uerbis: Mulier crede mihi, uenit hora, etiam eſt, quando neq; in monte, neq; Hieroſolymis adorabitis patrẽ: ſed uenit hora, & nunc eſt, quãdo ueri adoratores adorabunt patrem ſpiritu ac ueritate.

Inſuper & alienigena.) Etiam gentes habere partem in templo Dei. Præluditur igitur myſticè hic uocationi gentiũ, quæ tempore manifeſtati Meſſiæ locũ inuenturæ eſſent in Hieroſolyma ſanctorum cœleſti, cœleſtis Salomonis tẽplo. Huc pertinet illud Apoſtoli, myſticũ hunc locum explicantis: Sed eſtis ciues ſanctorũ, & domeſtici Dei, ſuperſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto, in quo omnis ædificatio cõſtructa creſcit in templum ſanctũ, in Domino, in quo & uos ædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu ſancto. Itaq; cum legimus hic, gentibus à rep. Iſraelitica alienis fas quoq; fuiſſe ad Salomonis templum precandi Deum gratia accedere, tenuis hic umbra oſtenditur ſocietatis gentium cum Iſraelitis in cultu Dei. ueritas reducto uelo cernitur in ea ſocietate, qua gentes cum Iſraelitis coniungendas his uerbis uates Ieſaias prædixit: In poſtremis temporibus erit præparatus mons domus Domini in uertice montium, & fluent ad eum omnes gentes.

Nomen tuum magnum.) tot ſapientiæ bonitatis & admirabilis potentiæ operibus declaratum in cœlo & in terra. Quod etiam gentes latère non poteſt, teſtimonium tanti nominis

in animis suis scriptum gerentes. Ad quod testimonium si accesserit spiritus timoris, principium sapientiæ, nulli gẽti sub sole negatus, accidit id quod Petrus cõfirmat in Actis: Nunc scio, quòd in quauis gente qui timet ipsum, gratus est illi. Hic nullius populi habetur respectus.

Tu exaudies in cœlo.) Quamuis neq; secundum carnem Israelita sit, neq; circũcisionis fœdere contineatur. Locus admonet, fauorem ac beneuolentiam Dei ad nullam externã néue gentis, néue signorum, néue sexus obseruationem alligari, sed eum omnia hæc antecedere. Quanto minus in nouo fœdere huiusmodi obseruatio locum habet, in quo legimus, neq; Iudæum, neq; Græcũ, neq; Barbarum esse quicquã, sed nouã creaturam Messiæ spiritu regenitã, qui extra omnẽ attributorũ personarũ & rerũ obseruationẽ est positus.

Et contra domum.) Locus indicat, etiã eos qui extra templum uersabantur, solitos in precando contra ædem se cõuertere. Exemplum in Daniele habes, cap. 6.

Et facies iudicium eorum.) uindicta de hostibus sumpta.

Non enim est homo qui non peccet.) Salomon neminem de ueteris Adami sobole peccato & culpa liberat. Similem sententiam in Prouerbijs extulit: Quis se mẽte mundum, quis purum se à peccato dicat? Dicas, Quid ergo facies illi apud Ioannem: Et nõ potest peccare, quia ex Deo natus est. Si distinxeris duos homines, quorũ alter uetus est, alter nouus, nodum solues.

Et iratus.) Non more hostis, sed patris liberos suos castigantis: non ut pereant, sed ut seruentur, ad se per pœnitentiam reuertentes. ueluti suprà legimus: Ero ei pro patre, & ipse mihi pro filio erit: & si quid deliquerit, ego eũ humana uirga castigabo. Quod de Salomone dicitur, id etiã in selectã gentem conuenit. Legimus hic, offendi Deũ suorũ delictis. Stat enim hæc sententia: Neq; enim Deus is est cui placeat improbitas. Et quàm ei displiceat pœna, cuius mentio sequitur, indicat.

Tradideris eos inimicis.) Ex Mosæo uaticinio, de quo in Leuitico & Deuteronomio.

Prope.) ut erant Moabitæ, Ammonitæ, Amalechitæ, Syri & Palæstini.

Vel longè.) ut erant Babylonij, & his remotiores Græci & Romani: ad quos, captiuos ducendos Israelitas prædixerat etiam antea Moses, & posteris temporibus reliqui uates.

Et conuersi.) Sed cuius ui? spiritus sanè sancti, pœnitentiam molientis, ui, non humana. Hinc Hieremias: Conuerte me, & conuertar: cap. 31.

Peccauimus.) Incrementum hoc aptum est confitentibus peccata sua. Leuius est חטאת grauius עון, grauissimum רשע.

Et ciuitatis quam elegisti.) ut Danielem, cũ exul esset Babylone, Hierosolymã & templum uersus precatum legimus.

Et propitiaberis.) pro natura tua, qua ad misericordiam tribuendam propensus es, & ad iram tardus, ut ipse de te fateris ad Mosem his uerbis: Dominus misericors & exorabilis, ad iram tardus, ad clementiam propensus.

Populus enim tuus.) tibi fœdere iunctus. Ab æquo.

Quos eduxisti de terra Aegypti.) ut eos in posterum seruares, non perderes.

De medio fornacis ferreæ.) in qua tanquam aurum ad ignem probarentur, nõ ut scoria consumerentur. Nam כור fornax est conflatoria, ex testis confecta, in qua aurum & argentum à scorijs expurgantur. Additur augendi gratia Ferreæ. Vas in quo purgantur filij Dei, bipartitum est: alterum mundus is, in quo uarijs tentationibus igni afflictionum probantur animi sanctorum: alterum, corpus est, in quo tanquam in uase conflatoris purgantur animi igneo Christi spiritu, de quo Apostolus: Ipse uero saluus fiet, sed sic tanquam per ignem.

Ab uniuersis populis.) ut eos in terra sua conseruares, non in hostili deleres.

Vtrumq; enim genu in terram fixerat.) Legitur hic flexis genibus & passis manibus preces & supplicationem suam Salomõ ad Deum fecisse. Passæ quidem cœlum uersus manus indicabãt, omne bonum supernè ad nos proficisci: genuũ aũt flexio declarabat, Dei imperio omnia subiecta esse. At uerò quærat hic aliquis, an ne in omni precatione necesse sit genua Deo flectere? Ad explicandam quæstionẽ paulo altius erit nobis repetẽda expositio cultus Dei, hunc uidelicet duplicem esse: alterum uerum, alterũ simulatum. hunc fide & amore Dei carere, qui hypocritarũ cultus est: illum fide & amore Dei cõstare, qui uerè colentiũ Deũ cultus est, præceptus Decalogi lege, & spiritu Christi perficiẽdus. Is partim internus est, partim externus. interior in precibus, ac supplicationibus tum pro nobis, tum pro alijs ad Deum, in gratiarum item actione de beneficijs ab eo in nos collatis, exercetur. Atque is cultus perpetuus est, locis & temporibus minimè alligatus. Nunquam enim non occurrit occasio preces fundẽdi ad Deum, tot hostibus nos infestãtib. nunquã non exornãdi Dei munera laudib. et gratias

tias de eis agendi materia offertur. Huc pertinent inexplicabiles illi ſpiritus diuini gemitus in nobis, quib. cœleſtis patris paternũ præſidium implorat̃, quod nobis ferat, carne, mundo, Satana & potentiſſimo aduerſario morte nos obſidẽte. De quibus gemitib. Apoſtolus his uerbis: Sed & ipſe ſpiritus ſupplicat p nobis, gemitib. ineffabilibus. Eôdem pertinet etiã illud eiuſdẽ Apoſtoli ad Theſſalonicenſes: Sine intermiſſione orate. Nã in hac militia & perpetua lucta quid aliud eſt ſanctorũ uicta, q̃ precari, laudare, & gratias agere Deo, cũ ſtudio benemerẽdi de altero? Externus uerò Dei cultus cũ interiore cõiungitur, q in auſcultãdo uerbo Dei, myſteriorum ſeu ſacramentorũ uſu, precibus publicis in piorũ cœtu, in libera Chriſti cõfeſſione aduerſus tyrannos orbis terrarũ, atq; in benefaciendo alteri cernitur. In hoc externo cultu cõtinetur etiã adoratio illa, quæ fide per corporis inclinationẽ et genuũ flexionem ad omnem humilitatem & ſummiſſionẽ erga Deum in filio Chriſto in omnia imperiũ habentẽ, cõficitur. Hunc cultum ſemper ab origine mũdi in uetere & nouo fœdere fuiſſe conſtat. Atqui exterior is cultus in uniuerſum perpetuus non eſt. Nã neq; ſemper ſermoni diuino audiendo opera datur, neq; iugis eſt ſacramentorum uſus, neq; publicæ ſolenneſq; ſemper fiunt in ſanctorum cœtu ſupplicationes, neq; ſemper accidunt tempora quib. neceſſe ſit coram tyrannis conſtanter cum periculo uitæ profiteri Chriſtum: & quod ad benefacta & beneficia attinet, hæc nõ aliter in alterũ conferuntur, q̃ prout fidei lumẽ, quod diuinæ ſapiẽtiæ et prudẽtiæ lumẽ eſt, monuerit eſſe conferenda. Itaq; hæc neq; temporibus, neq; locis, neq; perſonis, alligata ſunt, ſed ex ſacri ſpiritus prælcripto atq; ſentẽtia dantur. Etenim fidei lux, ſacra illa in pectorib. noſtris lucens fax eſt, qua nobis prælucente, quantũ, quatenus, quib. et quãdo benefaciendũ ſit, docemur. Nõ refero hic, interdũ contingere, ut malefaciendum ſit alteri potius q̃ bene: ut documẽto ſunt ſanctorũ preces, quib. impij deuouentur, & diris exagitantur, ut nõnulli à Dauide Pſalmi cõpoſiti teſtãtur. Nã ita diligendus eſt proximus, & ita de eo bene merẽdũ eſt, ut dilectionẽ atq; amorẽ gubernet amor Dei, cui omnia in creatis reb. ſunt poſthabenda. Idem iudiciũ eſt de רשתחוה, id eſt, de corporis illa inclinatione, et genuũ flexione. Hæc aliud præceptũ non habet, q̃ quatenus ſpiritus ſacri in nobis habitãtis impulſione imponitur, q ſe tẽporibus & locis ad ædificandã eccleſiã, & ad amplificãdũ nomẽ Dei per hãc deiectionẽ ſui accõmodat. Nãq; hæc adoratio corporis geſtu peracta, in ueteris fœderis adminiſtratione pp etua fuit orãtibus, quorũ interior oratio aſſidua fuit, hæc corporis inclinatio aſſidua nõ fuit. Nã leguntur interdum ſtãtes, interdũ ſedentes, nõnunquã cubantes, nonnunquã alium corporis habitũ præſeferentes oraſſe. Quantũ uerò ad nouum fœdus attinet, talis proclinandi corpus, flectendiq; genua geſtus, ut quoq; perpetuus nõ ſit, ſatis cõſtat. Sed regitur is ex diuini ſpiritus præſcripto, q quoties & quando & quo loco is cultus corporis deiectione peragatur, mõſtrauerit. Nã hunc cultũ diuinum etiam eſſe, Deoq; probari, ſanctorũ exempla ſatis clarè demonſtrãt. Qui cultus, ab eo Dei cultu q ſpiritu et ueritate cõſtat, nõ excluditur, ſed includitur, ut in ipſa fide benefacta ui quadã et poteſtate includãtur, quæ impulſu et inſtinctu fidei in loco & tẽpore edãtur. Is igitur cultus exterior in alijs frequentior eſt, pro ſpiritus diuini impetu et ardore: in alijs remiſſior, pro eiuſdem ſpiritus remiſſione. Itaq; perpendãt pij cauſas ſuæ remiſſionis, & orẽt Dominum q ardentẽ ſpiritum in ipſorum pectore excitet, quo accenſi ad amplificationem nominis Dei, obedientiã per demiſſionẽ ſui animo & corpore ſuis locis & temporib. fide deſignatis exerceãt. ut in toto homine ſignificatio detur Chriſtũ cœli & terræ & inferorũ Dominũ eſſe, cui cuncta in hac rerũ uniuerſitate genua flectãt. Quod cum fit, à nobis præſtatur illud: Extollite Dominum Deum noſtrũ, et incuruate uos ante ſcabellũ pedũ eius. Hãc ſententiã Apoſtolus in ea epiſtola quã ad Philippẽſes ſcripſit, explicat, ubi cõfirmat, elatum Chriſtũ in ſublimitatẽ, & donatum illi nomen quod ſit ſuper omne nomẽ, ut in nomine Ieſu omne genu cœleſtiũ, terreſtriũ & inferorũ ſe flectat, omniſq; lingua cõfiteatur Ieſum Chriſtũ Dominum eſſe, ad gloriã Dei patris. Si quis igitur hic percũctetur, an hæc corporis incuruatio & genuum flexio præcepta ſit: huic reſpondemus, duplex eſſe genus præceptorũ: unum, eorũ quæ omnino præcepta ſunt, hoc eſt, quæ omni tẽpore ualeant ſimpliciter, ſine ulla exceptione locorum, temporum & perſonarum. Hoc modo, quæ de amore Dei & dilectione alterius præcipiuntur, in præceptis habentur. In hoc genere mandatorum Dei interior nominis diuini cultus continetur. Alterum genus præceptorum eſt, quæ quatenus ſpiritu diriguntur, ualent, qui locorum, temporum & perſonarũ in externis actionibus moderator eſt. Hac ratione cultus exterior mandatis diuinis, ut omnia externa quæ in fidei tractationem cadunt, continetur. Aptiſſima autem tempora & loca ſunt, quibus iam memoratus cul-

tus Deo præstetur, cum publicæ fiũt in cœtu sanctorum preces: domi uerò cum familia mane precatur Dominum, ut spiritum suum largiri uelit, quo duce quisq; suum munus sanctè per diẽ peragat. Similiter sub uesperam, cum cubitum itur, offert se commodum tempus flexis genibus gratias Deo agendi, de acceptis per diem beneficijs: & precandi Dominum, qui nos per noctem ab insidijs potestatum tenebrarum, & ab omni impuritate cõseruare dignetur. Quòd si quis hac demissione interdiu quoq; uti uelit interdum, ut sæpe seriò precandi & gratos nos declarandi accidunt tempora, sanctè fecerit, modò id nõ superstitione, sed spiritu monitore fiat. Quàm probetur enim Domino deiectio nostri, cuius non exigua in depresso humi corpore datur significatio, Maiestas eius, & noster miser status à uetere & terreno homine, & tã assidua atq; grauis hostiũ infestatio, satis documento est.

Benedictus Dominus.) Exordiũ precationis, à commendatione bonitatis diuinæ.

Qui dedit requiem.) Opponit requiẽ seruituti Aegyptiæ, peragrationi solitudinis Arabicæ, bellis gestis in Chananæa, cum Chananæis & uicinis gentibus.

Iuxta omnia quæ locutus est.) A' fide, quam in promissis præstandis seruarit, laus: qua unicè sanctorum salus tanquam ancora nititur. Etenim hæc tota à promissis diuinis pendet: quæ fides spectans, omnia impetrat ab eo qui promissionis fidem fallere nequit. Hic sola diuina gratia locum habet: cadit lex, cadunt facta legis, & eius iusticia: cadunt omnia humana merita, omnis naturæ conatus. Hæc omnia enim promissionis diuinæ liberalis gratia antecedit, quæ sola fide capitur, non natura, cuius fides uis non est, sed donũ sacri spiritus. Huc spectans Apostolus dicit: Nã si ex lege est hæreditas, nõ iam ex promissione. indicãs diuinam promissionem antecedere legem, & facta legis, & omnia studia humana, ne quis glorietur. Atq; hoc ipsum est quod Salomon promissionis gratiam commendãs dicit: Omnia quæ promisit, præstitit.

Non cecidit.) Tropum in לא נפל Paraphrastes sic reddit לא בטיל, id est, Non irritum factum est.

Per Mosem.) Qui, quæ tum fausta tum aduersa Israelitis essent euentura, iam antea prædixerat. Mosæ meminit, ut per quem diuina promissa cum lege exposita sint. quæ excellẽs & promissorum Dei, hoc est omnium bonorum, sed in Christo perficiendorũ, et legis pædagogi ad Christũ laus est: qui habeatur fidelis interpres: ut Dominus ipse Christus & promissorum impletor, et & legis perfector habetur.

Sit Dominus Deus noster.) Duo Dei nomina usurpantur hic: alterum naturæ est, omnia condentis, & condita conseruantis: alterum fortitudinis & potentiæ. Deum tam bonum esse natura, qui uelit iuuare & seruare: & tã fortem ac potentem, qui possit.

Sed inclinet corda nostra ad se.) Spiritu suo illa alliciens. de qua alliciente ui alter Salomon Dominus noster Iesus Christus his uerbis apud Ioannem: Nemo ad me uenit, nisi quem pater traxerit. Salomon indicat, præcedere omnem naturæ conatum & impetum Dei, incitantem impellentemq; uim, quæ nos ad obeundam legem excitet, & ad præstandam eam uires suppetat. Huc uates Hieremias spectans dicit: Conuerte me Domine, & conuertar.

Per singulos dies.) Locutio hæc דבר יום etiam in Exod. cap. 15 usurpatur.

Quia Dominus.) quẽ Israelitæ colunt.

Est Deus.) Omnia in cœlo & in terra sapienter gubernans, suosq; conseruans: non dij alieni, quos profanæ gentes colunt.

Sit quoq; cor nostrum perfectũ.) Salomon perfectionem cordis metitur ex primitijs diuini spiritus Christi, quas hic pij accipiunt: non ex illa absolutione, ad quam olim in Christo sint peruenturi. Sic Noa uir iustus & תמים uocatur: & Dauid corde שלם fuisse ergà Deũ dicitur, propter primitias sacri spiritus, quæ plus ualent apud Dominũ ad seruandũ, q̃ reliquiæ peccati in uetere homine ad perdendũ: imò minima illarũ portio in electorũ animis, omnia totius mundi delectorũ põdera superat in eo, & propter eũ, ex quo huiusmodi diuini spiritus modus dimanat, q Christus perfectio & absolutio legis est omni credẽti.

Immolabant uictimas coram Domino.) In Paralip. altero libro, cap. 7 legitur, finita Salomonis precatione, igni de cœlo demisso uictimas absumptas esse: & eo cõspecto, Israelitas demissis in terram uultibus Deum adorasse, eum celebrantes: Leuitas musicis instrumentis usos, ad prædicandas laudes Domini, quæ Dauid in eum usum fecerat. Mirum autem non fuerit, igni cœlitus delapso probatas Deo uictimas. Nam ignis quam probandi uim habeat, satis manifestum est. Sic se Dominus per ignem in rubo patefecit Mosæ. In igni probatrix cordium lex in Sina monte promulgata est. Ignis specie spiritus sanctus, unicus pectorum scrutator & explorator,

ploratur, ad eorum purificationẽ Apostolis missus legitur. Vnde intelligitur, Deũ, qui ignea atq; flammea natura est, omnia ignea ui cũ suis agere.

Et dedicauerunt.) solennib. sacrificijs & psalmis & epulis templum Deo consecrantes. Sumpta significatione in Hebræo uerbo ab institutione, qua honestis doctrinis puerorum animi initiati sapientiæ consecrantur. Sic legimus in Genesi, Abrahamũ suos חניכים habuisse. Et Salomon pueros recta uiuendi ratione instituendos esse monet, qua sapientiæ sacrẽtur atq; dedicẽtur, ubi cap. 22. Prouer. חנך uerbo utitur.

In die illa sanctificauit.) per summum sacerdotem.

Medium atrij.) ipsum רצפה, hoc est pauimentum atrij, super quod uictimas immolaret, quas nimirum non caperet ara uictimaria, quã Salomon ædificarat. Quæ, ut ex Paralipomenis patet, uiginti cubitos longa, & totidem lata, decẽq; alta fuit. Minor hac Mosaica fuit, quæ longitudinis quinos, totidem latitudinis, & altitudinis tres cubitos habuit.

Quoniam altare æreum.) Tradũt interpretes, hanc aram æream uocari, nõ quòd ex solido ære esset conflata, sed q̃ ære tecta esset. Ex præcepto enim Mosæ, eam ex integris lapidibus fuisse constructam, patet ex Deut. cap. 27.

Septem & septem diebus.) Quatuor decim dies festum duraße, & ut uolunt interpretes, septem dies consumptos in dedicãdo templo, reliquos septem in solennitate tabernaculorum. Nam huic dedicatio templi uicina erat, ut ex principio capitis huius liquet. De septem prioribus diebus in Paralip. lib. 2 his uerbis: Fecit ergo Salomon solennitatem in tempore illo, septem dies.

Et in die octauo.) potestate hoc die data, ut in sequenti recederent. Nam octauo die, ut in Paralipomenis legimus, festum עצרת ex lege Mosæa, de qua in Leuit. cap. 23 fit mentio, celebratum est. Quare uicesimotertio die mensis septimi, discesserunt quisq; domum suam, quibus discedendi potestas uicesimosecundo facta fuisset. Nam uicesimosecundo die, qui festus erat, non licebat abire.

Dauid seruo suo.) In Paralipomenis additur: Et Salomoni.

IN CAPVT IX.

Apparuit ei Dominus.) noctu per somnium. Sic enim in Paralipomenis: Apparuit ei Dominus noctu, ut suprà quoq; in Gabaon ei apparuisse legitur: Apparuit autem Dominus Salomoni, per somnium, noctu.

Exaudiui precationem tuam.) quæ per fidem amplificantem nomen Dei, & quærentem salutẽ selecti populi, facta esset. Sic enim precatus legitur: Vt celebre fiat nomẽ tuũ. item: Vt discãt oẽs nationes nomen tuũ metuere. Et quantũ ad populi salutẽ attinet, in eadem precatione est: Sint oculi tui aperti ad precationem serui tui, & populi tui. Proponitur hic exemplum rectæ orationis, & eius usus. Rectam orationẽ esse, in qua præter amplificationem nominis diuini, & salutẽ sanctorum nihil quæritur. usum autẽ in eo cerni, quòd ea per nubes ad thronum clementiæ diuinæ penetrans, impetrat quæ petuntur. Sic enim hic legimus: Exaudiui precationem tuam.

Vt ponerent nomen meum ibi.) Paraph. pro nomine, reddit diuinitatẽ שכנתי.

Oculi mei.) prouidẽtia & cura mea. Itaq; Paraphrastes רחמי שכנתי שריא ביה.

Tu quoq; si ambulaueris.) Pie sanctéq; uiuens, pedibus, hoc est affectibus & studijs tuis ad legẽ meam conformatis: qui affectus ut in pedibus notentur, declarat illud: Fere lapsus fuisset pes meus.

Coram me.) Sunt qui corã mũdo, hoc est hominib. in mundo uersantibus, rectè se gerũt, nõ item corã Deo: ut sunt hypocritæ. sunt cõtrà qui Deo probãtur, mũdo improbati: quales sunt, quos fidei cœleste lumen regit, non prudentia carnis.

Et feceris omnia.) Locutiones hæ legales sunt, puerili ætati, quam pædagogia legis moderatur, congruentes. In nouo fœdere hæ sententiæ usurpantur: Si quis crediderit in filium, si quis Euangelio fidem habuerit, saluus erit. Ad Christi & Euangelij fidem quoniã lex pædagogus erat, ideo in uetere testamento faciendæ legis tam crebrò mentio fit: in nouo uerò, fidei, qua quæ lex præcipit faciẽda, uis præstetur faciẽdi. Itaq; Apostolus de lege sic ait: Lex pædagogus fuit ad Christum. item: Antequã ueniisset fides, sub lege custodiebamur, cõclusi in eã fidem quæ patefaciẽda erat. Vbi fides accipitur pro illustri illa manifestatione, qua sub prædicationem Euãgelij promissus Christus percipitur cum donis spiritus adoptionis, de quo idem Apostolus: Vt promissionem spiritus acciperemus per fidem. item: Quoniam autem estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Quare cũ hic et in alijs locis legimus, Si feceris omnia quæ præcepi tibi: huiusmodi uerba tria nobis ad perpendẽdum proponunt. Vnum, legem requirere à nobis plenam obediẽtiam, qua Deo obediamus. alterũ, ut pareamus legi diuinæ, id in naturæ ueteris facultate

cultate ſitum non eſſe,ut Apoſtolus his uerbis indicat:Etenim quòd lex ea parte,qua imbecillis erat per carnem,hoc eſt per ueterem hominẽ corpore,ſenſu & mente conflatum, præſtare nõ poterat,&c. Tertium eſt,nobis opus eſſe ſeruatore, qui legi ſatisfaciens,nos eius damnante iure liberet,et expiato peccato ſpiritum tribuat, cuius ui legem credẽtes incipiant præſtare. De qua ui & facultate Moſes in Deut.cap.30.Hier.cap. 31.Ezech.cap.36.& poſt hos alij meminerunt. & Apoſtolus Moſæ & prophetarum fidus interpres his uerbis meminit:Vt fide acciperemus promiſſionem ſpiritus.ſed cuius ſpiritus?Spiritus ſanè Meſſiæ,qui quæ lex ut faciamus requirit,à nobis ut impleantur & fiant,præſtet.Itaq; ad iuſtificationẽ improbi,hæc ante omnia neceſſaria ſunt: Chriſti meritum & ſatisfactio,qua legi, damnatorio eius iure antiquato, ſatisfecit:alterum,merito inſontis ſanguinis in cruce fuſi,impetrata peccatorum remiſsio,demũ donatus ſpiritusſanctus neceſſarius eſt ad iuſtificandum impium,qui ignẽ extincti amoris Dei & proximi in nobis excitet,quo in legem diuinam de amore Dei & proximi editam bene affecti ad eam exequendã reddamur. Dicat aliquis,Si res ita habet,ergo & merito Chriſti,& condonatione peccatorũ,& ſpiritu ſancto dicimur iuſtificari. Ita ſanè.de merito enim & obedientia Chriſti legimus:Ita per obedientiam unius iuſti conſtituentur multi.Et de cõdonatione peccatorum in Actis:Per hunc autem peccatorum remiſsio annunciatur: & ab omnib. à quibus non potuiſtis per legem Moſæ iuſtificari, per hunc omnis qui credit,iuſtificatur. Demũ autem, de ſpiritu iuſtificatore hæc legimus: Sed iuſtificati eſtis per nomẽ Domini Ieſu,& per ſpiritum Dei noſtri. in merito ergo & obedientia Chriſti, ſatisfaciẽs pro peccato iuſticia:in remiſſione peccatorum, fructus meriti:in dono ſpirituſſancti,conformans nos diuinæ iuſticiæ probitas ac iuſticia cernitur.Hæc iuſticia in animis noſtris uerſatur,ueterẽ hominẽ abolens, & nouum Dei imaginem in Chriſto referentem formãs.Altera ergo iuſticia,ſatisfaciens,& expians peccata,ne nobis noceant,iuſticia eſt.altera,regenerãs ad nouam & cœleſtẽ uitam iuſticia habetur. utraq; ergo iuſticiæ ratio in iuſtificatione continetur,& neutra ab altera ſeparatur:atq; ita in definitione iuſtificationis meritum ſanguinis Chriſti cum remiſsione delictorum, atq; cum dono ſpirituſſancti iuſtificatoris & regeneratoris includitur. De quo dono iuſticiæ Apoſtolus his uerbis: Etenim ſi per unius delictum mors regnauit per unum,multo magis ij qui exuperantiam gratiæ et doni iuſticiæ accipiunt, per uitam regnabunt, autore uno Ieſu Chriſto. Vbi Apoſtolus doni iuſticiæ & uitæ meminit, quòd idem Chriſti ſpiritus & iuſtificet & uiuificet: hoc eſt,uerè iuſtos et uiuos reddat. Quæras hic,qua iuſticia iuſtos reddat:fidei ne,an alia?Fidei ſanè hæc iuſticia fuerit. Nam hoc donum ſpirituſſancti fide nobis communicatur,cum merito Chriſti & remiſsione peccatorum.Quòd enim Deus noſtra ſapientia, iuſticia,uita,fortitudo in Chriſto filio per ſpiritum ſanctum in nobis habitat,id fide contingit. Hæc enim Chriſtum cum omnibus theſauris ſpiritus ſui nobis applicat, atq; adungit. Quò pertinent illa: Iuſticia Dei patefit de fide in fidem. item:Iuſticia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt.item: Hoc autem dixit de ſpiritu,quẽ credentes erant accepturi. Sed quem ſpiritum credentes per fidem accipiunt?Spiritum ueræ iuſticiæ,uitæ & ſapientiæ,arcana & abdita regni cœleſtis oracula aperientem, accipiunt. Sed unde accipiunt? De capite Chriſto accipiũt, in quo omnis copia & abundãtia ſacri ſpiritus citra modum uerſatur.Sic enim legimus:De plenitudine eius omnes accepimus. Proinde iuſtificari fide nihil aliud fuerit,quàm nobis fidei luce prælucente, Chriſtum cum ſuo merito, condonatione delictorum, & theſauris ſpiritus ſacri tribui, atq; animis noſtris inſeri ad recuperandum optimum ſtatum,qui uitio primorum parentum amiſſus fuerat,ut ſentiamus & nos reconciliatos patri per filij mortem:& nobis ſpiritum ſanctũ per eiuſdem è mortuis excitationem ad uitam tribui, cuius ui legi,quam natura implere nõ poteramus, propenſe per gratiam Dei patris pareamus, præſtemusq; id quòd iubetur hic Salomon facere: Si feceris omnia quæ præcepi tibi. Vt autem legem biſariam impleamus in Chriſto, de ea re mentio aliàs facta eſt.

Non ſequentes me.) doctrinã & cultum legis meæ.

Et colueritis deos alienos.) uiolata fœderis lege:Deos alienos ne colito.

Auferã Iſrael.) Vt accidit decẽ tribubus in Aſſyrios diſſipatis,& reliquis duabus Iudææ & Beniamenſi in Chaldæos tranſlatis, & poſteris temporib.ut reſtitutæ hæ duæ tribus fuerũt,per Romanos in orbis terrarũ fines diſperſis,in quo exilio etiãnum uerſantur:nec prius hoc finietur,q̃ exacta fuerint tẽpora profanationis ſpiritualis tẽpli,in quo filius perditus ſedet. Itaq; reducto uelo myſtici Iſraelis,ad quos Iſraelitas hæc quoq; Domini

mini uerba pertineant, declarant tempora Antichristi, in quibus miserabile exitium à cœlesti hæreditate & regno Christi cernitur, ut res ipsa documento est.

Et templum quod sanctificaui.) In templo Salomonio figura, in eo ueritas de quo Apostolus: Adeò ut in templo Dei sedeat. Paraphrastes, Proijciam à uerbo meo: hoc est, à Christo meo, qui uerbum gratiæ, uitæ, sapientiæ & iustitiæ meæ est.

In prouerbium.) Hæc uerba leguntur etiam in Mose, היה למשל ולשנינה, item apud Hieremiam cap. 24.

Et in fabulam.) שנינה decisum est ab illo Deuteronomij שננתם.

Et domus hæc erit in exemplum.) In Paralipomenis hæc pars his uerbis exponitur: Templum istud quod fuit excelsum, aut excelsi Dei, erit omnibus prætereuntibus stupori.

Stupebit.) stuporem, præstantis olim sapientia rerumq; gestarum gloria populi euersione ablatura. Quàm celebris autem Israelitica gens fuerit, declarat Moses his uerbis: Vt dicãt omnes gentes, En populus sapiens & intelligẽs, gens magna. Hierosolyma item cum templo suo quàm fuerint clara, satis etiam indicãt scriptores. Sic enim de his Plinius scribit: In qua fuerũt Hierosolyma, clarissima urbium Orientis, non Iudææ modò.

Et sibilabit.) Similiter Hieremias cap. 49. item Ezechiel 27. De hoc illusionis hostilis sibilo his uerbis in Threnis Hieremias: Aperuerunt contra te os suũ inimici tui, sibilauerũt & fremuerunt dentibus, dicentes: Deuorauimus.

Et respondebũt.) Per prosopopœiã inducit gentes rationem tantæ cladis reddituras, ad amplificandam improbitatem rebellium, & ad commendationem suæ iusticiæ: quã etiam profanæ gentes diuini fœderis expertes commendant, à suo populo spretam.

Qui eduxit populum de terra Aegypti.) ut ipsum colerent, non deos alienos. Fas enim esse, ut redempti, ac ex horribili seruitute in libertatem uindicati, redemptoris sui leges, non alterius seruent. Itaq; sic scriptum est in Exodo: Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis, Ne habeto deos alienos.

Et secuti sunt deos alienos.) uiolato fœdere. de quo Exod. 24. Non leuiter secutos, indicat uerbum ירחזקו: sed dijs alienis, rebellem gentem arctè coniunctam.

Et adorauerunt eos.) in postremis temporibus etiam Christo repudiato, in quo solo uerè colitur Deus. Qua repudiatione accidit, ut Hierosolymis solo æquatis, templo incenso, terra miserè uastata, ipsi priuati sacerdotio & regno in hoc miserabile exilium detrusi sint.

Expletis autem uiginti annis.) septem in templi, & tredecim in regiæ domus fabricatione consumptis.

Hiram rex Tyri.) Suprà legimus, quomodo alter alteri literas scripserit, quas Iosephus lib. 8 Antiquitatum Iudaicarum non modò apud Iudæos, sed etiam apud Tyrios seruatas usq; ad suã ætatẽ, dicit. Eusebius lib. 9 de Præparatione Euãgelica autor est, Eupolemum literis prodidisse, Salomonem etiam ad Aegypti regẽ literas scripsisse, quibus illum rogarit, ut in templo Domini ædificando opem suam quoq; præstaret.

Viginti oppida in terra Galilææ.) superioris, uicinæ Tyrijs & Sidonijs. Nã duplex ut sit Galilæa, superior & inferior, utq; describãtur, ea de re uideris apud Iosephum lib. 6. de bello Iudaico. In Paralip. lib. 2. cap. 8 proditum est, etiam Salomonẽ ab Hiramo oppida accepisse, quæ instaurarit, & in eas colonias Israelitarũ deduxerit. Apparet autem, Salomonem per cõmutationem illa accepisse, uiginti nimirum illa oppida iam memorata, Hirami oppidis cõmutata. Nam fas nõ erat, ditionem terræ sacræ, cuius fines iure diuino definiti erant, cuiquam angustiorem reddere: amplior ut fieret, religio non prohibebat. Itaq; Salomonem non deteriora pro melioribus accepisse ab Hiramo, uerisimile est. Vnde occasio data est Tyrio cum Salomone expostulandi: Hæ'ne sunt ciuitates quas dedisti mihi frater?

Terram Chabul.) Huius etiam fit mentio apud Iosuam capite decimonono, in descriptione tribus Aserianæ, ubi anticipatio usurpanda erit. Nam posterioribus temporibus ea terra sic appellata est, quòd ea displicuisset Hirano. Huius etymum his uerbis explicat Iosephus, καὶ ἐκ τότε προσηγορεύθησαν χαβαλὼν γῆ. μεθερμηνεύομενον γὰρ τὸ χαβουλὼν κατὰ φοινίκων γλῶτταν, οὐκ ἀρέσκον σημαίνει.

Centum uiginti talenta.) Tot etiam in Tyriorum annalibus notata, prodit Iosephus libro primo aduersus Appianum grammaticum. De talento Hebræo, quantum ualuerit, uideris apud Budæum lib. 4 de Asse: ualuisse septem millibus & septingentis aureis coronatis.

Hæc est summa expensarum.) In Hebræo, Hæc ratio tributi est. ubi רבר Hebræis in loco idem ualet, quod ratio apud Latinos. Explicatur modus ac uia exigendi tributum, & o-

nera tributaria imponendi. Hæc autem qualis fuerit, infrà exponitur, ubi legimus: Vniuersum populum qui remanserat de Amorræis, &c.

Pharao rex Aegypti.) Aegyptiorum reges iam ante tempora Abrahami communi nomine Pharaones appellari cœperunt: ut reges Alexandriæ posteris temporibus Ptolemæi, & Imperatores Romani Cæsares appellati sunt. Hoc autem nomine Aegypti reges Iosepho autore cessarunt uocari, socero Salomonis regno suo defuncto, imperio ad reginam Sabam in Aethiopes & Aegyptios regnantem delato.

Gazer.) Iosepho autore in regione Palæstinorum fuit, & à Salomone quòd natura munita, & ad occasionem bellorum cum hostibus uicinis gerẽdorum opportuna esset, instaurata fuit. Pharao, qui dedisset Salomoni in uxorem filiam, in delendo Chananæo, & eius ditione Israelitis subijcienda occupatur. Remouendum uelum: Si Salomonem alterum spectes, ut hoc regnante gẽtes operã suam ponãt in excindendis impijs Chananæis, hoc est in euertendo regno aduersarij, hodie exempla satis nota sunt.

Bethoron inferiorem.) Vt duplex Bethoron sit, in Iosua indicatum est. In Paralipomenis legimus, utramque Bethoronem à Salomone instauratam.

Et Palmyram.) תדמור, id est Thadmor, à Iosepho Θαδμόρα appellatur, à Græcis Palmira. Quam urbem tradunt situ nobilem, diuitijs & aquis amœnis, uasto undique ambitu arenis agros includere. In Paralipomenis traditur, Salomonem in Hemathum Sophenæ profectum, quæ ab Hebræis צובה uocatur: eaq; obtenta, Palmiram in desertis ædificasse. Hanc urbem claram ædificatore Salomone, Iosephus scribit biduj iter à sylua superiori, ab Euphrate uerò unius diei, à Babylone sex dierum iter distare. Tam propè ad fines Assyriorum & Chaldæorum, nimirum ad Euphratem usq;, Salomon ditionem suam propagauit, idq; ex promissione diuina in Genesi cap. 15 exposita his uerbis: Semini tuo dabo terram hanc, usque ad magnum fluuium Euphratem.

Et in Libano.) Nam Salomon Chananæos, qui in Libano monte uersabantur, usque ad Hemathum imperio suo subiecit, tributo eis imposito usq; ad Euphratem. Itaque Libani montes quoq; ditionis Salomonij regni fuerunt.

Vniuersum populum qui remanserat.) Dicas, Sed cur hos non deleuit ex mandato Dei, de quo in Numeris cap. 33 fit mentio. De ratione explicãdæ huius quæstionis, in libro Iudicum mentio facta est.

De filijs autem Israel.) Vt ex fœdere diuino ex seruitute in libertatem assertis, qui liberi, non serui essent: Chanaane nimirum, non Semo, seruituti addicto: Benedictus Dominus Sem, sit Chanaan seruus eius.

Erant autem principes quingenti quinquaginta.) In Paralipomenis legitur, ducẽtos quinquaginta fuisse præfectos operibus Salomonis. Interpretes in hunc modum locos cõponũt. Hic ex Israelitis & alienigenis præfectos numerari: in Paralipomenis ducẽtos quinquaginta, qui soli Israelitæ essent, cæteris præpositi. Etenim suprà cap. 5. trecentorum ex alienigenis mentio fit, qui ex alienigenis præfuerint operi: quorum etiam hic mentionem fieri uolunt, non item in Paralipomenis.

Ascendit de ciuitate Dauid.) in quã primò uenerat, ut suprà capite tertio traditur. Causa translationis in Paralipomenis exponitur lib. 2. cap. 8.

Offerebatq; Salomon tribus uicibus.) Azymorũ, hebdomadarũ, & tabernaculorum solennitate. Locus is fusius exponitur in Paralipomenis, in quibus etiam muneris sacerdotalis & Leuitici ordinis ad dicendas laudes instructæ classes memorantur, quæ hic omittuntur.

Super altare.) æneum, quod in atrio ante uestibulum ac porticum templi situm erat.

Et adolebat thymiama.) super aram suffitoriam, quæ legitur hic coram Domino fuisse, quòd esset sita in ipso templo propè adytum in quo arca propitiatoria tecta, posita erat.

Perfectumq; est templum.) perfecta omnia quæ pertinerent ad cultum templi. In quo instrumenta, uasa, mensa, aræ, candelabrum, atq; sacerdotij munera & ornatus cõtinebantur.

In Asion Gabor.) Iosephus tradit Beronicem appellari. Nam duplex Beronice est: altera contra intimum recessum sinus maris rubri, altera in Cyrenaica regione Africæ sita est.

Quæ est iuxta Eloth.) Hæc urbs Elana appellata est à Græcis & Latinis, Hebrææ uocis referens uestigia אלות. Atq; hæc nobili sinui Elanitico nomen dedit.

Ophir.) Hanc regionem auream appellatam, in India Iosephus ponit, in quam ad exportandas auri & gemmarum merces Aegyptijs & uicinis Arabibus frequentem nauigationem fuisse, scriptores tradunt.

Quadringentorum uiginti talentorum.)

torum.) In Paralipomenis: Tuleruntq; inde quadringenta quinquaginta talenta auri. Qui numerus nostrum triginta talentis superat. Fortassis hæc in itinere consumpta cum essent, in hac Regum historia talenta Hierosolymam allata numerantur: in Paralipomenis uerò, quæ in Ophîre comparata sunt.

IN CAPVT X.

SEd & regina Saba.) Non unius Sabæ fit mentio apud scriptores. Nam Arabiæ felicis quædam regio Saba thurifera appellatur, ob syluam centenos passus longam, & quinquagenos latam. Huius arbores sub canis exortum incisas, spumeum humorem edere tradunt, qui concretus aut in solum decidit, aut cortici adhærens depectitur. Est item Saba Aethiopiæ portus, cuius Strabo lib. 16 meminit. Demũ Saba urbs est uetustißima, in insula quam Nili ambitus efficit, quæ postea Meroe à Cambyse sororis suæ nomine uocata est. Huius Sabæ reginam, quæ fertur illo tempore Aegypto & Aethiopiæ imperitasse, ad Salomonem uenisse hic legitur. Huc spectans Dominus noster apud Euangelistam, reginã hanc Austri reginam, quæ in Aethiopia Australi regnarit, appellauit. Secuta ætate eius regni incolæ suas reginas Candaces nominasse, historia de Eunucho cuius in Actis Apostolorum fit mẽtio, declarat. Saba igitur postea Meroe appellata, eodẽ nomine quo insula, regia Aethiopiæ fuit, Strabone lib. 17 autore. Præsens historia indicat, fœminas in eo regno imperium tenere solitas, & eis incolas paruisse, ut olim Semiramidi Assyrij, & Scythæ Amazonibus paruerunt. Iosephus tradit, olim Aegyptios contra Aethiopes Mose duce bellum gessisse, eorum regia ciuitate Saba obsessa. Quod si ita est, fuit etiam Mosæ memoria Saba illa illustris.

In nomine Domini.) clarißimo Iehoua nomine excitata, qui tantam dedisset Salomoni sapientiam, & Israeliticum populum tam celebrem fecisset. Sicut infrà ipsa fatetur: Eo quòd dilexerit Deus Israelem. Supra in precatione Salomonem legimus sic dicere: Siquidẽ audient nomẽ tuum magnum. Adumbratur hic in regina Sabba, Ecclesia ex gentibus conflanda, quæ ut ad intelligenda abscondita & arcana mysteria regni cœlorum, ad cœlestem Salomonem eius sapiẽtiæ fama euocata, cũ suis muneribus accurrat, Psal. 45 ostendit.

Aenigmatibus.) חידות modò obscura allegoria & parabola, qualis cernitur apud Ezechielem cap. 17. modò obscurior & ἄπορος, ut Iosephus uertit, explicatuq; difficilis quæstio est, quæ nisi rerũ quas cõtinet, obscuritas euoluta sit, intelligi nequeat. Sic in præsentia accipitur. Suprà autem, quibus in rebus sapientia Salomonis claruerit, indicatum est.

Et docuit eam Salomon.) יגר explicandi soluendiq; quæstiones uerbum est. Itaq; Iosephus pro יגר, reddit ἐπιλύσῃ.

Multo cum comitatu & diuitijs.) Iosephus, μετὰ πολλῆς δόξης τῆς πλούτου τῆς σκηνῆς, pro כבר gloria & splendore reddito, & חיל pro apparatu diuitiarum. Paraphrastes Chaldæus סגיאין: id est, cum comitatu multo.

Camelis.) Hebræa uox גמלים etiam in cæteris linguis seruatur, animal ferendis dorso oneribus aptum, cuius in terris illis æstuosis non exiguus propter sitis tolerantiam usus sit, quã qua triduo ferre ferunt: implenturq; cum bibendi occasio est, & in præteritum & in futurum. His Bactriani & Arabes maximè abundant.

Aromata & aurum & gemnas.) Ea munera affert, quibus Dominus in exornãdo templo & sacerdotio usus fuerat. Mystica ratio aliàs indicata.

Venit ergo ad Salomonem.) nõ deterrita, quòd alienigena esset, neq; etiam eam ob rem Salomon illam repudiauit, quo minus benignè sapientiæ suæ opes ei communicaret. Tenuis umbra in Salomone uetere cernitur. de nouo legimus, ut pro sua bonitate omnes ad se uocet, & facilè admittat: Venite ad me omnes qui laboratis. In hoc neq; Iudæus est, neq; Græcus, neq; barbarus, neq; mas neq; fœmina, sed noua creatura, ad noui & cœlestis hominis qui Christus est, ingenium & naturam formanda. Vocationis igitur gentium ad participatum sapientiæ Christi, hic in regina Aethiopiæ Saba ostenditur. Quæ uocatio temporibus patefactionis Euangelij, misso de cœlo spiritu sancto, ut fieri cœpta est, ita usq; in finẽ mundi ea impletur. De qua impletione Christus ipse his uerbis: Dico autem uobis, quod multi ab oriente & occidente uenturi sunt, & recumbẽt cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum: hoc est, in ea ciuitate & repub. quæ nõ mundi huius deprauati et fluxi sceptro, sed cœlesti spiritus sacri sceptro ad æternæ sapientiæ, iusticiæ & uitæ participatum gubernatur.

Et docuit eam Salomon omnia.) In hoc Salomone explicandi arcana sapientiæ umbra ostenditur. Veritas in eo Salomone, de quo Iesaias: Dabo te in lucem gentium. & Ioannes: Deum nemo uidit unquam: Vnigena filius qui est in

ſinu patris, ipſe enarrauit. Itaq; is Salomon de ſe apud Matthæum prædicat: Ecce plus quàm Salomon in hoc loco.

Non habebat ultra ſpiritum.) Phraſis Hebræa attonitam præ admiratione indicat. In ſapientia Salomonis duo occurrebant, quæ regina Sabæa admirabatur: ſolertia explicãdi quæſtiones de rebus in natura occultis propoſitas, & rerum tum domeſticarũ, tum ciuilium adminiſtratio, in qua & res & perſonas & ipſum ordinem admirabatur. In rebus, domũ ſacram Domino, et in ea omnem uaſorum ornatum, atq; domum regiam cum ſplendido apparatu celebrabat. Perſonæ, ſacerdotes & Leuitæ templi procuratores, & regij adminiſtri erant, in quibus ſtatus, ordo, munerum diſtributio & habitus, prudenti mulieri admirationem afferebant.

Quia rumor quem audiui.) qui tamen ferè maior eſſe ſolet, quàm pro re.

Beati uiri tui.) Acclamationem addit admirationi, qua ſapiens mulier beatitatem eorũ qui Salomoni parebant, celebrat. Quanto uerius beati iudicantur, qui eius Salomonis ſapientiã audiũt, quæ ſuis auditoribus uitam æternã affert? De qua beatitate is ipſe Salomon ſic admonet: Veſtri uerò beati ſunt oculi, quia uident: & aures ueſtræ, quia audiunt. Sed qui oculi, & quæ aures? O culi ſanè mentis, quas per fidẽ lux illuminat, quæ de ſe prædicat: Ego ſum lux uera. & aures interiores animi, quas æternum uerbum patris Chriſtus per ſpiritum ſacrum perceptũ percellit. De quo uates: Audiam quid in me loquatur Deus.

Sit Dominus Deus tuus benedictus.) Confitetur Iehoua Deum Salomonis & Iſraelitarum eſſe. Ideo Dominus noſter de ea his uerbis loquitur: Regina Auſtri ſurget in iudicio cũ uiris nationis huius, & condemnabit illos, quæ uenit à finibus terræ, ut audiret ſapientiã Salomonis. Dominus hic duo fatetur. Vnum eſt, diuinam gratiam ab obſeruatione gentis, loci, ſexus, ſtatus & elementorũ mundi liberã eſſe. atq; ita apud gẽtes ſemper fuiſſe ueros Iſraelitas, & apud Iſraelitas repertos qui Iſraelitæ non eſſent. Alterũ eſt, futurum ut electis Dei iudiciario Chriſti ſpiritu præditis impij iudicẽtur, quæ magna dignitas præ omnibus creaturis ſanctorum eſt. Dicit enim Dominus: Regina Auſtri ſurget in iudicio, &c. Cæterùm tria hic confitetur pia mulier. Primò, Deũ Salomonis Iehoua eſſe, qui omnia in cœlo & in terra prouidentia ſua regat & moderetur, & à quo cuncta naturam, motum & uitam habeant, quod ualet nomen יהוה. Deinde confitetur Iehoua fauore & beneuolentia præſtantes & magnos effici homines, non ſuis meritis & conatu. dicit enim: Qui tibi ſic fauerit, ut te Iſraelitarum ſolio imponeret. Poſtremum eſt, regum munus eſſe ius & æquum facere, non pro ſua libidine imperare. Hinc à Salomone, cuius ſapientiam hic admiratur Sabæa regina, hæc ſententia edita eſt in Prouerbijs: מלך שופט באמת דלים בסאו לעד יכון.

Centum uiginti talenta.) Regina cũ laude ſapientiæ Salomoniæ, & regiæ eius amplitudinis, munera coniungit, quæ non in poſtrema honoris parte numerantur. Eſt enim honor, opinionis de alicuius uirtute ſignificatio, quæ muneribus declaratur. Nam quos donis exornamus, dignos teſtamur eſſe, de quibus omnes honeſtè beneq; ſentiant: ut contrà quos indignos honoribus iudicamus, eos muneribus minimè decorandos cẽſemus. Quod etiam Græcus uates intellexit: σοὶ ἐγαμέυνωι ἄξια δῶρα δίδωσι.

Ioſephus uiginti talentorum meminit, in Paralipomenis centũ uiginti auri talentorum mẽtio fit.

Non ſunt allata ultra.) Commendatio munerum à precio & à copia. Precium auri, gemmarum, & aromatum, quantum ſit ab ortu, natura & uſu, humanæ æſtimationi non eſt obſcurum. Itaque rectè docent qui dicunt, in muneribus utilitatem & dignitatem ſpectari debere. Nam talia & rem augent, & ijs quibus dantur ornamento ſunt.

Ligna tina.) Interpretes hic uariant. Alijs אלמגים ebenus eſt, arbor Indica, ob firmitatem fulcris faciendis apta. duriſſimum lignum eſt, & ualde graue & nigrum. de quo uates Latinus: —Sola India nigrum Fert ebenum. —Ioſephus de picea arbore interpretatur, cuius ligna ad muſica inſtrumenta fabricanda adhiberi ſolent. In Paralipomenis legitur אלגמים, hic uerò uerſis literis אלמגים, ut etiam in בבש & בשב accidit.

Rex autem Salomon.) Rex reginam hoſpitali munere remuneratur. Quem morem ornandi hoſpites etiam Græcus uates cõmendat, —οἷαι φίλοι ξεῖνοι ξείνοισι δίδασιν.

Omnia quæ uoluit.) Itaq; regina primò petijt, quæ daret Salomon. Petijt autem præſtantia & præclara, quæ et ipſa digna eſſent quæ peteret, & Salomone multo digniora quæ daret: ut erant ſapientiæ munera, quæ ut ſibi cõmunicaret Salomon, regina Hieroſolymam ex Aethiopia profecta fuerat. Neq; in hoc largiẽdo munere quicquam detractum eſt Salomoni. Nam ut is qui alteri

alteri lumen de ſuo lumine accendit, facit ut nihilominus ipſi luceat, cum illi accenderit: ſic ſapientiæ donum eſt. Petenti reginæ legitur hic Salomon tribuiſſe quæ uellet. de noſtro Salomone Chriſto legimus: Petite, & dabitur uobis.

Exceptis his quæ ultrò obtulerat.) Exemplum liberalitatis regiæ. Submoto typo, occurrit noſtri regis Salomonis liberalitas ac munificentia, qui ſuis ut ultrò & plura quàm petãt munera tribuat, declarat eius p nobis fuſus ſanguis, & ſacri ſpiritus merito fuſi ſanguinis conceſſa uitæ æternæ dona, cum amplitudine cœleſtis regni. In Paralipomenis legitur: Præter ea quæ attulerat regina ad regẽ. Senſum interpres ſic reddit: Multo plura quàm attulerat ad eum, ut non ſit opus locum Paralipomenum, quaſi depraua tum, corrigere.

Erat autem pondus auri.) cum bonus ſtatus cernatur partim in bonis quæ intra nos ſunt, in quib. corporis & animi dotes ponuntur: partim in ijs quæ extra nos ſunt bonis, ut ſunt liberi, amici, potentia, opes, gloria. Explicata ſapientia, iam ea bona perſequitur, quæ externa uocantur, ab auri copia exorſus.

Qui ſuper uectigalia erant.) Nulla ſcuta in textu nominantur. Negociatio aromataria Hebræis uerbis ſignificatur.

Et omnes reges Arabiæ.) Pſalmo ſeptuageſimo ſecũdo legimus, reges Sabæ dona mittere: quæ Arabiæ felicis, auro, gemmis & aromatis nobilis regio eſt. Accedit ad Salomonis amplitudinẽ prædicandam, q, uicini circũquaq; reges munera ſua illi miſerunt. Tenuis figura in Salomone cernitur, ueritas expreſſa in Chriſto apparet, de quo ſcriptum eſt: Procident corã eo omnes reges, omnes gentes colent eum. Vocem Hebræam ערב retinuerunt Græci & Latini, ut documento eſt uox Arabia.

Fecitq; rex Salomon.) Explicatur ſplẽdor regius in apparatu rerum. Sunt & ſua ſcuta noſtro Salomoni, quæ in fide per amorẽ diuinum ſuos defendẽte ſpectantur. De quo ſcuto illud: Super omnia aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis mali illius omnia ignita iacula extinguere.

Sexcentos auri ſiclos.) Verbum עלה inſumẽdi uerbum eſt. Sic etiam Germani dicunt, es iſt auffgangen, pro impẽſum ac inſumptum eſt. in ſingula ſcuta ſexcentos auri ſiclos inſumptos.

Ex auro probato.) ductili, eſt in Hebræo. Auri porrò bonitatis argumentum eſt primò, ſi ignem ferat, & ſimili colore rubeat quo ignis: ut quo ſæpius arſerit, proficiat ad bonitatẽ, eiq; nihil igne depereat, in incendijs rogiſq; durante materia. deinde bonitatis argumẽtum eſt, ſi laxius dilatatur, aut numeroſius diuiditur, utpote cuius unciæ in ſeptuagenas pluresq; bracteas quaternũm utroq; digitorum ſpargantur. uide Plin. libro 33. Hæc bonitatis pars, ſi auru ductile ſit in tenuiſſimas bracteas, hic indicatur in שחוט.

Thronum de ebore.) Deſcribitur thronus regius, in quo hæc perpendenda fuerint: materies, figura, ornatus et uſus. Materia ebur eſt, ornatus ex auro operimentum & leones. Vſus partim cernitur in iudicandi munere, quod in throno exercebatur, partim adumbrando eo throno in quo cœleſtis Salomon Meſſias ſedens iudicandi munere fungitur, de quo uates: Iudicabit populos. Item Ieſaias: Iudicabit tenues in æquitate.

De ebore.) Quoniã dentes elephantorũ præcipuè ebur dicuntur, Hebræa lingua ebur noto tropo, שן appellatur. Literis proditũ eſt, elephantis circa dentes ſummã curam eſſe (inquit Plinius lib. 8.) Nam cum præter quatuor, quibus conficiunt cibos, duo promineant grandes reſimati, quorum alterius mucroni parcũt, ne ſit prælijs hebes, alterius operario uſu fodiunt radices, impellunt moles, circũuentiq; à uenantib. primos cõſtituunt, quibus ſunt minimi, ne tanti prælium putetur: poſtea ſeſi impactos arbori frangũt, prædaq; ſe redimunt. Hac ratione cõparatur, ad præclara ex eo opera elaborãda deſtinatum. Cõmendatur hoc à præcipuo candore: qui color innocentiæ & puritatis color eſt. Quà inſignis Chriſtus Dominus noſter eſt, & eius cœleſte regnũ, plenũ lucis & claritatis cãdore. Itaq; legimus in Cãtico cãticorum ſpõſum Chriſtum his uerbis laudari à ſpõſa Eccleſia: Dilectus meus eſt cãdidus: collum tuũ ſimile eſt turri eburneæ. Et de cãdore throni cœleſtis noſtri Salomonis Ioannes in Apoc. Et uidi thronũ magnum & cãdidum, & ſedentẽ ſuper eum. Si quis uolet myſtica hæc illuſtrare, huc etiã afferet quæ de natura elephantorum autores prodiderunt, ut ſint æqui, probi, clemẽtes & dociles.

Et ueſtiuit eum auro.) Hoc metallum, quod igni non corrumpitur, ſed eo proficit, aptum eſt quo operiatur regium Salomonis ſolium, ad repræſentandum decenti imagine noſtri Salomonis ab omni labe liberum, hoc eſt, uerè aureũ thronũ, de quo uates Pſalmo nono: Parauit in iudicio thronum ſuum, ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate. Quod uerò ad diuturnitatem nulla ui labefactandam pertinet, de eodẽ ſolio ſcriptum eſt: Et thronum eius ſicut dies cœli. item: Et thronus

eius ſicut ſol in conſpectu meo. In quo ſole illuſtrandi, uitaliq; calore omnia animandi uis ineſt, Talis thronus Chriſti eſt. Atque is quoniam ignea claritate ſe foris in hanc uniuerſitatem ſpargente tectus eſt, intus plenus candore æquitatis & iuris, hic legimus Salomonis ſolium ex cădido ebore, quod lucẽs igneſcentis auri ſplendor tegeret, elaboratum eſſe.

Qui habebat ſex gradus.) Non carẽt abdita ratione hi ſex gradus, ſi eos in eo throno conſideres, ad quem Chriſtus ad iudicandum per ſex ſuos gradus aſcendit, quos Iſaias capite undecimo enumerat his uerbis: Reſidebat in eo ſpiritus Domini, ſpiritus ſapiẽtiæ & intelligẽtiæ, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & metus Domini. Sed in quem uſum Chriſtus nouus & cœleſtis homo his ſacri ſpiritus dotibus citra modum & menſuram ornatus eſt? ut ſedens in hoc ſuo regiæ maieſtatis ſolio eburneo & inaurato æquè iudicet. Sicut in eodem uate ſubiungitur: Iudicabit iuſtè pauperes. Quod autem per hos gradus incrementorum Chriſtus creſcens ad faſtigium ſolij ſui aſcenderit, declarat illud apud Lucã: Creſcebat & corroborabatur ſpiritu. Spiritu inquam regiæ & ſacerdotalis unctionis, qua citra modum unctus, omnis diuinitatis in ipſo corporatè habitantis conſors eſt.

Et ſummitas throni rotunda erat.) Faſtigium ſolij à tergo rotundum de more ſoliorum erat. cuius perfectionis rotunditas admoneat, declarat illud Latini uatis:

—Mundi inſtar habet, teres atq; rotundus,
Extremæ ne quid labis per læua ſidat.

Et duæ manus hinc atq; inde.) Ad locum ſeſſionis utrinq; manus. Interpretes de fulcris ex lateribus ſedilis prominentibus, & regia brachia ſuſtinentibus, interpretãtur. Hæ duæ manus diuinã uim denotant, qua brachiorum Chriſti in iudicando inuictum robur fulcitur. Duæ autem memorantur, quòd iudicandi facultas qua Chriſtus præditus eſt, partim in pijs conſeruandis, partim in impijs perdendis cernitur. De qua bipartita iudicãdi ratione Ieſaias meminit, ubi dicit: Inopes iudicabit ex æquitate, impios ſpiritu oris ſui interficiet. Huc pertinet, quòd Salomon noſter in cœleſti ſuo throno ſedens dicit, agnos à dextra ſua ſtatuẽdos, hœdos à ſiniſtra. Alteros nimirum ſeruandos ad uitam & gloriam, quæ dextra ſignificatur: alteros ad interitum & opprobrium mortis deſtinandos, quod ſiniſtra notatur. Vſurpantur aũt nomina dextræ & ſiniſtræ manus, quòd in omnib. animantib. dextræ partes præſtãtiores & meliores, ſiniſtræ uerò deteriores iudicantur.

Et duo leones.) duarum manuum iudicialium fortitudinem notantes. De leonibus quæ ſcriptores tradunt, huc referenda ſunt. Leonũ quoque nominibus appellantur legati, qui à Chriſto ad thronum eius aſſiſtentes, ad diuina munera exequenda amandantur: de quibus ſuprà mentio facta eſt, & de quibus ſubiungitur ſermo.

Et duodecim leunculi.) Notatur miniſterium, quo iudicium Chriſti per gradus patefactionis ſentẽtiæ diuinæ in pios & in impios, tũ per genios cœleſtes, tum per legatos, prophetas & apoſtolos patefit. Atque hos gradus nobis ſcala Iacobi, deſcenſu & aſcenſu angelorum frequẽtata repræſentat, Domino qui Meſſias eſt benedictus, ſummum faſtigium ſcalæ, quod thronus eius eſt, tenente. De qua ſcala uideris in Geneſi, cap. 28.

Non eſt factum tale opus.) Veritas in admirando ſolio Chriſti, cui nullũ dignitate et maieſtate conferatur. De hoc throno uideris paſſim in ſacris literis.

Nec alicuius precij.) præ auro in regijs parãdis uaſis. Quò refertur cõparatio, non ad reliqua metalla inferioris notæ. Nam quantum bonitate, puritate & precio præſtat aurum argẽto, tantum hoc reliquis antecellit metallis.

Quia claſsis regis per mare.) Aduerbum: Nam claſsis Tharſis regia. Vbi Tharſis quid ſignificet, an mare, ſicut uertitur apud Ionam capite primo, à noſtro interprete, & à paraphraſte Chaldæo: an urbem aliquam ac regionem, facilè ex Geneſi cap. 10. intelligitur, ubi legimus, quod Iauan filij fuerint Eliſa, Tharſis, Citthim, Dodanim. Itaq; Tharſis certo loco nomen dedit, ut cæteri dederũt, Ciliciæ uidelicet Tharſis appellatæ. Quod uetus nomẽ retinuit celebris urbs Ciliciæ metropolis Tharſus, apoſtoli Pauli patria. Hunc locum petiſſe Ionam, cum fugeret Dominum, uerisimile eſt. Et in mari Tharſico, à Cilicum urbe Tharſo ſic appellato, inſtructã à Salomone rege claſſem, etiam Ioſephus interpretatur lib. 8. Iudaicarum antiquitatũ. Paraphraſti Chaldæo Tharſis Africa eſt. ſed melius Ioſephus interpretatur.

Aurum & argentum.) ut quorum copiam terra ſacra non ſuppeditaret. Quæ quarum rerum fertilis ſit, exponitur in Deuteronomio capite 8. Sed quò claſsis Cilica in Tharſæo mari, & Hiramica, ſe contulerit ad apportandum aurum & argentum, ſub capitis ſuperioris finem exponitur. Is locus Ophir erat. In Geneſi capite decimo, inter Heberis nepotes nominatur Ophir filius

lius Iectan: à quo is, siue Indiæ, siue Arabiæ felicis, nobilis auro, gemmis & aromatis locus sit, nominatus uidetur.

Et dentes elephantorum.) Similiter Paraphrastes שן רפיל. Horum magnitudinẽ rarã, præterquàm in India, reperiri, scriptores tradunt, inter quos Plinius lib. 8.

Magnificatus est ergo rex Salomon.) Ex promissione diuina, de qua suprà capite tertio fit mentio. Opes igitur & gloria munus Dei sunt: & si quid nocent, non de sua natura nocent, sed id à uitiosis affectibus abutentium accidit. Salomon quodam loco dicit, penes sapientiam esse diuitias & gloriam, opes & iusticiam: loquens de sapientia Dei, cum qua illa cõiuncta sint, non ab ea abhorreant.

Et educebantur equi Salomoni.) Tribus rebus abundasse Salomon legitur, quibus ne reges Israelitici abundarent, Mosea lex præcipiebat, mulierib. auro & argẽto, atq; equis. Quæstio igitur hic est, An' ne Salomon deliquerit tantam istarum rerum copiam conquirẽs? Si deliquit, cur ergo suprà legimus, Deum promisisse Salomoni amplissimas diuitias & opes? Si non deliquit, quid ergo Mosaicæ legi faciemus? Non legitur reprehensus, quòd immẽsam auri & argenti uim possideret, & tantam equorũ copiam aleret. Quare Mosaica lex ad eos reges pertinebat, qui sine consilio & ratione diuina opes ex sua libidine accumularunt. Salomonem aũt consilio atq; instinctu Dei impulsum illas auxisse, declarãt opera magnifica ab eo confecta, cœlestium rerum imaginem præferẽtia, & promissio illa Dei: Sed & hæc quæ non postulasti, dabo tibi, diuitias scilicet & gloriam, ut regum nullus, dum uiues, similis futurus tibi sit. Quòd ad mulierũ copiam attinet, ut de ea reprehensus sit, mox patebit. Neq; tamen Salomonem mysticũ à uitijs nimis sollicitè liberabimus, ut alteri Salomoni Messiæ sua gloria ueræ probitatis constet.

IN CAPVT XI.

VXores alienigenas multas.) Narrato optimo regni Salomonij statu, qui à sapientia sapientis regis, ab operibus sapienter confectis & administratis, ab opibus, potẽtia & amplitudine regni præclarè constituti hactenus celebratus est: iam, ut nihil firmũ & stabile est in humanis rebus, regni inclinatio atq; horrenda diuisio cum causis eius narrabitur.

Auertent corda uestra.) ut lex habet: Nam filium tuum auertet à me.

Ardentissimo amore.) Hebræus רבה habet, quod uerbum ut congruat cõiunctioni mariti & uxoris in unam carnẽ, indicat sententia illa in Genesi exposita ורבק באשתו. Hic autẽ uitiosus amor, quo Salomon in uxores suas flagrauit, notatur, præ quo is contempserit Deum, alienos deos colens. Itaq; apud Esdram, uino, regi & ueritati, quæ magnam uim habere ad commouendum dicuntur, etiam fœmina adnumeratur. Quæ quantum ad flectendum uiri animum ualeat, declarat Heua, & hic Salomonis uxores: profana exempla prætereo. atq; id efficit amor ille, quo impotentius mariti in uxores suas inflammantur, cuius in sacra hac narratione fit mentio.

Fueruntq; ei uxores quasi reginæ septingentæ.) שרות in Hebræo est, qua uoce indicantur principes & dominæ uxores, qualis fuit Abrahami Sara. legimus in Canticis mentionem fieri sexaginta, notatis in eo loco magis præcipuis. Nam inter principes uxores fuit etiam delectus. Submota figura, occurrit illud: Vos adiunxi uni uiro, ut uirginẽ castã exhiberetis Christo. In his ut delectus habeatur, discrimen donorum, quibus hæ sponsæ exornantur à suo Salomone Messia, argumento est.

Et concubinæ trecentæ.) In Canticis octoginta concubinæ leguntur. Salomõ mysticus suas concubnas, suas item principes & dominas uxores, & inter has unam præcipuè charã atq; dilectam habuit. Si nostrum Salomonem reducto uelo consideres, quæ uxores apud hunc loco concubinarum habeantur, id monstrauerit electorum status, dum adhuc sub lege uersantur pædagogo. quæ autem principes & dominæ habeantur, eorundem electorum sub spiritu adoptionis status indicat. Hi in eo loco apud Christum sunt, quo domina Sara apud Abrahamũ fuit, & hic regiæ uxores apud Salomonem habitæ sunt. Sed quæ est illa præ cæteris dilecta uxor? Est sanctorum Ecclesia, quam his uerbis in mystico illo carmine sponsus laudat: Pulchra es amica mea, suauis & decora. Et ut Salomon multas uxores habuit, alias ex Israelitica gente, alias ex gentiũ familijs: sic de cœlesti nostro Salomone legimus, in eo neque Hebræum, neq; Græcum, neq; barbarum locum habere, sed nouam creaturam, in qua nullius neq; gentis, neq; sexus, neq; ullius status, neq; ætatis respectus habeatur. At uerò non pari amore uterq; Salomon suas uxores prosequitur. alter uitioso, alter honesto et diuino: ut alter terrenus & carnalis homo fuit, alter cœlestis & spiritualis homo est, de cœlo pfectus, per cõceptionẽ è spiritu sacro, non ex uitioso hominis uitiosi semine.

Qui conceptus omnia in hoc Salomone æternæ pacis autore cœlestia, diuina, & pura puta efficit: & etiam in sua sponsa efficit coniunctione illa arctissima, qua is ipse se illi suæ iusticiæ, uitæ & gloriæ communicatione iungit. Secus, quàm accidit à Salomone suis uxoribus, quas illius terrenus & uitiosus amor à cultu deorum alienorum non liberauit: ut liberat cœlestis Salomonis amor suas, & illam unam maximè dilectam, quam suo amore omni labe carente & uitio, ut ab ortu & natura integer & purus sponsus puram & integram reddit. Quem sponsa his uerbis prædicat: Amicus meus candidus & rubicundus, caput rubet obrizo auro simile. Is candor, is splendor puri puti auri, à propheta explicatur, cum ait: Eo quòd scelus non fecerit, & dolus in ore eius nõ fuerit. Quantum igitur inter utrumq; Salomonem intersit, ab ortu, natura, usu, à sapientia, diuitijs, gloria, ab uxoribus & liberis, atq; ipso exitu & fine, pijs & doctis spiritu hominibus ex hac sacra narratione satis perspicuum est. Itaq; ut alter ille cœlestis & diuinus Salomon expectaretur, terrenus hũc qui hic traditur, exitum habuit.

Et auerterunt mulieres cor eius.) fretæ uitiosa in terreno Salomone natura. Propter quam uerum est quod uates dicit: Dominus de cœlo despexit hominũ genus, ut uideret num quis saperet, & curaret Deum: uniuersi deflexerunt, ut non sit qui rectè faciat, ne unus quidem: per ueterem uidelicet hominem, & terrenum. per nouum & cœlestem contrà, regeniti ex spiritu Dei uerum esse etiam illud intelligũt: Ex Deo nati non peccant, neq; possunt peccare, quòd semen Dei in eis manet: Messias uidelicet benedictus, æternum uerbum patris, in quo ut cœlesti semine inest cœlestis ille spiritus, uiuificas aquas continens, nunquam ex eorum animis, quibus per electionis gratiam se inseruit, eximendus. Cadendum igitur fuit priori Salomoni, ut gloria iusticiæ & innocentiæ penes eum maneret, de quo uates: Scientia sua iustos reddet seruus meus multos. Quò pertinet etiã illud Apostoli: Cõclusit Deus omnes sub peccatũ, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Sed quæ promissio, aut quarum rerum promissio? Promissio ueræ iusticiæ, sapientiæ, uitæ, gloriæ & diuitiarum regni cœlestis. Hæc omnia per alterum Salomonem prælucente luce fidei exhibenda erunt, non per priorem.

Cumq; esset senex.) cum alioqui senilis ætas prudentia præstet, & cupiditatibus magis libera sit. Atqui inuenias & senes stultos. Quod Salomon in se expertus, sic fatetur in Ecclesiaste suo: Melior est puer pauper & sapiens, quàm rex senex stultus. Nam apparet Salomonẽ iam senem librum illum composuisse, cum uanitatem in sapientia humana, diuitijs, & gloria huius mundi animaduertisset, uersis his omnibus in tristem exitum. Etenim sic ait in eodẽ libro: Magnifica opera feci, mihi domos extruxi, uineas cõseui, feci hortos & pomaria, argentum quoq; & aurum congessi, regumq; & prouinciarum opes. Verùm cum intuerer in omnia quæ manibus meis feceram opera, inueniebã omnia esse uanitatem, & animi molestiam, nec quicquã esse sub sole excellens. Quocirca quid efficiant opes, potẽtia & rerum copia, ocium & pax in uetere homine, præsens Salomonis exemplum argumento est. & suprà Dauid, qui regnum nactus sublato hoste Saulo, adulter factus est, & homicida. Huius rei non imperitus censor Salomõ in Ecclesiaste suo hanc sententiam edidit: Præstat in lugubrem ire domum, quàm epularem.

Vt sequeretur deos alienos.) Qui neq; sapientiam, neq; opes, neq; gloriã tribuissent: sed unus Deus uerus ille & proprius Deus tribuisset.

Nec erat cor eius perfectum.) Hæc ordine hic docemur. esse, quorum animus totus abhorreat à Deo, nulloq; eius cultu & metu teneatur: ut est Satanæ animus, & eorum qui eius sunt soboles: hoc est, qui in libro uitæ nõ sunt scripti, nullamq; in eo semine partem habent, de quo Moses dicit promissionem factam statim à conflata à primis parentibus culpa: Inimicitiam ponam inter semen tuum & semen illius, ipsum conteret caput tuum. Deinde admonet locus, esse qui aliquem Dei metum habeant, & ueneratione, qua uenerentur ac reuereantur Deum: sed ita, ut ab erroribus satanæ non sint semper & prorsus liberi. His si iratum se ostendit Deus, hæc castigantis in melius, non penitus abijciẽtis patris ira fuerit. In horum numero fuisse Salomonem, eius scripta declarant, & hæc de eo Dei sententia suprà libro secundo exposita: Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius in perpetuum: ego ero ei pro patre, & ipse pro filio erit. Qui si quid deliquerit, ego eum humana uirga ac plaga castigabo, benignitate autem nõ priuabo. Hæc uerba indicãt, quid statuendum sit de Dei in Salomonem beneuolentia. Tertium est quod hic addiscimus, perfectionem aliquam & integritatem in sanctis esse, quam boni cõsulat Deus, quam uis omnino talis perfectio non sit, quæ ex omni

parte

parte respondeat legi diuinæ. Sic Noa, Abrahamus, Moses, Calebus, Dauid, & cæteri sancti homines, perfecto & integro corde uersati coram Deo dicuntur: quamuis in eorum uita multa cernerentur quæ cum lege Dei non consentirent. Sicut Dauidem precatum legimus, ne ipsum Deus uocaret in iudicium, & seuerè in suas cogitationes & facta inquireret. Postremò intelligitur, esse quandam perfectionem & absolutionẽ, quæ nusquam à Dei lege dissentiat, sed per omnia in omnibus ei respondeat. Talis perfectio omnibus numeris absoluta in Christo reperitur, & ad modum donationis illius locum etiam habebit in reliquis sanctis, exacto cursu huius uitæ mortalis, labi & uitio obnoxiæ.

Astartem Deum Sidoniorum.) in eius cultum inductus à Sidonijs mulieribus, quarum iam mentio facta est. Ex ea igitur gente uxorem duxit Salomon, & eius falsum Deum sequutus est, quæ in Chanaane seruituti & exitio desti nata iam olim fuit. Sidon enim primogenitus Chanaanis maledicti filius fuit, ut ex Genesi capite decimo patet. A gentis igitur repudiatæ persona augetur in Salomone crimẽ. Sidonis urbis uetustissimæ apud Iosuam in Aserianæ tribus descriptione fit mentio.

Et Melchom.) Hoc idolum & Molech hic uocatur, cuius cultus in Deutero. in hunc modum explicatur: Omnes enim abominationes quas auersatur Dominus fecerunt, Dijs suis offerentes liberos suos, & comburentes igni. Item apud Ezechielẽ: Cum traducitis filios uestros per ignem. Ab Abrahami, qui Isaacum filiũ Deo obtulit, exemplo cultum hunc dirum, per impiam superstitionem dimanasse tradunt. Vt etiã is apud Græcos & Romanos, nedũ apud barbaras & immanes gentes, usurpatus sit, ex historijs satis manifestum est. uerbum מלכם & מלך indicãt, hoc idolum principatũ inter cætera habuisse. De quo uideris in Leuitico, cap. 18.

Quod non placuerat.) Qui se unum coli, riualem non ferens, uelit: qui nimirum apud Mosem appellet se Deum zelotypum.

Coram Domino.) בעיני יהוה in oculis Domini, de quibus is ipse Salomon in Prouerbijs sic loquitur: In omni loco oculi Domini. Hanc sententiam si fide ponderasset Salomon tẽpore senectutis suæ, non sustinuisset tantum facinus cõmittere. Dicit, oculos Domini bonos & malos speculari. De bonis in hunc modum Dauid meminit: Oculi Domini super iustos. benignè quidem, & cum muneribus beneuolẽtiæ suæ eos intuentes. Malos autem & improbos ut speculetur oculis suis Dominus, declarat eorũ calamitas, & Salomonis exitus. Dei enim oculi perspicaces sunt, omnia in hac uniuersitate intuentes. deinde puri, probitatem & benefacta ferentes, improbitatem & malefacta puniẽtes. Hinc Danieli Christi Domini nostri oculi igneis facibus similes apparuerunt, qui nimirum per lucem suã omnia contemplentur, & ignea ui mala consumant, & bona purgent atq; conseruent. Talibus oculis Salomon hic descriptus caruit.

Fanum Chamos.) Huius Moabitici idoli meminit Moses in Numeris cap. uigesimoprimo, & Hieremias cap. 48.

In monte qui est contra Hierusalem.) De monte oliuarum interpretes accipiũt, qui (ut constat) Hierosolymis obiacet.

Vniuersis uxoribus alienigenis.) Notatur muliebris pertinacia, in falsa religione.

Igitur iratus est Dominus.) ut iustus iudex. Narrato crimine, iam pœna eius narratur.

Quòd auersa esset mens eius.) per rebellionem uiolata fœderis lege: Deos alienos ne colito. Itaq; ut per fidem mens in Deum attollitur, eum unũ supra omnia uenerãdo: sic per perfidiam ab eodem illa deflectens, eum infra creata opera habet. Qui est horribilis à diuino ordine discessus.

Qui apparuerat ei secundò.) Semel et iterum apparuisse, suprà ex capite tertio & nono liquet. Exponitur causa iræ diuinæ, quòd tam clementer à Deo non semel tantum admonitus, ei non obtemperarit, ea præsertim ætate, qua memorem & gratum se Deo ob tot beneficia quæ acceperat declarare debebat. In uniuersum graue est, ab altero contemni: sed grauius, à suis: longè autẽ grauissimum, ab ijs in quos singularia beneficia contuleris. Sæpe per imprudentiam iuuenes delinquunt, in quibus ætas excusationem aliquam uidetur habere. at senes rerum peritos studio delinquere, id turpissimũ fuerit. Grauauit etiam Salomonem regia persona, quem decuisset pro munere regio, quo fungebatur, idololatriam euertere, & ueram religionem tueri.

Dixit Dominus ad Salomonem.) Iosephus addit, Per prophetam. Is uidetur Abias fuisse, de quo mox fiet mentio. Idem Iosephus in idololatria etiam ponit, quòd boues æneos lacui fusili subiectos fecit. Hac in re ut cæcutiat Iosephus, mysterij ignarus, ex ijs quæ suprà demonstrata sunt liquet.

Dirumpẽs scindam.) Explicatur pœna

ex talionis lege inflicta. Nam par erat, ut eius regnũ diuideretur, maiore eius parte alteri adsignata, qui pectus non integrum, sed diuisum erga Deũ geteret. Hoc Dei iudicium expertus Salomon, in Ecclesiaste suo hanc sententiã pronunciauit: Deũ metue, & mandata eius serua. Nam omne opus Deus in iudicium sistet, tum bonum, tum malum: de hoc quidem pœnam expetens, illud uerò præmio exornans. Vt autem iudicium diuinum in hoc & in futuro seculo exerceatur, & quàm latè se in altera uita extendat, ea de re alibi. Hic non legimus Salomonẽ exitio æterno mulctatum, sed temporaria pœna punitum, diuiso nimirum eius regno. Vbi diuina prouidentia, Salomonis culpa non ad exiguum mysteriũ adumbrandum usa est. Nam ut per discordiam, qua à Iudæa tribu cæteræ tribus dissociatæ sunt, ea dissensio quæ inter electos in orbe terrarũ repræsentato in mundum Messia erat futura, adumbretur, nos hodie nõ obscurè agnoscere incipimus. Et positis dissidijs, ut rursus concordiam in Iacobæa familia coalituram pphetæ prædicunt: ita quoq; futurũ, ut in orbe terrarum, in uno ouili, sub uno pastore, electi inter se sint consensuri. Sic enim in Ezechiele scriptũ est: Ecce ego sumam lignum Iosephi, quod est in manu Ephraim, & tribuum Israeliticarum, & ponã id super lignũ Iudæ, faciamq; ex eis lignum unũ, & erunt unum in manu mea. Sed sub quo pastore & rege tanta concordia & consensio in unam religionem & Dei cultum constituetur? Sequitur inibi apud eundem uatem: Seruus meus Dauid erit rex eorum, & erit pastor unus omnium eorum. At is rex & pastor Messias est benedictus. Qui in hoc suo per patefactionem Euangelij aduentu electorũ pectora cõsociabit, qui antea sub pastore stulto, filio illo perdito fuerant dissociati. De qua concordia componenda Iesaias quoque prædicit, ubi ait: Et Ephraim non æmulabitur Iudæ. Hac igitur in re sapientiam Dei cum summa bonitate coniunctam agnoscere licet, qui Salomonis peccato ad tantum mysterium præsignificãdum uti uoluerit. de quo mysterio, interprete apostolo Paulo, alio loco fusius & uberius loquimur.

Et dabo illud seruo tuo.) talionis iure. Tu qui mihi cœli & terræ domino gloriam detraxisti, & eam dijs alienis tribuisti: ego tibi regiam gloriam detraham, & seruo tuo tribuam. Is seruus Ieroboamus, ut mox patebit, fuit.

De manu filij tui scindam illud.) per eius imprudentiam & stulticiam: ut tuũ regnum per sapientiam, quate auxi, conseruaui.

Nec totum regnum auferam.) stans promisso: Stabiliam thronum regni eius in sempiternum.

Sed tribum unam.) Cum duodecim essent, & decem secessuræ erant, cur hic una tribus memoratur, nõ duæ? Tribus Iudæa et Beniaminis pro una tribu reputabãtur, propter hæreditatem, quæ utriq; Hierosolymis communis erat. Iuda ex deformi Lea natus, & Beniamin ex speciosa Rachele genitus, in uno cultu Dei Hierosolymis pacto coniunguntur.

Propter Dauid seruum meum.) Ex cuius lumbis Iesus Christus seruator mundi profecturus erat.

Et Hierusalem.) templi, eiusq; cultus à me instituti sedẽ, & nobis cœlestem ex electis describam Hierosolymam, in qua templum sacro spiritu inhabitatum uersatur, adumbrantem.

Adad Idumæum de semine regio.) Non uanum est igitur prouerbium illud Græcũ: νήπιος ὁ πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείπει. Homerus uates in bonis numerat, si cæsis parentibus superstit tanquam uindices paternæ cædis liberi, ὡς ἀγαθὸν, καὶ παῖδα καταφθιμένοιο λιπέσθαι.

Ad sepeliendos occisos.) ad humanitatem hanc generis propinquitate inuitante, quæ inter Israelitas & Idumæos intercedebat. Iacobus enim & Esaus fratres fuerunt, ex Isaaco nati. Quocirca in Deutero. legimus: Ab Idumæo ne abhorreto, quia frater tuus est. Sapienter, qui mystica tractant, duos hic homines adumbrari tradunt: alterum ueterem, qui in Idumæo figuretur: alterum nouum, qui in Iacobo. alterum mortificari cum masculo sapientiæ, iusticiæ & fortitudinis suæ uigore, & sepeliri per Dauidem Christum, ut Apostolus admouet dicens: Sepulti igitur sumus unà cum illo. alterum spiritu uincere & uiuificari, ut idem Apostolus ait: Vt in nouitate uitæ ambulemus. Ideo hic legi Idumæum uictum & occisum, Israelem uerò uictorem euasisse, qui sepeliret Idumæum uictum & interfectum.

Et occidisset omne masculinum.) excussio iugo de Esao, ex oraculo in Genesi exposito, cap. 27.

Sex enim mẽsibus.) Obseruandus senarius est: ut nouus homo senario pijs satis noto perficitur, ita uetus eodem senario mortificatur.

Vt ingrederetur Aegyptum.) Aegyptum petit Idumæus decluem, ex solitudine fugiens: Israel relicta Aegypto, per solitudinẽ in terram sacram in edito sitam contendit.

Et cibos constituit.) assignato ei uictu.

Quatuor

Quatuor dedit rex Aegyptius Adado: domum, uictum, terram, & principis uxoris sororem in matrimoniũ.

Suscitauit ei quoq;.) Tres aduersarios cõcitatos in Salomonẽ hic legimus: Adadum Idumæum, Raʒonẽ Syrum, Ieroboamũ Hebræum.

Regem Saba.) צובה Sophene est Syriæ regio, ad dextram Damasci.

Cum interficeret eos Dauid.) De hoc bello uideris superiore libro cap. 10.

Cunctis diebus Salomonis.) Sed quid faciemus illi quod suprà legitur: Et habebat pacem ex omni parte in circuitu, &c. Dicunt interpretes, hostem quidem nunquam Salomoni defuisse: sed eum non prius fines terræ sacros infestasse, quàm sub senectam illius.

Et hoc est malum.) Hebræi uersus sententia est: Accessisse ad malum quod ab Adado inferebatur, cladẽ qua Raʒon Israelitas afficiebat, את pro עם usurpato.

Regnauitq; in Syria.) Alij referunt ad Adadum Idumæum, qui coniunctus cum Raʒone, Syriæ regnum occuparit, cum Idumæam à Salomone præsidijs munitam statim occupare non posset. In hac sententia noster interpres est, secutus Iosephum. Huc facit quod infrà Adadorum regum Syriæ crebra fit mentio. Alij ad Raʒonem, qui regno Syriæ potitus sit, cum animaduertisset Adadum res nouas in Idumæa moliri. Itaq; ab Adadо Idumæam, à Raʒone Syriã occupatã esse.

Ieroboam quoq; filius.) Tertius aduersarius, ex familia Iosephi excitatus. Huic amplissimum regnum hic prædictum uolunt, ut impleretur oraculum Iacobi in Genesi editum, de Iosephi familia amplificanda.

Ephratæus.) De familia Ephraimensi, ut impleretur benedictio, qua Iacobus ita gubernatus à Deo, Manassi primogenito prætulit Ephraimum minorem natu in benedicendo.

Leuauit manum.) Leuare manum interdum iurantis est, interdum rebellantis & conspirantis, ut in hoc loco.

Et hæc est causa rebellionis.) ita præuisa diuina ratione.

Aedificauit Mello.) Volunt Mello locum uacuum fuisse prope templum, in quo solitus sit populus cõuenire. Vocatũ מלא, quod מלא interdum sit significationis אספה, ut liquet ex illo: מלאו אהרי. Hunc autem locum ædificijs in gratiam uxoris Aegyptiæ exornatum, ægrè tulisse populum & Ieroboamum. De hac re uideris etiam suprà cap. 9.

Et coæquauit uoraginẽ ciuitatis.) פרץ interpretantur de diruta quadam parte muri Sionis, quã pararit Dauid, ut cõmodus patêret, cum uellet, exitus. Hunc à Salomone obstructũ.

Vir fortis.) Descriptio Ieroboami à genere, fortitudine, industria, & peritia rerum, apta ad res magnas gerendas.

Bonæ indolis & industriæ.) Valet Hebræa locutio עשה מלאכת, idem quod apud Latinos aptus ad res gerendas.

Domus Ioseph.) Manassensium & Ephraimensium, ut de quorum familia esset, unde quoq; aptior ad sollicitandos illos ad defectionem erat. Et quia multum eius fidei tribuebat Salomõ, facilius ab eo euerti potuit. Nam tales ut incauti sunt, ita fraudi opportuni habentur.

Vt Ieroboam egrederetur de Ierusalem.) non temerè ac casu, sed ita ferente Dei consilio. Quid similius casui, quàm egredièti offerri regnum? Casus quidem fuit, si Ieroboami animum spectes: minimè autem, si rationẽ diuinam. Eadem in Saulo quærente asinas, cernere licet.

Silonites.) ex Silone urbe tribus Ephraimensis. Iodum est יהוא loci.

Opertus pallio nouo.) quod noui regni diuinitùs excitandi signum erat. Soliti sunt uates diuini non solum uerbis, sed etiam signis aspectabilibus uaticinari: ut Hieremias catenis ligneis ad collum positis.

Duo tantum in agro.) quo tanta res ad tempus tectior submotis arbitris foret.

Vt permaneat lucerna.) regni splendor. Sub figura Dauidici regni, regni æterni Messiæ splendor significatur, de quo uates Dauid: Paraui lucernam Christo meo.

In Hierusalem.) Veritas in cœlesti Hierosolyma, ex ciuibus in libro uitæ scriptis ædificata cernitur: cuius rex Messias est.

Quam elegi.) rationem non eius meritorum & dignitatis habens, sed meæ liberalis gratiæ, ne quid glorietur. Sed ad quid elegit eam? Respondet Dominus: Vt esset nomen meum ibi. De quo nomine suprà monuimus.

Si igitur audieris omnia.) Qui prænosceret, eum suis præceptis nõ obediturum, cur ut obediat admonet? aut ergo frustra admonuit, quem non obediturũ sciebat: aut si non sciuit, quædam fiunt, quæ ignorauit futura. Neq; Deus Ieroboamũ ignorauit malum futurũ, cuius præscientiam nihil fallat, ac fugiat: neq; propterea frustra illum ut bene se gereret hortatus est, quòd præsciret eum monitis non obtemperaturum. Sed in eo

quod præmonuit, duo declarauit. Vnum, iusticia ipsius est, cui displiceat improbitas, probitas uerò placeat. ut est apud uatem: Deus tu is es, qui nõ oblecteris iniquitate. Alterum, malos sua uoluntate malos esse, & delinquere. Quæ eorum uoluntas ut iusto iudicio damnetur, & diuina cõmendetur, admonitiones hæ rectè fieri iudicantur. Etenim iustus iudex leges suas & bonis sua sponte eas seruantibus, & malis quorum pertinaciam notã habeat, ciuibus proponit: his quidem, ut si in eas commiserint, iure plectantur, qui per cõtumaciam eis parêre recusent: illis, ut eisdem obtẽperantes præmijs afficiantur. Sed dicas, Ieroboamũ per præscientiam diuinam, quæ falli nequit, non potuisse obedire monitioni diuinæ. præscientia Dei non imponit necessitatem, quam uocãt, coactionis, sed relinquit quemq; suæ uoluntati, qua uoluntariè ac sponte siue bonũ siue malum persequatur. Improbi igitur sub præscientia diuina infallibili mala expetunt, probi bona. At quoniam huius argumenti tractatio continetur ea disputatione qua liberi arbitrij ratio explicatur, nos de ea hic supersedebimus, cum in Deuteronomio prolixè tractata sit.

Et affligã semen Dauid.) In ראעגה uerbo notatur deijciendi humiliandiq; uis, qua Salomonis amplissimum regnum sit deijciendum. ut intelligeret Salomõ, omnia in hoc mundo soli subiecta, uana esse, humanam sapientiam, regnum, opes, gloriã. ueluti ipse in suo Ecclesiaste id iam expertus confitetur, cum ait: Vanitas uanitatum, & omnia uanitas sub cœlo. Proinde aliud regnũ expectari debere, in quo omnia & ad æternitatem stabilia forent. Quod est regnum Messiæ cœlestis Salomonis, cum sua sapientia, diuitijs, gloria & amplitudine.

Voluit ergo Salomon.) non perpendens Dei sententiam: Scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. neq; ponderauit sententiam illam quã ipse in Prouerbijs edidit: Non est néue sapientia, né ue prudentia, néue consilium contra Dominum. Itaq; in Salomonis pectore non regnabat sapientia, sed ira, cum qua ipse stulticiã his uerbis coniungit in Ecclesiaste: Ira in sinu stulti requiescit. Et quanta sit regia ira, ipse eam in se expertus, docet in eodem illo Prouerbiorum libro, ubi regis iram leonis iræ comparat. Accendebatur autem ira Salomon, partim quòd reprehensus esset à Ieroboamo. Omnis enim reprehensio cum per se sit odiosa, regum longè odiosissima est, qui putant summisse secum agendum esse, ut idem Salomon his uerbis docet, אל התהדר לפני שלר. Partim uerò, quòd uenerat Ieroboamus in suspicionẽ affectati à se regni: qua re nihil inuisius regibus, qui regni socium minimè ferunt. neq; Ieroboami consilium diu latêre potuit regem Salomonem, ut sunt regũ aures longæ, & oculi multi, ut etiã rex ipse Salomon in Ecclesiaste dicit: Noli detrahere regi, nam uocem referũt uolucres cœli. Accedebat non leue argumentum ex oraculo Dei: Et regnum tuum dabo seruo tuo.

Ad Sisac.) Hunc non socerum Salomonis fuisse, sed aliũ, qui illi in regno successerit, cõstat. Ex hoc loco patet, præter nomen cõmune Pharaonis, reges Aegyptiorũ etiã propria nomina habuisse. Sic Pharaonẽ, quem Abrahamus uidit, Nechoniam dictũ tradunt: & eum cuius animũ contra Mosem Dominus obfirmauit, alij Cenchren, alij Amasim, nonnulli Tecmosim appellatum uolunt. Is autem rex de quo hic fit mentio, Sesacus nominatus est.

In libro uerborum.) Is liber res gestas Salomonis continens, non extat: sicut etiam nonnulli alij, temporum iniuria à sanctis uiris scripti interierunt. Citantur à ueteribus Hanochi libri, & Abrahami: quin & Moses citat libros Bellorum Domini, Iosua libros Iustorum. Sunt qui tradunt, ciuitatẽ quæ apud Iosuã קריה ספרים uocatur, à copia librorũ sic nominatã, quorũ nullus amplius extat. Asuerus libros memorabilũ, Ionathas in Machabæis libros de Spartiatis memorat. in Paralipomenis mẽtio fit librorũ Lamẽtationũ, item Samuelis uidentis, & Nathanis prophetæ, & Gadi uidentis, & Ahiæ Silonitis: qui nusquam amplius apparẽt. Et si profanarũ gentium bibliothecas spectes, nihil de amplissima illa Darij in Ecbatanis bibliotheca, cuius Esdra meminit, præter nomen reperias. Idẽ accidit Philadelphi Ptolemæi nobili bibliothecæ, & alijs. unde discimus, unũ librũ uitæ æternũ fore, qui est Messias benedictus.

IN CAPVT X.

In Sichem.) A loco, cõsilio, procrastinatione, & responso, regis huius imprudentia quãta fuerit, cognoscitur. Nam quod ad locũ attinet, ad eligendum regẽ quæsita est urbs Sichẽ, quæ neq; Dauidi, neq; Salomoni, cũ crearẽtur reges, proposita fuit. Etenim in eo loco illa posita erat, ubi ad res nouãdas maxima patebat occasio & opportunitas. Ciuitas porrò est in tribu Ephraimensi sita, in qua natus Ieroboamus ut suspectus de regno inuadẽdo esset, latêre Roboamum nõ potuit, partim ex paterno in eum odio, partim ex fuga in Aegyptũ: partim ex rumore de eo, ut rex esset futurus in Israelitas, uulgò sparso. Quod uerò ad cõsilium & responsum populo datum attinet, de eo quoq;

quoq; ſuo loco meminerimus. Veteres interpretes obſeruarunt, Sichemam magnis cladibus inſignem eſſe: Dinæ ſtupro, uenditione Ioſephi, uaſtatione qua eam Abimelechus deuaſtauit, et regni (quæ hic narratur) diuiſione.

Miſeruntq; & uocauerunt illum.) Statim à Salomonis obitu, Ieroboamum Sichemã ex Aegypto accerſitum apparet, ad quærendam occaſionem ſub diuina prouidentia deuoluendi ad illum regni. Peruagatum enim oraculũ Abiæ uatis de transferendo Salomonis regno, proculdubiè Iſraelitas non latuit.

Pater tuus duriſsimum iugum.) Sed cur de iugo expoſtulant grauiore? Nũ quòd coacti ſunt ſæpius militare, & bella aduerſus hoſtes gerere? At bella regnante Salomone, conſtituta in toto regno pace, abfuiſſe cõſtat. legimus enim: Et habebat pacem ex omni parte, atq; Iuda & Iſrael abſq; metu ullo uerſabãtur, quiſq; ſub uite ſua, & ficu, à Dane uſq; Beerſabã, toto tempore Salomonis. Aut conqueri quicquam potuerunt de ſeruilibus operibus eis impoſitis? At ſuprà ſcriptum eſt capite nono, à talibus illos liberos faiſſe. Aut ideo fortaſsis de Salomone conqueſti ſunt, quòd ei res neceſſarias ad uictum & regium cultum ſuppeditare coacti ſunt, in eum uſum duodecim præfectis, de quibus ſuprà capite quarto fit mentio, conſtitutis. At nec de his ſumptibus expoſtulare iurè cum Roboamo debuerunt. Nam hæc impendia leuiora, publica regni pax, opesq;, cœli clementia & terræ ubertate auctæ, reddebant, ut facilè eis quod regi ſuppeditarent, ſuppeteret. Neq; illos ius regium, quod eis Samuel ſtatim ab initio expoſuerat, latebat: neq; eo ſciebãt ſe exemptum iri, alio quouis creato rege. Quid ergo eos cõmouit, cur de regio onere & iugo tantopere quererentur? Vt Dei ſententia ſemel in Salomonem lata, de eius regno ſcindendo, impleretur, incitati ſunt Iſraelitæ deficiendi occaſionem quamcunq; arripere: qua nulla uiſa eſt illis potior, quàm ut tributarij iugi alleuiationem proponerent. Nã his potentia Iudææ tribus inuiſa erat, eisq; Ioſephi familiæ euehendæ ſtudium inerat, quæ ſe & multitudine & dignitate ortus ex Rachele & promiſsis diuinis inclytã intelligebat. Hoc modo Dei conſilium de deprimendo Iudææ tribus faſtu per certa ſua media pcedit. De qua ratione perficiendi cõſilij diuini, infrà fit mẽtio. Vbi traditur סבה, hoc eſt hãc rebellandi occaſionẽ à Domino eſſe.

Ite uſq; in tertium diem.) Mora hæc apta ad conturbandas res Roboami erat, qui noſſe debuiſſet, moram, quæ ad res nouas ſpectantibus concedebatur, periculoſam eſſe.

Cum ſenioribus.) quos & ætas & cõſuetudo cum patre Salomone prudentes effecerat. Nam ut ætas ſenilis ſapientia polleat, declarat uulgata illa ſententia: Seneſco ſemper multa addiſcens. Conſuetudo uerò cum ſapientibus ut ſapientiam & prudentiã augeat, illud ſapientis Salomonis dictum indicat: Qui uerſatur cum ſapientibus, ſapiens efficitur.

Si hodie obedieris populo huic.) Senilis prudentiæ conſilium, à regio & uulgi ingenio ſumptum.

Seruieris.) Prudens reſponſum, & ad tempus tum commodum, tum neceſſarium. Perpenderunt ſapientes uiri, clementia regnum diuturnum retineri, inclementia & ſæuicie amitti: & uulgus nulla re magis in officio detineri, quàm regum manſuetudine. Hac de re præclarè Iſocrates ad Nicoclem diſſerit.

Verba lenia.) Qui intelligerent illud patris Salomonis uerum eſſe: Reſponſio mollis furorem ſedat, oratio moleſta iram excitat.

Sic loquere populo huic.) Iuuenilis conſilij exemplum, quod uindice ira Dei contra Roboamum edebatur.

Qui dereliquit conſilium ſenum.) ſuo malo, non perpendens patris admonitionem: Audi conſilium ſapientum.

Et audiuit adoleſcentes.) rerum imperitos, & prudentia uacuos. Vnde ad amittendum regnum uia muniebatur. Nam prudentibus conſilijs ſeruatur regnum, imprudentibus perditur. Itaq; Ieſaias cum prædiceret Hieroſolymam ruituram, uaticinatur, Deum conſiliarios & ſapientes homines de illa ſublaturum.

Pater meus cecîdit uos flagellis.) Iuuenes non ponderabant peruagatam illam ſententiam: Malus cuſtos diuturnitatis metus. Imprudens filius nõ ponderauit ſententiam illam patris Salomonis: Bonitas & fides cuſtodiunt regem. Exemplum hic degeneris filij oſtenditur, ut uera ſit ſententia illa: Heroũ filij noxa. Idem exemplũ in Cain, Cham, Eſau, Abſalom cernitur. Phyſici, cur ſapientes uiri diſsimiles ſui liberos generent, rationem exquirentes, dicunt id fieri ob nimium ſtudium ſapientiæ, quo naturali uigore corporis abſumpto, genitalis facultas debilis reddatur, & inepta gignendis liberis qui ad res gerendas ſint apti. At hic ſcriptura cauſam reijcit in Dei conſilium, cui placuerit tam inſipientem regem Salomoni ſuccedere, qui ſemel ſtatuiſſet regnum eius ad alios transferre, ut ſequitur.

Quoniã auersatus fuerat eum Dominus.) Ratio hæc diuino ore exposita ostẽdit, in prouidentiam Dei pariter & finem, & media ad finem conferentia, cadere. Finis erat scissio regni: media ad hunc finem ordinata, stulticia regis Roboami, rebellio populi, imprudens iuuenum cõsilium, & huius usurpatio, seniorum deliberatione contempta. Quapropter quæcunq; menti diuinæ proposita sunt, aut fatalia, aut cõfatalia habentur. Fatalia in fine, confatalia in medijs rebus numerantur. Igitur si quis percunctetur, liberum ne fuerit Roboamo seniorum consilium sequi, & iuniorum aspernari: legimus hic, Roboamum spreto seniorum consilio, populo nõ acquieuisse, quod ita disposuisset diuina præsciẽtia. Quæ ut est ineuitabilis, ita non fuit in potestate Roboami diuersum sequi. Sicut, quia Satan destinatus fuit ante conditũ mundum, cum suis ministris, ad exitiũ: ita sub æterna illa destinatione non fuit in uoluntatis Satanæ ui ac facultate positum sanctè cogitare uelle & facere. Vt contrà electi & scripti in libro uitæ, sub electione æterna & immutabili non possunt non liberè, hoc est uoluntariè ea cupere & sequi, quæ ad salutem pertinent. Firmum enim est quod Christus de ouib. suis dicit: Et eas nemo potest rapere de manu mea. quòd destinatio ad uitam stabilis sit, nulla contraria ui labefactanda: & ex ea certò dimanet spiritus Christi, ueram iusticiam & uitam afferẽs. ut est apud Apostolũ: Quos prædestinauit, eos uocat: & quos uocat, eos iustificat. Obijcias: Ergo ut perficeretur uoluntas Dei de diuidendo regno Salomonis, necesse fuit Roboamum populo non acquiescere. quod si ita res habet, efficietur, ut sit concedendum, sententiam & propositum Dei humanæ uoluntati uim & necessitatem in expetenda quapiã re, aut fugienda, afferre: quòd cum natura uoluntatis pugnare uidetur. facultas enim ac uis aliqua ita uoluntatis nomine censebitur, si liberè, non necesse, in expetendis ijs quæ placeant, & fugiendis contrarijs uersetur. Quæ necessitas pugnet cum uoluntate, quæ non item, quæ præterea liberæ uoluntatis ratio non contendat cum certo & infallibili proposito Dei, & eius prænotione, ea de re aliàs prolixior instituta est explicatio. In quo argumẽto enodando uidendum fuerit primò, quid nomine liberæ uoluntatis accipiatur: deinde, quæ libera uoluntas in natura uetere, quæ itẽ in noua, hoc est spiritu Christi innouata, cernatur: deinde, ut uolũtas subijciatur infallibili proposito præscientiæ diuinæ. neq;, ut falsa liberæ uoluntatis ratio defendatur, affirmandum sit, præscientiã in Deo rerum futurarum pendere à uoluntate humana, non contra uoluntatem & eius conatum atq; studia à Dei proposito et prænotione. In quo errore sunt qui liberam uoluntatem malè definientes, tradunt ab hac pendêre præscientiã diuinam: non contrà uoluntatem illi subijci. atq; ita nõ ideo aliquid euenturum à uoluntate, quia Deus præuenerit id euenturum: sed quia quicquam ab ea futurum sit, ideo à Deo præsciri futurum. In quo errore etiam Græci theologi sunt, qui eis obrepsit, ut liberum arbitrium defenderent: in cuius mala tractatione quantum peccetur, alio loco indicatum est. Cæterùm quod nos interdum has uoces, fatũ, fatale, & confatale usurpamus, nemo offendatur. nos enim eo sensu à nobis accipi uolumus, quo sacræ literæ omnia quæ cœlo & terra continentur, ita diuina prouidentia fieri, regi & gubernari dicunt, ut eius cõsilio & decreto à summis per media, usq; ad infima, cũcta apta rerum serie subijci intelligantur. In qua serie, connexione & ordine nihil temerè, sineq; uoluntate & consilio Dei, & eo certo, definito & immutabili oriatur, seruetur & intereat: et quæ in hac rerum uniuersitate contingunt, siue bona siue mala, omnia immutabili proposito Dei referri ad gloriam maiestatis diuinæ, & ad salutem eorum quos ante iacta fundamẽta mundi Deus in Messia filio suo ad uitam destinauit. Atq; hæc est summa consolatio sanctorum, cum inde intelligunt salutem suam nõ in mobili aliqua natura collocatam, non super arenam ædificatam: sed super eam petram ædificatam, quam nulla tempestas loco moueat: & in ea mente repositam, quam nulla uis contraria impediat, quo minus suos quos semel in filio cœpit amare, seruet. In hac consolatione peccatum, mors et Satan prædestinationi diuinæ, per sanguinem & spiritum Christi salutem expedienti, subijciuntur: non à uoluntate humana, & eius studijs propositum Dei in seruando pendêre accipitur, expenso illo: Non est uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. hoc est, misericordia sua præuenientis omnem humanam cogitationem & uoluntatem. Cæterùm in uoce סבה alij dispensationem & ordinationem diuinam accipiunt: alijs μεταστροφὴ est, ut Græcis. Hanc animorum commutationem ac conuersionem à Deo profectam, qua se Israelitæ à Roboamo auerterent. Paraphrasti similiter est פלוגתא hoc est, dissensio, diuisio, secessio. alijs סבה est occasio. Hanc occasionem rebellandi diuinitus oblatam, quæ à uertendo sic appellata est ab Hebræis, decreto & consilio Dei ita uersam, ut Israelitæ rebel-

rebellarent, qui semel statuisset scindere regnum Dauidis.

Quæ nobis pars in Dauid.) Talionis uox: Si Roboamus nos pro suis, quos æquo imperio regat, non habet: neq; nos eum pro rege agnoscemus. Similis uox suprà à Seba iactata est. Vox est deficientium & rebellium.

Recessitq; Israel à domo Dauid.) Narratur durus Roboami casus, in quem sua imprudentia uindice ira Dei incidit. Vnde discimus primò, in Dei manu & potestate imperia & regna consistere, eorumq; certas esse conuersiones ac periodos, ut est apud Danielem: Deus constituit regna. Deinde, quanta mala & calamitates afferat peccatum, quod bella, exilia, orbitates, inclinationes regnorum, & eorum interitus comitari uidemus. Demum in hac narratione animaduertimus, aliam rationem imperij Dauidis, aliam aliorum regnorum esse. hæc nimirum funditus euerti: illud sic minui, ut restituatur meliore & præstantiore nota, carnali in eo conditione in spiritualem, terrena in cœlestem, atq; mortali in immortalem formam & rationem commutata, dum Dauidi & eius regno, Messias cœlestis rex cum suo cœlesti regno succedere intelligitur. De quo illud: Et thronus eius erit sempiternus.

Et constituerunt eum regem.) ex oraculo Ahiæ uatis. Non explicatur locus, in quo Ieroboamus rex creatus sit. Verisimile est rediisse Israelitas Sichemam, & ibi creatum ab eis Ieroboamum regem. Nam legitur, hanc ab eo in regiam sedem instauratam. Amplificatur miseri casus exemplum, à persona tum regis, tum Israelitarum, & ab amplitudine amissi regni, quo cum tanta tranquillitate usus fuerat pater Salomon. Tempus etiã ipsum auxit infelicitatẽ, quod uno momẽto tantis opibus, potẽtia et gloria priuatus fuisset.

Et congregauit.) nõ ponderans sententiam illam, Scindam regnum tuum.

Audierunt sermonem Domini.) Duplex bonitatis diuinæ exemplum hic ostenditur: unum, quòd per prophetam suum admonuit regem, ne bellũ Israelitis sibi exitiale inferret: alterum, quòd regi & Iudæis animum obediendi, dictoq; uatis audiendi concessit. Nã in utroq; salus nostra sita est, & habere uerbum Dei, & ei obtemperare. Itaq; Roboamus q. diuino oraculo paruit, seruatus est, ut impleretur illud: Sed tribũ unam dabo filio tuo, propter seruum meũ Dauid. Qui seruantur igitur, una ratione seruantur, uerbo Dei uidelicet fidem habendo. qui uerò pereũt, & miseri sunt, duplici ratione miseri sunt: una, quòd carent uerbo Dei, uerbo lucis & uitæ quo regantur: altera, si oraculis diuinis, cum ea habent, non parent.

Et reuersi sunt de itinere.) secus cadente re quàm pro illorũ consilio. Vera igitur sententia illa est à Salomone in Prouerbijs exposita: Multa consilia ab homine ineũtur, sed eius gressus dirigit Dominus. item alio loco: Multæ cogitationes in hominis mente sunt, sed Domini uerbum ratum est.

Et ædificauit Ieroboam Sichem.) muniuit, & ædificijs exornauit. Nam uerisimile non est, à tempore Abimelechi uastatam & dirutam mansisse, à quo usq; ad Ieroboamum plus ducenti anni defluxerunt, quibus nobilis & antiqua urbs in memoriam Iacobi instaurari potuit. Similiter legitur in Paralipomenis Roboamus ædificasse, hoc est refecisse ac instaurasse atq; muniisse in Iudæa & Beniamensi tribu Bethlehemam, Etamam, Thecuam, Bethsurem, Sachonem, Odollamã & Maresam, et nonnullas alias. Nos legimus in hac narratione, perpetua bella fuisse inter Roboamum & Ieroboamum: ideo uterq; loca iniurijs opportuna ad prohibendam hostilem incursionem firmauit.

Phanuel.) Nomen urbis trans Iordanem Manassensis tribus, cuius turrim Gedeon demolitus est. Loco nomẽ inditum est ab eo, q. Iacobus ibi Deum præsentem uidisset. Duorũ igitur locorum quæ singulari cura Ieroboamus communierit, Sichemæ & Phanuelis, hic fit mentio, quòd ambæ memoria Iacobi celebres essent.

Dixitq; Ieroboam,) Exemplum pernicioſi cõsilij humanæ prudentiæ in Ieroboamo: in quo hæc improbum regem põderasse animaduertimus, primò nouum regnum noua religione confirmandum esse, ut eius uerba quæ mox cõmemorabuntur, declarant: deinde cogitabat, hanc nouã colendi Dei rationem, à uero cultu non abhorrere, qui nõ alium Deum quàm unum quem maiores coluissent, colendum proponeret: & in eo loco, ni mirum Bethele, colendũ proponeret, qui sacer esset ob memoriam patriarchæ Iacobi. In ore enim tam Ieroboami & Israelitarũ nomen Iehoua personabat, quàm in ore Roboami & Iudæorũ q Hierosolymis illũ colebant. Præterea secũ reputabat, hunc cultũ à se institutũ, Deo improbatum nõ iri, cuius oraculis regnũ ob culpã Salomonis Iudæis ademptum sibi traditũ fuisset. Quib. cõsideratis, prudentia humana sceleroso regi dictabat, eã religionem Deo probari, et à populo recipi debere, quæ ad cõseruandum diuinitùs ad se delatũ regnũ

non

non exiguum momentum & pondus haberent. Talem aũt esse hunc quem ipse excogitasset Dei cultum. De partibus huius consilij, & de ratione eius refellendi, inter interpretandũ meminerimus.

Nũc reuertetur.) Sed à quo deficere Israelitas fas non erat, quòd extra Dauidis regnũ nullum quod Deo placeat regnum, & extra Hierosolymam nulla quæ Deo probetur, religio locum habeat. Dicas, Deo autore diuisum Dauidis regnum, & decem tribuum regnum Ieroboamo assignatum. Huius assignatio tanquam legitima, Deo probata non est: sed tanquam pœna, qua Salomonis culpa in posteris puniretur, & per occasionem Salomonij criminis, ea diuisio adumbraretur, quæ posteris temporibus inter electos futura erat. & quoniam hanc finiendam tandem diuina sapientia prænouerat, Ieroboami metus, quo metuebat fore ne Israelitæ Hierosolymam reuertentes cum Dauidis regno cõsociarentur relicta secessione, uanus non fuit. Firmum enim est illud Oseæ uatis: Et posthæc reuertentur filij Israel, et quærent Dominum Deum suum, & Dauid regẽ suum. Cuius reuersionis typi ut designati sint tempore Ezechiæ, infrà monebitur.

Si ascendat populus iste.) ter in anno ex lege diuina, quam præ se & suis commodis improbus rex contemnebat. Verbum ascendendi indicat, undiq; ad Hierosolymam ascendi, sacro mõte Sione propter templum inclytam. Deposita umbra, cœlestis cum suo cœlesti templo Hierosolyma occurrit. Ad hanc ascenditur eo ascẽsu, de quo Apostolus: Itaq; si resurrexistis unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est, ad dextram Dei sedens: superna curate, non terrestria. Hunc ascensum odio habent Ieroboami, hoc est, omnes quibus inuisus est Dauid Christus, & cultus in Hierosolyma & templo institutus. Intueamur tempora Antichristi. Quo modo autem sit intelligendus ascensus in Hierosolymam cœlestem, ea de re alio loco mentio facta est.

In domo Domini.) Fatetur impius rex, & Dominum esse, & Hierosolymitanum templum Domini templum esse, & totum cultum eius à Domino institutum: sed cupiditate regni in transuersum actus, illo neglecto, ad nouam religionem animum adiecit, quàm suis studijs aptam cognosceret. Hunc Ieroboamum quem imitẽtur, regnante hypocrita aduersario Christi cœlestis Dauidis, satis notum est pijs.

Ad dominum suum Roboam.) Agnoscit etiam perfidiam in Israelitis, qua à Domino suo Roboamo perfidè defecissent. Dicas, Dei uoluntate & cõsilio defecisse. Bene quidem: sed hæc Dei uoluntas probauit quidem defectionem illam ut pœnam, qua familia Dauidis ob culpam mulctaretur: crimen uerò perfidiæ, quo desciuerant excogitata noua religione, reprobauit. Solet enim Deus scelera sceleratorum sceleribus punire: quæ cum ueniant in nomen mulctæ, probantur Deo, ut flagella: cæterùm ut uitia damnantur. Recto & æquo Dei iudicio defectio illa dispensabatur, improbè autem ab Israelitis adornabatur. Animus in utrisq;, qui non idem fuerit, discrimen facit. Ad hæc non idem finis utrisque propositus fuit: Deus in illa rebellione exitum salutarem cogitabat, ut Dauidis domus finita castigatione in Christo amplificaretur. ueluti suprà scriptum est: Veruntamen non semper puniam, &c. At Israelitæ cum suo rege libidinem animi, quam explerent: secuti sunt, omnia quæ aduersa ueræ religioni essent, proposita habentes.

Regem Iuda.) Tria hic cogitabat Ieroboamus, arbitra cõscientia. unũ erat, ad Iudæam tribum pertinere legitimum regnum, ex oraculo illo Iacobi: Non auferetur sceptrum de Iuda, donec ueniat Silo. Hanc conscientiam tamen incebat libido regnandi superstione adiuta, quæ ueram religionem imitatur, ut auaricia liberalitatem, audacia fortitudinem, malicia prudentiam, adulatio amicitiam imitatur. Alterum est, quod in hac causa perpendebat: uulgus mobili esse animo, eumq; instar maris fluctuare, cui temerè fidi non debeat. Tertium est, rebellium & perfidorũ ristem & infelicem ultore Deo exitum esse.

Et interficient me.) Hæc loco hoc ponderantur. Primò, impiorum uitam plenè esse metu, ut ea meritò apud uatem Iesaiam mari æstuoso & agitato uentis comparetur. deinde impijs accidere, quod metuunt. Nam is Ieroboamus miserè ob delicta sua cum familia periit. Itaq; reuocata hypothesi ad thesim, occurrit sententia illa celebris à Salomone in Prouerbijs enunciata: Quod timet impius, id accidet ei. Tertiò perpenditur hic, cuiusmodi sit ingenium impiorum, eos sic compositos esse, ut uitam præsentem curæ habeant: futuram, hoc est illam ueram & æternam contemnentes, opes & diuitias huius mundi persequantur, ueras illas quæ in pietate & regno Dei cernuntur, aspernentur. Demum ponderatur, improbos omnia ad sua cõmoda referre, & ut suas opes, potentiam & dignitatem in hoc mundo conseruent, ab eis religionem & cultum Dei fingi, qui ipsis conueniat, non qui Deo gloriosus sit. Exemplo

xemplo est pastor ille stultus Antichristus, & hoc loco Ieroboamus, qui dicit hic, Ne interficiãt me, eos noua religione à cultu diuino Hierosolymis instituto abalienabo. Sed dum interim sic cogitat, non animaduertit se & suos Israelitas ista sua rebellione & falsa religione utramq; uitam, præsentẽ & futurã, uindice iusto Deo, amittere.

Fecitq; duos uitulos.) In huius noui cultus institutione res & personæ cõsiderandæ proponuntur. Res erant, nouum templum, nouæ aræ, nouus locus in quo res diuina fieret: tempus præterea festis diebus deputatũ, quos ad imitationẽ solennitatum quæ Hierosolymis celebrabantur, instituit. In personis noui sacerdotes ex alio quàm Leuitico genere delecti cernebantur. In qua mutatione contra diuinam legem facta quantum deliquerit, lex Mosæa in quam peccauit, & exitus eius cõprobat. Quod ne faceret, miserrimus Coræ, Dathanis & Abyrami casus eum admonere potuisset: qui quòd sacerdotium & sacrorum procurationem sibi uendicassent, infeliciter perierunt. Eadem igitur uox in Ieroboamum cõuenit, quæ in Eli liberos pronunciata in primo Regum libro legitur: Nõ paruerunt dicto patris sui, quia Dominus uoluit occidere eos.

Ecce dij tui Israel.) Imitatur uocem illã ab Israelitis iactatam de suo uitulo: Hi sunt dij tui Israel. Vitulos suos aureos nomine diuinitatis exornat Ieroboamus, deinde liberationis ex Aegypto beneficium alienis dijs ascribit, summo opprobrio eius qui dicit in Exodo: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex terra Aegypti. Dicas, Ieroboamum & Israelitas tam stultos non fuisse, ut aureos uitulos sensu & motu carentes Deum suum agnoscerent, ut nec Israelitæ uitulũ quem in solitudine Arabum ex auro conflarant cultus diuini gratia tanquam cœleste numen adorarunt, cum Iehoua agnoscerent, dicentes: Cras festum Iehoua est. Quæ enim unquam gens tam barbara & immanis fuit, quæ res inanimes numen diuinum, quo cuncta in cœlo & in terra sapienter gubernantur, esse crederet? Quanto minus credibile est, Ieroboamũ & Israelitas in Mosæa lege educatos, & quorum religio sub Dauide & Salomone floruerat, uitulis ex auro, humanis manibus elaboratis diuinitatem tribuisse. Fatemur uitulum non habitum in ea existimatione, qui natura Deus esset: neque ab ullis gentibus ullam naturam conditam ita adoratam, ut non intelligeret creaturam pro Deo uniuersitatis huius rectore & gubernatore uenerandam non esse. Quod si sapientibus huius mundi sua sapientia, hypocritis sua iusticia, auaris suæ diuitiæ, tyrannis sua potentia pro Deo est: id tamen ita fit, ut confiteantur interim ueritatẽ in iniusticia detinentes, unum numen diuinum esse, quo omnia sapienter gubernentur. In his enim quod de Deo cognosci potest, manifestũ est, dum quæ sunt inaspectabilia illius ex mundo tanta arte extructo ab eis intelliguntur. Quòd ergo in sacris literis gẽtes, & has imitati Israelitæ deos alienos coluisse redarguuntur, id partim accidit, quòd non in uno Dei numine salutis præsidia ponerent, contra legem illam: Ama Dominum Deum tuum ex toto corde. partim, q; Deus cœli & terræ fabricator, non ea ratione coleretur, qua præcepisset se coli. In dijs igitur alienis omnia, in quibus præter & extra Deum confiditur, & omnis colẽdi Deũ ratio ab homine inuenta, & in sacris oraculis nõ præscripta continetur. Quod igitur dicit Ieroboamus hic de uitulis aureis à se institutis, Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te ex Aegypto: nõ intelligit, à uitulis illis aureis, tãquam uero Deo, Israelitas ex Aegypto eductos, quos sciebat tum in rerum natura non fuisse: sed Iehoua, quem in uitulis à se excogitatis colendum proposuisset, illum Iehoua esse, qui Israelitas ex Aegypto eduxisset. Quòd cum faceret, & in eo cultu salutem reponeret, idololatriæ crimine se obligauit, & deos alienos sequi iudicatus est, repudiato Iehoua, quẽ nouo cultu colere tẽtasset: quem solum eo cultu, quẽ sacra oracula monstrabant, in Messia æterno Dei uerbo colere conueniebat. Cum hoc Ieroboamo aureos uitulos colunt, quotquot contempta Hierosolyma, hoc est filiorum Dei ecclesia, & rege eius Dauide Messia, per superstitionem pietatis speciem præferentem, alienis sacris Deum colunt. Aliena autẽ sacra sunt, quæ Euangelio Christi per Apostolos propagato non cõtinentur, quibus Antichristi regnum repletum est. Is cum Ieroboamo in Ecclesia hanc uocem audet edere: Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te ex Aegypto. In his dijs numerantur, iusticia legis et factorum, cõtempta iusticia fidei: merita diuorum, uota monastica, missæ pro uiuis & mortuis celebratæ, templa, aræ, idola, suffitus, olea, sales, & si quæ sunt eius generis præter & contra uerbum Dei diuini cultus gratia instituta. Nõ enim fas est ulli creaturæ naturæ fidei articulos condere, nõ angelis, nõ diuis, nõ Ecclesiæ, quocunq; cuiuscũq; potestatis prætextu facto: sed ea potestas solius Dei patris est, & Christi filij eius.

Posuitq; unum in Bethel.) impulsus, ut id faceret, celebritate loci Bethel, cui istud no

nomen patriarcham Iacobum dedisse intelligeret. Sic enim legimus in Gen. cap. 28. Et uocauit locum nomine Bethel. Verisimile est igitur, cogitasse Ieroboamum, hunc locum nõ minus gratum fore, quàm fuisset Hierosolyma, qui à sancto Iacobo domus Dei appellatus esset. Proinde dignum fore, qui in usum tẽpli diuini sacraretur Deo. Hac specie, quam hypocrisis, hoc est simulatio pietatis cum extra uerbum Dei quicquam tẽtatur, præ se fert, hoc colore & fuco in regno Antichristi capitis hypocritarum omnia plena reperias. Atq; hæc ipsa fraus ac deceptio à uersuto et callido serpente Satana, solito se in angelum lucis transformare, excogitatur. Is in Ieroboamo decipiendo hac captione ac fallaci cõclusiuncula usus est: Deus maiorum uestrorum in Dauidis stirpẽ iratus est, ut eius regnum sciderit. igitur etiam religioni & cultui, quem Hierosolymis sequuntur, infensus est. Captio est ἀπὸ συμβεβηκότος, id est, ex accidente. Qualis captio sit, si quis concludat, naturale lumen in mentibus humanis falsum lumen esse, quòd philosophi in multis errent & hallucinẽtur: & legem peccatum esse, quod eius lumen peccatum augeat, & iram diuinam accendat.

Et alterum in Dan.) Ne tanta multitudo cogeretur in uno loco confluere, duos fines regni sui ad hunc nouum aureorum uitulorum cultum, alterum meridionalem Bethelem, alterũ septentrionalem Danem designauit. Quæ Dan ad aquilonem celebris finis terræ sacræ fuit. Vt patet ex illo: A' Dane usq; ad Beersabam. Bethel autem in confinio Ephraim & Beniamensis tribus posita, terminus meridionalis regni decem tribuũ erat. Quæ posteris temporibus בית־און, hoc est domus improbitatis appellata est, propter aureũ uitulum in ea à Ieroboamo cõstitutum. Huc pertinent frequentes illæ admonitiones prophetarũ de Bethauen cauenda. Oseas: Nolite ingredi in Gilgala, & ne ascendite in Bethauen.

In peccatum.) In offensam & ruinã peccato contractam.

Ibat eũ populus.) Exponitur הלכו את. Ex hac narratione hæc cognoscimus. Primò, q̃ Israelitica gens duræ ceruicis fuerit, & animo parum ad sacram disciplinam sequaci. Quæ duricies ut crebrò ei obijciatur, satis id ex seuera Mosæ, prophetarum & Christi Domini nostri reprehensione patet. Deinde qualis sit ea functio et administratio, qua lex Mosæa administratur, eam uidelicet non spiritus, sed literæ, non mollium pectorum, sed saxeorum, non gratiæ, sed iræ, non uitæ, sed mortis administrationem esse, ut ex hoc præsenti exemplo & alijs clarè ostenditur. Quare meritò Ioannes per contentionem hanc administrationem eleuat ad publicam Euangelij dispẽsationem amplificãdam, cum ait: Lex per Mosem data est, gratia et ueritas per Iesum Christũ exorta est. Tertiò hic admonemur, quàm periculosa et ad excutiendum iugum legis diuinæ insidiosa res sit, rerum abundantia, ocium & trãquillitas publica. Exemplo hic sunt Israelitæ, qui summa pace & rerum affluentia, qua regnante Salomone usi fuerant, insolentes redditi, abiecto uero cultu Dei, aureos hos uitulos cœperint adorare. Itaque Moses magnus propheta hæc oraculari luce præfulgente præuidens, sic uaticinatus est de Israelitis: Pinguefacti recalcitrarunt. Ex contrario igitur cõmendatur usus crucis, de quo Dauid: Bonũ est mihi, quia humiliasti me. Itaq; iam parta tranquillitate & pace, Constantino regnante, sequentibus temporibus, qualis Ecclesiæ status esse cœperit, studium in extruendis in diuorum honorẽ templis, accumulatæ ceremoniæ ad imitationem legis Mosæ, eius reuocatis umbris, obseruatio elementorum mundi ad onerandas conscientias per obliuionem ueræ libertatis sanguine Christi comparatæ, dum ad apertam idololatriam uentũ sit, repertis qui impudenter idola in templis collocanda & adoranda esse contra legem diuinam affirmarint. Non commemoro episcoporum luxum ex ocio & opibus subortum, & ambitionem, maxima mala ecclesiæ dantem. Quare mirum est, esse qui comprobent, ea quæ de Christi regno in gentes & Israelitas propagãdo promissa sunt, hactenus impleta esse: non expensis quæ Apostolus de filio perdito sessuro in loco sancto, & Ioannes in Apocalypsi de mille ducentis & sexaginta diebus qui oraculares dies sunt (quorum singuli singulos annos ualent) quibus mulier ecclesia in solitudine persequẽte eam dracone oberratura sit: per quam sanè persecutionem, ut impleri potuerint, quæ Israelitis & gentibus promissa sunt, iudicent pij & docti spiritu homines.

Ad adorandum uitulum.) In לפני notatur, eos conspectum & cultum idoli quæsiuisse. Græci eos secutos aureum uitulum significant, ubi uertunt ὀπίσω φ μιᾶς: & uanè cultus explicandi gratia addunt de suo, κ) ἔθεσαν τὸν οἶκον κυρίου.

Et fecit fana in excelsis.) Hebræa ועשה בית במות, id est, & fecit templum excelsa, sic sarciunt: Fecit templum, & ad excelsa in quibus colerent Deum. In במות aræ accipiuntur, supra quas res diuina fit.

De

De extremis populi.) Mutatur & sacerdotium contra legem Mosaicam, quòd Leuitico generi de stirpe Aaronis tributum fuerat. Cæterùm קצות hic quæ uox extremos significat, alij de גרולים, id est, claris & illustribus uiris, ex quibus sacerdotes creati sint, alij de uulgaribus interpretãtur. Apparet ad munus sacerdotij, quod sacrum habebatur, non uulgares & ignobiles delectos, sed magna existimatione uiros, præsertim cum sacerdotio fungi Ieroboamum ipsum non puderet. Nam in uoce קצות tales interdum significari, Iudicum liber comprobat cap. 18.

Qui non erant de filijs Leui.) quòd hi aspernarentur aureorum uitulorum cultũ: qui relictis suis pomœrijs atq; possessionib. in Iudæã & Hierosolymam ad Roboamum se receperunt. Qua de re uideris in altero libro Paralipomenõ, cap. 11. Exemplum constantiæ in conseruando uero cultu Dei, & repudiando falso, à Leuitis editũ est, ut etiam ea tribus in uindicando aureo uitulo in Arabum desertis ab Aaraone erecto, constantiam & animi fortitudinem declarauit, ut uidere licet in Exod. cap. 32. Vbi hæc uerba leguntur: Si quis est Domini, iungatur mihi. aggregatiq; sunt ad eum omnes filij Leui. Itaq; Moses Leuiticæ familiæ in custodiendis oraculis Dei fidem laudãs, in Deut. cap. 33 sic ait: Qui tuum uerbum conseruant, tuumq; fœdus tuentur.

In similitudinem festiuitatis.) Vt solet hypocritarũ religio ueram imitari, quòd quoniam citra uerbum fit, idololatria est. Sic sacerdotes uncti & rasi in regno Antichristi, sedentis in Bethel, hoc est, in domo ac templo Dei, cum Aaronis sacerdotium uestitu, sale, suffimentis, & aris citra & contra uerbum Dei, in eam reprehensionem incurrunt, in quam Ieroboamus incidit, quæ sequitur:

Sacerdotes excelsorum.) In Paralipomenis etiam dæmonum fit mentio.

Quem finxerat de corde suo.) אשר ad festiuitatẽ refertur: hanc de Ieroboami sententia fictam, non ex uerbo Dei institutam. Contrà q̃ de cultu diuino, quem Hierosolyma habet, traditur. De quo his uerbis in Paralip. fit mentio: Omnia, inquit, uenerunt ad me scripta manu Domini, ut intelligerem uniuersa opera exemplaris.

De corde.) uitioso ueteris hominis, aduerso cordi noui & cœlestis hominis accipitur. de quo in Genesi: Et omne יצר, id est figmentũ cordis eius, ad malum propensum est.

IN CAPVT XIII.

Ecce uir Dei.) Antequam Dominus Ieroboamum & familiam eius euertit, per uatem illum sui criminis admonuit, ut redire ad meliorem frugem recusantem æquo iudicio perderet, qui seruari nollet. Qua in re quæ sit æquitas Dei in iudicando, & uerorum uatum munus, cernitur. Quod munus, ut ex hac narratione patet, tribus in rebus uersatur: in docenda ueritate, & reprehendendis contrarijs uitijs: in futuris rebus, siue aduersis siue prosperis, annunciandis: & in precatione. De singulis partibus muneris prophetici in ipso textu fit mentio. Huius muneris exempla in Noa, Abrahamo, Mose, & reliquis prophetis atq; oraculorum diuinorum ministris exhibentur. Cæterùm quod nomen uatis huius fuerit, narratio hic non explicat. Verisimile est, ut interpretes monent, Iedonem fuisse, cuius sub finem capitis noni, libri secundi Paralipomenon, fit mentio.

De Iuda.) quam tribum oderat Ieroboamus: qua de causa graue proculdubio fuit uati illi, erroris sui reprehendere Ieroboamum. Nam si per se odiosum est redarguere quemuis, quãto odiosius hostem, & potentem hostem, qui acerbiorem reprehensionem ulcisci posset? qualis fuit Ieroboamus, cum rex esset. Sed longè grauissimum est, potentes hypocritas, præsertim cum sunt in ipsa functione ficti cultus Dei, suæ dementiæ acrius insimulare. Exemplo hic Ieroboamus est, & in filij perditi regno ex mera hypocrisi conflato, hypocritæ. Intueamur superiora et nostra secula.

In Bethel.) nouo templo, aris, sacerdotio, & uituli alterius cultu infami loco. unde nõ parũ periculi uati diuino imminebat. Sed robur diuini spiritus in illo uincebat omnia mũdi & principis mundi consilia & conatus, ut sequitur:

Ieroboamo stante super aram.) Ieroboamus hic legitur ad aram suffitum facere, ad imitationem Mosaicorum sacerdotum: neq; hunc deterrebat exemplum eorum qui facta aliena suffitione terræ, hiatu absorpti sunt. De quibus uide ris in Numeris cap. 16.

Altare altare.) Conduplicatio hæc minandi causa usurpatur. Qualis est etiam illa: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas. Ecce relinquitur, &c.

Iosias nomine.) Qui infrà lib. 4. Reg. cap. 22, iustus prædicatur fuisse, omnemq; uitã ad Dauidis patris exemplũ sanctè & integrè traduxisse: atq; ea animi probitate præditũ fuisse, ut fœdã hanc Ieroboami religionem ausus sit extirpare. Hoc graui & duro oraculo quantum onerarit improbum hominem, mox ostendetur.

Et immolabit super te sacerdotes.)

Loquitur cum ara,ei audiendi sensu figuratè affecto. Talionis lege hic agitur,par esse,ut sacerdotes Bethel bestiarum ritu immolentur, qui in bestias degenerassent. Quid enim aliud sunt homines quam beluæ, si eos spoliatos doctrina Dei,Satan suo spiritu ferat atq; agat ? Quò pertinet illud uatis:Homo cum in honore esset,non intellexit, similis factus est iumento.

Et ossa hominum.) Idq; fecisse Iosias infrà legitur:Cum respiciens animaduertisset sepulchra quæ illic erant in monte, curauit afferenda ossa ex illis,eaq; in ara combussit.

Extendit manum suam.) Exemplum obfirmationis animi ad oracularem admonitionẽ. Itaq; ut lutum ad solarem splendorem indurescit, ita impiorum pectora ad facem oraculorũ Dei indurescunt. Exemplo hic Ieroboamus est, exemplo Caina soboles,exẽplo Pharao,Saulus et cæteri orbis terrarum tyranni. Contrà pij habent, ad lumen uerbi Dei instar ceræ mollescentes.

Et exaruit manus eius.) quam in sacrũ uatem Dei oracula exponentem intentarat. Reuocata hypothesi ad thesim, monémur, magna nostri consolatione extentam impiorum tyrannorũ manum,hoc est uim,robur & potentiam, aduersus legatos diuinos nihil posse:sed eam in conspectu eorum exarescere,cum Ieroboami manu. Sic Assyrij manus ante Hierosolymam,sic Pharaonis in mari rubro manus exaruit: hoc est, uis & potentia extincta est. Admonemur etiã hoc exẽplo,ipsos impios homines nõ perinde in sua potestate exitum consiliorum suorum habere, ut uoluntatem ad malum habent. Vnum numen Dei in utroq; liberum esse,& uoluntate & ui expediendi ea quæ uoluntate sua liberè constituerit,de qua diuina libertate consiliorũ et exitus Vates:Quæcunq; uoluit fecit in cœlo & in terra. Exaruisse item legitur manus Ieroboami:ad significandum, improbos hypocritas diuino spiritu carere,quò rectè & cogitent & agant, quamlibet se foris sapere bene & agere simulent. Quale enim membrum in corpore humano sit, & quem usum habeat manus, pijs non ignotum, & alijs locis demonstratum est.

Deprecare faciem Dei.) Phrasis inde sumpta,quòd eos quos precamur,nobis uultum,nõ tergum obuertere cupimus: quòd in hoc implacati animi,in illo placati significationem inesse intelligimus.

Domini Dei tui.) Nõ dicit,Domini Dei mei,quem non coleret ex uerbo eius, ex quo certò cognosceret Deum suum esse. Vnde intelligimus,etiam improbos fateri,Iehoua uerum Deum esse Hierosolymis cultũ,ab ijs qui Dauidis regno parent. Sed nõ fatentur suũ Deum esse,à quo antẽ tur,& curæ habeantur: quòd talem nemo agnoscat,nisi qui Dauidis Christi imperio continetur: cuius spiritu afflati solũ,inclamamus Abba pater.

Et reuersa est.) Phrasis de restituta manu. Exaudiuntur & improbi hypocritæ, pro eis pijs orantibus:non tamen ipsorum bono,sed malo. Nam hoc beneficio indurati,grauius pereunt. Restituitur Ieroboamo manus, sed mens eadem manet,imò deterior redditur. Sic est ingenium eorũ qui ad interitum destinati sunt, quibus cedunt omnia in deterius,ut pijs in melius. A' ueteribus ergo hæc sententia edita est: אם תבתרש את האויל במבתש לא תוציל בלם, id est, Si stultum contuderis,nihil prorsus efficies: nam redit ad stulticiam suam. In uerè autem stultis nominantur improbi, & ueræ religionis contemptores,falsæ sectatores: de quibus stultis uates:Dixit insipiens in corde suo,non est Deus. quare uera sapientia est, probitas animi,quam spiritus diuinus fidei et amoris Dei, et hominum ciuiũ Dei, regit & moderatur.

Et dabo tibi munera.) Mũdus duobus tentat ac molitur sanctos Dei seruos perdere,minis & blandicie. Minas ut primò tentasset Ieroboamus,& his nihil effecisse se sensisset,ad blandiciem animũ cõuertit,munera pollicens. Quẽ q omnib. seculis hypocritæ referãt,satis cõpertũ est.

Si dederis mihi mediam partem.) Respuit munera,ut contra Dei uoluntatem oblata,quem non lateret sententia illa: Qui contemnit munera,uiuet. Domus hic pro facultatib. & substantia accipitur.

In loco isto.) idololatria funestato,& cuius habitatores cum impio rege admonitionem de uera religione capessenda, et relinquenda falsa,nõ accipiũt: Quales quoniam sunt sententiæ illi obnoxij, Qui odit castigationem,morietur: indigni iudicantur,cum quib. diuini homines consuetudinem uitæ habeant. Hic igitur discimus esse peccatores,à quorum consuetudine abhorrere debeãt pij: quales sunt, qui pertinaciter in uitijs hærent, & doctrinam cœlestem aspernantur, à quibus excusso de pedibus puluere Messias admonet recedendum esse,quòd nullum cõmercium sit Christo cum Belial,& luci cum tenebris. Sunt item peccatores qui peccãt quidem, sed peccato condonabili,qui uatũ sermoni quo sanentur,fidẽ habere non recusent. Hos nõ uitandos declarat exemplũ Seruatoris mundi, qui publicanorum & meretricum,

cum,quas sanaret,consuetudinem non fugit,pharisæorum hypocritarum fugit. Quale exemplum hic etiam in uate diuino ostenditur.

Prophetes autem quidam senex.) Hunc senem falsum uatẽ fuisse, interpretatur Paraphrastes גבריא שקר Nonnulli aliter. Sunt qui Micheam fuisse uolunt.

Quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini.) Hac phrasi loquendi notatur, Dominum Deum per Christum Dominum omnia & loqui & facere. De quo uates: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Et Ioãnes: Omnia per ipsum facta sunt. Sunt qui hoc modo loquẽdi Dominũ de se loqui uolũt. Sed qui sic dicunt, Messiã Iehoua esse negant: contra quam sacræ literæ de eo, ut aliàs indicatũ est, loquuntur.

Et ego propheta similis sum.) Veri uatis speciem ostendit, qua fallat, ad imitationem parentis falsorum prophetarum, transformantis se in angelum lucis.

Et angelus locutus est.) Mendacium fingit, impulsus ab eo, de quo ueritas Messias: Mendax est, atq; eius rei pater.

Fefellit eum.) A quo falli non potuisset, si illud Ioannis perpendisset cum animo suo: Probate spiritus an ex Deo sint. Si is uates uerum uatem se agnouit à Deo missum, qui Ieroboamo suã cladem denunciaret, cur ergo cõtraria dicenti fidem habuit? Si non agnouit, cur ergo toties se à Deo missum, cur à Deo mãdata quæ exponeret, data sibi fatetur? Atq; etiam eum diuinum uatem fuisse, uaticinij exitus fidem facit. Sed si uerus uates fuit, cur permisit se falli? Falsus est, ita permittente Deo, primò ut intelligerent prophetæ legatiq; Dei se homines esse, qui permissi sibi, quoq; falli possint. Deinde ut posteri intelligerẽt, omnes etiam sanctissimos homines falli & fallere posse, nisi ne id contingat, præmuniantur ope diuina: solum Deũ ab ea labe immunẽ esse et liberum, qui neq; fallere quemquam, neq; falli queat. Quò pertinet illud: Ego Deus sum, non homo. Deinde ut cognoscerẽt uates, sibi perpetuò precibus ad Deũ agendum esse, ne ab angelo illo tenebrarũ uicti, hoc est, ueri specie illusi, Dei mandata & lucem diuinorum oraculorum relinquant, neq; commodi alicuius aut munerum gratia secus agãt quàm Dei iussa ferant, ut uates is fecisse legitur suo malo. Qui partim deceptus à falsò propheta Bethelensi, mendacium ueritatis colore uestiẽte, partim commodi & utilitatis spe allectus aliter se gesit, quàm patiebatur uoluntas Dei. Quod cum fecisset, quàm seuerè in culpam eius animaduersum sit, iam audiemus. Postremò uatis huius exemplo admonemur, cũ primis periculosum esse legatis Dei cum ijs uersari, qui simulatione & muneribus bonorum animos euertere moliuntur. Quorũ quanta copia sit in hypocritarum principis, qui filius perditus est, regno, nõ potest obscurum pijs esse.

Factum est uerbũ Domini ad prophetam.) Aequum Dei iudicium hic declaratur, quod uates diuinus ab eo uate sententiam de capitali iudicio accepit, cui credens culpam suam negligentia contraxerat. unde docemur, per eos meritò nos plecti, quibus ad delinquẽdum potius fidem habemus, quàm Deo ad bene agendum. Sic Satanæ qui parent in peccando, eum accusatorem & condemnatorem æqua talione consequuntur. Quod hic legimus per falsum prophetã Deum uera locutum, id mirum non sit. Nouum enim non est, etiam falsos uates uera prædicere. Exẽplo est Balaamus. Sic etiam per mendacij parentem Satanam, Deus uera de Christo suo loquitur. Itaque aliud est uera loqui, aliud animo uero loqui. alterum fide fit, alterum sine fide per hypocrisim fieri potest, dum ueritatem arbitra conscientia improbi inuiti etiam pronunciant.

Non inferetur cadauer tuũ.) Quod erat ignominiosum, ut cõtrarium laudabile. ut argumento sunt illa: Dormiuit cum maiorib. suis, sepultus est in sepulchro maiorũ suorum. Iusticiæ diuinæ erat, ut in falsi uatis sepulchro sepeliretur, qui mendacio fidem cõtempta ueritate habuisset. & in ea terra sepultura prohiberetur, in qua oracula diuina locum cum uero Dei cultu habebant.

Inuenit eum leo in uia.) non temerè & casu, sed diuina ratione in eum locũ adductus, ut impleretur illud: Non uenturum est tuum corpus in maiorũ tuorum sepulchrũ. Monet is locus, creaturas quæ ab initio conditæ sunt ut homini parerẽt & seruirẽt, in rebelles iam factos tanquã diuinæ iusticiæ uindices armari, ut leo hic in præuaricatorem uatem armatus exemplo est. Quò pertinet sententia illa Dei à Mose explicata: Immittam in uos feras & bestias agrestes.

Asinus autem stabat.) à leone non lesus, cui parcere diuina prouidentia uoluit, non itẽ uati: quamuis cuncta animantia natura hominem ut caput mundi agnoscant, ut id in Genesi cap. 9. indicatum est. Legimus, hic asinum non fugisse, sed astitisse ad cadauer, sic ut adstaret Dei cura retentus, qui utrumq; & cadauer ad sepeliẽdum, & asinum qui illud ad sepulturæ locum deferret, conseruauit. Adeò omnia Dei imperio, cui pareãt,

supernè & infernè subiecta sunt.

Non comedit leo de cadauere.) *Leo prophetam, quem occiderat, mortuum non est ausus attingere. Deus enim, quem ob rebellionem uita præsenti priuarat, morte æterna mulctare pro sua bonitate noluit: sed contentus ea pœna, quem cum uiueret, amarat, mortuum iam amare (ut apparet) non desijt. Quem amorem significari uolunt in eo, quod leoni lacerandi iam occisi corpus potestatem ademit. Scripti igitur in libro uitæ semper in oculis diuinæ prouidentiæ peccatores & iusti, uiui & mortui feruntur. contraria accidunt repudiatis, nunquam ab æterno dilectis à Deo.*

Heu heu mi frater.) *Eum plangit, cui ut à leone interficeretur, causam per fraudem dederat. Habent igitur & hypocritæ suum de proborum duriore casu luctum.*

Iuxta eum ponite ossa mea.) *qui fortasse præsentiret ossa diuini uatis super aram non combustum iri: ueluti non combusta, legimus infrà libro quarto.*

Post uerba hæc non est Ieroboã.) *Exemplum indurati in malo animi, quem neq; beneficia tributa à Deo, neq; uatis diuini admonitio oracularis, neq; edita signa, ut falsum Dei cultum relinqueret, permouerunt. Tanta uis inest in superstitione, si persuasum sit per eam nos posse opes, potentiam & regnum comparare, & comparatã potentiam conseruare. Exempla hodie multa occurrunt in regno Bestiæ, cornua agni gerẽtis, & os draconis habentis: & utinam etiam ab hac labe liberi sint, qui se Christi amicos gloriãtur, abnegationis sui specie non uulgarẽ præ se ferẽtes.*

Et eversa est.) *In Hebræo uerbo notatur eversio, qua quippiam funditùs euertitur, ut nihil de pristino statu appareat. Nota enim est significatio uerbi* בחר, *quod abscondere est, & occultare. Huius uerbi uim Paraphrastes exprimit in* לגמרא, *quod idem ualet quod* חרם. *Horribile exemplum interitus Ieroboami proponitur, qui ita interierit, ut nemo de genere eius superstes remãserit. inde reuocata hypothesi ad thesim, nata est apud uatem communis illa sententia: Semen impiorũ peribit. Sic Cain progenies periit in diluuio. Sic Sodoma & Gomorra extincta est. Sic Antichristus cum pseudoprophetis suis interibit. Instituerat Ieroboamus cultũ, quo se putabat Deũ colere. at is cultus, quòd ex sentẽtia Dei institutus non esset, exitio illi fuit. Vera igitur est sententia illa Salomonis: Sunt instituta hominũ quæ recta uidentur, quorum exitus tendit ad mortẽ. Sic sunt omnium hypocritarum consilia & instituta.*

IN CAPVT XIIII.

IN tempore illo ægrotauit Abia.) *sic disponente Deo, ut hac ægrotantis filij occasione, Achiæ uati denunciandæ cladis, qua Ieroboamus cum familia sua afficeretur, materia præberetur.*

Dixit uxori suæ.) *cui fideret, nõ alijs. ut improbi semper in magno metu sunt, sed per quem metum eis eueniat, quod metuũt: ut id Ieroboamus in Abia expertus est. Verè igitur Salomon ait in Prouer. ca. 10. id impijs accidere, quod metuunt: quod sperant probi, id eis dari.*

Et commutat habitum.) *Vxorẽ agnoſci à uate noluit, cui intelligeret suam in Deum rebellionem inuisam esse. Hypocritæ igitur omnia simulatè agunt, si res coram Deo & ijs qui in luce uerbi Dei uersantur gerẽdæ sint. Itaq; Dominus noster de his sic loquitur: Omnis qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. ut hic Ieroboamus cũ uxore sua exemplo est, cũ omnibus qui ipsum imitantur. Cõtrà filij lucis comparati sunt, de quibus idem Dominus his uerbis: Qui autẽ operatur ueritatem, uenit ad lucẽ, ut cõspicua fiant facta ipsius, quòd per Deum sint facta.*

Qui locutus est mihi quòd regnaturus essem.) *Improbus hypocrita putauit fore, ut per suum Deus uatem prospera, sicut antea fecerat, annunciaret. Qua in re declarat, quo animo præditi sint impij. hos neq; suorũ scelerum pœnitentia duci, neq; de Deo, ut sit iustus iudex, cogitare: neq; secum perpendere, quo ueri uates apud Deum sint loco. Hos nimirũ à nemine facile hypocrisi seu simulatione decipi: ueluti Ieroboamus decipere Abiam uatem tentauit, sed frustra, ut sequitur.*

Tolle quoq; in manu tua.) *Sic enim mos erat, ut qui ad uatem percunctandi de aliqua re gratia proficiscerentur, munus secum quo uatem ornarent, afferrent. Exẽplum in Saulo cernitur, de quo uideris lib. 1. Samuelis.*

Ipse iudicabit tibi.) *Nõ dicit, orabit Dominũ pro filio, ut qui magis de euentu quàm de meijs rebus ad lætũ exitũ expediendum utilibus sollicitus esset. Nam qui semel cœperat Dominũ aspernari, neq; pœnitentiam, neque precationem cum pœnitentia coniunctam curæ habuit.*

Quia caligauerant oculi eius.) *In* תמית *mutuatur tropus ab eo, quod oculi, consumpto quo uidendi uis fouetur humore, in profundo subsidunt. Cæterùm in oculis quæ considerẽtur, uideris apud scriptores rerum.*

Dixit

Dixit autem Dominus ad Ahiã.) Per quem antea regnum Ieroboamo, quod in Israelitas gereret, detulerat, iam eidem deiectionem & exitium intentat. Vtrumq; igitur in prophetarum munere cõtinetur, conserere & euellere, extruere & destruere, seruare & perdere. ueluti de Hieremia legimus: Vt euellas & destruas, ædifices & plantes.

Ingredere uxor Ieroboam.) Non igitur ut corporis oculi in Abia uate, ita etiã animi caligabant. Quam enim nõ cernebat aspectu corporato, eam per mentis lumẽ aspiciebat. Ob quam rem prophetæ רואים, id est uidentes uocabantur. Itaq; sanctè cum diuinis uatib. uersandum fuerit, qui intima cõiunctione cũ Deo copulati ea luce utuntur, quã nihil fugiat: quæq; efficiat, ut qui eã habent, nullam potentiam nullamq; uim tyrannorum orbis terrarum metuãt: quin exemplo Abiæ impijs regibus sua scelera obijciant, & interitum, qui illa consequatur, denuncient. Vnde fit, ut uates ministriq; oraculorum Dei æreus, qui improbis opponatur, murus appellentur. ut de Hieremia legimus: Posui te in murum æreum.

Durus nuncius.) Exordium uaticinij, dignum uate acriter reprehensuro: à qua obiurgãdi duritie, neq; regia potẽtia, & eius metus, neq; munera, neq; sexus muliebris infirmitas deterruit. Quam in sacro uate constantiam efficiebat diuinus spiritus, obseruans illud: Personæ rationẽ in iudicando ne habeto.

Hæc dicit Dominus Deus Israel.) Statim in hoc ipso exordio uaticinio suo autoritatem sibi conciliat, & iustæ reprehensionis semina spargit, quum se nihil de sua sententia, sed eius cuius legatum gerat, dicere profitetur. Iudicat se Domini Dei Israel, non deorum alienorum, quos Ieroboamus coleret, legatum esse. In hac autem aspera reprehensione duo prophetica munera obit Ahias: unũ in redarguenda cõtumaci rebellione Ieroboami, alterum in clade, quæ eidem sit euentura, prædicenda cernitur.

Quia exaltaui te.) Primò beneficia recensentur, deinde ingratitudinis crimẽ exprobratur, demum qua illud clade puniendum sit significatur. Beneficij cõmemoratio declarat, impios in hoc seculo à Deo opibus, potentia & gloria augeri, & ad summos honores efferri. Hic enim legitur: Quia extuli & amplificaui te. Id autem fit, partim ut intelligatur quanta Deus sit bonitate præditus, qui etiam in improbos sua beneficia conferat: ueluti Dominus noster patrem suum prædicans, ait ipsum solem suum sinere iustis & iniustis lucere. Deinde ostendit eadem beneficiorum commemoratio, quæ hic fit, Dei benignitate ingratos meliores non reddi, sed deteriores, ut documento est quod hic legitur: At tu omnes maleficijs superasti. Quare non cõsequitur, ideo quẽquam probum esse, quod à Deo beneficijs afficitur: sed potius colligetur, impios ea de causa res prosperas habere in hoc seculo, quòd spurij sunt, & alieni à cœlesti hæreditate, quos Deus cũ Ismaele ex serua Agare nato, & cum liberis ex cõcubinis Abrahami genitis, caducis fluxisq; bonis, quibus ad tempus fruantur, donet: ad cœlestem & æternam hæreditatem, qui ex libera & domina Sara nascuntur, peruenturi. Contraria igitur ratio est, qua Deus cum impijs agit, illi quapios tractat. Nam impios primò ad honores & gloriam extollit, quos tandem deijciat, & miserè perdat, dum sua sponte Dei uerbo per prophetas oblato rebellant, in perfidia sua perseuerãtes. Contrà pij, primò uaria afflictione uexati humiliantur, ut tandem ad maiestatem & splendorem regni cœlestis euehantur, fidem habentes oraculis diuinis, ad pœnitentiam & instaurationem sui per spiritum Christi. Vt exemplo sunt omnes sancti sacris literis celebrati homines. Impij igitur rebus suis prosperis ac muneribus Dei tanquam fures præter ius abutuntur, suo exitio: pij uerò, cruce uaria exagitati, in melius tanquam filij Dei emendati, spiritu diuino, ex luctu in gaudium, ex morte in uitam, ex inferno in cœlum glorioscè eluctantur. Ita de suis Christus: Beati qui lugẽt, quoniam hi ipsi consolationem accipient. item: Beati qui fletis nunc, quia ridebitis. De impijs uerò: Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Itaq; quemadmodum non efficitur, aliquem probum esse, quia bonis in hoc seculo abundat: ita ne quaquam concludetur, eos improbos esse, quibus mala & aduersa accidunt. Exemplo sunt sancti uates, Apostoli, & caput sanctorum Messias.

Et dedi te ducem.) regno clarissimæ Dauidis stirpi erepto. Diuina sententia regnum in bonis, quæ ualde expetuntur, ponitur, homine quandam principatus appetitionem ueri uidendi cupiditati adiunctam tenente. Vates non temerè, sed diuina uoluntate Ieroboamũ regem creatum hic dicit. ut sciant orbis terrarum principes, cui suum regnũ & principatũ acceptũ referant, quemq; regem cœli et terræ in gerẽdo imperio representẽt. Poeta Græcus hæc expendens, regum sceptra & potestatẽ à Deo proficisci, & reges à Deo nutriri, ut sapienter & bene regnent, dicit, ubi eos ποιμένας uocat, & eorum filios διογενεῖς.

Super

Super populum meum Israel.) Quẽ fœdere mihi iunctum ad præscriptum legis Mosaicæ moderari debebas, nõ deorum alienorum cultu conspurcare. Nam is quãto præstantior est cæteris gentibus, tanto regnum excellentius nactus est. A populi præstantia, & fœderis diuini dignitate, atq; à regni amplitudine amplificatur ingratitudo impij regis. Israelem etiam turpi fœdaq; religione defœdatum, suum populum uocat, quòd electionem diuinam neq; peccati neq; ullius potestatis aduersariæ uis excutiat. Itaq; tametsi Israelitæ à Dauidis regno defecissent, & templi Salomonij cultum reliquissent: tamen nihilominus eos suum populum uocat Dominus, quòd eos propter electionem & maiores ipsorum diligeret. De quo constanti amore propter mysterium scriptorum in libro, uitæ uideris apud Apostolum, in Epistola ad Romanos cap. 11. & 8.

Et scidi regnum domus Dauid.) Regis sancti, & ualde mihi chari: cuius generi si non peperci, quo minus eius regnũ ob culpam filij Salomonis scinderem: quanto minus tibi rebelli parcã, qui sceleribus omnes qui ante te fuerunt, superas? Tacita in obiurgatione hac inest comparatio maiorum & minorum.

Et non fuisti sicut.) Expositis beneficijs, ingratitudinis crimen exponit. quod quàm graue sit, sententia illa Salomonis in Prouerbijs cap. 17. scripta indicat: Qui bonum malo pensat, ab eius domo non faceſſet malum.

Sicut seruus meus Dauid.) Quem, ut in regno maneres, imitari conueniebat probitate & fide, non ab eo perfidia degenerare. sicut suprà tibi indicatum est: Si custodieris præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus, ero tecum.

Et secutus est me in toto corde suo.) Dicas, si tam probus fuit Dauid, quid ergo eius adulterio & homicidio faciemus? Adulter quidem fuit & homicida, sed quæ crimina ad se rediens per pœnitentiam Christi sanguine diluerit, orans: Miserere mei Deus, asperge me hyssopo. Atis aspersus hyssopus sanguis Christi est, cuius fide ut admonitus fuit à Nathane purgatus est, & innocẽs declaratus. Contrario modo se gessit Ieroboamus, qui neq; prophetæ Iudæi à leone interfecti, neque Ahiæ uatis increpatione melior factus est, sed deterior.

In conspectu meo.) Qui animi integritatem quam fides format probo, hypocrisim improbo, qua simulatè iusti in suis oculis sibi placẽt, in meis mihi displicẽt. Qualis tu es Ieroboamus, non item Dauid fuit.

Sed operatus es malè super omnes.) Amplificat improbitatem, per comparationem cum alijs. Alios porrò in una aliqua parte à Dei cultu receſsisse, hunc totum immutasse, siue personas siue tẽpora, siue locũ & res cæteras spectes. Alios errasse, sed admonitos rediisse in uiã: Ieroboamum secus feciſse.

Et feciſti tibi deos alienos.) contra legem fœderis: Deos alienos ne colito. quod erat perfidiæ. Non igitur satis est ad cauendos deos alienos, & ad uerum Dei cultum tuendum, confiteri unum esse Deum creatorem & gubernatorẽ omnium. Nam talem & Ieroboamus cõfessus est Deum. Sed ut uerè dicare illum colere, te nosse oportebit rationem & uiam qua illum colas. Hæc autem uia non in humanis institutis & doctrinis, sed in solo uerbo Dei declaratur. Quod quia neglexerat Ieroboamus, deorum alienorũ, ut suprà indicatum est, cultor habitus fuit. Hæc autem uia sub umbris ueteris legis mõstrata fuit, sub umbra uidelicet sacerdotij, templi, ararum, sacrificiorum, propitiatorij, & alijs eius generis. In nouo aũt fœdere, in patefacto Christo, uera ara, uero sacrificio, uero propitiatorio, uero & cœlesti sacerdote palàm declaratur. Vera igitur uia colendi patrem Christus est, qui de se dicit: Ego sum uia, ueritas & uita. Quæ uia in uetere fœdere prædicta per prophetas, & lege Mosæa uariè adumbrata fuit. Extra hanc uiam nullus cultus probatur Deo. & eam cum deseruisset Ieroboamus, uiam alienã ingressus, miserè periit. Quem imitantur, quotquot patrem cœlestem in hac uia non colunt, & cum illo deorum alienorũ cultores sunt: ut sunt Iudæi, Turcæ, & qui bestiam ex terra natam satis hodie notam adorant.

Conflatiles.) qui iuuãdo non essent, quod erat uanitatis: ut eos colere, perfidiæ.

Vt me.) natura misericordem & clementem. ueluti de me prædico apud Mosem: Dominus Dominus misericors & clemens.

Ad iracundiam.) Qui mei despectionẽ inultam non ferã. Itaq; irasci Deum, neq; est eum mente perturbari, ut homines irati perturbantur: neq; aliquid eo motu pati, cuius natura ab omni affectione qua quicquam patiatur, aliena est: sed q. irascitur & miseretur Deus, id potius in effectione quàm in affectione cernitur, dum malos punit, & bonos seruat.

Me autem proiecisti per tergum.) Explicatur contemptio, iræ causam continẽs. Etenim quos obseruamus, in oculis ferimus: contrà compositi sumus in eos, quos negligimus, quibus tergum,

tergum,non uultum obuertimus. Dauidem ſuprà in cõſpectu Dei legibus eius cuſtoditis uerſatum legimus:hic contraria Ieroboamo obijciuntur.In tergum igitur Deus reijcitur, cum lex eius contemnitur:in oculos uerò admittitur, cum eadẽ illa ſeruatur. Hanc ſententiam Paraphraſtes Chaldæus ſapienter expreſsit.

Idcirco ecce ego.) Explicato crimine rebellionis, iam diuina ſentẽtia de illo puniendo explicatur:mala Deum Ieroboamo importaturum, qui bonis ab eo collatis uti recuſarit. Hæc eſt talionis lex,quam æquitas diuina,bona malis, mala bonis penſando,eo tempore ſeruat,quo pro tribunali ſedens, iudicem agit. Interea enim talem ſe præſtat, qualis apud Euangeliſtam deſcribitur: Qui ſolem ſuum lucere ſinit probis & improbis, qualem Ieroboamus antè in ipſum latam à iudice ſententiam, & à uate Ahia pronunciatam, expertus eſt.

Mingentem ad parietem.) nemine de ſtirpe maſcula remanẽte.ſic nonnulli interpretes mingentem ad parietem explicant,quod inter homines mares ad parietem ſtantes mingant.Alij accipiunt de cane,ne canem quidem,domeſticum animal,in familia illa ſuperſtitem fore.idq; accipiendum מרין הפלגה,hoc per ſuperlationẽ,quam Græci uocant ὑπερβολήν.

Clauſum & nouiſsimum.) Hebræus, clauſum & relictum. Sententia eſt,pariter clauſum ac bene munitum,& relictum, hoc eſt, eum qui iniuriæ opportunus ſit,periturum. Occultata & obuia atque expoſita pariter interitura. Alia ratio animaduertendi in ſtirpem Dauidis fuit, de qua ſuprà his uerbis mentio fit: Filio autem eius dabo tribuum unam,ut remaneat lucerna Dauid ſeruo meo,cunctis diebus coram me, Hieroſolymæ quam elegi.

Sicut mundari ſolet fimus.)Ieroboami familiam fimo comparat, Dauidis genus luminoſæ lucernæ. Fore ut Deus non aliter abſtergat Ieroboami domum,quàm fimus abſtergi ſolet.Nota uox eſt גללי, quæ fimum ſignificat. Qua uoce etiam idola ſignificantur,ob fœditatem. Itaque ſacræ literæ & deos alienos, & eorum cultores ſtercoribus comparant. ſuprà legitur, Extuli te: hic, Tanquam fimum abſtergebo te. Vera igitur ſententia illa eſt: Domum ſuperborum euertet Iehoua.

Qui mortui fuerint de Ieroboam.) Impiorum neq; uiuorum neque mortuorum duci rationem. Etenim uiui ipſi ad miſerum interitum deſtinantur, mortui contemptui iacent.contrà pij habent: ut maiores Iſraelitarũ,& patriachæ, qui ante diluuium uixerunt,documento ſunt. Hos enim,cum uiuerent, curæ habuit Deus: mortuos uerò claros reddidit, eorum uitæ annis literarum monumentis conſignatis.

In ciuitate.) Neque in urbe, neque ruri tutos fore.

Canes magno ſuo opprobrio.) Quid enim probroſius,quàm à tam fœdo animãte dilacerari, deuorariq;? quàm impurũ autem animal ſit canis,declarant illa: Ne mercedem meretricis,aut precium canis in domum Domini inferto.item:Nunquid ego canis ſum? Et illud Domini noſtri:Nolite dare ſanctum canibus.Hinc in diris diuinis numeratur, ſi Deus minetur ſe mortuorum corpora beſtijs deuoranda,& canibus laceranda obiecturum. Veluti illa indicio ſunt:Canes deuorabunt Iezabel.item: Gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum. Talionis lex hic fuerit expendenda. Ieroboamus, qui ſe canem in ſacrum populum geſsit, eum uero Dei cultu ſpoliatum dilacerans & deuorans, ut à canibus dilaniaretur par fuit. Canibus autem libidinoſis, uoracibus, adulatoribus, furioſis, improbos populorũ paſtores comparari, docet Ieſaias, ubi ait: Et canes illi animo impudentes neſciunt ſaturitatem. Sed qui ſunt illi canes ingluuioſi? Sequitur apud uatem: Paſtores ipſi nihil ſciunt, & inconſiderantes omnes ad unam ſuam uiam, ſuum quiſq; lucrum ſequuntur.Itaq; ſuprà canibus mingentibus ad parietem comparantur liberi Ieroboami.

Aues cœli.) Volucres, in quas imperium pij habent, in impios armantur, ad uindicandam gloriam creatoris ſui.Etenim de his legimus: Laudate eum uolucres cœli. Vt autem hæ uindices ſint conditoris ſui Dei aduerſus impios,monet etiam Hieremias: Et erunt populi huius cadauera in cibum paſsim uolucribus cœli. Notantur rapaces,impuræ & cadaueribus inhiantes uolucres, à quibus digni ſunt ut deuorẽtur,qui in domo Dei cuncta deuorant.

Quia Dominus locutus eſt.) cuius uerbum nulla uis quo minus impleatur, impediat. Horribili impijs acclamatione oraculum confirmandi cauſa concludit.

Sermo bonus.) Cognoſcimus hic,Deum, quod in quouis animaduerterit bonum,non ſinere id præmio ſuo priuari: ſiue bonum id ex ea iuſticia quam lex efficit, ſiue ex ea quam fides parat,profectum ſit. De legis iuſticia ſuprà legimus apud Moſem:Qui fecerit ea,uiuet ex eis.De iuſti-

cia uerò fidei, ut hæc præmia & præsentis & futuræ uitæ obtineat, docet illud Apostoli: Pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat uitæ præsentis & futuræ. Cæterum quòd legimus, in Abia boni quidđ erga Iehoua Deum Israelitarum inuentum: quale id bonum fuerit, sacra narratio non explicat. Hebræis igitur suam sententiam, quam exponunt, relinquimus.

Constituet autem sibi Dominus regem.) Baasam, ut mox patebit. Hunc Dominus, quem prænosceret malum futurum, dicit à se in regem Israelitarum suscitãdum. Vnde discimus, ciuilem principatum, quo hominum inter ipsos societas conseruatur, à Deo esse: quamuis personæ quæ illo funguntur, uitiosæ sint. Nam & malos bonis rebus abuti posse, palàm est. Sic Assyriorũ, Persarum, Græcorum & Romanorũ imperium à Deo institutum, & ab angelis custoditum, in Daniele legimus. Vitia regum mundi qui per luxum, libidinem, tyrannidem imperio abutuntur, ex Satana principe mundi originem ducere confitemur, imperia & regna à Deo, qui omnis ordinis autor est: eorum autem quæ ordinem dissipãt, Satan. in quo genere uitia & scelera ordinationi diuinæ prorsus contraria continentur. Separemus igitur à ciuili rectione & principatu, malorum regum uitia: hæc Satanæ autori tribuemus, illum Deo ascribemus. Quæ rectè iudicandi ratio in alijs quoq; ualet.

Percutiet Dominus Deus Israel.) populum unà cum rege plectendum, qui cum rege deliquisset, aureos uitulos colendo. par enim est, ut qui inter se uitia communicant, pœnas quoq; cõmunicent. Percunctetur hic aliquis, cur tam malos reges excitarit Deus, qui in Israelitas regnarent? Dicas, Salomonis uitia fuisse in causa, cur ab eius regno per rebellem Ieroboamum defectio facta sit. Sed quid commeruerunt Israelitæ, ut in eos tam improbi imperarint? Neq; Israelitas caruisse culpa credi debet, ob quam tam flagitiosos nacti sint reges. Firmum enim est illud Iobi: Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Qualis הוא, hoc est fœdus & turpis hypocrita fuit Ieroboamus, & qui eum secuti sunt improbi reges. Omnino autẽ uerisimile est, Israelitas propter tantam rerum abundãtiam & tranquillitatem, qua regnante Salomone usi fuerant, in luxum & intemperantiam incidisse, per quam obliti Dei sui legem excutere cœperint: ut solent opes & rerum copia obliuionẽ Dei inducere. Veluti Moses in suo oraculari carmine quod de Israelitarum, quem eorũ res essent posteris temporibus habituræ statũ, cecinerat futurum. Itaq; excitato Ieroboamo, qui in Israelitas regnaret, pariter & familia Dauidis, & decem tribus ob suam insolentiam, luxum & superbiam, qua præcipuè tribus Ephraimensis laborauit, puniræ sunt.

Sicut moueri solet arũdo in aqua.) Moses in carmine illo gratulatorio, quod in Exodo capite decimoquinto canitur, Israelitas in monte sacro tanquam firmas stirpes, alteq; radices agẽtes, conserendos prædixerat: hic contraria leguntur. Tantum discrimen facit peccatum & iusticia, fides & perfidia, in statu populi Dei. Firmos reddit fides, & ea probitas quam fides parit: perfidia infirmos & instabiles. Sic Cain dixit, se mobilem & uagum erraturum in terra. Aequa mulcta est. par enim est, ut qui stabilem & immobilem Deum relinquunt, ut mobili creaturæ adhærentes, instar arundinis mobiles & instabiles, quos quiuis afflictionum uentus loco moueat, reddantur. Vt hic Israelitæ, nutanti in aquis calamo scitè comparantur, quos proxima hostilis tempestas è loco in quo consiti sunt, sit euulsura. Sic etiam uates Hieremias Hierosolymæ, cum paribus sceleribus se obstrinxisset, eandem cladem eueturam cõqueritur, ubi in lugubri carmine his uerbis illius casum lamentatur: Peccauit Hierosolyma, propterea לנידה facta est.

De terra hac bona.) Amplificat exilij grauitatem, à præstantia terræ amittendæ. Solẽt sæpe incolæ suam terram deserere, ob eius malignitatem, melioris quærendæ gratia. ut documento sunt tot populorum, Cimbrorum, Marcomannorũ, Vandalorum, Francorum, Scytharum, Britannorũ emigrationes, at Israelitas bonã terram maioribus ipsorum ex promisso adsignatam relicturos, & in deteriorem migraturos, uates hic minatur. Bonitas autem Chananææ, quibus in rebus cernatur, Moses in Deutero. indicat. Hanc propheta Ezechiel ob præstantiam Eden horto, qui paradisus est, comparat.

Et uentilabit eos trans Iordanem.) Non in unam aliquam terram eos transferendos, sed alios aliò dispergendos, per quam dispersionẽ Deum patria religione colere, & ipsos inter se studia & officia communicare non liceat. Quod in præcipuis malis numeratur, ut contraria in bonis.

Trans flumen.) Euphratem, clarum Assyriæ flumen: quod primum Israelitarum fuit exilium, ex quo in Chananæam ex Aegypto uenerunt. Vnde monemur, quantum malum sit deorũ alienorũ cultus. Sic primus Adamus, cum neglecta Dei

cta Dei lege, in se sui amoris idolum extruxisset, ex paradiso eiectus est. Satan cum suis ministris in terram de cœlo deturbatus, ut se adorare, contempto præ se Deo, & eius filio Christo, cœpisset.

In Thersa.) regia urbs in Manassensi tribu, in qua olim unus ex regulis Chananææ habitauit: ut est apud Iosuam. Quo animo in itinere Ieroboami uxor fuerit, tam dira sententia percepta, quam uates in maritum, in liberos, in Israelitas enunciarat, facilè licet cognoscere ex rebus quas erat amissura. Quanti enim maritus, liberi, regnum, populi subditi, res prosperæ, patria, & præ omnibus alijs rebus beneuolentia diuina fiat, satis compertum est ijs qui his bonis quæ, aliquando habuerũt, priuantur. Tragica sanè fuerunt mala, quæ à uate mulieri denunciata sunt.

Scripta sunt in libro uerborum dierum.) Hi libri ab Hebræis דברי הימים, à Latinis annales, à Græcis παραλειπομένων libri uocantur.

Naama Ammonitis.) cuius idololatria filius infectus, non amplius tres annos uerum Dei cultum secutus est, cum regnasset septendecim annos: ut in altero Paralipomenum libro capite undecimo scriptum est. Ammonitis hæc mater Roboami, patris quoque Salomonis ad idolũ Malcom animum deflexerat. Qua ex re quanta bonitas sit Christi, licet cognoscere, qui ex Ammonitide nasci dedignatus non sit.

Et irritauerunt.) in uerbo Hebræo notatur, à Iuda prouocatum Deum ad iram, ut ab adultera maritus ζelotypus & obtrectator ad iram prouocatur. Quare apud Mosem Deus se קנא uocat, qui riualis & socij impatiens, coniugalem fidem in sua sponsa Ecclesia sartam tectam seruari cupiat. quanta autem ζelotypus ira exardescat, Salomon in Prouerbijs his uerbis indicat: Zelotypia furens uir nihil parcit tempore uindictæ, nullius habet placationis rationem.

Aedificauerunt.) Amplificandi gratia partes per distributionem enumerat, aras, statuas, lucos passim in editis collibus constructos, effœminatos toleratos, & omnium gentium flagitia commissa.

Aras.) במות excelsa, qualia sunt sacella, & eorum aræ: cuiusmodi extructo templo Salomonio prohibita fuerant.

Et statuas.) contra Mosæam legem in Leuitico 26. cap. expositam.

Et lucos.) contra legem in Deuteronomio cap. 16. expositam.

Sed & effœminati fuerunt.) contra legem in Leuitico capite decimooctauo explicatam. interpretantur קדש de cinædis, uoce per antiphrasim accepta. Quod flagitium quàm fœdum sit, in Leuitico indicatum est. De hoc scelere uideris libro secundo Machabæorum, capite 14. Horribilis defectionis exẽplum proponitur, gentem fœdere sacro cum Deo coniunctam, in conspectu eius, in oculis sanctorum uatum, tot beneficijs Dei contemptis, omnia fœdarum gentium flagitia non puduisse imitari. Sub typo & figura Iudæorum, in Ecclesiam eãdem expostulationem conuenire intelligimus, qua Christus Dominus cum illa adulterum Antichristum in sinũ admittente expostulat: Offenderunt Dominum, eumq; suis flagitijs magis iritarunt, quàm unquam maiores iritauerunt, sibiq; & sacella & statuas & lucos passim in editis collibus & sub frondosis arboribus cõstruxerunt. Quin etiam fuerunt in ea effœminati, & omnium gentium flagitia imitati sunt. Intueamur tempora superiora & nostra.

Sisac rex Aegypti.) Aequa ex talionis lege pœna irrogatur in Roboamum. Nam par fuit, ut in regis Aegyptiorum manus opes Roboami uenirent, qui Aegyptiorũ uitia imitatus esset. Ad hũc regem Sesacum suprà Ieroboamum profugisse legimus, capite undecimo. Exercitus Sesaci quãtus fuerit, & ex quib. copijs descriptus, in Paralipomenis explicatur. Hunc cum mille ducentis quadrigis & sexaginta millibus equitũ, & immensa Libyum & Trogloditarum & Aethiopum ui expeditionem contra Hierosolymam fecisse. Vbi qui in Genesi capite decimo dicuntur להבים, in Paralipomenis uocantur לובים Libyes populi. in eodẽ loco סביים à tabernaculis & tentorijs, in quibus uersabantur, appellati uidentur: quales sunt Arabes uicini Aegypto. Quales autem ברשים, id est Aethiopes, à Chamo prognati, militasse contra Iudæos intelligantur, ea de re infrà monebitur.

Et tulit thesauros domus Domini.) quos immensos Dauid & Salomon auxerant. Hos, quibus per probitatem uti noluerunt, per improbitatem amiserunt: ut scirent posteri, alias opes & diuitias expectandas esse filijs Dei, quàm quas Dauid & Salomon congesserant. ut alius Dauid & Salomon expectandus fuit, nimirum cœlestis, cum diuitijs cœlestis regni, Messias benedictus. Cæterùm quos Aegyptij adumbrent, templum Dei spoliantes, dum per luxum & libidinem populus Deo sacratus, diuinum cultum contemptui habet, non est obscurum. Si Eccle-

siæ statum, quem post Apostolorum tempora sub Aegypto, qui mundus est, & sub Babylone spirituali, quæ Antichristi diripientis opes spiritualis templi regnum iudicatur, tenere cœpit, perpenderis, Aegypti & Babylonis typi ignoti non erunt. In hac narratione liberationis, qua Iudæa ab Aegyptijs liberata fuit, expositio omittitur: de qua uideris in Paralipomenis, ubi quantum pœnitentia fide & precatione instructa ualeat, disces.

IN CAPVT XV.

NOmen matris eius Maacha.) Improbæ mulieris meminit, cuius pater aut binominis fuit, quod in Paralipomenis legitur, Maacha filia Vriel de Gabaa: aut Abisalomũ auũ hic nomine patris ponit, in Paralipomenis patrẽ. Nam & auos ac maiores patris loco haberi compertum est, ut etiam nepotes filiorum nomine censentur. Cæterùm nullo modo uerisimile est, Abisalomum esse Absalomum filium Dauidis. alter enim uocatur אבישלום, alter אבשלום: alter Gabaensis est, alter Hierosolymitanus.

Ambulauitq; in omnibus peccatis.) patrem & matrem referens. Vnde mirum non fuit, eum tam paucos annos regnasse. Scriptũ enim est: Timor Domini apponit dies. Is rex qui hic Abiam, in Paralipomenis אביה dicitur.

Vt starent in Hierusalem.) Hebræus, ut stabiliret Hierosolymam. Stabiliebat autem Hierosolymam, conseruato in ea cultu Dei, & oraculis eius.

Lucernam in Hierusalẽ.) Lucernam uocat regem probum, qualis fuit Asa filius Abiam. Hunc excitatum, qui confirmaret Hierosolymam. Sapienter igitur Salomõ dicit, æquitate & probitate regium solium defendi. Submoto typo, occurrit Messias benedictus, qui lucerna illa est cœlestis Hierosolymæ, de qua propheta Dauid, Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Quod est Christus Iesus, qui de se dicit: Ego sum lux mundi.

Excepto sermone Vriæ Ethæi.) Cur non meminit adulterij? Hoc cõprehenditur in homicidio, quod adulterij causa commissum fuerat. Cur præterea nõ meminit numerationis populi? Maioris flagitij meminit, fusi uidelicet sanguinis innocentis, quem fundere quantum scelus sit, declarat homicida Satan, declarat primus inter homines sicarius Cain, declarat grauitas pœnæ qua Dauid homicidium punitum est. Sed unde omnino magnitudo criminis in homicidio æstimanda sit, id alio in loco explicatum est.

Attamen bellum fuit inter Abiam & Ieroboam.) In altero Paralipomenũ libro, capite tredecimo, memorabile bellum inter illos gestum, literis proditum est. in quo quingenta millia de exercitu Ieroboami desiderata leguntur. Sed unde tanta uictoria constitit Iudæis de Israelitis? in Paralipomenis legitur: Quippe Deo maiorum suorum innixi sunt, tanquam fundamento & fulcro salutis. Sed percunctetur hic aliquis, cum legatur hic Abiamum in omnibus patris sui Roboami sceleribus uersatum, quomodo in Paralipomenis dicatur, ab ipso & Iudæis, fide & spe Dei maiorum suorum fultis, Israelitas uictos? Vtrumque uerum est, illos Dominum deseruisse, & spe atque fide ei adhæsisse. deseruisse quidem, temporibus rerum prosperarum: adhæsisse, aduersarum. Sicut etiam in Paralipomenis annotatur, Roboamũ patrem Abiami hostili incursione Sesaci regis Aegyptij infestatum, precatione & pœnitentia liberatũ: qui, cũ res prosperæ essent, nefarijs se cum Iudæis sceleribus defœdasset. Sed dicas, Abiamum in Paralipomenis ausum de se & de suis fateri: Nos autem sumus Domini Dei, quem non deseruimus. Secus hic scriptum est: Et fecit Iuda malum in oculis Domini. Quantum ad delectam cultus diuini sedem attinet, hanc nequaquam ut cæteri Israelitæ, deseruerũt Iudæi & Beniamitæ, sacerdotij & sacrificiorum legitimo cultu retento. loco enim motus is nõ fuit: & quamuis ei falsum quoq; adiunxisse legantur, temporibus tamen difficilibus uerũ cultum secuti sunt, adiecto ad patrium Deum animo. Vnde intelligimus, communi lege ad precationem & pœnitẽtiam ijs patere locum, qui uerbum Dei & eius cultum penes se habent: alijs non item, quòd extra uerum cultum Dei oraculis diuinis gubernatum nullus locus neque precationi neq; pœnitentiæ relinquatur. Exemplo sunt Iudæi & Israelitæ. Tantam uim habet fœdus salis, cuius mentio fit in Paralipomenis, a Domino cum Dauide & Hierosolyma ictum. Cur autem huiusmodi fœdus, salis fœdus appelletur, ea de re in Leuitico & in Numeris mentio facta est.

In libro uerborum regum Iuda.) In Paralipomenis, commentarij uatis Adonis mentio fit. Sicut in eodem libro, cap. 12. Semeias, & idem Addo, qui in literas retulerint res gestas Roboami, memorantur.

Regnauitq; Asa filius eius.) Hic traditur, improbo parenti probum filium successisse. Igitur Asa quòd filius fuit, parẽti Abiamo debuit: quòd

quòd probus, genituræ, de qua illud: Qui non ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt.

In anno ergo uicesimo Ieroboam regis.) Dicat aliquis, suprà tradi, Abiamum regnasse tres annos. Vicesimo ergo primo anno regis Ieroboami Asam regnare cœpisse, non uicesimo, cum Abiamus decimo Ieroboami anno regnũ in Iudæos inierit. Interpretes respondent, Abiamum non tres integros annos regnasse. tertium igitur annum partim annumerari paterno, partim filij regno: aut Ieroboamum cum inciperet regnare, Abiamum decimumseptimum annum imperij perfecisse, & inchoasse decimumoctauum. Hæc uerisimilior interpretatio est, quàm dicere, aut errorem commissum à librario, aut regnum uacasse unum annum.

Nomen matris eius Maacha.) Auia nomine matris uocatur. Veluti etiam legimus hic Dauidem patrem Asæ appellari. Citant similem locum ex Exodo: Et uenerunt ad Raguelem patrem suum.

Et fecit rectum.) Laus Asæ, à seruata lege primæ tabulæ, in qua fons pietatis cernitur.

Sicut Dauid.) Ab imitatione maiorũ laus, quæ non est exigua laus, liberos parentum suorũ uirtutes & probitatem repræsentare. Itaq; in genere demonstratiuo ἀρετὰς, πράξεις, ὀργὰ καὶ νόμιμα, δικαιοσύνας καὶ παιδείας, laudibus solent exornari.

Insuper & Maacham matrem.) nequaquam peccans in legem hanc: Parentes honorato. Nam omnes secundæ tabulæ leges ad primæ tabulæ leges tanquam ad normam accommodantur. Continent enim amorem & uenerationem Dei, cui amor parentum, magistratuum, uxorum, liberorum, affinium & amicorum postponitur.

In sacris Priapi.) Hoc idolum, à terrore, quem incuteret, sic appellatum. Itaq; sunt qui Pana reddunt, qui in hortis coli solitus sit. Et quod ad terrorem attinet, noti sunt Panici terrores.

In torrente Cedron.) torrentis & uallis nomen est iuxta Hierosolymam, ad orientalem plagam, cuius & Ioannes euangelista meminit.

Et combusit.) Ignis in iudicio & ultione uanorum deorum adhibetur. Sic & uitulus aureus à Mose combustus legitur. Is ignis nobis eũ iudicem ignem indicat, de quo illud: Deus ignis consumens, hoc est iudicij sui igne omnia gloriæ suæ aduersa perdens. Huc pertinet thronus igneus Dei, ministri ignei, de quibus uates: Qui facit ministros suos ignem flammantem.

Veruntamen cor Asa perfectum fuit.) Si perfectum fuit cor Asæ, quid ergo facimus reprehensioni, qua ab Hanani uate Asa reprehensus fuit, quod Syrorũ regi præsidio magis innixus fuisset, quàm Dei? Grauiter item reprehensus fuit, quod medicos morbo correptus potius cõsuluisset, quàm Dominum. Quia maiorem uitæ partem probè rectèq; gerendo se consumpsisset, legitur integro pectore uersatum eum coram Domino. Nota figura, à Græcis συνεκδοχὴ, & à Latinis intellectio appellata.

Inter hunc Asam & Baasam.) ab eo tempore quo finitis pacis temporibus, bellis infestari cœpit. Nam proditũ est in Paralipomenis, decem annis regnum eius à bellicis motibus quietum fuisse. Quo tempore etiam legitur urbes suas muniuisse, & ut sui essent armis instructi curauisse. Quantam aũt militum uim potuerit armare, illic uidere licet. Armare nimirum potuisse trecenta millia ex Iudæis, atq; ducenta & octoginta millia ex Beniamitis. Vnde q̃ breui tempore Bẽiamensis tribus, quæ ad internecionem ferè delata fuerat, creuerit, magna cum admiratione cernere licet. Legimus etiam in iisdem Paralipomenis, Israelitarum multos ad Asam defecisse, eius probitate & rebus prosperis allectos. Qua ex Israelitarum in Asam & eius regnum inclinatione, Baasam cõmotum, bellum Asæ intulisse uerisimile est.

Itaq; tollens Asa omne argẽtum.) Nõ leue peccatum Asæ memoratur. Porrò is qui idola lapidea, lignea, aurea & argentea contriuerat, idola quæ in animo uersantur, hic adorasse legitur. Nam diffisus sapientia ope & potentia diuina, ad humanã sapientiam & opem confugit, quæ præcipua idololatria est. Neq; hoc scelere contentus, thesauris sacris Domini ædem spoliat, quos profano Syriæ regi mittat ad excitandum eum in Israelitas, cõmuni circumcisionis fœdere & propinquitate sibi coniunctos. Propter quod crimen ut grauiter reprehensus sit ab Hannani uate, in Paralipomenis est annotatũ. Accessit ad crimen, quod uatem illum uera admonentem in carcerem cõiecit, quem amare nomine Dei debuisset. Quo exemplo admonemur, quàm grauiter ferant reges se de criminibus suis redargui. deinde, in terra non esse tam sanctos homines, qui per ueterem hominem non ostendant interdum, quantam naturæ labem & uitiũ ex conceptu & partu duxerint. Quò pertinet illa Apostoli admonitio: Qui stat, uideat ne cadat. Tertiò admonemur, perpetua precatione ad Deũ nobis opus esse, q̃ spiritũ sui Messiæ nobis largiatur, quo Deũ sanctè per

omnem uitã fide & amore in regno lucis & iusticiæ uersantes, colamus: tot nos infestantibus hostibus, carne, mundo, Satana, apertis hostibus, & falsis fratribus. Demum ex hac narratione discimus, neq; Dauidem, neq; Salomonem, neq; Asam, neq; Ezechiam, neq; Iosiam, uerum illum Messiã unctum Domini potuisse esse: sed aliũ ex illis profecturum, expectandum fuisse, qui alio oleo ungeretur, aliudq; regnum teneret, atq; in aliã Hierosolymam populumq; imperium gereret. De quo uerè dicere liceret: Eo q; scelus nõ fecerit, neq; in ore eius inuentus sit dolus. Atq; ita non eadẽ ratione Dauidi, Asæ & Iosiæ perfectũ cor, atq; Christo, tribui. De quo discrimine aliàs meminimus.

Quod remãserat in thesauris.) iam direpto à Sesaco rege Aegypti templo Domini.

Et peto ut uenias.) Hanc regis perfidiã acriter ab Hanani uate, his uerbis in Paralipomenis reprehensam legimus: An non ingentes erant Aethiopum & Libyum copiæ, quadrigarumq; et equitum maximus numerus: & tamen cum Domino niterere, tradidit ille eos in manũ tuã. Atq; hanc reprehensionem illustrat confirmatq; præclara hac sententia: Etenim Domini oculi discurrunt per totum terrarum orbem, ut fortitudinem accipant hi qui erga eum sunt integro corde. Quibus uerbis indicat, diuinam prouidentiam in omnes mundi partes pertinere & diffundi. deinde à solo illo fortitudinem, sapientiam & salutem proficisci, non à nobis, neque ab ulla condita natura. Demum diuina munera quæ impij habẽt, ab ipsis auferri tandem, & pijs concedi. ut firma sit sentẽtia illa: Et quæ habent, auferentur ab eis.

Dan.) Hieronymus suo tempore uiculum sic uocatum dicit. Terminus terræ sacræ contra Septentrionem est, qui etiam Iordani, cuius fons est, nomen dedit.

Abel.) In Paralipomenis אבלמים uocatur hæc urbs, in tribu Naphthalia sita. cuius etiam lib. 2. cap. 20 mentio fit.

Domum Maecha.) Huius urbis quoq; in loco iam citato fit mentio, in Berensi regione posita. Sexaginta stadijs à Iordane distare dicitur. Ad hanc usq; Seba, res nouas contra Dauidem mouens, peruenit.

Et uniuersa Ceneroth.) בנרות lacus, & regionis ad lacum sitæ nomen est. Ad hũc lacũ eiusdem nominis ciuitas est ab Herode splendidè ædificata, & in honorem Tiberij Cæsaris Tiberias appellata.

Omnem scilicet terram Naphtalim.) Fuit hæc tribus uicina Damasceno agro, ad aquilonem uergens, atq; ita Damasci regum incursionibus opportuna. In Paralipomenis scriptũ est: Et omnia munitiora loca Naphthali.

Doluit pedes.) anno tricesimonono regni sui. Sunt qui podagram fuisse putant. In Paralipomenis, in morbo eum non Deum, sed medicos consuluisse, legimus. Vbi neq; medicina uituperatur, neque medici reprobantur: sed fides in medicos & medicinã, posthabita cura Dei, damnatur. Alioqui hanc de medicis sententiam traditam scimus: τίμα τὸν ἰατρὸν, πρὸς τὰς χρείας γὰρ αὐτὸν, καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισεν κύριος. Item idem Iesus Syrachi filius: πρὸς γὰρ ὕψιστός ἐστιν ἴασις. Si fideris igitur Deo, & eum pro dignitate ueneratus fueris, medicorum & medicinæ usus laudabilis erit. In quo usu Deum principem medicum agnosces, qui in Exodo de se dicit: Ego sum medicus tuus. Cuius si quis credit medicum instrumentum esse, cuius pectus ad intelligẽdam rerũ uim atq; naturã regat, & per quẽ quos uelit sanet, is culpa qua Asa notatus est, carebit.

Et dormiuit cum patribus suis.) In Paralipomenis legimus, eum in feretro positum, aromatis & unguentis pigmentaria arte concinnatis refertum, & iuxta cadauer magnã uim aromatum incensam. Nõnulli putant, cadauer ingenti rogo crematum. At cremandi corpora mos apud Hebræos non fuit, sed ea condiendi aromatis, ut de Iosephi & Iacobi conditis corporibus patet. Qui mos durauit usq; ad Christi tẽpora. Nã ad ungendum huius iam mortui corpus, Mariam & Magdalenam aromata emisse legimus.

Et uniuersæ fortitudinis eius.) Laudatur rex Asa à pietate, prudentia regendæ reipublicæ, quæ cum pietate coniuncta est: à fortitudine animi, quam aduersus hostes declarauit, aperib. in regno præclarè extructis, à gloria & felicitate rerum gestarum. Quæ præstantis regis maxima ornamẽta sunt, quibus Asa unum & triginta annos regnans usus est.

Regnauitq; Iosaphat.) Bonus rex bono succedens in regno Iudææ, ut malus malo in Israelitarum regno successit: sic disponente prouidentia diuina, in qua regnum in Iudæos ortum in Dauide, promissionem suæ durationis habuit, nõ item imperium Ieroboami. Itaq; de improbo rege Israelitarum Nadabo, sequitur mentio:

Et fecit quod malum est.) Qui peritus erat cum tota familia, expediente ad interitũ uiam improbitate, ut salutem bonorum regum in regno Iudææ probitas conseruabat. Itaq; qui promisisset permansurum regnum Dauidis usque ad

Messiam,

Messiam,idem etiam prouidit ut probi in illo reges & rectores essent.

Insidiatus est ei Baasa.)ex tribu Isacharia. Iustè quidem insidiatus est,si Dei iudicium spectetur: sin Baasæ animus,iniustè.

In Gabethon.) In Dania tribu sita erat hæc urbs, à Iosua illi assignata, sed occupata à Palæstinis.

Anno tertio Asa regis.)Percunctetur hic aliquis, quomodo tertio anno Asæ interierit regnũ Baasa, cum in Paralipomenis legatur,Baasam contra Asam anno tricesimosexto regni eius expeditionem fecisse,ad circumdandam Ramam muro:ad quos annos,uigintiquatuor, quos Baasa regnauit,anni non pertigerint, solum ad uicesimumseptimum regni Asæ annũ pertingentes. Ex libro secundo Paralipomenon, ut nodus is nectitur,ita etiam soluitur. Porrò legimus in eo libro capite decimoquarto, Asam primò decẽ annis imperium pacatè gessisse. Igitur quod hic legitur,anno tertio Asæ regis Baasam interfecta familia Ieroboami inisse regnum,id accipiendum non fuerit de anno tertio regni Asæ, sed de tertio gestorum bellorũ ab Asa anno:quæ bella cœperunt geri anno undecimo imperij Asæ. Itaq; ad duos annos bellorum Asæ,& ad tertium annum quo cœpit regnare Baasa, & ad uigintitres annos regni Baasæ, si decem quieti tranquilliq; dominatus Asæ anni adiuncti fuerint, tricesimussextus annus colligetur,quo adortus est bello Baasa ipsum Iudæorum regem Asam. Quare annus tertius Asæ,de quo hic fit mentio, tertius gestorum ab Asa bellorum,non imperij annus fuerit. tricesimus uerò sextus annus, de quo liber Paralipomenon meminit,regni annus iudicatur. Quapropter legimus hic לאסא: in Paralip.uerò לשלשים ושנה אסא.

IN CAPVT XVI.

Anani.) Is Hanani uates fuit,qui cum reprehendisset Asam regem de ope apud Syros quæsita,ab illo in carcerem coniectus est. Qua de re uideris in altero Paralip.lib.cap.16.

Pro eo quod exaltaui.) Beneficia primò exponuntur, deinde ingratitudo reprehenditur, demum pœna in ingratum irroganda denunciatur. Dicas,hic,nõ à Deo elatum Baasam à pedore ad regium splendorem, sed hunc ab illo ambitiosè expetitum,necato per insidias Nadabo filio Ieroboami. Regnum Dei donum erat,quod dolo & fraude Baasa inuasit: sed quod obtinere nõ posset,nisi Deo largiente.

Et peccare fecisti populũ meum.) Imperia & regna de cœlo distribuuntur hominibus, quorum administratione subiectos sibi seruent,nõ perdant. Quod Græcorum ille uates etiam intellexit,cum suum quem fingit regem ἀγαθὸν uocat: ἀγαθὸς βασιλεὺς. Debent enim reges & principes in terra,Dei, mundum hunc sapientia,bonitate & æquitate gubernantis, uiua simulachra se exhibere. Quod si secus fit, eius principis imaginem referunt, qui tenebrarum & mortis princeps appellatur. Quales reges Israelitarũ,hac narratione descripti principes fuerũt, ut quos non diuinus, sed Satanæ spiritus ageret.

Sicut domum Ieroboami.)Dei æquitate paribus delictis par pœna irrogatur. Pari aũt flagitio insignes fuerunt Ieroboamus & Baasa. Is Nadabum dominum suum interfecit: ille à Salomone Domino suo, à quo ad maximos honores elatus fuerat,defecit,& filio eius, quantũ in ipso fuit,exitium machinatus est. Alter idola coluit, uero Dei cultu relicto: alter idem crimen commisit. Alter populum ad falsum Dei cultum conuertit,& ne uerum sequeretur curauit. alter melior hac in re non fuit, ut id comprobat reprehensio qua his uerbis reprehensus est Baasa: Tu autẽ ambulasti in uia Ieroboami, & sceleribus obligasti populum meũ Israel. Atq; eo deterior fuit Baasa,quòd regem Asam,quem uiderat iustum et probum regem esse, & rebus fortiter et sapienter gestis clarum,adortus est.

Posteriora Baasa.) De posteris & stirpe Baasæ accipitur. Dauidi suprà promittitur, lucernam de genere ipsius non extinguendam. hic contraria de Ieroboamo & Baasa leguntur quod maledictionis diuinæ est: ut benedictionis, augeri parentes liberis, & eos diuina cura conseruari. Veluti in Deuteronomio legimus: Benedictus fructus uentris.item: Maledictus fructus uẽtris tui. Tanto interuallo separatur probitas ab improbitate, siue naturam, siue ortum,siue exitũ spectes. Hinc de iustis hæc sententia enunciatur: Et semen eorum in benedictione erit. Similiter Salomon:Et domus iustorum stabit.& de impijs:Semen impiorum peribit. Exempla in Cain & Setho, in Semo & Chamo. hic in Dauide & Ieroboamo & Baasa cernuntur. Dicas, etiã probos parentes habuisse liberos à Deo reprobatos. Setho nimirum fuisse improbam sobolem, in diluuio absorptam: Abrahamo Ismaelem, Isaaco Esaum: Iacobo, qui in Arabum deserto perierunt, & in terra Chananæa: Dauidi Absalonem,& impios reges ex eo natos. Sed fuerunt pijs & probis parentibus etiam probi liberi,in posteritatẽ se propagati.

pagantes, cum contrà impiorũ genus totum exoleuerit, & exolescat: ut documento est Cain, Babylon, hic Ieroboamus & Baasa: & documento erunt impij funditus cum suis posteris perdẽdi tandem, probis conseruatis.

Ob hanc causam occidit eum.) Hebræus רעל אשר חטח אתו, id est, propterea quòd occidisset illum, Nadabum uidelicet, per uim & iniuriam. Qua in re primò deliquit, quòd sub specie amicitiæ, deinde quòd dominum subditus, demum quòd libidine regnandi, non gloriæ diuinæ asserẽdæ studio, Nadabum interfecit. Nam hic legimus, Baasam à Ieroboami perfidia in colendis dijs alienis non abhorruisse, sed eum imitatũ. Dicas, Quomodo Baasæ exprobrari potuit cædes Nadabi, quem Deus prædixerat per uatẽ suũ occisum iri? Nõ pari modo Deus et impij statuunt sceleratos punire: hi malo animo, ille iusto & æquo. Itaq; non consequitur, Baasa interfecit eos quos Deus statuit interficere, ideo interfecit iustè. Nam malo animo alter statuit interficere, alter æquo & bono. Et Deus iustus iudex sæpe per improbos ipsos & sceleratos, improbos & sceleratos punit.

Ela.) impij parentis impius filius.

Bibens & temulentus.) Non sobrius in bello inter milites trucidatur, ut Nadabus in obsidione Gabathanis à Baasa interfectus fuit: sed bene potus & ebrius domi in graui obsidione relicto exercitu occiditur. Quam exitiale igitur uitium sit ebrietas, exemplũ Nabalis, Balthasaris Babylonij, & hic Elæ, argumẽto est. Germaniam in quas calamitates ebrietas conijciat, ipsa experitur: et nisi in tempore sobrietati studere cœperit, hoc ipsum Euangelium quod habet, eam suo testimonio perdet. Nam id, in testimonium iustæ uindictæ Dei improbis & ingratis prædicatur: pijs autem & gratis in significationem diuinæ beneuolentiæ, & gloriam æternam.

Occidit eum.) impius impium.

Percussit omnem domum Baasa.) ex illa diuinæ æquitatis talionis lege: Qua mensura mensi fueritis, eadẽ metientur uobis alij. Quæ talionis lex etiam erga iustos seruatur. Etenim benefacientibus bona rependi, ostendit Christus his uerbis: Venite benedicti patris mei, & possidete regnum paratum uobis: Esuriui, &c.

Propinquos & amicos eius.) ne uindices illatæ iniuriæ superessent. Sic tyrãni suis rebus prospiciunt, sed extra consiliũ eius qui iustus scelerum uindex est. Itaq; mox, ut perfidus tyrannus is Zamri interierit, patebit.

Iuxta uerbum Domini.) quod in utrosq; pios & impios, firmum est. Humana consilia sæpe falluntur & fallunt, atq; irrita fiunt: hic uerò legimus Baasæ euenisse, quæ Deus per Iehuatem prædixerat. Omnia igitur in infallibilia, Dei quæ nulla humana prudentia impediat, consilia & deliberationem cadunt, bona & mala: sed quam dissimili ratione, ea de re aliàs.

Et succendit se cum domo regia.) Igni se perdit, uitamq; sibi igni aufert, qui à Deo uita omnium defecisset, & hominem Deum uita referentem contra fas necasset. in eo igitur æquitas diuina eluxit, ut perfidè Zamri se conficeret, qui perfidus in Deum & regem suum fuisset. Par est, ut tyranni orbis terrarum à se pereant, qui alios tam crudeliter perdunt. Hic uidemus, ut delicta delictis puniãtur. Primus gradus, à Dei fide defectio est. quod crimen in primam Mosææ legis tabulam commissum, fons est reliquorum scelerum. Alter delinquendi gradus est, in hominem iniuriũ esse: qui gradus primo gradui proximus est. Qui enim Deum amore non complectuntur, ut eos etiam despectui habeant, quos Deus diligendos præcipit, necesse est. Tandẽ ex eodem fonte manat crimen, quo scelerati de Deo & de se desperãtes, sibi uim afferunt. Quod genus flagitij longè grauissimum est, quòd pœnitẽtia nimirum careat. pariter utraq; morte, prima & secunda, flagitiosos inuoluens.

Emitq; montem Samariæ.) A Somere sic appellatum. Itaq; quod infrà libro quarto legimus, prophetam illum seniorem, de quo suprà capite duodecimo fit mentio, ex Samaria Bethelem profectũ. Nodus is anticipatione soluitur.

Anno tricesimoprimo Asa.) Dicat aliquis, legi in præsenti narratione, anno uicesimo septimo Asæ Zamri iniisse regnum, & nõ diutius septem diebus eum regnasse. Cum aũt ei in regno Amri successerit, miretur aliquis, ut dicatur Amri regnum tricesimoprimo Asæ obtinuisse. Cœpit quidem regnare mortuo Zamri: sed quoniam uiuente Thebui quietè non imperauit, legitur tricesimoprimo anno Asæ primùm regnare cœpisse: tranquillè uidelicet, æmulo imperij sublato.

Duodecim annos.) In numerum hunc ueniunt etiam anni, quibus sub æmulo Thebui regnauit.

Duxit uxorem Iezabel.) ex genere Sidon, primogeniti Chanaan. Non est igitur mirum, Iezabelem tam flagitiosam mulierem fuisse: cuius deos cum coleret Achabus, meritò legitur hic omnes superiores reges flagitijs superasse, cum

cum Chamo seruituti idololatriæ fœdæ subijciẽs se, quo in Semo libertati ueri cultus Dei destinatus fuerat: Benedictus Sem, sit Chanaã seruus eius. Achabum imitantur, quotquot contempto diuino fœdere Christi sobolis Semi, Antichristi ueri illius Chanaanis idola adorant & osculãtur. Quorum quantus hodie sit numerus, palàm est. His autem sceleribus fuit insignis Achabus: Baalem, qui Belus uidetur fuisse, coluit: tyrannidem in insontes exercuit, ut documẽto est Nabothus, & sancti uates, quos inimicè persecutus est.

Ahiel de Bethel.) contra mandatũ Domini, quod Iosuæ capite sexto exponitur, Hierichunta is Hiel instaurare molitus est, sed suo & suorum exitio. Duo hic ad cognoscendum nobis proponuntur. Vnum est, horribile iudicium Dei, quo impiorum ciuitas euertitur, qualis fuit Hiericho: quæ quam impiorum in hoc mundo amplam ciuitatem præfigurarit, ex Iosua notum est. Alterum est, non minore ira Deum in eum exardescere, qui Hierichunta sacrarum buccinarum sonitu destructam reparare tentant, exemplo Hiel, cuius hic mẽtio fit. Etenim huius, à primogenito usq; ad ultimum, liberi, ut tentassent Hierichunta semel diris deuotam extruere, interierunt. Scita locutione Hebræus hanc cladem effert, cum dicit in Abiramo primogenito iecisse fundamentum, et in Segubo minimo natu collocasse fores. Porrò fundamentum principium ædificij est, fores ultimum opus.

IN CAPVT XVII.

ET dixit Elias Thesbites.) Thesbõ, Iosepho autore, ciuitas est Galaaditidis. Hæc cũ cesserit Menassensi tribui, ueri simile est Eliam ex Menassis familia prognatum fuisse. Nã Machiri, filio Menassis, Moses Galaaditidem ad habitandum assignauit. Sunt tamen qui eum Beniamensem esse affirmant. Sunt etiam qui eum ex Gadina tribu ortum uolunt. Ex hac narratione intelligimus etiam, apud Israelitas, quamuis deseruissent cultum Dei Hierosolymitanum, præstantes uates floruisse, ut impleretur à Iacobo editum oraculũ: Inde pastor egressus est, lapis Israel.

Viuit Dominus Deus.) Apparet, q. quædam hoc iuramentũ uerba præcesserint: quæ autem præcesserint, quia narratio non exponit, interpretum sententiam ut dubiam reliquero. multo libentius etiã prætermitto, quæ de Elia, ut fuerit Phinehas filius Eleazari sacerdotis, fabulose afferunt, iusiurandum adhibet sanctus uates, quo perfidi regis Achabi securitatem retundat. Qui proculdubiò tam amplum regnũ se obtinere putaret beneuolentia diuina. proinde id tutum fore à malis, quæ Elias intentabat. Sic enim improbi homines ex præsenti fœlicitate bonoq; rerum statu Dei fauorem metiuntur. Quod dum faciunt, sua flagitia non perpendunt, neq; cogitant de eis diuinam iusticiam ultionem sumpturam.

In cuius conspectu sto.) oracula eius non meo, sed Dei nomine ad te deferens. Dicitur & Satan cum ministris suis ad Domini soliũ assistere, expectans diuina quæ exequatur mandata. At aliter sancti, siue angeli, siue homines, coram Domino apparent. hi, ut ad pios, quos seruent, decreta diuina deferant: & ad impios, quos si in uiã redire nolint, piorum gratia perdant. Satan uerò, cum ministris, impijs suis siue dæmonibus siue hominibus, ut probos uexet, sed non grauius quàm præcipiat Deus: quamuis eos, quantum in ipso est, perdere cupiat. ut exemplo Iobus est, & alij.

Si erit annis his ros & pluuia.) quæ seruantibus legem promittuntur, non seruantibus negantur: ut est in minis Mosæ, quas in Deuteronomio rebellibus his uerbis intentat: Cauete ne deficiatis à Domino, seruientes dijs alienis. Iratus enim Dominus claudet cœlum, ne pluuiæ descendant. Dominus noster Iesus Christus tempus indicat, quo durauit siccitas hæc, Lucæ cap. 4. cum ait, Tribus annis & sex mensibus clausum cœlum fuisse.

Iuxta oris mei uerba.) Quod Domini erat præscriptum, suum uocat, qui Dei oraculorũ esset minister & instrumentum. Hæc est communio lucis & sapientiæ diuinæ, in qua sancti homines continentur.

Abscondere.) A ui & tyrannide impij regis te defendẽs. Qualia media diuina cura pro suis sollicita non negligit, & Christum ipsum ab his nequaquam abhorruisse constat: qui quoties secesserit furoris Pharisæorum declinãdi gratia, non est obscurum. Nam etsi filij Dei domini sunt tyrannorum, tamen ita dominatus is eis gerendus est, ut status crucis dum in eo uersantur, non sint immemores: sed in media morte uitam, in seruitute libertatem, in cruce gloriam, in humilitate sublimitatem, in Christo humiliato & exaltato meditentur.

Qui est contra Iordanem.) Vicinus is torrens Iordani erat, pœnitentiæ & regenerationi sacrato fluuio, ad quẽ Ioãnes Baptista pœnitentiæ baptismum administrauit, Eliæ spiritu prædi tus. De quo his uerbis apud Lucam: Qui antecedet eum, Eliæ spiritu & potentia præditus.

Coruisq; præcepit.) Monemur per

hoc mandatum, coruis à Deo datum, omnia imperio diuino subiecta esse, qui cœlo imperat ne pluat, neue rorem fundat: mari ut discedat, siccum alueum ostendens: fluuijs, ut cursum sistant: igni, ut de cœlo in terram descendat: terræ, ut dehiscat: piscibus, ut suos uates in uentrem recipiant seruãdos: & coruis hic, ut pascant suum prophetam Eliam. Vnde monemur, pios de uictu sollicitos esse non debere, quos cum Elia coruorum ministerio facilè possit alere. At uerò figura & umbra rerũ futurarum, neq; in coruis, neq; in alimenti genere abfuisse uidetur. Quantum ad coruos attinet, hi ad hoc mysticum munus obeundum inepti nõ fuerunt, siue ingenium eorum, siue uictum spectemus: ingenium humanis usibus aptum declarat natura, ad humani sermonis imitationem apta. Nam cum omnium auium uarios clangores et uoces edat coruus, institutus etiam humanum sermonem imitatur. Est in historijs, Tiberio principe coruũ maturè sermoni assuefactum, omnibus matutinis euolantem in rostra, in forum uersus Tiberium, dein Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Romanum salutasse, postea ad tabernam remeasse, plurium annorum officio mirum. Delegisse igitur coruos diuina prouidentia uisa est, ut ad ministrandum homini aptos, à quo etiam ipsi per familiaritatem naturalem opem flagitant. Literis proditum est, Aegyptios coruos Nilum accolentes, nauigantibus quasi supplices esse, sibi quippiam dari ad uictum efflagitantes. Quod cum assecuti sunt, petere cessare, nihilq; molestos amplius esse. Victus coruorum huiusmodi est, ut mysticis sacrarum rerum notis non careat. Nam ad cadauera, quibus uescantur, aduolant. Qua in re apta figura repræsentant nobis electos Dei, suum uictum quærentes in eo qui mortuus est, ut mundo uitam daret. Quare Dominus noster huc spectans, se cadaueri apud Euangelistam, & suos auibus quæ cadaueribus inhiant, comparat. De qua cõparatione in Leuitico mentio facta est: & quomodo ijs quæ hic obijciantur, occurratur, indicatũ. Quãobrem mirum non est, coruos à Deo selectos, qui Eliam in solitudine pascerent, qui nobis sponsam Christi referant, imagine non obscura: à qua & in qua sola contingit, in persecutionibus consistere, alimenta capere, uitam tueri, cõsolationem in omnibus aduersis rebus adipisci. Nec nigricans color huc parum conuenit. Sic enim in Cantico canticorum sponsa de se canit: Nigra sum, sed formosa. Nigra quidem, peccati, mortis, & calamitatum nigrore: sed formosa, specie iusticiæ, uitæ & gloriæ sponsi mei, qui beneficio mortis suæ, ad quam non secus aduolo quàm corui ad cadauera mortuorum animantium, hunc ornatũ & pulchritudinem mihi comparauit. Nigricãtem etiam corui colorem sponsa sponso suo Christo tribuit, canens: Cæsaries eius nigra ut coruus. Vt enim is, crucis nigrore coloratus ad pulchritudinẽ gloriæ & splendoris cœlestis regni peruenerit, apostolus Paulus in epistola ad Philippẽses explicat. Hæc de coruis, in quibus quæ nobis apta ad admirationem rerum cœlestium uidentur, perpendimus: uitia quæ habent, relinquimus: ut etiã in leonibus, canibus & serpentibus fieri solet.

Panes & carnes.) Carithus fluuius ad potandum aquas, corui ad uescendum panes & carnem suppeditabant. Duo nominantur, quibus præcipuè uictus constat: panis & caro. Hinc Dominus noster modò panem, modò carnẽ se uocat: quibus suos Elias, hoc est spiritu Eliæ præditos, non ad temporariam, sed ad æternam uitam alat atq; nutriat. Vt enim Elias in solitudine, insectantibus eum Achabo & Iezabele, à coruis pane & carne nutritus est: ita sancti in solitudine huius mundi uersantes, à tyrannis orbis terrarũ uexati, carne eius aluntur, qui dicit, Caro mea uerè cibus est: & pane nutriuntur, de quo idem ille, Ego sum panis uitæ, qui uitam dat mundo. Cæterum quid attinet curiosius inquirere, unde acceperint corui panes & carnes? Diuina prouidentia, quæ excitauit coruos ut Eliam pascerent, ea etiã coruis panes & carnem quæ afferrent, ostendere potuit, usa animantis ingenio alioqui ad furandum propenso & industrio. Itaq; quòd alij dicunt de Iosaphati, alij de Achabi mensa allatos panes, autoribus illis suam sententiã reliquero. Carnibus hic legimus nutritum Eliam. inter falso religiosulos inuenias, qui religionis ergò, sanctiores Elia, & sapientiores Deo, à carnibus abstinent, & alijs ut abstineant præcipiunt.

Siccatus est torrens.) fontibus eius nimia & diuturna, ut fit, siccitate exarefactis. Nã fontes, qui ex aquis è mari manantibus, per terræ uenas sparsis scaturiunt, pluuijs & cœlestibus aquis fouentur. Tradit Iosephus libro octauo Antiquitatum Iudaicarum, Menandrum historiographum huius siccitatis in rebus gestis Iehobali regis Tyriorum meminisse.

In Sarepta Sidoniorum.) Hæc ciuitas inter Sidonem & Tyrum sita erat, ditionis Sidoniorum. Hebræi interpretes duas Sidones ponũt: alteram Sidoniorum, alteram Israeliticam. de hac præsentem narrationem intelligi uolunt. Atque hanc

hanc dicunt non imperio Sidoniorum subiectam fuisse, sed finibus eorum uicinam, quod sit hic לִצִּדוֹן quasi uicinam Sidonijs. At nos Hebræis relictis, ut hominibus geographiæ & historiarum atq; reliquarum disciplinarum ferè ignaris, uerum interpretem & doctorem Christũ ipsum Dominum nostrum sequimur. Is Israelitarum ingratitudinem & contumaciam, qua suos uates à Deo ad ipsos missos contempserant, reprehendens, exemplis comprobat, diuinos uates, qui apud illos locum non reperissent, ad gentes & alienigenas diuertisse, & eis sacras oraculorum opes ex mandato Dei exposuisse. Sic enim ait: Amen dico uobis, Nemo propheta acceptus est in patria sua. Sed uerè dico uobis, multæ uiduæ erant tempore Eliæ in Israele, quando clausum est cœlum annis tribus & sex mẽsibus, cum facta esset fames magna per omnem terram: & ad nullam earũ missus est Elias, nisi in Sareph tam Sidonis, ad mulierem uiduam. Et multi leprosi erant in Israele tempore Elisæi uatis: & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Ex quibus uerbis primò intelligimus, Deum personarum rationem non habere, eiusq; gratiam & fauorem neq; ad tempora, neq; ad sexum, neq; ad gentem, neq; ad ulla mundi elementa alligari: ut Sareptana mulier. & Naaman Syrus præter alios exemplo sunt, ipso etiam Domino interprete. Deinde cognoscimus, adumbrari hic illustri umbra gentium uocationem, quæ sint in gratiam noui fœderis recipiendæ, reiectis ad tempus Israelitis. Relictis enim his, Elias ad alienigenam se contulit: & Elisæus, relictis leprosis quos terra Israelitica habebat, Naamanem Syrum sanauit. Postremò aperit se hic magnum mysterium in numero trium annorum & sex mẽsium, quo cœlum ne plueret, & rorem in terram funderet, clausum fuisse Dominus dicit. Tempore enim quo gentes ad Euangelium Messiæ uocatæ sunt, ut mox per filium perditum cœlo pleno diuinitatis splendore clauso, pluuia cœlestis Euangelij cœperit negari, superiora secula & nostra argumento sunt. Quanto autem tempore duraturam hanc siccitatem & penuriam cœlestis roris & pluuiæ sacræ literæ indicent, non est obscurum. Daniel meminit temporis huius, ubi dicit: Tempus & tempora & dimidium temporis. Danielis oraculum explicans Ioannes in Apocalypsi, eiusdem temporis his uerbis memnit: Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut uolaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis, à facie serpentis. Huic tempori congruunt tres anni & sex menses à Domino numerati, & apud eundem Ioannẽ quadraginta duo menses, efficientes mille ducentos & sexaginta dies: hoc est, oraculares annos, quibus fames uerbi Dei & Euangelij cœlestis penuria, clauso cœlo per filium perditum in muliere in solitudinem fugiente durare dicitur. A quo autem tempore, à Constantino ne principe, sub quo ecclesia quali in statu esse cœperit, satis pijs notum est: an à Phoca, bestia ex terra nata, sibi imperium in sponsam Christi uendicante, numerari debeant, ea de re disserendi commodior occasio alio loco & tempore offeretur, cum erunt explicandi qui apud Danielem scribuntur numeri, Tempus tempora & dimidium temporis: item, Dierum trecentorum et trigintaquinq; numerus, & apud Ioannem dierum mille ducentorum & sexaginta.

Præcepi enim ibi mulieri uiduæ.) Reducto uelo mysticæ narrationis, occurrit uidua, de qua apud Iesaiam mentio fit: Opprobrij uiduitatis tuæ non recordaberis amplius. Nam uocationis gentium ad cognitionem sacri Euangelij agitur mysteriũ, iam ex uerbis Domini indicatũ.

Præcepi eĩ ibi mulieri.) Non fuit mãdatum uerbis expressum, sed ordinationis diuinæ instinctus, quo excitata est mulier uidua, ut ad se diuertentem Eliam aleret. Quale etiam mandatum fuit ac præceptum, quo suprà coruis præcepisse legitur Dominus, ut pascerent eundem uatẽ. Est igitur præceptum Dei, quo uerbis exponitur uoluntas diuina. est item præceptum ac lex, quæ in certa descriptione & dispensatione procurationeq; cernitur. Quod genus legis חוק appellatur à Salomone his uerbis: בשומו בים חקו id est, cum mari legem poneret. Hæc lex æterna Dei ratio est, qua uniuersitas hæc rerum gubernatur & regitur, cuiq; imperanti & statuenti aliquid fieri, omnia parent & obediunt: ut ei cõrui & uidua hic paruisse leguntur.

Apparuit ei mulier uidua.) non temerè, sed diuina ratione & cura, quæ mandatum hoc continebat: Præcepi enim mulieri uiduæ. Ea ratione incidit in uiduam, qua Abrahami seruus in Rebeccam incidit, & Iacobus in Rachelem, atq; Moses in filias sacerdotis Madianitæ.

Colligens ligna.) Quid duo ligna, ignis, farina, panis ad prunas coctus, & oleum significent, perpendant pij docente unctione, de qua Ioãnes: Vnctio docebit uos omnia. Nam notis mysticis referta esse hic omnia, ipsa mystica narratio indicat. Diuina sapientia pro ratione ueteris fœderis, siue res siue personas spectes, multa age-

re solita est sub figura rerum futurarum, quæ ij ipsi cum quibus agebatur, non intelligebant. Legitur hic uidua Sareptana lignari. Lignorum autem quæ colligebat, rationem ignorabat: ut eam etiam de fame, de oleo, de pane, de filio ex capitali morbo ad uitam reuocato, Dei consilia latebant. Quoniam diuinæ sapientiæ in admirabili illa ueteris Testamenti sciagraphia uisum est, etiam profanarum gentium uocationem adumbrare, atque ea quæ ad salutem Ecclesiæ gentium conficiendam pertinent, imagine quadam re præsentare. In hac adumbratione hæc fuerint ordine expendenda: ueteris hominis mortificatio ad noui generationem, quæ quoniam perficitur igneo spiritu, de quo illud, Baptizabit uos spiritu & igni, legimus uiduam Sareptanam lignantem, in figuram huius rei ligna, & ea duo collegisse, quorum alterum ueterem hominem cum suis cupiditatibus comburendum, alterum nouum per igneam diuini spiritus uim ad claritatem ueræ iusticiæ & uitæ lucisq; Dei renouandum indicabat. Sic autem mortificato terreno homine, & reparato cœlesti, suus panis, quo uescatur nouus homo, non deest: panis inquam, ad prunas crucis benè coctus, qui de se dicit, Ego sum panis qui de cœlo descendit, uitam dans ipso uescentibus, ut uiuant spiritu, carni morientes. Quod Deus pro sua sapientia tectè & sub imagine per mulierem significasse uidetur, cum eius mysterij ignorans diceret: Vt comedamus & moriamur. Eôdem pertinet etiam oleum, cuius significationem ut notam hic omittimus. Hoc oleum sacri spiritus oleum est, quo panis ille uiuificus deunctus, de cœlo in regij sacerdotij participatum suis affundit. Tantarum rerum adumbratio, ut nobis in hac diuina narratione ad magnam significationem beneuolentiæ diuinæ, quam in uiduam ecclesiam gerit, proponatur, pijs relinquo considerandum.

Da mihi paulum aquæ.) Qui esset de uia fessus, sitique & fame affectus, penes uiduam Sareptanam aquam, ad sitim restinguendam quærit. Submoto typo, quomodo aquæ, panis & oleum, hoc est omnia in Ecclesia electorum bona, per electionis gratiam reposita lateãt, quæ suis Elijs præsentibus parentur, & extra eam nulla quæ salutaria sint, reperiantur, pios non fugit.

Viuit Dominus Deus tuus.) Agnoscit uiduæ, Iehoua Israelitarum Deum esse, qui oliua essent, & inserendas gentes oleastrum. Non iurat per deos Sidonios, sed per Iehoua Deum Eliæ. Vidua ergo hæc sententia illa continetur, quam Petrus in Actis his uerbis explicat: Nunc re ipsa comperio, quòd in quauis gente, qui timet Deum, & iusticiam exercet, is illi acceptus est.

Subcinericeum panem.) Fatetur se tantum pugillum farinæ in cado, & paulum olei in gutto habere. Græci reddunt ἐγκρυφίας: quos noster sequitur qui uertit, Subcinericium panem. Elias primum sibi panem ex farina coqui iubet. Submoto uelo, ad quos primò panis ille cœlestis pertineat, declarat illud: Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israeliticæ. Deinde ut is panis gentibus quoque non negetur, indicat Christus ipse apud Ioannem: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: illas quoque oportet me adducere, ut uocem meam audiant. Itaque hic adumbratè Elias respondet uiduæ: Fac mihi primùm panem, postea tibi tuisque filijs facito. Et ut Elias uiduæ Sarephtanæ, quæ ex ditione Sidoniorum erat, respondit: sic Dominus noster Chananææ mulieri, quæ in finibus Tyri & Sidonis uersabatur, apud Matthæum respondisse legitur. Qui locus tanquam lux in has umbras illatus, arcana hic nobis Dei consilia optimè patefacit.

Hæc dicit Dominus Deus Israel: Hydria.) Primò hic discimus, non temerè & fortuitò res ad uictum necessarias contingere, sed diuinæ curæ eas munus esse. Sic enim ait Elias: Hæc autem dicit Dominus, &c. Deinde, qui contingit uictus, eum non sua natura nutrire & alere, sed benedictione Dei. cum in maledictione cibus non alat, ueluti legimus apud Mosem: Comedent, & non saturabuntur. Præterea, hanc benedictionem secum in eorum domum diuinos homines afferre, in qua hospites accipiuntur: ut de Iosepho, & hic de Elia exemplum extat. Vnde Dominus noster sic ait: Qui recipit prophetam nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Postremò, eam uim Dei munera habere, ut quanto plus impendatur de eis, tanto minus ea deficere sentiantur. ut exemplo hic est uiduæ Sidoniæ farinæ cadus, & olei guttus. exemplo item sunt panes, quibus Christus suos conuiuas cibauit. Et submota umbra, ostenditur munerum Euangelij, & eius spiritus indeficiens uis & natura, quæ nunquam exhauriatur, sed cum usu subinde exaugeatur.

Vsque ad diem.) Expletis tribus annis

annis & sex mensibus clausi cœli.

Et comedit ipse & illa.) In Hebræo scribitur primò חרא, & legitur הרא. & deinde scribitur חרא, & legitur הרא. Itaq; Paraphrastes: ואכלה הרא והרא. Dicunt interpretes, morem esse linguæ sacræ, ut prmò fiat mentio eius personæ, quæ præcipuè in narratione tractatur: & quia hic agitur negocium uiduæ, eius fieri primò mentionem. eundem morem seruari etiam in alijs Scripturæ locis. Sic enim legi in Exodo ותרבר מרים ואהרון. item in Esdra, ותכתב אסרר ומררבי, quòd Esder regina esset. At uerò hic primò scribi חרא, marem, ut in dicetur diuino munere per Eliam diuinum uatem nutritam uiduam.

Aegrotauit filius mulieris.) Noua tentatio paratur, qua et Eliæ fides probetur, & uidua maiorem diuinæ clementiæ uim experiatur. qui præcipuus usus est tentationum & miraculorum Dei. Si, submota umbra, ea quæ in Ecclesia euentura erant spectes, mysterium mortui & è morte suscitati filij uiduæ Ioannes explicat, ubi resurrectionis primæ meminit, quæ eorum est qui temporib. clausi cœli, pluuia uitalis Euãgelij spoliati, mortui cum iacẽt, munere Eliæ, hoc est eorũ qui spiritu Eliæ prædi ti sunt, doctrina & precatione, uitæ, quæ in spiritu Euangelij Messiæ continetur, restituũtur. de quo spiritu resurrectionis huius primæ, eorum quos nobis uiduæ mortuus filius repræsentat, uates Iesaias his uerbis mentionem facit: Donec effundatur super nos spiritus de excelso, & fiat ex deserto ager cultus. Huius primæ resurrectionis initia iã cernimus fieri per eos, qui nobis Eliam spiritu referunt: incrementa maiora erunt, & exitus in suo sabbathario anno talis, qualis prædicitur in prophetis: & eum sancti expectant, uindice aduersariæ potestatis Messia. De quo Ioannes capite duodecimo suæ sacræ Apocalypseos his uerbis, non parum ad hoc arcanum explicandum facientibus, meminit, de mulie re Ecclesia in solitudinem exposita loquens: Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes uirga ferrea: & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius. Is filius mulieris Ecclesiæ CHRISTVS IESVS est: quem ut peperit, & eum draco Satan deuorare & perdere uellet, uicta morte uiuus in cœlos penetrauit, ibi sedens tantisper, dum finito tempore persecutionis Ecclesiæ, aperiat cœlum, & pluuia Euangelij sui demissa, eos qui mortui iacuerunt, ad uitam cognitionis reconciliati patris reuocet per suos Elias, de quibus illud Malachiæ: Ecce ego mittam uobis Eliam uatem, antequam ueniat Dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor parentum ad filios, & cor filiorum ad parentes eorum, ne fortè ueniam & percutiã terram anathemate. De hoc anathemate suo loco meminerimus.

Ita ut nõ remaneret in eo halitus.) Dissentiunt hic interpretes. alij eum totum expirasse & exanimatum uolunt, ut amplificetur miraculum ab Elia editum. alij exanimatum ita, ut uideretur mortuus, quamuis penitus non expirasset. Sic etiam de Daniele legi, quamuis non expirasset: Vt halitus non relinqueretur in me. Prior sententia receptior est, & amplificandæ potentiæ diuinæ atque ipsi mysterio explicando aptior.

Quid mihi & tibi est uir Dei.) Hæc uox non est expostulantis cum Eliæ inclementia & ingratitudine durius, sed suam miseriam deplorantis sub occasione peccatorum, quibus se obnoxiam fatetur. Quæ agnitio sui illam ipsam seruauit, & uitam filio restituit, ui precationis Eliæ. cuius munus agnitionem peccati requirebat: qui pœnitentiæ prædicator esset, & nobis Eliam Ioannem pœnitentiæ doctorem, & omnes qui Ioãnem erant repræsentaturi, præfiguraret.

Vt rememorarentur iniquitates meæ.) להזכיר, id est, ad reuocanda in memoriã iudicis Dei peccata mea, quæ puniat. Sic uates Dauid, Memor esto Domine filiorum Edom: hoc est, eorum conuicia & contumeliam ulciscere & puni.

Domine Deus meus.) Qui iussisti, ut ad uiduam hanc proficiscerer, & me hactenus spiritu tuo ita rexisti, ut innocentiam meam tuitus sim, ad te amplificandum, non ad imminuendam gloriam clementiæ & bonitatis tuæ. Fidei uox est, non clamare Dominum Deum esse, (quæ etiam impiorum uox est) sed, Dominum Deum suum esse, qui faueat nobis, & bene uelit.

Etiam'ne uiduam.) Qui uiduas & pupillos & aduenas præcipuè tibi curæ esse, ad Mosem declaras. A' Dei & uiduæ persona.

Apud quam ego utcunq; sustentor.) ut aduena, eius hospitio utor. Tale sonat מתגורר. A' conditione suæ personæ, loci commodi ad mouendum.

Afflixisti.) Qui scis, quàm arctè liberos suos ament matres.

Vt interficeres filium eius.) contrà

quàm ferat ingenium tuum, qui pronior sis ad seruandum quàm perdendum, ad uitam dandam quàm auferendam. Accommodanda hæc sunt ad mysterium resurrectionis primæ, quæ conficietur munere Eliæ, filios uiduæ Ecclesiæ mortuos ad uitam reuocante.

In inferiorem locum.) Verbum Hebræum indicat, ex superiori loco deportatum uiuum. præcesserat, Portauit eum in עלית: qui in superiore parte domus locus est. Mysticam notã si euoluas, occurret illud apud Ioannem, de ciuitate de cœlo descendente, ad nouã uitam instaurata. Quæ ciuitas electorum Ecclesia est, cuius filij super nè è spiritu sacro renati ad ueram uitam, hoc modo è sublimi cum uiduæ filio uitæ restituto deportari ab Elijs suis dicuntur. Qui dum sese ter super illis admetiuntur, munere prædicationis sacri Euangelij & precationis, in eos remigrat spiritus atq; halitus uitalis, de quo uitæ huius largitor meminit: Spiritus est qui uiuificat. Spiritus inquam, quem ipse suis inspirasse legitur: Flauit in eos, & dicit eis, Accipite spiritum sanctum. Qui halitus & spiritus non terrenæ, sed cœlestis, non animalis, sed spiritualis uitæ halitus est, in administrationem Eliarũ cadens, de quibus illud Apostoli: Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non literæ, sed spiritus.

Et reddidit matri suæ.) Intueamur nostra secula, in quib. ut reddãtur per suos Elias matri Ecclesiæ sui liberi, Messiæ spiritu animati, nos hodie in hoc primæ resurrectionis tempore cernimus. De quo statu & alio loco meminerimus.

Nunc in isto cognoui.) Explicatur usus miraculi. Sic Ecclesia longo iam tempore uidua, uagãs in solitudine clausum, cœlum sentiens, & natos suos mortuos per aduersarium omnia occupantem tenebris cernens: cum hos reuixisse uiderit, hoc est, in eorum cordibus spiritum Christi sponsi sui spirare: confitebitur, Elias suos uiros diuinos esse: & uerbum Euangelij, quod in eorũ ore uersatur, uerum & æternum salutis uerbum esse.

IN CAPVT XVIII.

ANno tertio.) Exitus Eliæ ex terra Israelitarũ, non clausi cœli is tertius annus est. Nam in annum quartum usque siccitas cœli duraut. Tribus enim annis, ut ex uerbis Christi patet, & sex mensibus, neque rorem neq; pluuiã cœlũ fudit. Itaque cum sex mens. & amplius ad Cherithum fluuium uersatus fuisset Elias, tertio deinceps anno quo pluuia danda erat, locutum ad Eliam Dominum hic legimus, qui erat illius ex terra sacra tertius annus.

Vade & ostende te Achab.) Graui tentationi obijcitur Elias, cui mandetur ut ad hostem suum proficiscatur, quem fugerat. Apostolus Paulus septem millium meminit, qui Baali genua non flexerint: propter quos proculdubio, ut reliquiæ seruarentur, propheta Elias sacræ terræ restitutus est, cum cœlesti pluuia. Qua in re significatur, sublatis uatibus, & diuinis eorum oraculis, cœlum claudi ne pluat. ijsdem redditis, aperiri ut pluat. Referamus ista ad hæc nostra & superiora tempora.

Vt dem pluuiam.) Suprà porrò legimus, pluuiam nõ dandam nisi ad oraculum uatis Eliæ.

Abdias autem timebat Dominũ.) Dissensio est inter interpretes, quis fuerit is Obadias: an fuerit uates, qui inter duodecim numeratur. Sunt qui uatem illum fuisse uolunt, sunt qui diuersum sentiunt. Prior sententia receptior est. quod uerisimile sit, prophetæ lumine fuisse illustratum, qui prophetas Dei tantopere amarit, tyranni metu non deterritus.

Nam cum interficeret Iezabel.) Sæua & crudelis fœmina, eum nobis referẽs de quo illud: Maledictus Chanaan. Quam crudelem mulierem sanctorum sanguine ebriam Iezabel adumbrarit, explicat Ioannes in Apocalypsi.

Prophetas Domini.) suos falsos uates seruans. Exequitur sententiam illam semel in serpentem & eius sobolem pronunciatam: Inimicitiã ponam inter semen tuum & semen illius. Hoc odium cœpit se ab initio statim inter Abelem & Cain ostendere, & durat usq; in finem mundi.

Tulit ille centum prophetas.) interpretes & doctores ueri cultus Dei, & aduersarios falsi. Sed unde accidit, & qua ui impulsus fuit Obadias, ut diuinos uates tanto studio amplexus sit? Præcesit: Obadias aute timebat Dominum. Amor igitur Dei prima lege præceptus, fons est eius amoris, quo alterum prosequimur. Neq; alter sine altero esse potest. Firmum enim est illud: Si quis dixerit Deum se diligere, & odit alterum, mendax est.

Elias occurrit ei.) ex certo Dei consilio, uates uati, & seruus Dei seruo Dei.

Cecidit super faciem suam.) summisso in terrã uultu honorem ei præbens. Quo corporis gestu significabat, in Elia diuinum numen uersari: neq; eum uulgarẽ hominẽ esse, sed diuinum: eum nimirũ in pectore gerentẽ, cuius imperio cœlum & terra et tyrãni orbis terrarũ subiecti sint.

Domine mi Elias.) Dominum uocat. qui teneret spiritum eius de quo illud: In cuius femore scriptum

re scriptum est, Rex regũ & Dominus dominantium. Vnus est Dominus IESVS Christus: cuius spiritum qui habent, per participatum eius domini sunt, ut per participatum diuinæ naturæ dij uocantur.

Ego.) Exemplum constantis confessionis in Elia, nomen suum tempore grauissimorum periculorum non celante, sed apertè cum his uerbis profitente: Vade enunciatũ Domino tuo, adesse Eliã. Is Eliæ spiritus omnibus temporibus ad amplificandum nomen Dei, pœnitentiæ doctoribus necessarius est. Quali præditus spiritu Elias Ioannes Baptista fuit: & qualis his postremis tẽporib. in ijs cernitur, qui in demoliẽdo aduersarij, & ædificando Messiæ regno, Elias se præstant.

Dic domino tuo.) Vocat impium regẽ, Dominum: propter regiam dignitatem, ob quam etiam improbi principes אלהים & domini appellantur. Sed non uocat Dominum suum, qui dicat infrà: Viuit Dominus exercituum, ante cuius uultum sto.

Quid peccaui.) Non ignorabat illud: In peccatis cõcepit me mater mea. item: Si quis dicit se peccatum non habere, mendax est. Sed his uerbis declarare uoluit, se nihil aduersus Eliam cõmissse, neq; eo uitio se laborare, quo falsi uates laborabant. Subiungit enim: Ego autem seruus tuus, timeo Dominum à pueritia.

Túne es qui conturbas Israel.) Grauis expostulatio impij regis cũ sancto uate, exponitur. In qua narratione proponitur nobis cognoscendũ, ut improbi tyranni cõpositi sint tum erga Deum, tum eius seruos, hos omnia mala quæ accidunt, ascribere sanctis uatib. non néue suis néue suorũ falsorum prophetarũ delictis. Veluti hic legimus, in hunc modum expostulare Achabũ cum Elia: Túne es qui perturbas Israelẽ? ubi duo obijcit Eliæ. unũ est ab eo Israelitarũ animos à suo quẽ seruabãt Dei cultu, alienari, ipso in suspicionẽ falsi adducto, qui bipartitus erat: alter, quem Ierobo amus instituerat: alter, quẽ Iezabel ex Sidonijs in terram sacrã intulerat, qui Baalis cultus erat. Alterũ, quod in hac expostulatione obijciebat Eliæ, calamitates erant, quib. Israelitæ premebantur, quas Achabus cum sua Iezabele & falsis uatibus Eliæ imputabat. Si igitur hæc Achabi acerba prehẽsio ad thesim reuocetur, experimur omnib. seculis usuuenire, ut scelerati suorũ temporũ mala in homines probos oraculorũ Dei ministros referant. Intueamur pphetarum Christi, & Apostolorum, & hæc nostra tẽpora. Cõmunis hodie querela est, hanc cœli inclementiam, & terræ malignitatem, tot morborum genera, bella, seditiones, Euangelio & eius ministris deberi. Sed quid ijs, qui hoc genere falsæ reprehensionis utuntur, respondendum est? Sequitur:

Non ego.) qui Dei Israelitarũ uates sum, cœlestem doctrinam, quæ pacem, nõ turbas, felicitatem, non infelicitatẽ affert, tibi & tuis denũcio. Inficiatione utitur, crimen retorquens in ipsum Achabũ. in qua defensione constantiæ & fortitudinis animi plenum respõsum cernitur, & dignũ Elia uate, in quo omnes falsæ religionis reprehensores & ueri doctores, à Ioanne usq; in finem profanationis Ecclesiæ repræsentantur. Quia Achabus captionẽ struxerat ex eo elenchorũ loco, unde id quod causa nõ est pro causa affertur, cum colligeret, causam tantorũ malorũ in quæ incidissent Israelitæ, fuisse Eliam, quòd hoc uaticinãte ac prophetante illa accidissent: hanc fallacem & captiosam cõclusionem refellens Elias, respõdet, non à se perturbatos Israelitas, sed ab impio Achabo, qui Deo Israelitarum posthabito, alienos deos cũ sua paterna familia coleret. Is ueram causam calamitatum assignauit, falsa, quam improbus rex attulerat, refutata. Eodem modo occurritur his temporibus captosæ rationi, qua Euãgelium taxatur tanquam origo & causa tot & tantarum quæ hodie orbem terrarũ infestant cladium: cum earum non ipsum Euangeliũ, & eius Christiq; spiritu ornati professores, sed scelera improborum hostium qui id insectantur, & eorũ qui idem illud ore solũ, non animo & uita exprimunt, uitia, auaritia, luxus, ambitio, inuidia, arrogantia, contemptus rerum cœlestium, & amor terrestrium, causa sint.

Quid relinquitis mandata Dñi.) in quorum obseruatione felicitas, in contemptione infelicitas consistit: ut id benedictiones & maledictiones Mosaicæ declarant.

Et congrega ad me uniuersum Israel.) Ad quẽ pertinerẽt oracula Dei, eiusq; cultus. Itaq; munus uerorũ uatũ quale sit, Elias indicat. Primò hos, de sua sententia nihil tentare, sed omnia de uoluntate & sententia Dei, ut Eliam fecisse legimus. Suprà enim scriptũ est: Vade ostende te Achabo. quod nullo periculo deterritus fecit. Deinde, Dei mandata non uni alicui, sed toti Ecclesiæ declarare, non solum sine metu aduersariorũ, sed etiam palàm aduersus illos. ut Elias fecit, iubẽs cõuocari totũ Israeliticum cœtũ, & falsos eius uates, quos palàm reprehẽderet et fortiter ad uerum De cultũ asserendum refelleret. Hoc pphetãdi munus his Achaborum & Iezabelũ tẽporib. usurpabũt, q spiritu Eliæ sunt. Quib. ut sit cũ pro-

prophetis Baalis, pro salute uerorum Israelitarum contra Satanam, contra filium Satanæ Antichristum, & contra tyrannos orbis terrarum qui Antichristum referunt, pugnandum, satis manifestum est hodie.

In monte Carmeli.) Cũ duo sint Carmeli montes in terra sacra, alter in tribu Iudæa ad austrum, iuxta Seyr montem, non procul ab Hebrone in solitudine Magon, qua in Aegyptũ itur, in qua Nabal ille stultus habitauit: alter uerò Carmelus in occasu terræ sacræ situs, confinis Zabuloniæ & Isacharianæ & Aserianæ tribubus, sed diuersis partibus. In hoc monte, cui ex oriente uicinus fuit Thabor mons, Elias tam illustre diuini spiritus documentum exhibiturus, conuocari iussit Israelitas.

Qui comedunt de mensa Iezabel.) Falsi prophetæ regio uictu aluntur, Elias à coruis & paupere uidua nutritur. Euolue typum. Quot quæso hodie à Iezabele illa impudenti muliere, plena crudelitate, falsi uates, doctores, episcopi, carnales nutriuntur, optimam orbis terrarum partem possidentes, quam in cultu Baalis consumant, magno dedecore Dei Israelitarum? cum interim ueros prophetas & interpretes sacrorum oraculorum exilio ferro, igni, laqueis, aquis, & omni genere tormentorum crudeliter Iezabel illa insectetur, atq; inimicè persequatur: mensuram improbitatis parentis sui serpentis antiqui, qui homicida est ab initio, implens.

Vsquequò claudicatis in duas partes.) Grauis reprehensio instituitur, qua in utrumq; pedem claudicare ac nutare reprehẽduntur. Qui altero pede integri sunt, alterum claudum regere possunt. Qui autem utroque claudi sunt, miserè gressus suos moderantur. Qua scita similitudine significatur, eos qui se Dominum sequi fatentur, & Baalem, id est Deos alienos colant, neq; Dominum neq; deos alienos colere. Firma enim est illa sententia, Duobus dominis nõ seruiri. Deinde indicatur, sic comparatos esse, qui deos alienos colũt, ut fateãtur nihilominus se Dominum Deum Israelitarum colere. Sicut his uerbis indicat Elias: Si Dominus est Deus, sequimini eum. Sic hodie quoq; qui in regno nostræ Iezabelis sequuntur suos Baales, dicunt se Dominũ Christum colere, non deos alienos: cum interim eorum templa repleta sint idolis, & totus eorum cultus nihil aliud sit quàm manifesta idololatria: ut qui non uerbo Dei, sed omnino humanis doctrinis nitatur. Tertiò intelligimus ex uerbis Eliæ, Deum Israelitarum eum Deum esse, qui rivalem & socium amoris non ferat. Hoc ostendit Elias, cum ait: Si Dominus est Deus, sequimini eum: qui nullius alterius cultum toleret. Demum cognoscimus, etiam electos & scriptos ab æterno in libro uitæ, ad tempus claudicare in utrumque crus: hoc est, præ se ferre Deum uerum se colere, cum deos alienos colunt: ut qui sub Antichristo Baalem suum colunt, sic à Satana seducti, documento sunt. Cæterùm uox סעפים propriè ramos notans, transfertur ad consilia, affectus, studia. quòd ut arbor se in ramos spargit, ita mens in uarias cogitationes & studia se diffundit. Huc Iosephus spectans, sic scribit: μέχρι πότε διημαρτάνετε τῇ διανοίᾳ καὶ ταῖς δόξαις. Paraphrasti, ut nostro, placent partes: hoc est, sectæ. Græci ἰγνύας, id est poplites habent: Israelitas in utrumque poplitem claudicare.

Si Dominus est Deus.) Ex pugnantiũ loco ducta ratio est: Pugnare, simul Iehoua colere, & Baalem. Quòd non possit nisi unus uerus Deus esse, qui fide colatur. Argumentum nititur sententia illa à Mose tradita: Dominus Deus uester unus est.

Et non respondit populus ei.) diuini dilemmatis ui obstupefactus.

Ego remansi propheta Domini solus.) qui resisterem Baalis cultoribus. Erant quidem & alij prophetæ, quos suprà legimus abditos ab ipso Obadia, sed qui se opponere falsis prophetis non auderent. Is igitur conatus Eliæ quantam laudem habuerit, & quam roboris diuini spiritus significationem dederit, res ipsa argumento est. Si in laude ponitur, si quis cum multis præclarè se gesserit: maiorem laudem merebitur, si cum paucis magnas res fecerit: præcipuè uerò laudabitur, si solus in maximis periculis se fortiter gesserit. Talis fuit hic Elias, & Ioannes Baptista Eliæ spiritu armatus, contra aduersarios regni Dei. Nostra tempora, ut satis nota, prætereo, in quib. ut ab initio instaurãdi Euangelij, & eius ex profundis tenebris loco sancto offusis excitandi, unus quidem in Aquilone repertus sit qui Eliæ spiritu munitus, Iezabeli Babyloniæ & eius falsis uatibus sophistis & pharisæis atq; Achabis tyrãnis improbam Iezabelem tuentibus, sese opponere sit ausus, opera edita declarant.

Prophetæ autẽ Baal quadringenti & quinquaginta.) In Hebræo non repetitur mentio quadringentorũ uatum lucorum, ut in Græco & in Latino exemplari. Arbitrantur interpretes, uerisimile esse, lucorum uates domi retentos à Iezabele, atque eos probibitos ne ad

Eliam

proficiscerentur: cuius nimirum lumen, ut homines in tenebris uersantes, non ferrent. Firmum enim est illud Messiæ Domini nostri: Omnis qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius.

Ignem autem non supponant.) Significat, holocausta non probari igni, quem nos paremus: sed eo igni, quem Deus de cœlo mittat. Hunc autem inuocatione Dei impetrari, sequētia ostendunt: sed quali inuocatione, & cuius Dei, iam patefiet.

Et Deus qui exaudiet per ignem.) igni cœlitus demisso declarans, quorum holocaustum probetur, uestrúmne an meum. In hūc usum ignem delectum, non quemuis, sed de cœlo delatum, ex Mose constat. Itaq; ut duo genera hominum sunt sacrificantium, ita duo sacrificiorum genera & bipartitus ignis. Etenim sacrificant pij & impij, sed dissimili sacrificio: altero quod ipsi Deo gratum sit, altero quod ingratum: altero nimirum carente igni cœlesti, altero eum habente. Ignis autem cœlestis, quo sacrificia grata redduntur Deo, ignis ille est de quo Ioannes baptista spiritu Elias meminit, cum ait: Qui post me uenturus est, baptizabit uos spiritu sancto & igni. Qui post me inquā uenturus est, de cœlo cœlestis homo: non terrenū, qualem hic supponi holocausto renuit Elias, sed cœlestem & diuinum ignem secum ferens. Quem ignem si qui subijciunt suo holocausto, grata uictima Deo litant: qui uerò secus faciunt, Deo inuisum holocaustum offerunt. Vt exēplo est sacrificiū Cain, exemplo uictimæ Abiron & Dathan & Chorę, exemplo hic holocaustum prophetarum Baalis. Itaq; hoc mysteriū explicans Dauid, sic canit: Holocausta grata tibi non sunt, alieno uidelicet igni non cremata. Sacrificia Dei sunt, fractus spiritus, igneo uidelicet de cœlo misso Messiæ spiritu. Qui ignis, fidei flagrantis amore Dei & hominum ignis est, ueterē hominē cum suis cupiditatib. exurens, & nouum reparās, similē igni illi lucēti & calēti, de quo scriptum est: Deus ignis est. Atq; is ignis igni de cœlo misso, qui Eliæ holocaustum probaret, adumbratus, uerus ille ignis est omniū explorator, de quo Apostolus admonet: Et cuiusq; opus quale sit, ignis probabit: hoc est, explorans cuiusq; animum & facta igneum diuini spiritus iudiciū. In igni aspectabili hæc tria cernūtur, lux, calor, et uis perficiendi. Luce sua ignis omnia collustrat & illuminat, rerum figuram & speciem discussis tenebris ostendens, calore impura à puris separat, puris perfectis atq; cōseruatis. Nam ignea ui aurum & argentum perfici uidemus, quòd ferunt illius naturam: stipulam autem, fœnum, ligna, scoriā absumi, quòd non ferunt. Hæc tria quoq; in igni illo diuino inaspectabili spectari pij sentiunt, & in regeneratione experiūtur. Etenim in igneo Messiæ spiritu ut lux insit, pectora sanctorum illuminās, sentiunt ij qui illo regūtur. Nos legimus: Nobis autem Deus manifestauit per spiritū suum. Vim aūt purificandi ut habeat, declarat igneus fidei uigor, de quo Petrus: Fide purificātur corda. Nam in luce fidei non secus calor amoris Dei & proximi corda mūdans inest, quàm in solari luce calor in terra omnia uiuificans inest. ut igitur hoc igni quæ purgantur, subinde perficiantur, & firma aduersus omnem contrariā uim reddantur, uita æterna & status regni cœlorū ab omni iniuria liber, qui hoc igni cōstat, documēto est. Eodem igneo diuini spiritus iudicio explorantur omnia humana opera, inuenta, doctrinæ. de quo illud Apostoli: Cuiusq; opus quale sit, ignis probabit. His tribus in igni cōsideratis, luce, calore, & ui perficiendi, cur ei explorandi probandiq; uis tribuatur, curq; Eliæ de cœlo missus sit ignis, qui holocausta probaret, intelligimus.

Optima propositio est.) Conditionem propositam ab Elia accipiunt, qui ex lege Mosaica scirent, ignem de Deo cœlitus missum probandis sacrificijs destinari. Sic enim scriptū est in Leuitico: Apparuitq; gloria Domini omni multitudini: & ecce egressus ignis à Domino, deuorauit holocaustum & adipes, qui erant super arā. Idem accidisse interpretes uolunt in sacrificio Abelis explorando.

Et plures.) nec multitudinem pensi habente Deo. Hic enim & unū & solum Eliā toti multitudini falsorum uatum præfert. Quæ enim preciosa sunt, non numerantur, sed ponderantur.

Et inuocate nomina.) Hæc non sunt præcipientis Eliæ uerba, sed irridentis inuocationem deorum alienorum. Huiusmodi enim illusio ut imperandi uerbis cōtineatur, aliàs indicatū est.

Et non erat uox.) ut qui os habeant, & non loquantur: aures, & non audiant: oculos, & non uideant.

Transiliebantq; altare.) Eos ultrò citróq; ad arā iuisse, eamq; circuisse, ut sollicitos de euentu. Hebræum uerbum præterire est, & claudicare. Sunt qui claudicantiū gestum illos finxisse tradunt. Qualis gestus decebat claudorum deorum claudicantes cultores.

Illudebat eis.) Simili derisione uates Isaias irridet uanos Deos, & eorū cultores, cap. 46.

Græci reddunt ἐμυκτήριζον, quod est naso suspendere ac subsannare, quòd nasus irrisioni dicatus sit.

Clamate uoce maiori.) qui sciret, non clamore, sed fide uerum Deum, renes & corda, non uerborum clangorem ponderantem, ad exaudiendum moueri.

Deus enim est.) θεωνικῶς.

Forsitan loquitur.) ut uos non audiat. Salso scommate argutus uates illudit uanũ idolũ.

Aut in diuersorio est.) שיח interpretibus apprehensio est. Sententia igitur est, fortassis occupatus est aliquo negocio: uel hostes suos persequitur, quos comprehendat.

Aut in itinere.) uana affingit uano Deo, qui iter faciat locum mutans: non omnia occupet præsentia sua. Secus quàm habet Deus Israelitarum, de quo sic canit uates Dauid: Siue cœlum scãdam, ibi tu es: siue in inferno cubem, tu ades.

Aut certè dormit.) fessus laborib. Contentione hæc illusio tractanda est, quo illustrior gloria Dei, quem sancti fide colunt, reddatur. Salsè festiueq; dormire fingit Baalem, qui per somnũ se inuocantes non audiat: ideo monet, magno clamore illum è somno excitandum esse. cõtrà de Eliæ Deo illud dicitur: Non dormit, qui custodit Israel.

Incidebant se iuxta ritum.) cõtra Mosæam legem: לא תתגדדו.

Donec perfunderentur sanguine.) Hos qui hodie imitentur in regno nostræ Iezabelis, satis notum est.

Illis prophetantibus.) Paraphrastes pro ויתנבאו reddit ראשתטיאו, significans eos bacchantiũ more insaniisse, in carminib. suo uanissimo Deo recitandis.

Nec audiebatur uox.) Vera enim est sententia illa Iesaiæ uatis, de dijs alienis: Et cum clamauerint ad eum, non audiet, rebus aduersis nõ liberabit eos. Secus se habet Deus Israelitarũ. clamant iusti, & Dominus exaudit eos. imò antequam clamãt, exaudiuntur. ut est apud eundem Iesaiam: Eritq; antequam clament, ego exaudiam.

Quod destructum fuerat.) A' Iezabele & cultorib. Baal, sicut infrà Elias dicit: Aras tuas destruxerũt. Cæterum quod Elias hic facit, quia ex uolũtate Dei facit, ipse culpa liber est.

Et tulit duodecim lapides.) ut hæc ara ex duodecim saxis constructa, Israelitas admoneret, se esse illos uiuos lapides, ex quibus corpus Ecclesia capitis Christi extruatur. deinde intelligerent, par esse ut in una ara litarent: quemadmodum in uno Dei fœdere cõiuncti essent, neq; post hac religione & cultu diuino scissi rem diuinã facerent. Vnum enim esse Deum, unũ fœdus, unam fidem, unũ populum Dei. Huius cõiunctionis symbolum sacrum, ara una fuit ex duodecim lapidib. extructa. Is duodenarius, primus post denarium fœcundus numerus, ex duobus senarijs perfectis conflatus, multitudini Israelitarum inter se arctissimo fidei uinculo cõnexorum cõsecratus est. Sic apud Ioannem legimus, duodecim millia ex singulis tribubus consignata, quæ ex ruina orbis terrarum in prima resurrectione conseruentur.

Israel erit nomen tuum.) Quod nomẽ est principatus ac dominatus nomen. Quo nomine Israelitæ commonefiunt primò, quem statum amiserint: quos eum dominos omnium in Iehoua Messia esse conueniret per cultum Dei maiorum suorum, in miseram seruitutẽ perfidia inciderint. Deinde, si nomini patris sui Iacobi Israel uocati respõdere uelint, fas esse, ut Baale relicto, Dominum ipsum Deũ suũ sequantur, in quo uno nomen suum Israel tueantur. Quod quidem Iacobo indictum est, ut angelum Dei uicisset, & nomen Israel adeptus suos, iussisset, deos alienos relinquere, his uerbis: Abijcite deos alienos qui sunt intra uos. Vt igitur dominatum excusso seruitutis iugo recuperetis, necesse est uerum Dei cultum recipiatis, falso reiecto.

In nomine Domini.) non Baalis, ad amplificandam gloriã Domini, non deorũ alienorũ.

Fecitq; aquæ ductum.) Fossam ac scrobem duxisse circa aram, quæ aquam caperet, atq; eam tam amplam fuisse quàm est spaciũ quod duo sata seminis capit. Fuisse hoc spacium latũ quinq; cubitos, & totidem profundum: quod uidetur Iosephus uoluisse, cum addit Βαθυμάτην.

Et fundite super holocaustum.) ex lege holocaustorum, cap. Leuitici primo exposita. Nam ea seruauit Elias, quæ illic lex præscribit. ut indicio est sectio in frusta, parata lignorũ strues, aqua affusa ad lauanda frusta: quæ quid typis euolutis significent, in Leuitico indicatum est.

Etiam tertio.) Ternarius in pluribus rebus ut sacer sit, pij perpendant. Is & in mentione trium patriarcharũ, Abrahami, Isaaci, et Iacobi et hic seruatur. Iosephus tradit, fontem propè fuisse, unde hauserint aquã. Addit enim, ἀπὸ τῆς πηγῆς.

Vt offerretur holocaustũ.) תעלה in Hebræo, non עולה.

Domine Deus Abraham.) Oratio Eliæ locis promissionum & fœderis diuini aptis ad mouendum instruitur. Meminit Abrahami, Isa-

Israel, & Iacobi. Primò quidem Abrahami, qui credentiũ pater esset appellatus, & primordia fœderis sacri teneret: deinde Isaaci, qui promissi semi nis, in quo omnis benedictio contineatur & præstetur, typum gereret, quod Messias benedictus est, ut Apostolus ait: semen autem Christus est. Demum Israel meminit, qui fretus Messia semine promisso, uictoriam de angelo Dei reportauit, adeptus benedictionem, quam expetierat. qui est finis promissionum diuinarum. Itaq; in hac precatione, in qua erat uictoria obtinenda aduersus Iezabelem & sacerdotes Baalis, non Iacobi nomẽ, sed Israel usurpatur.

Ostende hodie.) demisso de cœlo igni.

Quia tu es Deus.) non Baal, non dij alieni.

Israel.) quem tu præ omnibus populis delegisti, qui te fide & amore coleret, ueroq; tui cultu principatum in omnia teneret, non per defectionẽ à te sub iugo Baalis miserè periret.

Et ego seruus tuus.) quem prophetæ Baalis, non tuum seruum esse iudicant.

Et iuxta præceptum tuum.) Nihil ex meo consilio & decreto, cum cultores Baalis omnia de sua libidine agant. Accommoda ad tempora Antichristi.

Exaudi me Domine.) Geminatur uerbum exaudiendi de more orantium, intendendi gratia.

Vt discat populus.) Precationem ad usum populi accommodat, in quo munus ueri uatis ostẽditur: cuius interest, omnia sua studia ad Ecclesiæ salutem referre. Itaq; finis orationis sanctorũ est, salus Ecclesiæ, & amplificatio nominis diuini. Vterq; finis hic tangitur.

Quia tu es Dominus Deus.) Israelitarũ, non alius: à quo in electos salus fluat, & quẽ bi adorare debeant.

Et tu conuertisti.) Te unum esse, qui Messiæ tui spiritu peccatores, cum à recta uia deflectunt, in uiam reuoces, ut retrò flexi te sequãtur, dijs alienis relictis. Atq; id est in Hebræo: Qui retroflexeris cor eorum: aut id quod erat à te auersum, ad te cõesso fidei & amoris spiritu reuocaris. Opera igitur gratiæ diuinæ sunt, nõ naturæ, pectorum ad fidem & uerum cultũ Dei pœnitentia, & nostri renouatio.

Cecidit autem ignis.) Exauditur Elias: cuius exemplo omnes qui spiritu & ueritate orant, exaudiuntur.

Et lapides.) ex quibus ara fuit extructa. Qui lapides, quos nobis lapides: & ligna, quæ lignа nobis adumbrent, non est obscurum.

Et aquam quæ erat.) Cum igni aqua cõiungitur. In regeneratione, quæ fit sub conciones eorum qui spiritu Eliæ sunt, ut sua quoq; aqua susq; ignis cernatur, patet. De igni scriptũ est: Baptizabit uos spiritu & igni. de aqua legitur illud Messiæ: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, &c.

Cecidit in faciem.) tanto miraculo perculsus, ad adorandam maiestatem diuinam. Vsus miraculorum indicatur.

Dominus ipse est Deus.) non Baal, non uituli aurei, non regina cœlorum.

Apprehendite prophetas Baal.) Vero cultu asserto, falsus euertitur, cũ eius doctorib. Exemplum fortitudinis cernitur in Elia: sed quo præfiguratus sit spiritus fortitudinis eorũ Eliarũ, qui non ferro trucidaturi erant falsos suæ Iezabelis uates, sed spiritu oris eius, de quo Iesaias meminit: Spiritu oris sui interficiet impios. Spiritus huius tripartitum munus est. unum, docere uerum cultũ Dei, & Israelitas ad eum reuocare: alterũ, falsum euertere: tertium, in aduersarios ueri cultus seuerè uindicare, studio amplificandæ gloriæ Dei. Exemplo hic Elias est, & omnes qui Eliam referunt, eius munere fungentes.

Ad Cisonem fluuium.) qui in tribu Issaschare fluit, clarus uictoria Barachi de Sisara reportata, & hoc Eliæ facinore.

Sonus multæ pluuiæ.) Ventum significat, qui pluuiam antecedere solet. sicut infrà legitur: Nubes & uentus. Meminit aquæ & spiritus & ignis in hac narratione, ratione mystica non obscura.

Pronus in terram.) Qui sciret, ad demissos spiritu Dominum se cõuertere. ut is apud Iesaiam testatur, se animo fractos & uerba sua formidantes respicere. Pronus is corporis in terrã habitus indicat, nos à uetere & terreno homine cinerem & terræ puluerẽ esse, & indignos qui uultũ tollamus in cœlũ, Deo & puris animis occupatum. ideo legimus hic, Eliam uultu inter genua posito Dominum precatum, qui pluuiam de cœlo daret. Vbi agnouit Elias, Deum imperium in omnia tenere, & coram tanta maiestate se demittentes exaudiri. Genuũ porrò significatio satis nota est.

Contra mare.) de quo solet uapor leuari in nubem densandus. ueluti legimus apud Amos: Qui uocat aquas maris, & effundit eas super terram. Mare mediterraneum significatur, cui immi nebat Carmelus mons.

Et descende.) Respicitur situs Israel, quæ

in ualle sita erat. ut patet ex illo: In ualle Iezrael.

Accinctusq; lumbis.) more eorũ qui se ad iter expediunt. Hinc locutio ad animum, bene aduersus utiorum laxitatem Dei spiritu cinctum, translata est, ut ex illo patet: Succincti lumbis mentis uestræ.

Currebat.) pedibus iter faciebat Elias, Achabus curru. Eliæ pedes diuinus spiritus regebat, ad annunciandam pacem sanctis Israelitis, restituta pluuia notæ significationis. Quales pedes laudantur apud uatẽ: Quàm speciosi pedes sunt euangelizantium pacem.

Donec ueniret.) More linguæ huius בואנה usurpatur, cum certus indicatur locus, relatione secũdæ personæ ad eum facta cui locus cognitus est.

IN CAPVT XIX.

NVnciauit autem Achab.) quem perculsum miraculo ab Elia edito, & cæde falsorum uatum fortiter facta, æquiorem Eliæ factum apparet. Hunc enim, quẽ antea hostiliter persecutus fuerat, iã leniter cœpit ferre. Secus improba mulier comparata fuit. Nam in illo semina quædam Israelitici spiritus remanserãt, in hac maledicti Chanaan indoles retinebatur, benedictionis Semi expers.

Misitq; Iezabel.) Hoc nuncio præmonitus Elias, impiæ mulieris furorem effugere potuit. Quæ erat prouidentia Dei erga Eliam, etiam per hostem, sed contra eius consilium declarata. ut uera sit sentẽtia illa: Non est cõsilium contra Dominũ. item: Dominus dissipat cõsilia gentium. Porrò seruatur per Iezabelẽ Elias, à qua illi exitiũ struebatur. Natura & ingeniũ impiorũ in Iezabele ostenditur, qui neq; diuina clemẽtia, neq; ira, ut resipiscant, cõmouentur. Ira declarata fuit in tam horribili siccitate, qua tribus annis & sex mensibus terra pluuia caruit: declarata etiam fuit per cædem sacerdotum Baalis. Clementia autem in restituta pluuia apparuit. Nullo horum Iezabel impulsa est, ut in uiam rediret. sic impij sunt erga Deum cõparati, ut luce bonitatis illius non secus indurẽtur, atq; lutũ calore splẽdoreq; solis.

Hæc faciant mihi dij.) Per deos uanos iurat, quæ Deum uerum & unum non coleret. de quo Moses: Deus tuus unus est. At ut falsi fuerũt dij per quos iurauit, ita quoq; falsum irritumq; eius iuramentum redditum est.

Posuero animam tuam.) Sed fallitur furor fœminæ sceleratæ. Euasit enim illum Elias, præsidio diuinæ curæ tectus. Vnde intelligimus, exitũ atq; euentum consiliorum, quæ ineunt impij, eorum uoluntati non respõdere: ut Dei, & sanctorum qui illius spiritu reguntur, non humano, uoluntati respondet. Huic enim nulla aduersaria uis resistit, quo minus impleatur: cui cœlũ & terra, & omnia quæ cœlo & terra continentur, subiecta sunt. contrà dij alieni & eorum cultores habent. Exemplo Pharao est, & hic Iezabel. Exẽplo omnes orbis terrarum tyranni sunt, cum suo principe Satana.

Timuit ergo Elias.) non timore qui fidem bonitatis diuinæ excuteret, sed quo per infirmitatẽ ad maius spiritus sacri robur perueniret. Itaq; impijs suus timor exitium, pijs uerò suus salutem affert. Alter enim desperationem coniunctam habet, alter spem salutis. altero enim metuitur Deus ut seuerus iudex, cuius ira uincat beuolentiam ac gratiam, & hæc minor sit impiorũ delictis, ut declarat uox illa Cain: Maior est improbitas mea, quàm ut ueniam consequatur. Altero autẽ metu metuitur Deus, ut pater. Legimus hic, Eliam, qui mortuũ ad uitã restituisset, qui ignem de cœlo deuocasset, qui pluuiam precando impetrasset, qui tot falsos uates occidisset, qui Achabũ nõ formidasset, sed eum cum populo Israelitico cõstanter defectionis à lege Dei redarguisset, mulierem timuisse, & eam fugisse. Hæ sunt in sanctis roboris & infirmitatis, sic diuina prouidentia tẽperatæ uices, partim ut in illis fastus, si quis forte ortus sit, deijciatur: partim ut hoc modo deiecti, ad maiora incrementa uirtutis Dei procedãt. Notum est illud: Bonũ est mihi, quòd humiliasti me. Eôdẽ pertinet stimulus carnis in Apostolo, cum hac sentẽtia: Virtus mea in infirmitate perficitur.

Et dimisit ibi puerum suum.) solus in solitudinẽ pfecturus, qui repræsentaturus erat eos Elias, qui in solitudine huius mundi, hoc est, destituti omni humano præsidio & ope, pœnitentiam docent, mundum de peccato seuerè reprehẽdentes. Sed quẽ mundum? in mũdo uersantes homines, & terrenum hominem circumferentes.

Subter unam iuniperum.) Sacro uati arbor hæc, sub qua resideret, apta erat. Fertur enim iuniperus accensa serpẽtes fugare, & semine eius ac bacca lãguores discuti, oculorũ acies conseruari. Tale munus sanctorum uatum est, & eorum Eliarum qui pœnitẽtiam scelerum docentes, ad exuendum ueterem hominem, & induendũ nouum, serpentem Satanam fugant, uenenum uitiorum tollunt, languorẽ quem peccatũ affert sanãt, reddito uigore ad omnia uirtutis studia uegeto.

Vt moreretur.) Qui metu perculsus, improbam mulierem fugit, ne in mortẽ incideret, iam

iam mortem quã Dominus immittat, petit. In qua precatione agnouit, sanctorum corpora in terrã redire, unde sumpta essent: spiritum aũt tot molestijs liberatum, ad Deum, a quo profectus fuisset, reuerti. sic Apostolus cupiuit corpore uelut carcere solui, ut cum Christo uera sanctorum uita liber uiueret. Vox digna prædicatore pœnitentiæ ab Elia edita est, qua mors ueteris hominis paratur, ut nouus apud Deum uiuat nouitate cœlestis uitæ. Paratur ex iunipero oleum eximium, quod quale oleũ nobis repræsentet, pijs non est ignotũ.

Sufficit mihi Domine.) Satis est nunc Domine, hoc est, satis diu uixi Domine, in hoc seculo, pleno molestia & laboribus. Non dicit hic, Interime animam, sed tolle animam meam. Quali locutione bonum statum animorum, in quem soluti corpore trãsferãtur, indicat. similiter in libro de Origine mundi Enochus, nõ mortuus, sed sublatus scribitur. Vbi quoq; uerbũ לקח usurpatur.

Neq; enim melior sum quàm patres mei.) Abrahamus, Isaacus, & Iacobus, atq; cæteri sancti homines, quos omnes hæc sententia semel à te pronunciata tenuit: De terra es, & in terram conuerteris. Deiectus tanta crucis uexatione Elias, fragilem naturam à corpore ex limo effecto agnouit. Ad quam animorũ demissionem utilis est pulueris consideratio, de quo illud: Ex puluere factus es, & in puluerem redibis. Eôdem illud Abrahami pertinet: Puluis sum, & cinis. Hunc puluerem neq; sapientia huius mundi, et diuitijs inflati homines, neq; superbi orbis terrarum tyranni cũ animis suis perpendunt. Multo minus hũc puluerẽ agnoscit bestia illa ex terra nata, arrogãter de se prædicãs: In cœlũ ascendam, &c.

Ecce angelus Domini.) Minister angeli sacri fœderis, de quo apud Malachiam: Et angelus fœderis quem uos requiretis. Is angelus qui hodie & heri est, per ministrum angelum, Eliam hic & corporato & spirituali pane pauit, & utraq; aqua potauit. Corporata hic exprimuntur, spiritualia sub figura subcinericij panis & aquæ significantur. Is panis ad ardentes prunas igni coctus, nobis eum panem igni crucis bene coctũ representat, qui de se dicit: Ego sum panis uitæ. Aqua uerò qua sancti Eliæ uerè potantur, ex Ioanne Euangelista nota est. Cæterùm ab interprete omittitur תרא demonstratio, qua uolunt nõ geniũ, sed tempus monstrari: ut sit sententia, tempore illo affuisse angelum. Sed quid impedit, quo minus etiam ad angelum referatur? ad certum uidelicet angelum maioribus promissum, & ab eis expetitum, de quo iam mentio facta est.

Tetigit eum.) Est etiam tactus, quo sanctorum pectora tacta, cœlesti ad uitam æternam cibo reficiũtur. Is tactus, spiritus sacri Messiæ angeli tactus est, de quo iam meminimus.

Et ambulauit in fortitudine.) Suprà legitur Elias nutritus à coruo, & à uidua Sarepta na: hic, ab angelo Domini.

Quadraginta diebus.) Quadragenarius is pœnitentiæ & afflictionis numerus, Eliæ muneri congruebat.

Vsq; ad montem Dei Horeb.) Ad eum montem proficiscitur Elias, in quo lex à Mose cum manifestis splendoris & claritatis diuinæ signis tradita fuerat, ut eum audiret secum loquẽtem, cuius fœderis & legis contra rebelles seuerus prædicator erat.

Mansit in spelunca.) Hebræi interpretes tradunt, antrum fuisse, in quo Moses quoq; uersatus sit, prætereunte eum splendore Domini. De quo uideris in Exodo, cap. 33.

Quid hic agis Elia?) Nũ ignorauit Dominus, quid ageret Elias? Absit. Percũctatio hæc non ignorantis Domini, quid ageret Elias, fuit, sed captantis cum eo loquendi occasionem. Similis interrogatio suprà in Genesi legitur: Vocauitq; Dominus Adamum, & dixit, Vbi es tu? item ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Hic mentio fit Domini loquentis, suprà angeli: altero autoris, altero instrumenti usum præstante.

Quia dereliquerũt pactũ.) cũ ipsis in hoc mõte Sina, in quo ego nunc uersor, initum. ad qđ' custodiẽdũ ipsi fidẽ dederãt, cũ dicerẽt: Faciemus. Exponitur causa zeli, q̃ perfidia populi erat.

Altaria tua destruxerũt.) Quæ antè q̃ Hierosolymis ædificatũ esset templũ, extructa fuerant, cum adhuc fas esset extra Hierosolymam rem diuinam facere. Has aras diuinas destruxisse redarguuntur, ut nouas dijs alienis extruerent.

Prophetas tuos occiderunt.) contra legẽ fœderis, Ne occidito. Neglecto cultu Dei, in eius ministros, quod erat proximũ, grassati quoq; sunt, explentes libidinẽ patris sui diaboli, q̃ homicida fuit ab initio. Itaq; Messias noster in falsos Abrahami filios inuectus, sic ait: Vos ex patre diabolo estis, & desiderio patris uestri uultis obsequi. ille homicida erat ab initio. Suprà legimus de Iezabele. Nã cũ interficeret Iezabel prophetas Domini, et hæc cũ suorũ consiliorũ adiutores et pfectores Israelitas haberet, dicit hic Elias, Occiderũt uates tuos. sic Iezabel nostra, ut sua funesta consilia per eos persequatur, q̃ se Israelitas ueros profitẽtur, satis manifestũ est. In quos uerè dicitur;

citur: Pactum Euangelij tui deseruerũt, aras tuas destruxerunt, prophetas occidunt.

Et derelictus sum solus.) ab ijs etiam, quorum ego salutẽ unicè quæro. Graue est, ab alienis uexari: sed grauius, à suis, de quib. benemereri studeas. Eâdem querela utitur caput prophetarum Christus: Extraneus factus sum fratribus.

Et sta in monte.) Similiter suprà in Exodo Moses, supra petrã Oreb stare iubetur, dum præteriret splendor diuinitatis. De mystica nota illic uideris.

Coram Domino.) gloria & splendore eius iam tibi patefaciendo.

Et ecce Dominus transijt.) eius splendore manifestato. Similiter legimus in Exodo, præterijsse gloriam Domini Mosem.

Et spiritus grandis & fortis.) Penes utrumq; & Mosem & Eliam, in monte Orebo, uehementior uentus ac spiritus atq; terræmotus cum igni compârent. Quæ signa fuerunt seueræ & terrificæ administrationis, qua uterq; functus est. Nã Moses legem, quæ terret, prosternit, interimit, exposuit: Elias pœnitentiam, quæ sub terrẽtis legis iudicio inchoatur, prædicat. & cum hæc non susciptur, in sceleratos bella, fames, pestis et exitiales calamitates, ut mox de Achabo legemus, intentantur. Quid sublimius in oculis carnis mundi potentia, & eius sapientia? At hos montes uehementior uentus seueri iudicij legis per irã diuinam immissus deijcit. Sic enim apud uatem Iesaiã legimus: Sublimes oculi hominũ deprimentur, & deturbabitur altitudo hominũ, atq; solus Dominus extolletur. Sublimia spectantur in mundo, opes, potentia, gloria, prudentia, sapientia atq; iustitia humana. hos montes uehementior prædicationis pœnitẽtiæ flatus in Elia dissipat atq; perfringit. Nam ut est apud Iesaiam: Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri est: exsiccatũ est fœnum, & concidit flos, quia spiritus Domini spirauit in eum. Spiritus inquam grandis & uehemens, ualles, hoc est pœnitẽtia fractos animos attollens: & montes, hoc est superbos per flatum & ignem iudicij legis deijciens. Qui uehemẽtior spiritus in ministerium Eliæ, & eorum qui Eliam referunt, cadit. Sed cur Dominus dicitur in hoc spiritu forti & dissipatore nõ uersari? Proprium Domini opus, non iræ, sed clementiæ, non terroris, sed consolationis, nõ mortis, sed uitæ opus est. Etenim is de se prædicat apud Ezechielẽ, se mortem eius qui deliquerit, non cupere, sed ut ad se redeat uiuat. Et apud Iesaiam, alienum opus suum fatetur esse supplicio afficere, propriũ misericordiam miseris tribuere. Itaq; præter Mosem & Eliam, tertiũ exhiberi oportuit, q non in spiritu perfringente, nõ in terræmotu quo omnia corruant, non in igni cuncta deuorãte, sed in leni, quieta & tacita uoce apparêret. Is pacificator omniũ Dominus noster IESVS CHRISTVS est, de quo uates Iesaias: Non clamabit, nõ leuabit uocẽ, non uoce sua foris strepet, arundinem quassatam non perfringet. Hæc uento dissipatori, terræmotui omnia concutienti, & igni consumptori, prope Mosem & Eliam apparentibus, aduersa spectãtur. Itaq; per Mosem Dominus alienum suum opus agit: per Messiam proprium perficit. quod est uitæ, salutis, & gratiæ opus. De quo opere illud: Lex per Mosem data est. gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Gratia uidelicet, suauiter leniterq; afflantis spiritus ad uitam æternam. Quare dicit, se non uenisse ad iudicandum quenquam, sed Mosem esse qui iudicet. Moses & Elias in monte Sina, à terræmotu, fulguribus & tenebris horribili, mansionem suam habent. Contrà Messias in montem Thaborẽ ascendit, in quo species uultus eius apparet alia, uestitusq; eius candidus & refulgens cernitur, ita ut Petrus dicat: Præceptor, bonum est hic esse, & faciamus tria tabernacula, unum tibi, alterum Mosi, & tertium Eliæ. Non temerè igitur, sed diuina ratione inducuntur duo illi cum Christo loqui, tanquam iurati probatiq; testes eius. de quo uox è nube audita hoc testimoniũ dabat: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Notum enim est illud: Lex & prophetæ usq; ad Ioannem. Qui Ioannes spiritu Elias, angelus ille est, uiam ad Christum pœnitentiæ prædicatione muniens, de quo Malachias meminit: Ecce ego mittam angelum meũ, &c. & is de se: Ego quidem baptizo uos aqua ad pœnitentiam, & qui post me uenit, baptizabit uos spiritu sancto & igni, non quidem spiritu dissipatore, & igni consumptore, qualis apparuit coram Mose & Elia in Sina monte: sed spiritu illo leni, uitã & pacẽ afferente, & igni uiuificante, cuius splendore regeneratio ad uitam cœlestem constat.

Non in spiritu Dominus.) Qui natura misericors & clemens est, ut ipse de se prædicat: Ego Dominus clemens & misericors.

Operuit uultum suum pallio.) Similiter etiam de Mose legitur: Texit Moses uultum. Moses & Elias contegunt uultus suos, splendorem loquentis Dei non ferentes, in quos competeret sententia hæc: Nõ uidebit me homo, & uiuet. Contrà Christus habet, tertius à Mose & Elia: qui ut ferat claritatem Dei patris, eum uidens,

dens, ipse his uerbis testatur: Nemo uidet patrem nisi filius. item: Deum nemo uidit unquam: unigenita filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Atque is est qui Mosææ legis pallium submouens efficit, ut lucem consequamur, qua prælucente splendorem Dei feramus. de quo Apostolus: Quoniam Deus est qui iussit è tenebris lucem illucescere, q luxit in cordibus nostris ad illuminationẽ cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi. Quæ cognitio claritatis Dei neque in Mosæ, neq; in Eliæ munus cadit. Vterq; enim tectus uultũ suum, hũc fulgorem non tolerauit, & neuter eũ administrauit. Moses enim minister ueli, nõ aperti uultus, minister literæ, non spiritus dicitur. Elias pœnitentiam prædicans, sceptro legis seuerè suos castigat, uetere homine mortificato: spiritum, quo claritas beneuolentiæ diuinæ feratur, non exhibet. Hinc Ioannes Elias ait: Ego baptizo uos aqua, ad pœnitentiam: qui post me uenit, baptizabit uos spiritu & igni, cuius luce in uobis fulgente conspectũ fulgoris diuini toleretis: quẽ hic Elias uelato uultu per pallium minimè tulisse legitur.

Quid hic agis Elia?) Repetit interrogationem iam editis signis, quo melius admoneatur earũ rerũ quæ euenturæ erat, & ut ad querelam suam commodiorem accipiat responsionem.

Vade & reuertere.) Qui in solitudine Arabiæ Petrææ cupiebat mori, in eadẽ à Domino ad res magnas gerendas excitatur.

In Damascum.) Qui conquestus fuerat ab Israelitis uiolatum fœdus diuinum, prophetas interfectos. Iam Dominus ostendit ultores necis illorum non defuturos, Hazaelem regem Syriæ, Iehu, Elizæum.

Vnges Hazael.) Tria hominum genera ungi solita sunt: reges, sacerdotes, & prophetæ. Quo significabatur, hos præcipuè diuinũ munus gerere, quo in terra Deum repræsentent. Oleum porrò diuinitatis symbolũ est, de quo legimus, Vnctio docebit uos omnia: hoc est, diuinus spiritus. In oleo lenitas ad medendum, & apta ad fouendam lucẽ natura, atq; calor fouens cernitur. Hæc diuinitatis non obscurã significationem & notã, qua uncti reges sacerdotes & prophetæ oleo sui muneris admoneantur, continent. Sed hac de re uberius in Mose diximus.

Et Iehu.) Qui infrà lib. 4. cap. 9 ab Eliæo Eliæ discipulo rex unctus est in Israelitas, sed iussu Eliæ: qui ut id fieret, antea mandauerat.

Occidet eum Iehu.) Qui totam familiã Achabi deleuit, et omnes sacerdotes Baal interemit. Atq; is fuit uetus uehemẽs, terræq; motus, & ignis deuorãs, q Eliæ in mõte Orebo apparuit.

Interficiet eum Elizæus.) Aut intelligitur Elisæus interemisse rebelles, quia eis interitum minatus est. Verbo enim ministri oraculorũ Dei, cum terrẽt, & exitiũ improbis minãtur, eos occidere dicuntur. Aut accipitur de quadraginta duobus, quos is per ursos intentatis diris peremerit. Aut nõ omnia literis prodita sunt, quæ Elisæus gesserit. Sed quomodo, si quæ memorabilia fecisset Elisæus, monumentis consignata non fuissent?

De Abel Mechola.) Sita est hæc urbs in tribu Manassensi, sed cuius in libro Iudicũ mentio fiat, non in Iosua.

Et derelinquam mihi in Israel septẽ millia.) Occurrit illi querelæ: Relictus sum ego solus. Locus plenus consolatione est. Discimus enim hic, Deum suos habere, & eorum iustum numerum, quãlibet uideantur omnia in Ecclesia depraua ta esse, q animo genua Baali non flectant, ideo non temerè esse iudicandũ de salute & interitu quorumuis, sed diuinæ censuræ electos in orbe terrarũ esse permittendos. Deinde cognoscimus ex hac narratione, temporibus profanationis Ecclesiæ Deo reliquias, quas seruet, placere: ut hæ, quarum hic mentio, reliquiæ tempore Eliæ Deo placuerunt: ut item reliquiæ tempore Iesaiæ ab interitu uindicatæ, Deo probatæ sunt. Similiter reliquiæ Apostolorũ tempore placuerunt Domino, quas seruaret Euangelij spiritu, reliquo Israele excæcato. De quibus his uerbis Apostolus meminit: Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ fuerunt. Quibus reliquijs sub figura & umbra hæ reliquiæ tempore Eliæ & Iesaiæ seruatæ præluserunt. Atqui erit aliquando, ut sicut reliquiæ gratæ hactenus fuerũt Deo, quas liberaret: ita etiã plenior numerus eorũ q sint saluãdi, sit futurus. de quo munere uideris apud Ezech. cap. 37. & Apost. ad Ro. cap. 11.

Septem millia.) Iustus numerus tum in septenario, tum in millenario piorum notatur.

Osculans manũ.) Addit de suo, manum. Osculari, pro colere & adorare. Psalm. 2. Osculamini filiũ: hoc est, fide colite & adorate. Trãslatio sumpta ab osculo, quod beneuolentiæ symbolũ est. Quàm uetus aũt mos osculandi ijs q amanter salutabantur, fuerit, ex libro Geneseos patet. Neq; mirum sit, oscula delecta, quibus amoris significatio daretur: quòd os ipsum animorum interpres sit, & explicator.

In duodecim iugis boum.) Non in ociosum Elisæũ incidit Elias. Agricola igitur, q uatẽ diuinũ præstet, deligitur. Quod cur factũ sit, miran-

mirandum non fuerit. Siquidem agricultura quã laudem tum ab institutione diuina, tum ab usu habeat, res ipsa documento est, & victus humanus. Institutio diuina nota est, per quam agricultura primo homini commendata legitur: usus eius uarius cernitur. Is partim in roboranda ualetudine, partim in parando facili & frugali victu: partim in cognoscendi Deum, eumq; prædicandi materia spectatur. Agricultura enim semper habita est, quæ liberalem minimeq; inuidiosum victum suppeteret, & corporis firmam ualetudinem conseruaret. ut est apud Salomonem, Dulcis somnus laborantis: hoc est, ex terra molientis victum. Illic enim loquitur de agricultura. Materia cognoscendi laudandiq; Deum ut agricolæ præbeatur, ex eo patet, quod huic in ratione colendi agros siderum & luminum cœlestium ortus & obitus, significationes, & tempora ipsa consideranda sunt. Expendit idem ualles, colles, nemora, fontes, flumina, & locorum ingenia, quam uim agri ex diuina benedictione in ferendis fructibus habeãt. Cadunt item in agriculturam hortensia & pastoria, ut quocunq; pij agricolæ conuertat se animus, occurrat deprædicandi sapientiam & bonitatem diuinam, alendiq; animum dulcissima, tãtorum operum cognitione, materia. Vnde accidit, ut ad arcana sacrarum literarum intelligenda non parum tractandæ terræ cura utilis habeatur. Ex his enim rebus, in quibus agricola uersatur, spiritualium rerum notas mysticas desumptas esse constat. Vt primitiæ frugum, semina, fœtus arborum, pecora, iumenta & uolucres cœli, è quibus omnibus abditæ rerum cœlestium figuræ mutuantur, documẽto sunt. Ex quibus ea Mosæ lex, quæ in ceremonijs uersatur, desumpta est. Itaque non sine diuina ratione accidisse credimus, Eliæum aratorem inter iuga boum uersantem, ad cœleste prophetandi munus selectum esse: ut multi ante eum pastoriam uitam agentes ad præstantia & diuina munera euocati leguntur. ut in Mose, Dauide, & alijs usuenisse cernimus.

Iugis boum.) Neq; aratori boui sua deest significatio: de qua suprà capite septimo mentio facta est. Duodenarij autem numeri ratio quæ sit, obscurum quoq; non est.

Misit pallium suum super illum.) hoc tanquam prophetici muneris symbolo, Deo illum consecrans. Significabat noui hominis uestę eum induendum, qui diuini uatis munere esset functurus. uestę nimirum induendus, de qua Apostolus: Christum induistis.

Qui statim relictis bobus.) Exprimitur mystici pallij significatio, quæ est sui & mundi huius abnegatio, propter studium muneris sacri susceptæ. Exẽplo hoc Eliæus declarauit doctrinam Christi: Quicunq; uult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. item: Omnis qui reliquerit domũ, aut fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomẽ meũ, etc.

Osculer oro patrem meum.) Coniungit cum cultu & amore Dei, parentum uenerationem, utriusq; tabulæ præcepta seruans: sed ita, ut studium Dei parẽtum studio præferat. His enim relictis, Dei munus persequitur.

IN CAPVT XX.

PORRÒ Benadab.) Priusquam uentum & ignem in Achabum & in reliquos Baalis cultores Dominus mitteret ad eos funditus delendos, Benadadum Syriæ regem excitauit, qui bellum Achabo inferret: sed ita, ut uictoria penes Achabum esset, uicto Benadado. Quæ in uictoria duo spectauit diuina iusticia. Vnum est, ut Achabus ea uictoria superbior factus, grauius periret, qui toties à prophetis suæ perfidiæ admonitus, & tot beneficijs in uiam reuocatus, ad meliorem frugem susceptæ scelerum pœnitentiæ redire recusasset. Alterum est, ut rex Syriæ intelligeret, quàm facilè esset Deo Israelitico superbos hostes, opibus, potentia & armis inflatos, deprimere. Cæterùm is Benadad de familia Adadorum fuit, qui nomen ab Adado Idumæo, cuius suprà capite undecimo mentio fit, acceperunt. Itaq; Iosephus hic Adadi regis facit mentionem, qui regis Adadi fuerit filius, & hoc esse quod hic legimus, בן הדד. Non nouum autem est, quòd reges Syriæ contra Israelitas aut decem tribus ab obitu Salomonis bellum gesserunt. Nam suprà quoq; capite decimoquinto, Syrorum rex ab Asa rege Iudæorum euocatus, Baasam regem Israelitarũ clade affecisse legitur.

Domine mi rex.) Seruiliter abiecteq; se demittit Achabus, Syriæ regem dominum agnoscens, cuius regnum, cum integra religione Israelitæ uterentur, sub Dauide & Salomone, tributaria seruitute sacro populo subiectum fuerat.

Tuus ego sum.) Quæ prima legatione quæruntur ab Adado, ei Achabus tradere non recusat, sua omnia in potestate illius fore. Sunt interpretes qui tradunt, Achabum tributariã seruitutem sui & suorum his uerbis obtulisse.

Et domos seruorum tuorum.) Hac altera legatione etiam ciuium opes, uxores, liberos quærit. Quam asperam nimisq; duram petitionem

tionem ad ſenatores regni ſui Achabus refert, ad quos etiam ea uis quam intentabat hoſtis pertineret. Hac enim altera legatione non ſolum regias, ſed etiam totius populi opes exhaurire uelle uidebatur, quo facilius totum illum in ſeruitutem redigeret. Quam ſeruitutem Achabus ferendã eſſe non putauit, ut ſequitur.

Quomodo inſidiatur nobis.) non contentus meis, ueſtris etiam opibus inhians. Cõmunem cladem rex potius expendit, quàm ſuam. Quod eius ſtudium ſenatoribus probatum, uiam illi ad placandum Deum muniebat, cui omnia honeſta conſilia, quæ ſuis muneribus ſiue in præſenti ſiue in futuro ſeculo remuneret, probãtur. Sunt honeſta conſilia quædam ciuiliter: hæc præſentis ſeculi benedictione ornantur. Sunt item honeſta conſilia & ſtudia prælucente fide edita, quæ & præſentis et futuri ſeculi benedictionis promiſſionem habent. Hæc conſilia ſolum piorum ſunt: illa etiam impiorum eſſe poſſunt, qui ſæpe ciuili & domeſtica prudentia pijs præſtãt. ut id Dominus noſter his uerbis indicat: Filij huius ſeculi prudentiores ſunt filijs lucis.

Dicite domino meo regi.) Dominũ ſuum uocat, cuius iugum non uideret qua ratione præſenti neceſsitate excuteret, fortiter ei reſiſtendo, qui intelligeret ſe potentiſsimo hoſti uiribus imparem eſſe, & Deum Iſraelis ſibi propter ſua & Iezabelis flagitia fauere minimè ſentiret. Et cum is eſſet ſtatus rerum ſuarum, maluit tamen bellum ſuperbi hoſtis experiri, quàm ſe & ſuos turpiter illi dedere, cogitans belli aleam dubiam eſſe: & longè honeſtius iudicari prælio fortiter ſuccumbere, quàm turpiter uiuere. Quæ fortium hominum in rebus aduerſis cogitatio eſt: qui primò animaduertunt, tempore grauium periculorũ mortem omnibus eſſe obeundam. Deinde, eam præferendam uitæ miſeræ, quæ in turpi ſeruitute degenda ſit. Poſtremò, mori honeſtè melius eſſe, quàm turpiter ſeruari. Pijs accedit etiam hæc utilitas, quòd non dubitant fore quin mortem fortiter nominis diuini amplificandi gratia obitam, præmium uitæ æternæ conſequatur. De quo præmio Chriſtus ipſe meminit: Qui perdiderit animam ſuam mea cauſa, inueniet eam.

Hæc faciant mihi dij.) per quos uanos deos iurauit, per eos miſerè periit. Tertia legatio exponitur.

Si ſufficeret puluis Samariæ.) Accedit ad uanitatem iuriſiurandi, gloriatio arrogans de militum multitudine. Qui non perpendit, non militum robore, non armis humanis & conſilijs uictoriam cõfici. Prudenter igitur reſpondit Achabus, ut ſequitur.

Ne glorietur accinctus.) De uictoria non prius quenquam gloriari debere, quàm uicto hoſte diſcinctus arma poſuerit. Sententia præclara eſt, prouerbij uice iactata. Quam Paraphraſtes ſcitè reddidit: Huic ſententiæ prouerbiales illæ apud Latinos uſurpatæ ſententiæ ſimiles ſunt: Inter manum & mentum, Inter os & offam, Inter ſegetes & frumenta multum intereſt.

Bibebat ipſe & reges.) ſecuri de uictoria. Sed dum ebrietati arrogans hoſtis cũ ſuis regulis ſtudet, interim diuina ratione ei clades, & uictoria Achabo paratur, ut ſequitur.

Et ecce propheta unus.) Auxilium Dei denunciatur per prophetam affore, in angusto loco Achabi rebus poſitis. Ex hac narratione admonemur primò, tũ maximè opem ferre Deũ, cum omnia uidentur acciſa & deplorata, & hoſtis de uictoria ſecurus eſt, ſuis confiſus copijs. Deinde, in ope præſtanda populo ſuo, Deum ſuorum uatum miniſterio uti: ut qui uincunt, non ſentiant ſe aliter uincere quàm beneficio uerbi Dei. Præterea admonemur, Deum pro ſua clementia proborum hominum, qui in populo ſuo uerſantur, magis habere rationẽ, ut eos ſeruet: quàm improborum, quos unà cum probis perdat. Exemplo eſt Achabus cum ſuis cultoribus Baal. ut uera ſit ſententia illa: Iuſtus eſt fundamentum terræ. Demũ animaduertimus ex hac hiſtoria, explicatis typis, eadem Eccleſiæ temporibus patefacti Chriſti accidere. Nam ut temporibus defectionis Iſraelitarum à domo Dauidis, non defuerunt decem tribus ſui prophetæ, uſq; ad tempora diſperſionis eorum in Aſſyrios, Medos & Perſas: ita temporibus quibus Eccleſia incipiebat paulatim ab Apoſtolorum perfecta legatione profanari, nõ caruit ſuis prophetis, hoc eſt pijs doctoribus, dum illa demum tota Antichriſti erroribus occupata eſt Phocæ tẽporibus, ad hæc noſtra uſq; ſecula. Cæterùm prophetam hunc ad Achabum miſſum, Micheã fuiſſe uolunt interpretes Heb. & Ioſephus.

Hæc dicit Dominus.) Magna conſolatio, Dominum cum ſuis oraculis etiam in miſerè erroribus deturpato populo uerſari: hunc nõ abijci, quo minus ſuo uerbo illum difficilibus & anguſtis temporibus iuuet atq; ſeruet. Tanta uis eſt electionis, & fœderis diuini. Apta ad excitandã & confirmandam fidem uerba ſunt: Hæc dicit Dominus. Vates non dicit, hæc dicunt dij, ſic uiſum eſt Baali: ſed, Hæc dicit Dominus, quem maiores ueſtri coluerunt, cui omnia in cœlo & in

terra parent, quiq; solus in rebus aduersis suos cultores seruat.

Certè uidisti omnem hanc multitudinẽ.) Hebræus interrogatione admirationem tantæ multitudinis excitat. Videsne tam ingentes copias? has dissipatura est diuina uis, quo eius potentia maior appareat.

Ecce ego tradam eam.) Qui exercituum Dominus uocor.

Vt scias quia ego sum Dominus.) non Baal, non alij quicunq; dij alieni. Ad pœnitentiam ab idololatria reuocat.

Per quem.) Conscij improbitatis suæ interrogatio est.

Per pedissequos principẽ prouinciarum.) Explicatur ratio armandi exercitus in hostem. Is regibus, equitatu, & curribus armatus Samariam inuadit: Achabus paucis hominum principum liberis, & exiguis suorum copijs stipatus, hostem adoritur. eo stratagemate non humana prudentia, sed diuina cura administrato.

Septem millia.) Is numerus septem millibus Israelitarum Baalem non adorantium respondet. Quos respiciens Dominus, uictoriam hanc tantam Achabo dedisse uidetur.

Meridie.) quo tempore rex cum suis regulis ebrius erat: & milites pro more propter cœli calorem, & à prandio languorem, & ob principis ebrij ignauiam negligentiores erant. Captauit igitur diuina prouidentia etiã ex temporis qualitate, uictoriæ expediendæ occasionem.

Temulentus.) Sobrij Israelitæ tecti præsidio diuino uincunt: ebrius Syrus deorum suorũ destitutus ope uincitur. Vnde monentur ebrij homines, q̃ perniciosa res sit ebrietas, & quàm salutaris sobrietas. Hoc exemplũ ad nostra tempora referri debet, quib. pariter duces & milites ebrietati student, nemo sobrietati. Apostolus monet, eos qui ebrij sunt, noctu ebrios esse, nõ die. Syrus hostis face meridiana ebrius est, sed quæ noctem tenebrarum mentis non excludat. Israelitæ sobrij inter diu sunt, ea luce splendente, quæ de se dicit: Ego sum lux uera.

Siue pro pace exierũt.) Siue pacẽ siue bellũ ferrẽt, uiuos capiẽdos esse. Aliud securitatis de uictoria signũ edit superbus hostis, contemptis deiectis Israelitis. Qua superbia certũ sibi exitiũ parauit, deiectis salutem: Deo superbos deprimente, humiles & demissos extollẽte. Itaq; sequitur,

Fugeruntq; Syri.) multi paucos, sed duce munitos, cui titulus est: Dominus uir bellicosus. Syrus expertus est uim illius sententiæ in ipso belli exitu, Non esse accincto perinde ut discincto gloriandum.

Percussit equos & currus.) quibus hostis confiderat. Verum igitur illud est: Fallax equus ad salutem. contrà de Deo Israelitarũ: Turris fortissima nomen Domini. Exponitur exemplum uictoriæ ab impio, de impio reportatæ: Deo tamen non impiũ Achabum, sed pios quos in exercitu & regno suo habebat, & nomen suum quod Syriæ rex dehonestarat, spectante: & hac uictoria Achabum idololatria infamem, ad pœnitentiã reuocante, ut tandem iure cum familia periret, qui seruari adornata pœnitẽtia noluisset. Itaq; hic post partam Dei beneficio uictoriam neq; gratias Deo Israel egisse, neq; Baalis cultũ reliquisse, neq; sanctos uiros & uates in precio habuisse legitur. quin etiã diuinũ uatẽ, cũ ab eo de seruato Adado reprehensus fuisset, hostiliter est insectatus.

Plaga magna.) partim hostibus trucidatis, partim castris direptis, magna auri & argenti ui in urbem importata. Quorum igitur opes diripere, quosq; delere uoluerunt, ipsi cum fortunis & opibus euersi sunt.

Et confortare.) Hortatur, ut contra hostem iam uictum, sed denuò reparatis uiribus rebellaturũ, se confirmet. Sapiens uates intellexit, eos qui læsi sunt, metuendos esse, præsertim si facultatẽ cum uoluntate coniunctam habeant. Hos enim quærere occasionem se uindicandi.

Dij montium sunt.) Vox blasphemantium nomen Dei Israel, qui solum in montibus, nõ ubiuis, suas uires & potentiam declaret, eo uim suam in cœlo, terra, abyssis, in superis, terrestrib. & inferis ostendẽte. ut uates de eo canit: Omnia quæcunq; uult facit in cœlo & in terra. Vana Syrorum uox ad multitudinẽ deorum respexit, quorum alios in mõtibus, alios in uallibus regnare putarunt. Hinc nomina illa nata sunt, Iupiter, Iuno, Plutus, Neptunus: & partitio illorum deorũ, qua alij ὑψιστοι, alij καταχθόνιοι, alij θαλάσσιοι appellati sunt. Videntur etiã eò Syri spectasse, quod Israelitæ Deum suum in monte colerent. Nam tẽplum Hierosolymitanũ in monte Moria situm erat, tum in orbe terrarum celeberrimum. Nec obscura erat ara in Carmelo mõte ab Elia extructa: ad quam quæ acciderunt, suprà explicatũ est. Videbant item Samariam urbẽ in monte ædificatã.

Amoue reges singulos.) ut molles et delicatos, quiq; unius ducis & imperatoris consilio regi se nõ ferant, ut est regũ insolens ingeniũ, superbum & ambitiosum. In hoc igitur suo consilio spectarunt illud, ἐς ποίεαν & ἐς ω.

In

In Aphec.) Huius nominis urbes duæ sunt: altera in Iudæa tribu, altera in Aseriana sita est.

Quasi duo parui greges.) ad immensum Syrorum exercitum. Ideo sequitur: Cum Syri opplerent terram. Comparatur hic gregi caprarum exercitus Israelitarum, cui in Cantico canticorum & Messiæ sponsa confertur: Capilli tui instar gregis caprarũ. De quarũ pilis cortinas Moses iussit fieri, quæ sacrum tabernaculum tegerẽt. Cæterùm quæ præclara in caprino genere cernantur, caro, lac, caseus, pellis, solertia, uideris apud scriptores rerum.

Accedens uir Dei.) Cuius oraculo paruus grex hostem tam potentem uinceret. Sed ut is uinceretur, quid spectatum fuit à Deo? sua'ne gloria, an Achabi probitas? suam gloriam spectauit, ut sequitur.

Quia dixerunt Syri.) Sua gloria Deum Israelitarum spoliantes, cum eum non ubiq; regnare dicunt: montanum nimirũ esse, non uallensem. Hanc gloriam ab improbis sibi ereptam, asserere studet, qui dicat apud uatem: Gloriam meam alteri non tribuero.

Quia ego.) nemo alius, non dij gentiũ uani, quos & uos colitis.

Sit Dominus.) cœlo & terra & ubiq; potens, qui excelsa huius mundi deijciam, & humilia extollam.

Septem diebus.) Is numerus ut exitio impiorum destinatus sit, declarat Hierichontis casus, quæ septimo die, ut senis eam circuissent, clangore buccinarum corruit. Sic sex millenarijs annorum mundi prælij cum impijs annos statuerunt ueteres: septimum uictoriæ fore, & liberationis electorum.

Percusserunt.) ui illius armati, qui appellatur איש מלחמתו.

Centum millia peditum.) Horrendæ cladis exemplum. Vnde admoneãtur hostes Israelitarũ, hoc est scriptorũ in libro uitæ, quanto ipsorum malo, Deo sacri populi suus honos detrahatur, & alteri detur. Hunc interfectorũ numerum confer cum exiguo grege caprarum, quo uictoriæ & opis diuinæ magnitudo maior appareat.

Et cecidit murus.) Qui gladium Israelitarum euaserunt, eos murus ciuitatis obruit: ut superbus hostis sciret, omnia in sacro populo aduersus hostes Dei armari.

Porrò Benadad.) Qui Achabi uxores, liberos & opes sibi tradi postularat, iam ipse in eius manus traditur: & qui legitur opplesse terrã milite, fuga sibi deleto exercitu tentat consulere, sed frustrà. Is est sæuorum tyrannorum miser exitus, uindice eo qui hunc titulum habet: Dominus iustus, scelerum uindex. Eadem uindicta manet suos Benadados his extremis tẽporibus, Messia ultore, qui in femore suo scriptum habet: Rex regum, & Dominus dominantium.

Clementes sint.) imitantes eum qui de se prædicat: Dominus Deus tuus clemens & misericors. Coniunctio enim illa sacri fœderis iners esse non poterat. Quãto clementiores reddit fœdus nouũ, in tabulis pectorum carneis sancitum, cum in his regnet qui de se dicit: Discite à me quia mitis sum.

Itaq; ponamus saccos.) in significationem luctus, in calamitoso rerum statu. Ita autem natura comparatum est, ut etiam hostes hostibus uicti, si se deijciant, misereantur. Quam commiserationem efficit similitudo miseræ & fragilis cõditionis, cui uniuersum humanum genus expositum est: cum quisq; cogitat, in res aduersas, quas alij perpetiuntur, se quoq; incidere posse, aut incidisse. Hinc illud Latini uatis:

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Hostes qui antea arrogantiam & insolentiã summam in Israelitas imbellem caprarum gregem declararũt, iam saccis lumbos induti, & laqueos collo gerentes ueniam precantur, ad seruandam suã & regis sui uitam. Hæ sunt uices & conuersiones casuum humanæ uitæ, quas diuina cura temperat, de quibus sapiens Salomon: Omnia tempus (hoc est, suæ durationis certum terminum & metam, extra quam non egrediantur: opes, potẽtia, imperia, & gloria huius mundi) habent.

Seruus tuus Benadad.) Seruum se Achabi facit, quem ut in seruitutem redigeret, bello eum adortus fuerat. Hæc est bellorum alea, hoc est, dubius ancepsq; euentus, qui tyrannis orbis terrarum memorabilis esse debet.

Frater meus est.) Qui seruũ se fecerat, eum fratrem appellat. Indigna rege Israelitarum uox est. Fratrem suum uocat, qui alienus à fœdere diuino, & hostis Israelitarum erat. Is in sacros uates asperum & durũ se præbuit, in hostes clementem. Vnde accidit, ut qui salutem impio regi tribuere studuit, sibi exitium procrearit. Vt mox patebit, ex ipsa narratione.

Pro omine.) רבחשי uerbi diuinãdi sensum satis aptè reddit, pro omẽ acceperat, quod in nomine frater significabatur.

Et plateas fac.) De foro accipitur, in quo liceret Israelitis rerum contrahendarum, uendendarum & emendarum ius habere, aut in eo

tributum de emptis uenditisq; rebus colligere.

Tunc uir quidam de filijs prophetarum.) Hunc Iosephus Micheam, filium Imlæ fuisse dicit. Idem ex ueterum sententia Hebræi interpretes sentiunt.

Percute me.) Parabola hac declarat, regem Achabum capitali crimine se alligasse, quòd Benadadum dehonestatorem nominis diuini in manus suas traditum dimisisset. Parabolam definiunt orationem, qua res cum re per similitudinẽ confertur. Qualis hæc oratio est, à uate exposita, ut iam indicabitur.

Dicit ad socium suũ.) Parabolicè hæc accipiuntur, quatenus præsenti reprehensioni cõueniunt. Veluti in parabola quæ de arboribus, oliua, ficu, & rhamno, in Iudic. lib. cap. 9 affertur, omnia quæ ad reprehensionẽ apta essent, usurpata intelligimus. Quantum ad propositã in hac narratione parabolã pertinet, in redargutione Achabi ueritas rei gestæ cernitur: in similitudine fictio, ad rem propositã accõmodata. Similis fictio spectatur in parabola Nathanis prophetæ, de uiro diuite habente magnã pecorũ uim, & de paupere cui una ouis erat. Itẽ in Domini nostri parabolis, de diuite epulone et Lazaro, de uinea et alijs.

Percute me.) Notatur Achabus, qui iussus sit à Deo Syrum ferire, nec tamen ferijt.

Et percutiet te leo.) Qui nobis uastatorem illum leonem repræsentat, de quo Petrus monet: Circumit ut leo rugiẽs. In huius sæuã potestatem incidunt, qui suas cupiditates, quàm Dei uerbum, sequi malunt, quamlibet ea quæ sequũtur honesti speciem habeant. Quid speciosius clemẽtia erat, quam Achabus in miserum Syrum declarauit? At hæc quia pugnabat cum præcepto Dei, non clementia, sed crudelitas erat: per quam seruato Syro, iterum materia blasphemandi Deũ Israeliticum, & occasio uexandi & hostiliter infestandi Israelitas exhibebatur. Eadẽ hypocrisis & simulata misericordia damnata fuit in Saulo, parcente Amalechitis: sed quid accidit huic? In leonẽ incidit, qui & ipsum & eius familiam perderet.

Et mutauit aspersione puluerís.) Paraphrastes Hebræa explicans indicat, uatẽ texisse faciẽ cinere, ne agnosceretur. Neq; is puluis sua significatione caruit, qua tectè indicare placuit regi suam impudentiam, qui cum puluis esset & cinis, ausus tamen sit Domini excelsi & sublimis Dei iussa aspernari, aspersо ob oculos cinere & luto humanæ sapientiæ, contempta cœlesti et diuina. Nam uates diuini non solum sermone, sed etiam signis docent & prophetant. ut documento sunt cathenæ ferreæ Hieremiæ.

Seruus tuus egressus est.) Alia parabolæ forma, sed eôdem quo prior spectans.

Quia dimisisti.) Antapodôsi parabolam ad propositã rem accõmodat. Durũ hic prophetarum munus esse intelligitur, quos tyrannorũ iram in seuerè reprehẽdẽdo formidare nõ oporteat: sed ea cotẽpta, exilia, carceres, & necẽ postponẽda.

Virum dignum morte.) Qui nomen Dei capitali blasphemia & cõuicio dehonestarit, de quo crimine hæc apud Mosem lex extat: Qui blasphemarit nomen Domini, capite plectatur. Sed unde scire poterat Achabus, Benadadam exitio destinatum ob uiolatũ Domini nomen? Ex his prophetæ uerbis scire id poterat: Quia dixerunt Deum Israelitarum montium Deum esse, nõ uallium, omnem istam ingentem multitudinem in potestatem tuam tradam. Quæ & blasphemiã Syri, & capitale supplicium quo afficiẽdus esset, indicarunt. Ex hac reprehensione primò discimus, blasphemiam nominis diuini capitalem esse culpã. Deinde, hoc crimine punito, resp. bene habere: quæ nimirum sublato è medio blasphematore, tanquam mactata piaculari uictima lustrentur: non sublato, impiatæ maneãt. Veluti legimus hic: Quoniam hominem morte dignum è manu tua dimisisti, erit uita illius tua uita, & populus tuus illius populo rependetur. Hæc magistratus ponderans, quid in eos qui nomen diuinũ uiolant, statuat, hic discit. Quo crimine cũ hodie nullũ uulgarius sit, in ijs etiam rebusp. quæ se Christianas profitentur, nihil aliud superest, quàm ut id publica clade uindice Deo puniatur.

IN CAPVT XXI.

POst uerba autem hæc.) Achabus, q Baalim colere, & sanctos inimicè insectari, uerbumq; Dei cõtemnere perrexisset, iam nouo crimine crimẽ augens, uineã alterius cõtra diuinã legẽ inuadit: & ea negata, innocentẽ sanguinẽ fudit. Quæ erat expedita ad exitiũ, quo is ipse cũ suis miserè periret, uia. Deo non prius perdente impios, quàm mensuram scelerum implerint.

Da mihi uineam tuam.) Cõmittitur in legem: Res proximi tui ne concupiscito.

Hortum olerũ.) Viridariũ notat uox Hebræa, ex uarijs herbis uirentibus, partim palato, partim naribus gratis, consitum. Qui imitentur Achabum, non est obscurum. Emere is uoluit uineã, quã in hortũ cõmutaret. Nostri Achabi cũ Iezabele sua impia, quam uineam hæreditatẽ Dei cõparare studeant, ad eam pro libidine abutendã, declarat figuratè uates Iesaias: Habebat amicus uineam.

uineam. de hac uinea eius hæres his uerbis meminit: Venite occidamus eum, & occupemus eius hæreditatem.

Propitius sit mihi.) Indicat per Dominum sibi non licere, hæreditatem suam uendere alteri. Nam hæreditas Israelitarum in terra sacra, Dei erat hæreditas, quam non licebat nisi cum certo redimendi eius iure alteri uẽdere. Sic enim scriptum est in Leuitico: Terram autem ne uendito in perpetuum. nam mea terra est, & uos aduenæ & peregrini estis. Hæc sanctè quidem perpensa sunt à Nabotho: sed cum is magis legem diuinam consideraret, quam Achabi iram, in quam incideret, non concessa uinea, calamitatem sibi conflauit, quæ in sequenti narratione explicatur.

Indignans & frendens.) In Hebræo tristicia cum ira regia coniungitur. Narrationis huius uerba indicant, quæ iræ natura sit, & quale tyrannorum ingenium. Ira tristiciam animum mordentem creari: & ingenium tyrannorum facilè, si quid eis negatum sit, quod cupiunt, excandescere. Itaque iram etiã Græcus uates tristiciã afferre dicit, cum eam θυμαλγίαν appellat. similiter Latinus:

Furor exarserat, atro felle dolor.

Regum autem iram magnam esse, & tanto uehementiorem, quanto eorum contempta potentia maior sit, declarat hic Achabus. Hinc uates Græcus:

θυμὸς δὲ μέγας ὅτι διοτρεφέων βασιλήων.

Eodem modo Salomon de ira regia: Ira regis instar fremitus leonis. Duæ autem sunt causæ, cur reges grauiter ferãt se contemni. Vna est, præstantia & amplitudo, cui nihil negari, ab ijs præsertim qui eorum imperio subiecti sunt, debere putant. Altera est, opinio quam de benefacien di facultate habent. Hanc ab alijs suspici & in admiratione haberi conueniat, non cõtemni aut par ui duci: qui possint, si quid datum sit, liberaliter rependere. Quare rectè traditur, iram nasci ex earum rerũ cõtemptione, quæ magni fiunt: ut sunt, genus, eloquẽtia, diuitiæ, potẽtia, & horũ similia.

In lectulum suum.) Memorabilis locus de ui iræ. Hinc Græcus uates iram θυμοφθόρον appellat.

Iezabel uxor.) Aptum Satanæ instrumentum improba mulier erat, ad conflãdam fraudem. quod etiã Tragicus uates indicauit: λευναὶ γὰρ γυναῖκες εὐεἰσκευοι τέχνας.

Non dabo tibi uineam meam.) Improbus rex caussam, cur recusarit uineã dare, non exponit: neq; cohortatur uxorem ne contra legẽ committat, quam sciret impotentem mulierem esse, & ad fundendum sanguinem procliuẽ: quo magis reprehensione dignus fuit, qui suum casum illi patefecerit: cum prudentis uiri sit, multa celare uxorem, maximè regis. Qui minimè aptus ad regendum iudicetur, si sibi, hoc est suis cupiditatib. imperare non norit.

Grandis autoritatis es.) Cum interrogatione legunt interpretes: Itáne tu Israeliticum regnum moderaris, qui ius in unius uineam nõ habeas? Scelerata mulier, regi licere quod libet, indicat. De quo iure tyrãnico antea quoq; præmonuerat Samuel: Hoc erit ius regis qui imperabit uobis: Agros uestros & uineas & oliueta optima tollet. Quod ius, imò libidinem, Achabus per impiam uxorem exequitur.

Et æquo animo esto.) Consolatur maritum consolatione quã ulciscendi spes affert, qua præcipuè hæc animi ægritudo, ira scilicet, leuatur.

Ego dabo.) Non dicit, Dominus dabit, quẽ fide non coleret, & cui scelerata consilia displicerent, improbæ autem mulieri placerent.

Naboth.) eam hæreditario iure, quod mutare fas non sit possidentis.

Itaq; scripsit literas.) Quas dictaret uindictæ studium, contra leges has: Ne occidito. Falsum testimonium ne dicito. & cõtra leges regias, quas Moses præscripserat in Deuteronomio, cap. 17. Sic enim præcipit: Vt discat timere Dominum Deum suum, ne cõtra suos fratres insolescat corde, neue de præceptis ad dextram aut sinistram declinet. Contra hanc legem cum Achabi mariti animum tentaret improba Iezabel, serpentis magistri sui artes imitata, sententiam hanc Iesu Syrachi implet: Summa nequitia, muliebris nequitia.

Ex nomine Achab.) Non perpẽdit Achabus sententiam illam sapiẽtis Iesu Syrachi: Ne aquæ uel tantillum exitum dederis, nec malæ mulieri potestatem. Etenim quantam perniciem hæc potestas impiæ mulieri data Achabo & familiæ eius attulerit, suo loco patebit. Quod si uerò inscio Achabo literas has Iezabel scripsit: imprudens is & stultus rex fuerit, qui sigillum suũ tam negligenter habuerit, ut eius copia scelerosæ mulieri potuerit fieri.

Maiores natu.) penes quos esset iudicandi potestas. Sed hos ad mores & ingenium suum Iezabel & principis Achabi compositos sciebat. Tyrannorum enim mores & studia reliqui sequũtur. Nam sic tyranni comparati sunt, ut malis æ-

quos se præbeant, bonis iniquos & infestos, quos studeant è medio tollere, ad conseruandam tyrannidem, quam odio prosequuntur sapientes & probi uiri.

Et ad optimates.) quos debebat nomen רהורים cãdoris ad rectè iudicãdum admonere.

In ciuitate eius.) Iezraele. Nam Iezraelensis fuit Nabothus.

Prædicate ieiunium.) Iussit Iezabel indici ieiunium, quæ sciret in eo conuenire populum ad rem diuinam faciendam, & publicas precationes, eoq; præsente capitalia supplicia de sontibus sumi. Sic enim legimus in Leuitico: Populus terræ lapidabit. item apud Iosuam: Lapidauitq; eum omnis populus. Cum igitur Iezabel intelligeret, populum tempore ieunij coire, & ab eo supplicium de sontibus sumi, iussit indici ieiunium. At impia mulier per simulationem & hypocrisim falsum ieiunium cum falsis suis iudicibus persecuta, uerum contempsit, de quo his uerbis uates meminit: Nónne hoc est ieiunium quod approbo, impietatis aperire nexus? Itaque mandatum hic ieiunium legimus, quod idem propheta in hunc modum reprehendit: En ad litem & iurgia ieiunatis, & ut pugnis impiè cædatis. Exemplo hic est Iezabel cum suis. Nostra Iezabel plena hypocrisi & mendacio, ut corruptos iudices habeat, quos in cultores uineæ Domini falsis subornatis testibus immittat, non est obscurum. Atque hæc est Iezabel illa, de qua Ioannes in Apocalypsi his uerbis mentionem facit: Sed habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Iezabelem, quæ se dicit uatem, docere, & seducere seruos meos, scortari & edere ex ijs quæ simulachris immolantur.

Et submittite duos filios.) Hic intelligas, quales tunc in Israelitis fuerint iudices: & cum hos cernerent sancti uates, ut erãt Elias, Eliseus, Micheas, & alij pij homines, quantum eis dolorẽ tam corruptus reip. status attulerit. Quare mirum non est, regnũ decem tribuũ mox dissipatum fuisse, & Israelitas in exilium abductos. Imperia conseruante æquitate & iusticia, dissipãte iniusticia, uindice manu eius qui in cœlo imperia decernit, quæ rectè in terra ad habitantes in ipsa conseruandos gerantur. Duobus criminibus se crudelis fœmina obligat. primum est, quòd ad falsos uates animum adiecit, qui omnia falsa religione corrumpant. alterum, quòd iudicibus, quos ut rectè agerent hortari debebat, autor est ut falso iudicio insontem opprimant, falsis ad iniquũ iudicium faciendum testibus subornatis. Quæ igitur in primæ tabulæ legem de rectè sancteq; colendo Deo deliquisset, ut in alteram quoq; turpiter delinqueret, necesse fuit. Nemo enim quicquã bene gesserit, qui bene gerendi quippiam normam atq; regulam reliquerit. Primæ autem tabulæ leges omnium eorum quæ secundæ tabulæ legibus præcipiuntur, regula sunt atq; norma.

Benedixit Naboth.) per ἀντίφρασιν ברך, hoc est, benedicere pro maledicere usurpatur. itaq; Paraphrastes גדפת reddit.

Deo.) quod erat capitale, Leuit. 24.

Et regi.) contra legem Exodi 22. Principi terræ tuæ ne maledicito. Regem cum Deo coniungit, quòd rex Dei in terra imago sit, uicem eius gerens. Quod uox אלהים declarat.

Et lapidate.) Hoc erat supplicium, quo qui in Deum conuicia iecissent, afficiebãtur. De quo uideris in Leuitico, cap. 24.

Fecerunt ergo ciues eius.) contra legem illam: Iniquum iudicium ne facitote. in quam legem maluerunt committere ad temporarium regis fauorem retinendum, quàm eam seruare ad æternam salutem conseruandam. In hos igitur uerè uates inuehitur: Manus uestræ sanguine plenæ sunt, principes tui socij furum.

Et adductis duobus testibus.) ex legis huius præscripto: Nemo cõdemnetur uno cõtra se dicente testimonium. Hanc legem seruare cum præ se ferrent, in eam maximè deliquerunt, cum eam non seruarent, ex sententia legis Decalogi: Falsum testimonium ne dicito.

Miserunt igitur ad Iezabel.) quam magno opprobrio regis & regni, maximam potestatem habere intelligebant: non cogitante hac, decere mulierem colum & lanam tractare, non foris iudicia exercere. Rex Achabus per Iezabelem uxorem negocia, quæ illum ipsum obire oportebat, exequitur. melius sentit Tragicus:

πάντα γὰρ δι' ἀρσένων.
γυναιξὶ πρόσεισιν εἰκός.

At par fuit ut Chananæa mulier, excussa seruitute, ad quam in Chanaane damnata fuerat, inter Israelitas imperaret, qui sese indignos benedictione Semi fecissent.

Vt possideret eam.) Sed cur non est relicta uinea liberis hæredibus Nabothi? Volunt hic quidam, liberos quoque cum patre Nabotho lapidatione interfectos. Infrà enim legi capite nono libri quarti, Iehu Nabothi & liberorum eius sanguinem ultum. Atque ita accidisse Nabotho, quod antea acciderat Achani, quem quoque cum liberis extinctũ in Iosuæ libro traditur.

Sunt

Sunt etiam qui uolũt, Nabothi uineam à rege possessam, quòd damnatorum capitali supplicio bona regi cederent.

Ad Eliam Thesbiten.) Is uates, qui superà Iezabelis furorẽ fugerat, iam se Iezabeli & Achabo extrema denuncias opponit. Inde pphetæ huius quanta fides & cõstantia fuerit, & qua cura eum Deus contra flagitiosæ mulieris crudelitatem defenderit, intelligitur. Itaq; Elias ueram illam sentẽtiam esse expertus est: Sanctos suos nõ deserit Dominus, sed in æternum conseruantur.

Occidisti insuper & possedisti.) Hebræus plenã seuera reprehẽsione interrogationẽ habet: Occidisti ne, et possedisti? Duo grauia crimina obijcit, insontem interfectum cõtra legem, & eius facultates per uim & iniuriam occupatas. Hæc reprehensio ostendit, nõ inuito Achabo crimina hæc commissa. Primò igitur non Iezabelem reginam reprehendit, sed uirum Achabum regem, cuius interfuerit curare, ne quid mulier aduersus insontes moliretur. Scelera enim mulierum in maritos, in quorum potestate uxores sunt, diuino iure redundant. Sic nõ primò in ius uocata est Eua à Domino, sed Adamus, quem Deus illi caput constituerat, cui parêret uxor Eua, nõ eum regeret, & in consilijs dandis gubernaret. Legimus enim, Et ipse dominetur tui.

In loco hoc, in quo linxerũt canes.) Pœna ex lege talionis irrogatur. Præcessit, Occidisti. hic, Et tu interficieris. ut satis fiat legi: Manus pro manu, oculus pro oculo.

Num inuenisti me inimicum tibi.) Hebræus habet: Num inuenisti me aduersarie mi? hoc est, num deprehẽdisti me in scelere, ob quod mihi exitiũ, quo pereã cum meis, obnũcies?

Eo quòd uenundatus sis.) è tuo iure egressus, & in peccati potestatem ac miseram seruitutem redactus. Locutio sumpta est à re uendita, quæ tota in emptoris ius & potestatem transit. Hunc loquendi modum usurpauit Apostolus in ea epistola quam ad Romanos scripsit, cum ait: At ego carnalis sum, uenditus sub peccatum.

In oculis Domini.) omnia contemplantibus. Rebellio & contumax libido peccandi notatur, quem etiam coram Domino non puduerit tam sceleratè se gerere.

Sicut Achab.) Amplificantur crimina Achabi, per comparationem.

Concitauit eum Iezabel.) Exprobratur Achabo, quòd uxori paruerit, cui præ esse cõsilio, & eam ne quid turpiter consuleret & faceret, coercere debebat. Exemplo Iezabel est, quãtam perniciem improbæ mulieres uiris creent: & quàm exitiale sit Israelitis, contra legem nubere in familiam gentis Chananææ.

Scidit uestimenta sua.) sed non cor. Pœnitentiam hanc non amore Dei, sed pœnæ metu exprimente, ut exitus ipse ostendit.

Et operuit.) sed eius peccata non tegente fide in eum de quo uates: Beati quorum tecta sunt peccata.

Ieiunauitq;.) sed carens ieiunio, de quo uates meminit: Hoc est ieiunium, subuenire pauperi.

Demisso capite.) sed nõ demisso per fidem pectore. in אט incessum, quali turbati animo utuntur, indicari uolunt. Paraphrastes pro אט, reddit יחיח discalceatus. sed quem præstitisset calceis indutum fuisse, de quibus Apostolus meminit: Calceati pedib. ut parati sitis ad Euangelium pacis.

Humiliatum coram.) sed submissione, quam legis, non fidei studium pareret.

Non inducam malum.) Hebræus addit, super familiam eius. atq; id accidit. Ex hac narratione discimus, etiam improbis, dum se submittunt legali demissione, beneficium prorogandæ pœnæ promitti, & erga eos fauorem diuinum benedictionis temporariæ ostendi. ut exemplo sunt Esaus & Ismael, Saulus & hic Achabus, & omnes qui legem lege, non spiritu exequuntur. Hinc Moses scribit de iusticia quæ ex lege est, hoc est ex rationis & uoluntatis nostræ facultate: quod qui fecerit ea quæ lex præscribit, uiuat per illa. Quali autem animo Achabus fuerit erga Deum, ex tota historia hac licet cognoscere.

Domum eius.) Deo parentum improbitatem persequente in posteros eorum, cum parentum ingenium liberi referunt. Hinc illud: Semen impiorum peribit.

IN CAPVT XXII.

TRansierunt ergo tres anni.) abinito Achabi cum Benadado fœdere. Tantum igitur abest ut seuera illa Micheæ et Eliæ uatis reprehensione melior redditus sit Achabus, ut etiam deterior euaserit: dum periret, qui seruari nollet. Itaq; uera est illa Salomonis sententia: Stultum etiam si in pila pistillo pinsas inter grana tritici, non recedet ab eo stulticia.

Descendit Iosaphat rex.) ut qui esset affinitate coniunctus cum Achabo & amicitia. De qua coniunctione ut reprehẽsus Iosaphatus à propheta Iehu filio Ananisit, in altero Paralipomenum libro exponitur: Impio auxilium fers: & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris.

Ramoth

Ramoth Galaad.) Ciuitas est sacerdotalis in tribu Gadina sita, ut est apud Iosuã capite uicesimo. Suprà legimus regem Syriæ promisisse, ciuitates, quas pater occupasset, se redditurum. Aut igitur rex Israel non meminit tum Ramoth Galaad, quam redderet Benadadus: aut fœderi non stetit. Itaq; fuit ex Dei decreto bellum gerendum, quo caderet Achabus, iam impleta ab ipso mensura scelerum, ut impleretur oraculum Micheæ uatis, & Eliæ, de exitio Achabi editum.

Et dixit ad Iosaphat.) Quitum polleret opibus & potentia, ueluti legimus in altero Paralipomenum libro: Huius opibus & potentia fretus Achabus, bellũ Syriæ regi ausus est inferre. His enim præsidijs septi reges, magnas res aggrediuntur conficere. Miretur hic aliquis, cum Iosaphatus à pietate laudatus, diuersum Dei cultũ sequeretur, quì potuerit affinitatẽ cum Achabo impio rege contrahere, præsertim cum maiores eius grauia cum Israelitarum regibus bella gessissent? Huius generis affinitas non caret exemplo, cum etiam Dauid & Salomon cum externis regibus, à rep. & fœdere sacro circumcisionis alienis, affinitatem & fœdera iunxisse legantur: deinde sæpe accidit, ut etiam hostes inter se concilientur, si à communi hoste infestentur: qualis fuit rex Syriæ. Nota enim est peruagata illa sententia: Hostes conciliant mala.

Prophetas quadringentos.) Iosaphatus Domini uates consuli uoluit. Achabus pro sua impietate falsos accersiuit. Quæ erat certa ad exitiũ illius uia. Hos quadringẽtos uates falsos suprà Iezabel nutrijsse legitur, alijs quadringentis interfectis ab Elia in monte Carmelo.

Ascende.) Ambigua à dæmone exposita sententia est, qua Achabus & falsi uates luderentur. Qualis etiam illa fuit: Aio te Aeacida Romanos uincere posse.

Sed malum.) Vera igitur uaticinantes uates, odio habentur: quorum oracula dura & aspera, nimirum plena spiritu uehemẽti, motu & igni in impiorum scelera stringũtur. Vana autem falsi & adulatores uates prophetantes, grati improbis regibus sunt, sed non grati Deo. Hos enim diuinus spiritus apud Hieremiam his uerbis perstringit: Curabant contritionem populi mei, dicentes Pax pax, cum non esset pax. Quales fuerunt hi quadringenti uana denunciantes, sed accepta regi: Ascende in Ramoth Galaad, & uade prosperè, & tradet Dominus in manum tuam. Odio uerò prosecutus est Micheã uatem, uera dicentẽ, sicut hic fatetur Achabus: Sed ego odi eum. Hanc uatum uera dicentium conditionem esse, ut regibus ingrati sint, nõ ignorauit neq; Græcus uates, qui sic inducit regem suum cum uate suo expostulantem:

μαῦλε κακῶν ὄπτω ποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας.

Micheas filius Iemla.) Sed quod malũ uaticinatus est Achabo? Suprà legimus: Quia dimisisti uirum dignum morte, erit anima tua pro anima illius, et populus tuus pro populo illius. Dicas, etiam hunc prospera annunciasse Achabo. Sic enim suprà scriptum est: En omnem hanc ingentẽ multitudinem tradam in manus tuas. Sed quoniã breuis est memoria benefactorum, diuturna malefactorum, meminit hic malorum, bonorum oblitus.

Cornua ferrea.) De more etiam ueris uatibus, & sermone & aspectabilibus signis prophetantibus. ueluti de Hieremia legimus: Hæc dicit Dominus, Catenas ligneas contriuisti, facies catenas ferreas.

Ventilabis.) Alludit ad cornua. Est enim נגח arietare, & cornibus ferire.

Hæc dicit Dominus.) Etiam falsi uates Domini nomen prætexunt in uaticinando, ueritatem conscientiæ de summo Dei numine in mendacio prauæ uoluntatis detinentes.

Ascende & uade prosperè.) Non sunt affirmantis, sed illudentis & regem & falsos eius uates uerba. Non enim dicit: Dixit Dominus, ascende. Quapropter cum hæc Micheæ uatis uerba suspecta regi essent, subijcit is: Iterum atq; iterum adiuro te atq; obtestor, ut non loquaris nisi quod uerum est, in nomine Domini.

Nisi quod uerum est.) Per hypocrisim & simulationem hæc dicit. Nam non uerum, sed quæ sibi placerent quærebat. Siquidem infrà uatem hunc uera loquẽtem in carcerem conclusum legimus.

Vidi cunctum Israel.) Regem indicat occidendum, populum autem fuga dilapsurum. Vsitata similitudine utitur, qua reges & duces pastoribus, subditi uerò ouibus comparantur. Sic Græcus uates regẽ suum ποιμένα λαῶν uocat.

Dispersum in montibus.) Quod Galaad regio montosa esset: & de more montes petere soleant, qui fuga sibi consulunt. Hinc Dominus noster: Qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

Vbi Dominum.) Speciem in uiso oblatã, nõ naturam diuinam in sua claritate & splendore. Quæ imago ex rebus in oculos incurrentibus sumpta, in uerbis solij, sessionis, assistere, dextræ & sinistræ declaratur. Itaq; ex sacris literis intelligimus,

gimus quadripartitum lumen esse, quo se Dominus ostendit: naturæ, propheticum, gratiæ, & gloriæ. de quo aliàs mentio fit.

Vidi Dominum sedentem super solium suum.) Hoc solium non est quiddam à diuina potestate diuersum, nec sessio habitū quēdam indicat, qualem corpora humana in sedendo tenent. Sed in solio ac throno cœlesti amplitudo & maiestas iudicis Dei notatur, & in sedendi uerbo huius amplitudinis & iudiciariæ maiestatis functio exprimitur. Solent enim iudices cum pro tribunali sedent, maiestatem suam in ferendis sententijs declarare. In hoc igitur uiso uatis oculis oblato, cum Dominus, quomodo se per legationem bonorum & malorum ministrorum, se gerat, ostendere uellet, in solio sedentē se representauit: cui à dextra boni legati, à sinistra mali assistant. ueluti Satan, qui hic dicitur spiritus mēdax, apud Iobum, inter filios Dei Domino, quo tanquam ministro ac uelut lictore ad suas sententias de tribunali pronunciatas exequendas utatur, adstare legitur. Ex hoc igitur uiso intelligimus, omnia quæ cunq; in hac rerum uniuersitate fiunt, consilio decretisq; Dei fieri, tum bona tum mala. Nam hic legimus, etiam spiritum mendacem assistere Deo, quo is utatur in decipiendo Achabo, & prophetis eius falsis. Legimus enim, spiritui ante solium apparenti Dominum dixisse, Decipies & obtinebis, Vade atq; ita facito. item: Nūc igitur ecce Dominus spiritum mendacem in os omnium istorum prophetarum immisit. Proponuntur hic quædam quæstiones. Vna est, si Deus bonos & malos agit atq; mouet, & pariter bona & mala in eius cōsilia & decreta cadunt: quomodo igitur is dicetur per legem ne mala fiant prohibere, & præcipere bona quæ fiant, qui se minimè delectari improbitate cuiusquam fateatur? Altera quæstio est: Si Satan pater mendacij est, ut igitur Deus autor esse falsis uatibus uana & falsa prædicendi confirmabitur? Sic enim habet sacra narratio: Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt. Et si est autor malorum, meritò quæritur, quomodo hæc duo pronunciata inter se non pugnent, sed simul uera sint: Deus odit malum, nec uult malū: Dei uoluntate & consilio fiunt mala. item, Deus uult omnes saluos fieri, Deus uult quosdā perire: quamuis ex nobis prodeat perditio, non ex Deo. Postrema quæstio est, si omnia diuinæ prænotionis consilio eueniunt necessitate ineuitabili, rerūq; futurarum præscientia diuina causa est, non contrà res futuræ præscientiæ diuinæ: quomodo igitur utrique, boni & mali, uoluntariè & sua spōte quæ uolunt, agere dicantur, & quam necessitatem uoluntati humanæ decretorum Dei necessitas afferat, quam non item. De his & huius generis quæstionibus explicandis, ratio in Exodo & in Deuteronomio, ubi exponitur causa liberi arbitrij, explicata est. Pergamus igitur.

Ego decipiam illum.) qui spiritus deceptor & mendax est, inde ab initio omnis mendacij & fraudis pater.

Ero spiritus mendax.) Hebræi interpretes de Nabothi spiritu interpretantur: qui ad ulciscendum insontem sanguinem ab Achabo fusum, suam operam ad tribunal iusti iudicis Dei professus sit. Sed absit ut sentiamus, sanctorū hominum spiritum loqui ex ore falsorū uatum mendacium. qui quoniam Dei spiritu regitur, uera loquetur, non falsa.

In ore omnium prophetarū eius.) Contrà de ueris prophetis legimus: Vos nō eritis loquentes, sed spiritus patris uestri, qui est in uobis. Qui spiritus, ueritatis spiritus est, ut est apud Ioannem. Hic igitur intelligimus, quantum discrimen sit inter ueros & falsos uates, siue rectorem siue doctrinam, siue exitum spectes. Rector uerorum, uerax Dei spiritus est: falsorum, spiritus mendax. hic enim legimus: Et ero spiritus mendax in ore omnium. Atq; is facilè illorum linguam ad falsa dicenda impellebat, quorum pectora iam antea mendacijs & erroribus occupassent. Doctrina uerò si spectetur, qualem ueri uates habeant, uerus Dei cultus docet: qualis in falsis sit, falsus. unde quoq; dispar exitus utrosq; comitatur, alteris misere cum Achabis suis & Iezabelibus pereuntibus, alteris salutem consequentibus.

Et dixit Dominus.) In uerbo dicendi indicatur decretū & imperium Dei, cui pariter ueri & falsi spiritus subiecti sint. Itaq; sequitur:

Egredere & facita.) Hæc Dei, suæ sapientiæ & iusticiæ ordinem in hac rerum uniuersitate congruentem seruantis, uerba sunt. In quo ordine mendacia ad illustrandam ueritatem, tenebræ ad commendandam lucem, uasa iræ destinata ad misericordiæ diuitias erga uasa gratiæ declarandas tolerantur. Vt autem in hac permissione etiam agitatio accipiatur, qua Deus impios agitat & mouet, ea de re aliàs mentio facta est.

Et percussit Micheam in maxillā.) ingenium mendacis spiritus, quo impellebatur, imitans, qui homicida & sanguinarius ab initio fuit. falsi prophetæ quod ueritate non possunt efficere, tentant ui efficere: ut hic Sedecias documento

mento est, qui colaphum sancto uati impegit, quẽ uero testimonio uincere non potuit. Hunc ut Pharisæi, temporibus Christi & Apostolorum retulerint: & his ultimis temporibus patefactionis Antichristi, hypocritæ, Pharisæi & falsi uates doctoresq; referant & imitentur, satis manifestum est. Quorum alij uerbis, alij factis, alij palàm, alij clam, uafrè tectèq; nocere bonis uiris student.

Méne dimisit spiritus Domini.) Arrogantiæ cum ui coniunctæ exemplum. Falsum spiritum, quo ferebatur, spiritum Domini interpretatur. Sic sunt omnibus temporibus comparati hypocritæ, ministri Satanæ. Duo uitia ostendit impius propheta. unum, mendacium est, quo se impudenter Dei spiritu agi dicit, qui falso agebatur: Quo tempore emigrauit à me Domini spiritus, ut tecum locutus sit? alterum inuidia est, qua spiritum diuinum Micheæ inuidebat. Vtrumq; uitium Satanæ peculiare est, & ijs quos ille regit.

Visurus es.) Sunt qui à Michea id tempus significatum uolunt, in quo Iehu occidit prophetas Baal. Alij de tempore interpretantur, cuius infrà capite decimo libri quarti fit mentio. Sunt demum qui uolunt indicatum tempus, quo Achabus relatus ex prælio mortuus, Samariæ sepultus est. tum à filio Achabi & principibus Sedeciam, qui autor fuisset suscepti belli aduersus Syros, ad necem quæsitum.

Vt abscondaris.) in tanto periculo spiritu diuino destitutus, quem tibi adesse, mihi uerò abesse dicis.

Pane tribulationis.) Sed qualem is panis exitum habeat, declarat illud Domini: Beati qui lugent, quoniam hi consolationem consequentur. Vt contrà impijs gaudium suum uertitur in luctũ, ut exemplo est Achabus cum sua Iezabele & falsis prophetis.

Donec reuertar in pace.) Hæc decepti à spiritu mendaci uerba erant, cui per mendaces uates loquenti fidem habebat, per uerum uera loquenti non habebat: ut miserè periret mendacio credens, qui seruari ueritati fidem habendo renuisset. is est miserrimus uindice Deo impiorum finis.

Si reuersus fueris in pace.) Constantiæ in uero uate exemplum. similitudine probandi, se prophetam Dei esse, Moses in Numeris utitur: Si humano more morientur isti, tum me Dominus non miserit. uterq; ab exitu probat suum prophetandi munus.

Et Iosaphat.) Ambo reges in bellum contra Syros proficiscuntur: sed nõ pari neq; animo, neq; euentu. Alter enim impius erat, alter pius. hinc accidit, ut alter in prælio occubuerit ab hoste cæsus: alter euaserit, ad eam rem promissis meditis diuina cura, de quibus in ipsa narratione mentio fiet.

Sume arma.) Sententia Hebræi uersus est: Achabum ad Iosaphatum dixisse, ipsi licere suis uestibus uti, cui hostes tantopere infesti non essent: se autem suum mutaturũ habitum, cui essent. Hãc sententiam etiam Paraphrastes exponit, qui uertit hic: Ego mutabo habitum, tu autem habitu tuo uestiare. Hæc sententia simplex est, & eam quoque Iosephus sequitur. Verbũ Hebræũ התחפש duo significat, liberum facere, & scrutari seu rimari. Vtraq; significatio uidetur congruere: cogitasse nimirum Achabum, quomodo se mutatis uestibus hostili hostium impetu liberaret, aut quo modo occasionem rimaretur ex hostiũ manibus elabendi. At frustra hæc consilia iniit secum. Decretum enim antea fuerat editum: Dominus tibi malum cogitat.

Rex autem Syriæ præceperat.) Sic instinctus à Deo, ut eius oraculum per Micheam expositum impleretur: Non habẽt isti Dominũ, redeat quisq; domum in pace. Hic quærat aliquis, an liberum fuerit non proficisci in bellum Achabo. Si liberũ fuit, quid ergo faciemus decreto Dei antea facto: Erit anima tua pro anima illius? item: Quis decipiet Achabum, ut ascendat & cadat? Num hæc Dei sententia, quo minus perficeretur, impediri potuit? si uerò impediri non potuit, & liberum Achabo nequaquam fuit uitare bellum, efficitur, omnes casus, omnes q; res quæcunq; Dei prouisione eueniunt, & euenturæ sunt, in necessitatem decretorum diuinæ præscientiæ cadere. atque ita magnus error sit, confirmare non ideo aliquid euẽturum, quia præsciatur à Deo euenturũ: sed ideo præsciri quicquam futurum, quia sit futurum. Sed de hoc errore ut refutandus sit, alio loco ostendimus.

Et exclamauit Iosaphat.) clamorem hunc ad Dominum factum, qui auxilium ferret. Sic enim in Paralipomenis legitur: Clamauit, & Dominus ei opem tulit. Is metus in quo fuit Iosaphatus, indicat periculosum esse cum impijs societatem contrahere: ut id expertus est pius alioqui rex Iosaphatus. in quo duo crimina reprehenduntur. Vnum, quòd cum impio rege affinitatem iunxit: alterum, quòd præsens apud eum cum esset, ueri uatis oraculo neglecto, in bellũ cum ipso profectus est, neq; falsa religione neque mendacibus uatibus deterritus.

In

In incertum.) Casus igitur qui fuit in iaculante, in Deo non fuit, qui iaculum in Achabum, quem perderet, direxit, ut oraculum in illum editum perficeretur: Non habent isti Dominum.

Inter pulmonem & stomachum.) Hebræus neq; pulmonẽ, neq; stomchũ habet, sed loricam suas commissuras habẽtem. Sunt qui hãc uocem interpretantur de armis quæ adhærent loricæ, et eam tegerent. Interpres noster Iosephum sequitur, qui habet κατὰ τὸ νωτιαῖον.

Eijce me de exercitu.) Verba sunt hæc metuentis, ne uiuus capiatur ab hostibus, magno cum dedecore & clade sui populi. Sic solent duces uulnere affecti, ex acie educi. Veluti etiam Græcus uates suos duces uulneratos ex prælio fingit excedere,

τειρόμενον βασιλῆα μάχης ἐπάνουθε φέροντες.

Quia grauiter uulneratus sum.) Vsum uolunt uerbo חחלתי, quo se infirmum significaret, ne causam Israelitis, metu eis iniecto, fugiẽdi daret. Sic etiam Iosephus habet: ἔχαδε δὲ τὸ μὲν συμβεβηκὸς ἀκέγνω ποιῆσαι τῷ στρατῷ κατὰ φανερόν, μὴ προπέσωσιν.

Vnusquisq; reuertatur.) Impletur uaticinium Micheæ.

Linxeruntq; canes sanguinẽ eius.) impleto Eliæ oraculo.

Et domus eburnea.) Luxus notatur, qualis solet cum falsa religione cõiungi. in domos ex ebore factas inuehitur Amos uates: Et peribunt domus eburneæ.

Pacemq; habuit.) De qua societate ut reprehẽsus sit a Iehu filio Anani, in altero Paralipomenum libro cap. 19. uideris. in quo libro etiam annotatum est, ut Iosaphathus populum Israeliticum à Bethaba ad montem Ephraimitarum peragrata ad Dominum reuocarit, præsidibus passim in singulis Iudææ urbibus cum hoc mandato constitutis: Videte quid agatis. Non enim uos hominibus, sed Domino iudicabitis, qui uobis in administratione iudiciaria aderit. Quapropter curate ut Dominum metuatis, & caute uos geratis. Est enim Dominus Deus noster, ab improbitate & habenda personarum ratione alienus.

Et prælia.) Inter cætera memorabile bellum narratur aduersus Moabitas & Ammonitas gestum, cum ad Deum precationem facultatis & bonitatis diuinæ locis instructam fudisset.

Sed & reliquias effœminatorum.) qui Roboami filij Salomonis & Abiæ temporib. fuerũt inter Iudæos. Hos cæperat delere Asa pius rex, Iosaphatus autem penitus sustulit.

In Edom.) Erat enim tum à tempore Dauidis Idumæus Iudæorum imperio subiectus, ex uaticinio illo Isaaci: Maior seruiet minori.

Quia confractæ sunt.) Causa exponitur in Paralipomenis: Vaticinatus est autem Eleeser Dodanæ filius de Maresa in Iosaphatum, quoniam societatem cum Ochozia iunxisti, Dominus opus tuũ dissoluit, nauesq; confractæ sunt in Tharsis. Ex hac narratione discimus, sanctis sua quoq; à uetere homine uitia messe, sed quæ ita puniat Deus, ut in cæteris rebus pietatis, cui nouus homo studet, non sit immemor. Quare intelligimus, Deum ad remunerandum laudabilia suorum facta, quàm ad puniendum seuerius ob malefacta procliuorem esse, si uideat eorum pœnitentiam agi. Veluti his uerbis hunc Dei in suos animum declarat uates Iehu: Impiòne uoluisti ferre auxilium, & Domini osores amare? Tu quidem Domini iram merebaris. Sed extiterunt in te laudabilia opera, &c. pœnituisse autem Iosaphatũ eius societatis, quam cum Ochozia cõtraxerat, sequentia indicant.

Noluit Iosaphat.) admonitus clade & reprehẽsione Eleeseris, quod pij regis fuit: cum impij neq; uerbis, neq; uerberib. in melius castigẽtur.

Et fecit malum.) Contrà de Iosaphato: Fecitq; quod rectum erat coram Domino. Hac contentione bonorum & malorum hominum animi & res gestæ clarius apparent.

IN QVARTVM HISTORIAE REGVM LIbrum Martini Borrhai Commentarius.

PRAEVARICATVS est autem Moab.) recusans pẽdere tributum, quod patri penderat Achabo. de quo tributo infrà capite tertio his uerbis fit mẽtio: Mesa Moabitarũ rex, homo pecuarius, qui Israelitarum regi centena agnorum millia & totidem lanatorum arietum pẽdebat mortuo Achabo, ab Israelitis defecit.

Cecidítq; Ochozías.) Erat enim stirps Achabi ex oraculo Eliæ funditus perdenda.

Ite cõsulite Beelzebub.) Non contentus aureis uitulis & cultu Baal, oraculum etiam uani idoli Acaronensis consulit, contempto oraculo eius Dei, cuius imperio cœlum & terra & omnia quæ his continentur, subijciuntur. Sic perfidiam perfidia, & scelera sceleribus accumulant, qui semel à Deo uero deficiunt. Vanitatem idoli Acaronensis nomen בעלזבוב declarat, quod illi à muscis inditum apparet. Aliæ quoq; gentes muscarum Deum coluerunt, ut est apud Plinium nõ uno in loco. Hic uidemus, per uana idola uanarum gentium, à dæmonibus responsa solita dari.

Ad Eliam.) uatem à Deo excitatum, qui dura impijs regibus uaticinaretur: ut apta figura esset eius Eliæ, qui pœnitentiæ mortificatricis ueteris hominis erat futurus doctor. Quò etiam uestitus paulo horridior, de quo mox mentio fiet, pertinebat.

Nunquid non est Deus.) Qui tam bonus sit ut uelit, & tam potens, ut possit, opem ferre in rebus aduersis.

In Israel.) in populo delecto, qui non uanos uanarum gentium deos, sed unum uerum Deum conditorem cœli & terræ & patrem colentiũ se in filio Messia, adoraret. Admonet in nomine Israel, impiũ regẽ fœderis perfidè uiolati, quod cum maioribus Israelitarum initum fuerat, in quo continebatur hæc lex: Ne habeto deos alienos.

Hæc dicit Dominus.) His uerbis & falsos Ochoziæ uates refellit, & Accaronẽsis idoli oracula euertit.

Sed morte morieris.) Aequa sentẽtia est, ut moriatur, qui à mortuo idolo uitam petere studuit: contempto eo Deo, qui solus ut perennis uita, uitam sibi confidentibus dare possit: perdere uerò, à quibus despectus sit. Dicat aliquis, hũc fateri se mortem peccatoris non cupere, qui tamen hic legitur Ochoziã morti destinasse. Non uult aliter quenquam mori, quàm si sua culpa malit perire, quàm seruari. Seruaturus libenter, si is qui exitium sibi suo crimine conflat, ad se rediret, pœnitentia suscepta criminum. Firmum enim est illud: Pernicies ex te est Israel.

Vir pilosus.) Similis habitus fuit Ioannis baptistæ spiritu Eliæ, cuius uestitus sic describitur ab Euangelista: Ipse uerò Ioannes habebat indumentum è pilis camelorum, & zonam pelliceam circum lumbos suos. Horror iste pilorum & uestitus uilior in Elia, pœnitentiæ prædicationi satis congruebat, qui Israelitas & eorum regẽ ipsa figura & forma redarguebat. Quare Dominus asperiorem pœnitentiæ doctrinam respiciẽs, sic locutus legitur: Age quid existis ut uideretis? num hominem mollibus uestibus amictum? Ecce qui mollia gestant, in domibus regum sunt. Vestitus igitur horridior utriusq; Eliæ satis declarat, qualis habitus & uita eos ornet, quib. pœnitentiæ docendæ munus demandatum est à Deo.

Et zona pellicea.) Hoc cingulum lumbos Eliæ cingens, cingulum nobis representat de quo uates Iesaias meminit: Et erit iusticia cingulũ lumborũ eius. Quorũ hac zona lũbi cincti sunt, præstant ueros Elias: hoc est, spiritu Elias, quorũ sermo efficax sit ad ueteris hominis libidines cohercendam, & ad noui naturam induendam. Quæ uera est pœnitentia, cuius Eliæ sunt doctores, qui his postremis temporibus collapsam religionem, igneo Euangelij cœlestis spiritu armati, per benedictum Messiam restituent.

Homo Dei.) Si agnouerunt eum uerè diuinum hominem esse, cur igitur armati uim illi regis nomine uoluerunt afferre? Si non agnouerunt, cur falso animo eum sic appellarunt? Hanc ergo simulationem cum contra honorem Dei, quem colebat, coniunctam Elias animaduertat, aduersus improbos improbi regis & reginæ ministros, ad uindicandam gloriam Dei sui, cœlesti igni se armat, de quo sequitur.

Descendat ignis de cœlo.) ultor uestræ perfidiæ, et uindex gloriæ diuinæ. Dicat hic aliquis, Cur Elias de cœlo euocãs ignẽ, qui Ochoziæ

liæ seruos deuoret, non reprehenditur], ut discipuli Christi reprehensi legũtur, cũ dicerent: Vis dicamus ut ignis de cœlo descendat, & consumat illos, quemadmodum & Elias fecit? Quibus Dominus, eos redarguens, sic respondit: Nescitis cuius spiritus filij estis. Aliud in Elia, aliud in discipulis à Christo spectatum fuit. Alia temporis ratio in Elia, alia in discipulis & in ipso Christo perpenditur. In Elia munus propheticum & Mosæũ pro ratione ueteris fœderis spectabatur. Munus nimirum quo destruebatur & extruebatur, de quo his uerbis ad Hieremiam Dominus: Ecce dedi uerbum meum in os tuum, constitui te hodie super gentes & super regna, ut euellas & extirpes, &c. In hoc item munus externa, ut ignis & aqua, & reliqua in quibus rerum futurarum umbræ formabantur, cadebant. In discipulis uerò Christi munus requirebatur, quod esset administrationi noui fœderis & statui crucis Christi consentaneum. Venerat enim is in mundum humilis, non ad iudicandum, hoc est ad damnandum & perdendum, sed ad seruandum. Vt ipse de se prædicat, dicens: Ego non ueni ut iudicem mundum, sed ut seruem mundum. item apud Lucam: Filius hominis non uenit ad perdendas animas hominum, sed ad seruandas. Cuius spiritus non sit Mosæus spiritus, hoc est accusans, cõdemnans & perimens spiritus: sed uitæ & gratiæ spiritus, à iure mortis & peccati liberans. Itaq; cum talis sit Messiæ spiritus, iure reprehensi sunt discipuli, petentes ignem de cœlo, qui improbos consumeret: Nescitis cuius spiritus filij estis? Neque etiam cogitarunt discipuli, alio igni Eliam debuisse armari in hostes sceleratos, alio noui fœderis Elias: igni nimirum qui hic narratur, igneo uidelicet Euangelij spiritu, de quo illud Isaiæ uatis: Spiritu oris sui interficiet impium.

Quinquaginta tuos.) Quinquagenarius ut remissioni delictorum & debitorum sacratus est, ita etiam durus est in eos qui remissionem negligunt, pœnitentia non suscepta. Quales fuerunt quinquaginta cum suo semicenturione hic numerati.

Quinquagenarium tertium.) Hunc putant interpretes fuisse Abdiã, de quo suprà cap. 18 fit mentio. Quinquagenarij duo priores absumuntur igni, tertius non absumitur. Velo mystici ignis deposito, occurrit ignis regenerator, qui in administrationẽ & munus eorũ Eliarum cadit, q non elementi ignis, nor. literæ, sed spiritus ignei ipsius Christi administri sunt. Is ignis uetere homine, qui sensu et ratione præditus est, confecto, nouum conseruat & perficit. Quo igneo spiritu qui aguntur, se per pœnitentiam coram Eliæ spiritu, qui Dei spiritus est, submittunt, ad precandam ueniam.

Noli despicere.) Quo qui in uiam redeant, seruentur, non perdantur. Firmum enim est illud: Nolo mortem peccatoris, sed potius ut conuertatur, & uiuat. In Hebræo uerbo יקר uitæ precia æstimantur: In precio habeatur uita mea. Quid porrò uita preciosius, qua una id quod in hac rerum uniuersitate præstantissimum est, repræsentatur? Quæ ipsa diuina natura est, perennis uita, cæteris omnibus naturam, uitam & motum largiens.

Animam meam.) Vitam meam, quam ut daret mundo Dominus Messias, ipse mortem obijt. Sic enim dilexit Deus mundum, ut suum filiũ unigenam daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Angelus Domini.) Vt suprà legitur, spiritus mendax missus ad uates falsos, quos deciperet: ita hic legitur angelus, spiritus uerax, ad Eliam mitti, qui illo uera denunciãte seruetur. Hæc dignitas legatorum Dei in terra, & filiorum regni cœlestis est, ut angelos ministros consolationis & salutis habeant. Legimus enim hic his uerbis angelum consolari Eliam: Ne timeto.

Ne timeas.) qui tectus sis spiritu Dei, cui nulla contraria potestas resistat. Confirmationis igitur locus à potentia diuina, usurpatur in consolando.

Et descendit.) qui uersaretur in monte Carmelo. Elias sanctus uir nõ ascendere, sed descendere dicitur ad improbos nimirum in imamũdi huius ualle uersantes, sanctis suam consuetudinem in cœlo inter ciues cœlestes habentibus. Cuius cœli sublimitas non à loco, sed à claritate & splendore ueræ sapientiæ, iusticiæ, uitæ & gloriæ æstimatur.

Et regnauit Ioram frater eius.) Dicat aliquis, infrà legi Ioramum anno decimooctauo Iosaphati cœpisse regnare, & is cum in Israelitas regnarit uigintiquinque annos, quomodo ergo hic narratur, Ioramum filium Achabi anno secundo Iorami filij Iosaphati imperium iniisse? Nam si decimooctauo anno Iosaphati regno fratris successit, cum Iosaphato ut minimum septem annos regnauit: non igitur secundo Iorami, Iosaphati filij, anno primum imperare cœpit. Quæstioni interpretes in hunc modum occurrũt. A Iosaphato filium Ioramũ, cum adhuc uiueret, regno præfectum, ad fratrum discordiam cauendam.

quam ſuam interpretationem confirmant ex altero Paralipomenon libro: Regnauitq; Ioram filius eius pro eo, qui habuit fratres Ioſaphati filios, Azariam, Iahiel, Michael & Saphatiam, qui omnes filij fuerunt Ioſaphati regis Iudææ: deditq; eis pater multa munera, argentum, aurum, & alia precioſa, cum munitis oppidis in Iudæa: regnum uerò Ioramo dedit, eo quòd eſſet primogenitus. Vtrumque igitur uerum eſt in hac narratione, & Ioramum filium Achabi regnum iniiſſe Ioramí Ioſaphati filij anno altero, & undecimo octauo Ioſaphati regis Iudææ anno. Quocirca non ſolum opus non eſt, ſed etiam periculoſum, dicere mendum irrepſiſſe in ſacros hos numeros. Credi enim debet, diuina cura & ratione libros ueteris fœderis, in quib. teſtimonia noui de Chriſto ſeruatore contineri debuerunt, à uitijs erratiſq; conſeruatos.

IN CAPVT II.

FActum eſt autem, cum leuare uellet.) Narratur Eliæ in cœlum euectio. In qua narratione hæc fuerint perpendenda: modus ac ratio rapiendi, qui in turbine & igni perficiebatur: deinde turbinis & ignis myſtica ratio, tum in quod cœlum raptus ſit, quidq; is aſcenſus Eliæ præfigurarit. Poſtremò quis & qualis fuerit ſpiritus, quem Elias iam in cœlum raptus Eliſæo impertijt. De ſingulis ordine inter interpretandum meminerimus.

De Galgalis.) claris prima caſtramentatione à tranſitu Iordanis, & altera circumciſione. Accedit ad claritatem loci, tabernaculi Moſæi ſplendor, quo ille fuit illuſtratus. Hunc igitur locum Elias, priuſquam in cœlum raperetur, inuiſit, prope eum in cœleſtem hæreditatem transferendus, quem primò in myſtica hæreditate Iſraelitæ occupaſſent, peragrata ſolitudine Arabum.

In Bethel.) De hoc loco uideris apud Ioſuam capite decimoſexto. Hic legimus, Bethele prophetarum filios uerſatos, ut etiam Hierichunte uerſati ſunt. In his igitur locis iam à Samuelis tempore ſcholæ uidentur floruiſſe, in quibus ad cognitionem literarum & legis, atque ad arcana Moſaicæ doctrinæ cognoſcenda, ingenia excolerentur. Qua de re uideris libro primo Samuelis, capite decimo. Sicut etiam literis proditum eſt, in Ciriath Sepharim uetuſtiſsimam academiam fuiſſe, bibliothecam nobilem. Qua de re meminimus in Ioſua, capite decimoquinto. Memorantur aũt hic prophetarũ filij, & Eliſæus, qui tranſlationis Eliæ in cœlum teſtes eſſent. Celari enim Deus ſua præſtantia opera non uult, ſed tum ad ſui nominis amplificationem, tum ad ædificationem Eccleſiæ in terrarum orbe celebrari. Inter illuſtria autem opera Dei, tranſlationis Eliæ plenum myſterijs opus meritò numeratur.

Filij prophetarum.) Diſcipuli prophetarum, ratione ſatis nota in ſacris literis filij prophetarum appellantur: quorum cœleſti doctrina non ſecus ad nouam uitam illorum animi generentur, atq; à parentibus filiorum corpora ad uitã terrenam & animalẽ procreantur. Ad hanc diuinam geniturã ſpectans Apoſtolus, ſic ait: Siquidem Chriſto Ieſu per Euangelium uos genui.

Silete.) Tacendi uerbũ congruit myſterio tranſlationis Eliæ in cœlum, non ante tempus patefaciendo. Simile legitur apud Marcum de Chriſto. Porrò cum deſcenderent de monte, præcepit illis, ne cui dicerẽt ea quæ uiderãt, niſi cũ filius hominis è mortuis reſurrexiſſet: quòd ſpiritus patefaciẽs abſcõdita regni cœleſtis, in orbẽ terrarũ de cœlo fundendus eſſet, excitationis Chriſti è mortuis ui. ueluti legimus apud Ioãnẽ: Nondũ erat ſpiritus ſanctus, qa Chriſtus nõdũ erat glorificatus.

Ad Iordanem.) fluuium regenerationi, transferenti ſanctos in cœlum, cõſecratum. Elias non prius in igni rapitur in cœlum, quàm aquas Iordanis tranſit: ut nec antea Iſraelitæ hæreditatem ſuam adierunt, quàm Iordanẽ traieciſſent. Res ipſa hac imagine præfigurata, pijs doctis ſpiritu Chriſti nota eſt.

Vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.) Non una interpretatio hic affertur. Sunt qui interpretantur, Eliſæum petiiſſe, ut duplo maior ſpiritus tribueretur, quàm Elias habuiſſet: atq; id cõſecutum illum. Nam octo miracula edita ab Elia, ab Eliſæo uerò ſedecim, ex ipſa narratione colligunt. Alij uolunt, Eliſæum poſtulaſſe, ut de Eliæ ſpiritu duplo maior ſpiritus uis daretur, qui primo genitus inter diſcipulos Eliæ eſſet, quàm cæteri acciperent. Ad confirmandam ſuam ſententiam, citant locum ſimilem ex Deuteronomio, ubi legitur capite uiceſimoprimo, diuiſa hæreditates in tres partes, duas primogenito aſſignandas, tertiam reliquæ ſoboli. Vbi quoque Chaldæus interpres, pro פי שנים reddit duas partes: & hic interpretatur, petiiſſe Eliſæum, ut partes duæ muneris prophetici, quo Elias functus eſt, ſibi tribuantur.

Rem difficilem poſtulaſti.) rem arduam, quæ magno ſit conſtatura: mei nimirum, ex his fluxis elementis tranſlatione, in immortalitatem.

Attamen ſi uideris me.) Submota umbra,

bra occurret illud: Si enim non abiero, consolator ille spiritus non ueniet ad uos: sin abiero, mittam eum ad uos. item: Ascendit in altum, & dona dedit hominibus. Apparet in duplici spiritu, quem petijt Elisæus sibi dari, præsignificatum duplicem illam gratiam, de qua apud Ioannem fit mentio: De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiã pro gratia. Quæ gratia non prius data est filijs Dei, quàm in cœlum translatus fuisset Christus.

Ecce currus igneus.) Suprà memoratæ sunt Iordanis aquæ, per quas Elias transierit: hic ignis memoratur, in quo in cœlum rapiatur. In aqua, abluens uis sordes ueteris naturæ: in igni, clara & illustri figura regenerationis notatur uis, adducendi ad claritatem Dei nouum hominem. Repræsentatur ergo hac sacra figura ignis claritatis & splendoris diuini, quo primo Christus exuta hac mortalitate immortalitatem & claritatem illam supracœlestem adeptus est: deinde quã etiam ij qui membra in corpore Christi, hoc est in Ecclesia electorum sunt, adipiscentur, conformatis eorum corporibus ad gloriosum corpus Messiæ. Ad transferendum Eliam in cœlum, adhibentur turbo & ignis. Quibus significatur, in cœlum aditum patere per uarios motus & tempestates afflictionum, & per igneum spiritum Dei, terrena à cœlestibus, carnalia à spiritualibus, & caduca à firmis segregantem. Quò etiam pertinet Eliæ per aquas Iordanis transitus. In Hebræa uoce סער notatur concitatus & impetuosior uentus ac spiritus, turbo appellatus à Latinis. Apud scriptores rerum uideris, quid interuibratũ ecnephiã, procellam & turbinẽ intersit.

Et equi igniei.) Omnia hic congruunt militaribus laboribus, per quos in cœlum ascensus patet: currus, equi, turbo. Per currus & equos igneos, angeli exercitus cœlestis notantur. de quibus uates Dauid his uerbis meminit: Currus Dei uiginti millia, millia angelorum, & Dominus inter eos. Is Dominus Messias est, quem & eius sanctos, tot cœlestes legiones aduersus mundum, & principem mundi Satanam, omnesq; aduersarias potestates stipant.

In cœlum.) Cum cœli nomine proximus aer nobis circumfusus, & ea pars quæ sideribus illustris est, atque ipsius diuinitatis sedes accipiatur, cœlum hic de aere, in quem raptus sit primò cum corpore Elias, interpretes exponendum esse arbitrantur. Sed hic quæstio est de corpore Eliæ, quid huic tandem acciderit. in qua quæstione explicanda interpretes inter se non consentiunt. Alij Eliam cum corpore minimè uiuere uolunt, sed corpus in aere consumptum igni, cum quo raptus fuit, animo eius in beatarum mentium sinum recepto. Contrà alij, cum corpore illum in bonum statum, in quo tranquillè uiuat, translatum affirmant, eumq; in extremis temporibus ad destruendum regnum Antichristi rediturum, tanquam præcursorem secundi aduentus Messiæ, ut Ioannes spiritu Elias præcursor primi fuit. Hæc quidem ueterum theologorum sententia est, de qua post reliquos uideris apud Augustinum. At si omnino Enochus & Elias cum corporibus uiui atque mortis expertes in bonum statum translati sunt, percunctari libet, quò cum corporib. translati sint? Dicas, in terrestrem paradisum translatos esse. Si ita res habet, quærimus iure, ubi sit hodie talis paradisus, omnib. in terra locis per diluuium ita corruptis, ut ueteris horti qui plenus delicijs fuit, uix tenuia uestigia appareant. Respõdeas fortasis, nomine paradisi intelligi bonum statum. At cum is bonus status locum aliquem contineat, in quo Enochus & Elias, quorum corpora loco non careant, uersentur, de eo in terræ ne aliqua parte, an in aere hoc nobis circumfuso, uel in ipso cœlo sideribus illustri, aut in eo quod diuinitatis splendore clarum est, situs sit, percunctamur. Terrestrem hunc locum esse, non apparet, qui ob feculentiam & sordes bono & felici sanctorum statui conuenire non uideatur, neq; etiã illos duos cum corporibus in aere quo circumdamur, uolucrum & nubium sede, habitare iudicabimus. Nam in hoc dæmones cum Satana, qui potestas aeris dicitur, ante extremum iudicium uersari credimus. Neq; uidetur ulla ratio et causa esse, cur affirmemus, eos inter sidera uersari in cœlo, tot luminibus insignito. quid enim soli ibi facerent? Multo minus cum corporibus in cœlum diuinitatis translatos dicemus, in quo solum corpora uersabuntur ad claritatem corporis Messiæ cõformata: qualia corpora Enochi & Eliæ esse negantur. Etenim si talia corpora illi haberent, efficeretur, Messiã resurrectionis è mortuis & translationis ad splendorem supra cœlestem primitias non esse: alioq; ante hunc ipsum in cœlum cũ corporibus ascendisse, qui ex cœlo nõ descendissent. contrà quàm scriptum legimus: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Ad hæc, uerisimile non esset, Eliam cum Enocho ante finem mundi ad Euangelium, contra filium illum perditum, docendum rediturum: quorum nimirum consuetudinem terreni homines non ferrent, quibus nullum commercium cum ijs qui glorificata corpora habent,

habent,posſit eſſe.Itaq; dicunt hic, talia corpora Enochum & Eliam nõ habere:ſed meliora quàm nos habemus,& minus præſtantia quàm ſint futura eorum qui glorificata corpora habebunt.Hi cum ita ſentiunt,& certum in quo habitent Enochus & Elias,locum aſsignare non poſſunt, ipſi uiderint quid ſentiant atque ſtatuant. Mirum etiam uideatur, hos duos mortuos non fuiſſe,cum cæteros omnes,non minore probitate præditos homines,mortuos affirmemus. Quales fuerunt, primus Adamus,Noa,Abrahamus,Moſes,& Apoſtoli. Dicunt,hos legi mortuos,non item Enochum & Eliam:alterum enim ſcribi hinc ſublatũ, non apparuiſſe: alterum, cœlum conſcendiſſe in turbine. Si idem eſt hinc auferri, ut nõ appareas, & non mori, fatemur Eliam & Enochum mortẽ non obiiſſe. At docti Hebræa lingua interpretes idem ualere,auferri ut non appareas, et nõ mori,minimè uolunt:ut id aliàs,ubi nobis de Enocho ſermo inſtituitur,indicatum eſt.Diuina ſententia in peccatum primi Adami lata,ipſum & omnes eius poſteros morte inuoluit, neminem ea liberat. Quod ſi in ultimo aduentu,in quo cum maieſtate Chriſtus uẽturus eſt ad iudicãdos uiuos & mortuos,ij quos ille inueniet uiuos in terra,non moriẽtur,mutationem tamen ſimilẽ morti ſentient:qualis mutatio erit terrena uita in cœleſtem,mortali in immortalem,ignominioſa in glorioſam commutata.Itaq; nos hic q; ſacræ literæ docent, quodq; fit ex dignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti,ſequimur. ut nimirum in Chriſto omnes ſcripti in cœleſtis regni tabulis,uitæ, quæ primi Adami culpa amiſſa fuit,reſtituantur:ut omnino terreno homini,ex terræ limo in animalem uitam effecto, moriendum ſit,ut nouus in nouo & cœleſti homine Chriſto formetur:ut is primus tanquam caput è mortuis in uitam,cum corpore glorificato in cœleſtem illum paradiſum receptus ſit,non ante eum neq; Enochus,neq; Elias, neq; quiſquam ſanctorum ex his ſeculis morte non obita cum integro corpore exceſſerit.Nã ut omnes ex primo Adamo peccati labem & uitium contraxerunt, nemine quamlibet ſancto excepto: ita in omnes per eã labem mors,quæ peccati ſtipendiũ eſt, peruaſit. Quod Apoſtolus clarè, ad declarandam peccati fœditatẽ & perniciſam luem,his uerbis indicat: Propterea quemadmodum per unum hominẽ peccatum in mundum introijt,ac per peccatũ mors, & ſic in omnes homines mors peruaſit. Dicit, mortem in omnes ſine exceptione cuiuſquam peruadere,ut pariter omnes quos pater filio dedit ſeruandos, beneficiũ reſtitutæ uitæ abolita morte, Chriſto propter delicta mundi mortuo,debere ſe agnoſcant.ut idem Apoſtolus ait: Etenim ſi per unum delictum mors regnauit per unũ,multo magis ij qui exuperantiam gratiæ & doni iuſticiæ accipiunt,per uitam regnabunt autore uno Ieſu Chriſto.Mortui igitur ſunt Enochus & Elias,ut pariter in primo homine peccato & morti obnoxij facti,in ſecundo homine Chriſto quanta cœleſtis uitæ precia eſſent, experirentur: culpa ad gratiam,& morte ad ueram uitam cognoſcendã aperiente uiam.Sic enim uiſum diuinæ ſapientiæ & bonitati,per peccatum gratiam, per mortem temporariam tanquam medicinam, æternam uitam,per infernum cœlum,per crucis opprobrium cœleſtis regni gloriam oſtendere. Dicat aliquis, in epiſtola ad Hebræos proditũ literis, per fidem Enochum tranſlatum eſſe,ne uideret mortẽ.Vnde conſequatur,eum mortem non obiiſſe,neq; uſquam eum mortuum indicari, ſed hinc ſublatum non apparuiſſe. Similiter ſcribi,Eliam in turbine in cœlum raptum, mentione mortis nulla facta. Vt his occurratur,in ijs Commentarijs qui in Geneſim editi ſunt,indicauimus. Dicunt nonnulli, hic propterea affirmari Enochum & Eliam mortem non oppetiiſſe, ſed uiuos cum corporibus ex hoc ſeculo emigraſſe, ut pij aliquod immortalitatis & futuræ corporum ex pulueribus terræ ad uitam excitationis ſignum haberent. Qui futuræ reſurrectionis ſignum aliquod quærunt, certum ſignum quærere debebant, non dubium & controuerſum. Primò autem,Enochum & Eliam ex ſacris literis mortuos non eſſe,euinci nequit,ſed contrarium longè probabilius eſſe apparet. Deinde conſtat,in ſcriptura nullum aliud ſignum reſurrectionis & immortalitatis confirmandæ nobis proponi,quàm Chriſtum. Qui ſtatim ab initio Adamo per promiſsionem propoſitus fuit, cuius fide & ſpe ille & poſteri eius præſumerent, per mortem in uitam ſe traiecturos,cum ſpe olim etiam corporis ad uitam reuocandi, per conformationem eius ad ſplendorem & claritatem corporis Meſsiæ.Hoc unum ſignum in hac rerum natura ob oculos,omnis ſalutis & conficiendæ & tuendæ confirmandæq; nobis ponitur.Vnde hoc ſignum,hoc eſt Chriſtus, ſic de ſe loquitur: Non dabitur illi ſignum, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Vbi indicat ſe,eſſe ſalutare illud ſignum, in quod nos fide intuentes, certam ſpem ſuperata morte de noſtri reſurrectione cõcipiamus. Atq; hoc ſignum nobis ſatis eſſe ad corroborãdos animos noſtros ſpe uitæ, fides ipſa agnoſcit: & nos in ipſa lucta & pugna aduerſus tentatorem Satanã experi-

perimur. Hinc fit, ut apostolus Paulus ad confirmandam spem resurrectionis, nos nõ ad Enochũ & Eliam, sed ad unum Messiam reuocet. Sic enim ait: Quòd si spiritus eius qui excitauit Iesum ex mortuis, habitat in uobis: is qui excitat Christum ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter ipsius spiritum habitantem in uobis. Quod de Elia affertur, eum sub finem mundi uenturum ad restituendum omnia: id ut non sit de persona Eliæ accipiendum, sed de Ioanne Baptista spiritu Eliam referente, angelus ipse his uerbis Lucæ cap. 1 docet: Et ipse præcedet ante illum cum spiritu & uirtute Eliæ, ut conuertat corda patrum, &c. Non secus etiam spiritu Eliæ uocabuntur, qui extremis his temporib. Euangelij spiritu pacem & concordiam inter electos, euerso Antichristi regno conciliant, cuius conciliationis initia iam fieri sentimus. De corpore igitur Eliæ si quis quærat quid ei acciderit, uiuum ne seruatum sit, an non, apparet id uel ab angelo uatis spiritu translato in bonũ statum, in terra repositũ: uel in aere iam uelut ex uinculis soluto spiritu in elemẽta ex quibus cõflatum fuit, dissolutum: terrea parte, in terream, aquea in aquam, & aerea in aerem redacta. Nam diuinis literis consentaneum esse uidetur, communi lege & sententia Dei in Adamum & posteros eius de obeunda morte ob uitiũ & labem corporis, non magis Enochum & Eliã fuisse exemptos, quàm reliqui sancti homines exẽpti fuerunt. Quod si quis existimat, quid Enocho & Eliæ euenerit, curiosius exquirendum nõ esse, sed diuino iudicio permittendum: ut ita quispiam existimet, per me ei licebit, modò nec ipse patrum sententiam pro fidei capite habendam cõfirmet. Nos nostram sententiam exposuimus, de qua patiemur sacris literis doctos homines iudicare, à quib. si probabuntur quæ attulimus, bene est: sin minus, meliora ipsi sequantur: quæ si à nobis cognita erunt, ipsi quoq; grati & memores sequemur.

Pater mi, pater mi.) Sic Eliã uocat. Vt enim discipuli prophetarum filij uocantur, ita prophetæ patres. Hanc inclamationem geminato nomine patris, amor Elisæo expressit. Quid enim suauius & amabilius nomine patris? Paraphrastes sibi constans hic, pro אבי uertit רבי.

Currus Israel & auriga eius.) Hunc Eliam fuisse Israelitis quadrigarum & equitatus militaris instar. Significatur his uerbis figuratè uis diuini spiritus, quo Elias præditus fuerit, q̃ docendo & redarguẽdo, et in defendendo uero Dei cultu & euertendo falso, sese fortiter gesserit. Itaq; Elias qui ignem de cœlo deuocarat ad probandum uerum cultum, & ad reprobandum falsum, quiq; eodem illo igni Ochoziæ regis milites confecerat, & qui in Sina monte prope se spiritum, motum & ignem senserat, iam igneo curru in cœlum quod spiritu, motu & ignea ui uiget, à terra rapitur, ab igneis spiritibus, de quib. uates: Ministros tuos ignem flammantem.

Et non uidit eum amplius.) mortali specie, qua eum uiderat. Fidei autẽ oculis, ut eum in immortalem statum uiderit translatum, duplex spiritus quem ab illo accepit, argumẽto est: quem non prius acceperit, quàm Elias in cœlum elatus esset. O` præstans aspectatio absentis Eliæ, quæ Elisæo sacri spiritus donũ impertuerit, quem præsentis aspectatio impertiri non potuit. Si Christũ spectes, quæ dona diuini spiritus submotus è conspectu nostro in cœlum largiatur, nos ipsi experimur. Hinc Apostolus dicit: Nõ amplius noui Christum in carne, sed spiritu.

Et scidit illa in duas partes.) Elisæus sua uestimenta scidit, antequam spiritũ Eliæ acciperet. μυσικῶς uidetur significari, ueteris hominis peccato deturpatã uestem scindendã, & induendam nouã, eam uidelicet de qua illud: Christũ induistis. ad quem induendum opus est sciβione, de qua Ioel: Scindite corda uestra. Ideo sequitur:

Eleuauit palliũ Eliæ.) Suprà cap. 19 legitur, Eliam pallium suum in Elisæum cõiecisse. Quã aũt lænã ac uestẽ Eliæ læna repræsentet, et quæ sit eius mystica notatio, hic aperiri uidetur.

Quod ceciderat ei.) Non temerè & casu, sed Dei consilio illud ab Elia deciderat, quo Elisæus Iordanis aquis diuisis, transitum sibi aperiret. Euoluta figura, occurrit Christus, cuius uestis nõ prius decidit, qua freti siccum Iordanis nostri alueum traijciamus, q̃ ille ipse in cœlũ euectus esset. Per pallium igitur Eliæ, spiritus ueræ iusticiæ & uitæ uestimentũ significatur: quo Elisæi, hoc est omnes scripti in cœlis, uestiti, cuncta superantes salutem suam conficiunt.

Vbi est Deus Eliæ.) Qui quæ signa ediderit per Eliam, per me quoq; in siccando Iordanis alueo edat. Sunt interpretes, qui uolunt, bis aquas Iordanis percussas. primò percussas, & non diuisas, & tum inclamasse Elisæũ: Vbi est Dominus Deus Eliæ? qui spiritu, quem ille habuit, me ornet. hac autem precatione facta, iterum aquas ab eo percussas, & diuisas ad commodum patefaciendum transitũ. Huc spectasse uidentur Græci, qui habent πρὸς ὁ ἐλέγετο: quos noster Latinus interpres sequitur.

Requieuit spiritus Eliæ super Elisæum.) ut precatus fuerat Elisæus: Obsecro ut præditus fiam duplici spiritu qui in te est. Percunctere fortassis hic, cur non potius dicatur spiritus Dei insedisse in Elisæum, quàm Eliæ? Spiritus Eliæ, spiritus Dei erat: neq; is aliter Elisæo, quàm munere Dei tribuebatur, & ex eius plenitudine & copia, de quo apud Ioannem: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Sic in Numeris capite undecimo, de Mosæ spiritu legimus septuaginta senatoribus decisum: sed qui Mosæus spiritus, diuinus spiritus esset. Neq; Elias, cum suprà dicit, Postula quid præstare me uelis tibi, se largitorem spiritus diuini haberi uoluit: sed instrumentum eius quem figurabat, à quo uno ut capite uniuersæ perfectionis spiritualis, omnes sacri spiritus dotes & munera funderentur. & talem agnoscens Elisæus, non hic precatur, ubi est Elias, qui mihi suum spiritum tribuat? sed dicit, Vbi est Dominus Deus Eliæ? Qui Dominus Messias est benedictus, imagine ascendẽtis in cœlum Eliæ figuratus, à quo uno mortalitate iam liberato, & ad splendorem immortalis uitæ translato, omnes iusticiæ & uitæ & sapientiæ & gloriæ diuitiæ in electos proficiscuntur. Hunc agnouit hic Eliæus, & Eliæ spiritum de eius spiritu manantem confessus est. nec alia sententia filiorum prophetarum fuisse credi debet, cum dicerẽt: Requieuit spiritus Eliæ super Eliæum.

Ne fortè tulerit eum spiritus Domini.) Vt antea sublatus fuerat. ut suprà Abdiã dixisse legimus: Cumq; recessero à te, spiritus Domini auferet te in locũ quem ego ignoro. De quo uideris cap. 18 superioris libri.

Tribus diebus.) Sacer numerus is, ut mysterio aptus, expendendus fuerit.

Sed aquæ pessimæ sunt.) Quæritur hic, à quo tempore Hierichuntis aqua uitiosa, & terra sterilis cœperit fieri? Veteres interpretes uolunt, à Iosuæ temporibus, cum hanc maledictionem intentaret, Maledictus uir coram Domino, qui ædificauerit ciuitatem Hiericho: etiam aquam uitium duxisse, & agrum sterilem redditum. Dicas: Si ita res habet, quid ergo uenit in mentẽ Hieli Bethelitæ, quòd illam instaurauit? Sunt igitur qui dicunt, ab eo tempore quo instaurata fuit, cœpisse agrum sterilescere, & aquas insalubres reddi. Verisimile etiam est, Hierichuntis aquas, ut uicinas mari mortuo, uitium à Sodomorũ terra cœlesti igni corrupta contraxisse, quod deinde pro habitatorum terræ moribus auctum sit, aut diminutum. Solent enim cœlum & terra, ita disponente Deo, ad hominum ingenia, uitam & mores sese attemperare. Itaq; sunt qui extinctis Hielis Bethalitæ filijs, ut tentasset Hierichuntis muros extruere, hanc aquarum et agrorum labem auctam ab Elia tradant: quam sequenti tempore Elisæus, iam Elia in cœlum rapto, curarit.

Afferte mihi uas nouum.) Aliud signum ab Elisæo, ut accepit duplicem spiritum, editur, mysterio translationis Eliæ aptum. Euoluto typo, ut translato Christo in cœlum, & missso spiritu in suos Elisæos in die Pentecostes, noua uasa parentur, diuini spiritus sale aspersa, ad medendum aquarum uitijs, & ad auferendam terræ sterilitatem, satis notum id est ex ministerio noui fœderis. Satis mystica ratio quæ sit, ex Mosaica lege in Leuitico exposita intelligitur. Hoc sacrificia asperguntur, hoc dicitur fœdus diuinum conseruari, & sanctorum sermo uitam & iusticiam absterſis uitijs afferens condiri. Non igitur unum genus est salis. Est enim sal, quod sterilitatem apportat: quale sal cernitur in mari mortuo, seu lacu asphaltite. Est præterea sal salutem afferens, ut est hoc Elisæi sal, nobis figura & imagine quadam repræsentans sal quo condiuntur filij regni cœlorum, de quibus illud dicitur: Vos estis sal terræ. Porrò in salis natura ut ignea uis insit, suprà in Leuitico indicatum est. Consumpsit Elias hostes suos igni, probauit sacrificium diuinum igni, & igni translatus est in cœlum. Eodem illo igni quem sal continet, Elisæus aquas Hierichuntis sanat. Vt autem sal igneum spiritum habeat, norunt ij, qui eum ex sale elicere sciunt metalla soluẽtem & expurgantem.

Et terra sterilis.) Notatur etiam in מישבלה uis lethalis, ex uitiosis aquis contracta.

Et egressus est ad fontem aquarũ.) Tradunt, hunc fontem tantum esse, ut eius aquæ molam agant.

Et non erit ultrà in eis mors.) Reducto uelo mysticæ historiæ, qui noxiarum aquarum fons iniecto noui fœderis sale sanetur, rapto in cœlum eo quem elatus in aerem Elias repræsentauit, declarat illud: Vt mederer contritis corde. Ex quo corde ut aquæ antea mortiferæ & exitiales scaturierunt, iam salubres Elisæi scaturiunt. Sed quales aquæ? aquæ diuini spiritus, uitam deleta morte, fertilitatem absterſa sterilitate afferentes. De quo fonte & aquis dimanantibus ex illo, Dominus loquitur his uerbis: Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Vide quàm omnia

conue-

conueniant in hac σκιαγραφίᾳ cũ uerbis Christi Domini nostri, quæ hic ab Elisæo facta legun tur. O quam salutaris ascensus Messiæ in cœlum est, qui uitam nobis deleta morte, fœcunditatem ablata sterilitate, benedictionem adempta maledictione attulit. Alius igitur est ascensus Domini nostri in cœlum, alius eius aduersarij qui arroganter dicit: In cœlum ascendam. Is suo ascensu exitium affert, omnia perdens, per pseudoprophetas: ille salutem, omnia cõseruans, per sanctos suos Elisæos.

Ascendit autem.) Situs Bethelis respicitur. Sic enim in Iosua scriptũ est: Solitudo quæ ascendit in Hiericho, ad montem Bethel.

Pueri paruuli.) Exemplum puerilis insolentiæ. Hi pueri declararunt, quales fuerint eorum parentes, quorum ingenia & mores & uitam liberi referunt. Declarant item, qualis religio Bethelitarum fuerit. Vera enim religio metum Dei, fidem, amorem, legisq; diuinæ cultum affert: falsa, contraria uitia importat. Accommodemus hæc ad superiora & nostra secula.

Illudebant ei.) Sic tractantur in mundo, qui non mundi huius, sed diuino spiritu aguntur. de quo Dominus, huius spiritus largitor, his uerbis meminit: Spiritum ueritatis, quem mundus nõ potest capere. Quæ is docet, mũdo ludibrio sunt, & stulticiæ: ut documento sunt pueri Bethelis. Huc pertinent, quæ Apostolus in epistola ad Corinthios priore hac de re admonet.

Ascende calue.) Opprobriosa appellatio erat. Vt enim capilli in laude sunt, ita caluicium in uituperio. ut est apud uatem de Moabitis sic loquentem: In omnibus capitibus eius caluicium, & omne mentum est detonsum. Item: Super omne caput caluicium. Quantum ornamentum & quæ roboris significatio in capillis sit, argumento sunt Nazaræi, & inter hos præcipuè Samson. At hæc per figuram & umbram accipiuntur, qua submota, caluicium sanctis decori est, capilli improbis dedecori. Geminatio Hebraica, Ascende calue, ascende calue, ab improbis adhibetur, ad intendendam illusionem.

Et maledixit eis.) imprecatus mala & diras. Dicas, Vt bene precemur inimicis, Christum præcipere. Cur igitur Elisæus, diuino spiritu præditus, pueris illudentibus sẽ malè precatus est? Quòd malè precatus est Elisæus, id fide præ lucente & præmonente accidit, quæ Dei gloriã amori alterius præfert. Quod Christus igitur mãdat, hostibus etiã benefaciendum esse, id mandatũ ita accipi uult, si Dei gloria non periclitetur, si in inimicos collata beneficia Diuinum honorem et amplitudinem (quæ omnibus anteferri debet) non imminuãt. Nam primæ tabulæ lex, qua Dei amor præcipitur, secundæ tabulæ legum norma est ac regula, ad quam omnia nostra consilia, studia & actiones respondere & cõformari debent. Hanc normam respiciens Dauid, Saulo hosti, cum Dei gloria in periculo non uersaretur, pepercit. Cõtrà uerò, illam ut uidit agi, hostib. quos sentiret Dei hostes esse, diras imprecatus legitur: Reple uultũ eorum dedecore, ut tuum requiratur nomen Domine: turpiter conturbentur, fœdeq; pereant perpetuò. Eandẽ diuini nominis amplificaturus dignitatem Elisæus, improbis pueris mala precatus est, nõ sanè ut iræ suæ indulgeret, quæ ex cõtemptione nostri nasci solet: sed ut Dei contemptum uindicaret, qui intelligeret, non sẽ, sed Deum, cuius uates esset, in se sperni, & dehonestari.

In nomine Domini.) uindicis scelerũ, in quibus ponitur sacrorum legatorum illusio. quos qui læserit, maiestatem diuinam læserit & uiolarit.

Egressiq; sunt duo ursi.) Vrsas egressas declarat uerbum fœminini generis apud Hebræos. feræ armantur in improbos, de quibus sumant ultionem, quos neq; magistratus, neq; parentes puniturí erant. Qua in re seueritatis iusticiæ Dei in malos, & beneuolentiæ atq; curæ in suos uates, exemplũ spectatur. Cæterum maledictionis quæ in minis à Mose descriptis cõtinetur, exemplum hic proponitur, de quo in Deuteronomio capite uicesimooctauo mentio fit: Dentes bestiarum immittam in eos.

IN CAPVT III.

POrrò rex Mesa Moab.) Vt Moabitæ tributarij facti sint Dauidi, suprà libro secundo narratur.

Rex Edom.) Præfectus Idumæis à Iudæis constitutus. Nam tum parebat regnum illud Iudæis, à Dauide subactum. Tres reges in rebelles Moabitas armantur: Ioramus rex Israelitarum, Iosaphatus, & Idumææ rex.

Per desertum Idumææ.) De situ Idumeæ ad montem Arabiæ Seir, aliàs mentio facta est. Non una est Idumææ descriptio. est enim uetus & noua. Vetus, ad mare rubrũ usque pertingebat. Noua, quam posteris temporibus Idumæi prolatis finibus tenuerunt. In quo situ urbes, Maresa, Rhinocorura, Gaza, Anthedon, Ascalon et Azotus, Phœnicũ olim urbes, à Geographis collocantur. Misere affligendus erat rebellis Moab, sed iam Idumæo sub iugum imperij

Dauidis missō. Quos nobis superbus Moab adumbret, & quos Idumæus, quidq; sit insolentes Moabitas à Iacobæis & ab Idumæis, sed prius à Dauide victis uinci, huius rei mysticæ notæ in ipsa historia sese ostendunt. Peragranda septem dierum itinere Idumæorum solitudo est, priusquam superetur Moab. Numeri ratio pijs ignota non est.

Nec erat aqua exercitui.) Si igitur regum consilia spectes, imprudentia reprehenditur. Sin Dei, huius sapientia laudatur: qui suos morbis, fame, siti, & uarijs calamitatibus tentare solet, priusquam bonis spe præsumptis potiantur, ut hac ratione & nominis diuini inuocationi nobis deiectis, & potentiæ ac bonitati eiusdem declarandæ locus pateat.

Est'ne hic propheta Domini.) Agnoscit pius & sapiens rex, quantum ponderis & momenti sanctorum uatum precatio ad Dominum in rebus aduersis habeat. In his enim preces ad thronum clementiæ diuinæ penetrantes, à sacro spiritu funduntur. Cui spiritui omnia subiecta sunt, quæ pro nutu & arbitrio efficiat. ut documento est hic reparata aqua, & sedata sitis: restitutus uictus, fame absterſa: uictoria ab ijs qui uicti uisi fuerant, contra superbos hostes obtenta. Hinc illud: Qui in uobis est, maior mundo est. Is autem sacer spiritus Messiæ, est precum spiritus, cui omnia subdita sunt: peccatum, mors, infernus, mundus, & huius principatus, & quicquid in mundo superbum, potens & magnum est, Moabitarū superbia præfiguratum. Hæc dignitas est sanctorum uatum, & duplicis spiritus Eliæ in Elisæos fusi, uis & potentia, qua humi prostrati eriguntur, & superbi se efferentes deprimuntur. Superbiam Moabitarū his uerbis taxat Iesaias: Audiuimus superbiam Moab, superbus est ualde. Qui Moabitæ sapientia, & legis iusticia atq; carnis potentia inflati, translato iam Christo in cœlum uinci cœperint, mundo & eius principe Satana uicto, per spiritum in Elisæos Apostolos missō, satis clarum est ex illo Domini nostri: Cum uenerit spiritus, arguet mundum de peccato, & de iusticia & de iudicio.

Est hic Elisæus.) Qui aderat proculdubiò non humano, sed diuino cōsilio, ad spiritus sui præstantis documentum edendum, & ad figuranda ea tempora, quibus sub patefactionem Euangelij consociati electi, cum ipsō Idumæo Dauidis Messiæ imperio subiecto, superbos Moabitas, hoc est sapientia & iusticia huius mūdi insolescentes homines, superarēt. Sed quib. armis tanta uictoria paranda est, & quo tempore? armis sacri spiritus, eorū qui spiritu Eliæ & Elisæi erunt: & tempore, quo maxima fames panis cœlestis, & sitis aquarum scaturientium in uitam æternam in hac solitudine mundi electos infestat. De qua fame ut uaticinetur Amos uates, apud ipsum uideris.

Qui fundebat aquā super manus Eliæ.) Periphrasis ministerij est. Hanc his uerbis expressit Paraph. Chaldæus: רשמיש ירק אליהו. Veterum Hebræorum sententiam nihil refert hic recitare.

Descenditq; ad eum.) honoris causa, qui in Elisæo Dei spiritum reuererentur. Quæ submissio illis salutaris fuit: ut Achabo elatio, qua Domini uatem uera denunciantem cōtempserat, pernicialis fuit.

Quid mihi.) Diuino uati misso, qui falsam, ut tua est, religionem redarguam, & ueram doceam. Exemplum liberæ reprehensionis, dignū Elisæi spiritu.

Et tibi.) In cuius regno uituli colantur, mater improba odio sanctos uates insectans toleretur, falsi uates in honore habeantur. Ad hos igitur, ad sciscitanda responsa, non ad me, uade.

Quare congregauit Dominus.) Interpres negandi aduerbium אל omittit. sententia est: Nō est cur mihi parentū improbitatē obijcias, tempore tam difficili & angusto, in quo uides Dominum tres hos reges magna Israeliticæ gentis clade & opprobrio Dei Moabitis addicere. Paraphrastes sententiā sic reddit. Obsecro ne obijcias iam delicta hæc: sed potius, nobis ut diuina clementia affulgeat, precare. Nā Dominus uidetur tres hos reges Moabitis dedere statuisse.

Viuit Dominus exercituum.) Viuēm Deum & Dominum omnium, dijs alienis in regno Iorami cultis opponit.

Si non uultum Iosaphati.) Regnū Dauidis probatum Deo administrantis, & in loco legitimo Deum patrium colentis.

Erubescerem.) נרשא in loco reuereri & uenerari est. Quæ enim in ueneratione habemus, ea extollimus, atq; laudibus ferimus.

Non attendissem.) Locus admonet, improbos in hoc mundo piorum hominum probitate seruari: magisq; ad seruandum pietatem piorum hominum ualere, quam ad perdendum improbitatem improborū. In quo misericordiæ diuinæ magnitudo ostenditur.

Nunc aūt adducite mihi Psaltem.) Figurabatur spiritus, suos Elisæos exhilarans & confir-

confirmans, hoc musico concentu, quem fidicen excitauit. Hinc is spiritus lætitiæ oleum uocatur, quo nisi uncti sint sancti uates, prophetandi læta munere non funguntur. unde fit, ut ueteres interpretes dicant רוח חקרש אינה שורה אלהמיתור שמיהא. Nam ubi is spiritus spirat, consolationis & lætitiæ lumine pectora exhilarantur. contrarius spiritus, tenebrarum & luctus spiritus est.

Et facta est manus Domini.) Paraphrastes indicat Hebræam phrasim: Spiritu prophetico eum afflatum à Domino, qui læta uidelicet Israelitis, & tristia Moabitis denũciaret. Is erat ille citharæ iucundus concentus, quem audire uoluit Elisæus. Qui nobis adumbrauit suauẽ harmoniam citharæ Euangelij, cuius sono excitati nostris tẽporibus Elisæi, salutaria Israelitis in cœlo scriptis denunciant, & funesta Moabitis, fœdo concubitu natis, & eius meretricis poculo in ebriatis. de quo illud: Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum quaſcortati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui in habitant terram, de uino prostitutionis eius.

Non uidebitis uentũ, neq; pluuiã.) Cum pluuia coniũgit uenti mentionem: quòd pluuia soleat comitari uentum, nubium coactorem. Vnde Salomon in Prouerbijs, iactantem falsam liberalitatem, nubi & uento pluuiam non afferenti comparat.

Aquis.) Reducto uelo σκιαχραφικῆς historiæ, occurrunt aquæ illæ diuinæ & cœlestes, quibus alueus prophetantibus nostris Elisæis, repletur ad potandos sitientes. De hoc alueo & aquis Iesaias. Effundam aquam super sitientem, & riuos super aridum solum. Sed quod est hoc aridum solum & terra sitiẽs, & quæ aqua effusa? Sequitur inibi: Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem super germina: hoc est, progeniem tuam. Hinc Dominus noster Christus, perennis uiuentium aquarum fons, apud Ioannem sic ait: Si quis sitit, ueniat ad me ut bibat. qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Subijcit illis Euangelista: Hoc autem dixit de spiritu suo, quem acceptur erant credentes in ipsum. Vates igitur Iesaias mysticas aquarum, quæ concionante Elisæo excitatæ sunt, notas explicat, & Iesaiæ oraculum Iesus Christus Dominus noster.

Et iumenta uestra.) benedictione diuina seruatis Israelitis in omnia se effundente.

Tradet etiam Moab.) Exemplum horribilis cladis Moabitarum, quæ per distributionẽ subiectis malorum partibus amplificatur, ciuitates munitas expugnatas, optimas quasque arbores deiectas, aquarum fontes obstructos, agros lapidibus uastatos. Non nouum fuit hoc Dei in Moabitas odium, sed uetus. Sic enim Moses id, & eius causas explicat: Ammonita & Moabita in Domini ciuitatem ne admittitor. Subtexitur illic ratio: Quia noluerunt uobis cibum & potionem suppeditare in itinere ex Aegypto egressis, & quia precio conduxerunt contra uos Balaamum Beor filium de Pethore Mesopotamiæ, qui malediceret uobis. Eorum saluti aut bono nunquam per omnem uitam consulito. Quem igitur Moabita repræsentet, satis notum erit, si eum hostem spectes, qui electos secundum promissionem Israelitas pane uerbi Dei spoliat, aquas doctrinæ cœlestis denegat ex Aegypto regno Satanæ egressis: atque contra eos Balaamos falsos uates, qui eos ad scortationem cum nobili Madianitide scorto, hodie satis noto, sollicitant. Intueamur nostra secula. Secus autem habent Idumæi, in quos tantum Dei odiũ non flagrauit. Sic enim idem Moses ait: Ab Idumæo ne abhorretote, quia frater uester est. Itaque is cum Israelitis aduersus Moabitas bellum hic gessisse legitur.

Cunctosq; fontes.) Qui potionem Israelitis negarant, aquis priuantur, obturatis aquarũ fontibus. Talionis pœna, uindice æquitate diuina puniuntur.

Et uniuersum lignum fructiferum.) Dicas, in Deuteronomio cap. uicesimo legi, arbores corrumpendas non esse. Moses illic quæstioni occurrit, cum ait: Si diutina obsidio sit.

Vt irrumperet ad regem Edom.) cui infestior erat quòd uicinus esset, & antea aduersus Israelitas cõmunia prælia secum gessisset. ueluti legimus, Idumæos & Moabitas & Ammonitas & Syros coniunctis armis contra Dauidem manus conseruisse.

Arripiensq; filium suum.) Varia huius loci interpretatio est. Alij uolunt filium regis Idumæorũ à Moabitis captũ, & eum super mœnibus immolatũ, qui patrẽ capere non potuissent. Alij, Moabitarum regem suum filium primogenitũ ad placandam iram Dei immolasse dicunt. Qua atrocitate commotos Israelitas, soluisse obsidionẽ. Hæc sententia consuetudini gentis Moabiticæ consentanea est, quam constat liberos suos in holocaustum mactare solitam. Veluti ex Leuitico patet, capite uicesimo.

Et facta est indignatio magna in Israel.) Qui priorem sententiam sequũtur, de Idumæorum in Israelitas indignatione interpretantur. Qui uerò posterioris sunt sentẽtiæ, alij Deũ succensuisse Israelitis, quòd similia flagitia, consecratis Molocho suis liberis, cõmisissent: alij Israelitas indignitate facinoris, & tãta immanitate Moabitæ, cõmotos discessisse, quòd uiderent satis magno supplicio affectum regem Moabitarũ, qui primogenitum successurum in regno amisisset. Veluti Israelitas quoq; Aegyptũ deseruisse legimus, ut uidissent eius primogenitos extinctos, in quibus uis & potentia ac robur notatur, ut patet ex illo Iacobi de Rubene: Ruben principium roboris mei.

IN CAPVT IIII.

MVlier autem quædam.) Quintũ ab Eliæo editũ signũ narratur. Quod non caret rerũ abditarũ notis, quæ in administratione noui fœderis patefiunt. In quo mystico signo hæc expendenda fuerint: Mulier uidua, duo eius nati, maritus mortuus, creditor, oleum perpetuatum, & uasa uacua, uenditio olei, precium, redemptio liberorum, & satisfactio, qua creditori satisfactum. De singulis ordine inter interpretandum monebimus.

Mulier autem quædam.) Hanc ueteres interpretes arbitrantur fuisse uxorẽ Abdiæ, qui ad alendos prophetas Domini, tempore quo illos improba mulier Iezabel infectata fuit, æs alienum contraxerit. Sic enim Paraphrastes ait supra cap. 18. עברך עובריה. similiter Iosephus sentit. Quod ad figuram rerum futurarum pertinet, uidetur hac muliere in uniuersum electorum Ecclesiam adumbrari: quæ duos natos habeat, hoc est ex duobus populis sit conflata, Israelitico & gentili: atq; Elisæos suos tempore mariti Messiæ iam mortui imploret, ad consolationem accipiendam.

Seruus tuus.) Si Christum spectes, occurrit illud Apostoli: Qui cũ esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo: id est, suam potentiam non ad rapinam & tyrannidem conuertit, sed se demisit, ut sequitur: Sed seipsum inaniuit, forma serui sumpta, &c.

Mortuus est.) Sed hac occasione mulier uidua ære alieno liberanda erat, ut sequitur.

Timens Deum.) De Messia legimus apud Iesaiam: Et requiescet super eum spiritus timoris Domini. & de probitate eius idem uates: Eo quòd scelus non fecerit, & in ore eius dolus non fuerit.

Et ecce creditor uenit.) Quis est ille creditor? & quæ nomina ac debita mortuo marito Messia mulier illa Ecclesia debet? Creditor Deus est, qui legem scriptam Iudæis, & naturalem gentibus credidit, nomina amandi amplificandiq; Deum præ omnibus & supra omnia continentem. & ea nomina mortuo Christo creditor Deus pater ut soluantur ab omnib. exigit: & nisi soluãtur, seruitutem miserã, quæ in seruili peccati & mortis iure cernitur, intentat his uerbis: Qui non crediderit, condemnabitur. hoc est, qui me in filio Messia non amplificauerit, peccati & mortis reus erit. Atq; hoc est quod hic legimus: Vt duos natos in seruitutem ducat, quorum alter Israelitica soboles est, alter gentium Ecclesia. Ab utrisque creditor Deus, ut se in filio glorificent, legis nominibus & debitis persolutis, requirit. Sed quid respondet Elisæus, fidem suam imploranti uiduæ mulieri? Sequitur:

Quid uis ut faciam tibi.) Promptum Elisæi in ære alieno obnoxiam mulierẽ studium explicatur. quale studium nostrorum Elisæorum in administratione noui fœderis in Ecclesiam declaretur, Apostoli ministriq; Euangelij ostendunt.

Nisi parum olei.) Hic aperit sese rationis mystica significatio, qua nomina à creditore appellata soluantur. Oleum dicit se habere, sed nondum ita auctum & tractatum, ut creditori satisfaciat. Augendi igitur eius, & tractandi uiam Elisæus ostendit. Euoluto olei typo, diuini spiritus oleum offertur, de quo illud: Vnxit eum præ consortibus. Quo oleo in uacua sanctorum pectora effuso, per amorem quem in illis oleum sacri spiritus excitat, satis Deo creditori fit. firmũ enim illud est: Qui diligit, legem implet.

Vasa uacua.) amore sui. Talia uasa olei diuini spiritus capacia sunt, de quibus Dominus his uerbis meminit: Dabo uobis spiritum, quem mundus non potest accipere: hoc est, homines rerum terrenarũ, & contemptu cœlestium repleti. Vacua uasa Dominus etiam his uerbis exponit: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum. item: Qui uoluerit animam suam seruare, perdat illam. Perditur autem anima, cum ueteris naturæ uitiosa indoles exuitur: & seruatur, induto nouo homine qui Messias benedictus est, nouus & cœlestis à conceptu & partu homo, conceptus nimirum è sacro spiritu, oleo uiduæ præfigurato: quo uno, arbitro sanguine Messiæ, à iure peccati & mortis longè grauissimo debito liberamur. ut est

ut est apud Apostolum: Lex spiritus & uitæ liberum me reddidit à iure peccati & mortis.

Cum intrinsecus fueris.) Intra fines & terminos Ecclesiæ, nõ extrà, perpetuari oleũ, ad salutem conficiendam.

Stetitq; oleum.) Constitisse, ac cohibitum esse oleum, ne amplius funderetur. Certus enim est numerus, sed longè amplissimus in corpore Ecclesiæ, eorum qui oleo sacro perfunduntur. Sed quid iussa est mulier facere cum oleo? Sequitur,

Vade, inquit, uende oleũ.) Multiplicatum diuina ui oleum, uendi iubet Elisæus. Submoto typo, quo precio uẽdit Ecclesia suum oleum, & quo emitur? precio sanè, de quo illud: Empti estis precio magno, morte uidelicet Christi Iesu. Itaque hic legimus, non prius auctũ oleum, quàm mortuus fuisset maritus mulieris, cum qua hic Elisæus agit. Quocirca legimus nos, Dominum dixisse, se non antea missurum oleum sacri spiritus, quàm mortuus & excitatus è mortuis, in regnum patris ingressus esset: Si enim non abiero, consolator ille non ueniet ad uos. Qui oleum illud est sacrosanctum, salutari luce pectora nostra illuminans, & lucem fouens. de quo illud: Vnctio docebit uos omnia.

Per Sunem ciuitatem.) Hæc ciuitas Isacharianæ tribus est, sita ad orientem Carmeli montis. Mons est eiusdem nominis ciuitati imminens, ad quem Palæstinos castrametatos, suprà libro primo capite uicesimoseptimo legimus. Cæterùm in hoc mystico, ab Elisæo edito signo, hæc considerandà fuerint: mulier sterilis, proles illi Elisæi ministerio donata à Deo, messis, pueri mors, tum eius ad uitam restitutio, demum euolutis typis adumbratæ in his ueritatis explicatio.

Mulier magna.) clara & celebris, siue ob opes, siue ob pietatem, siue ob utrumq;. Quam magnam mulierem præfiguret hæc mulier, ex signi huius ab Elisæo editi explicatione planum reddetur. Nos legimus apud uatem: Celebrabo te in Ecclesia magna. Hæc est illa mulier clara, cui Elisæus precando comparat sobolem, & eam mortuam uitæ restituit.

Quæ tenuit eum.) Vt Abrahamus & Sara sterilis hospitio genios Dei exceperunt, ita hæc mulier sterilis Elisæum Dei angelum, qui sterilitatis abstergendæ lætum nuncium illi afferret, hospitem accepit. quod benignitatis exẽplum in pia muliere docet, quantum momenti habeat ad res maximas impetrandas, benefaciendi legatis Dei studium. Quod perinde à Deo fit, atque si in ipsum exhiberetur. Sic enim ait Dominus: Qui uos recipit, me recipit: & qui me recipit, eum qui misit me recipit. At hunc qui receperit, omnia bona receperit: iusticiam, uitam, sapientiam, gloriam. ut documento est hæc mulier. Veteres Hebræi fingunt, hanc mulierem fuisse sororẽ Abisai Sunamitidis, uxoris Dauid. Quod si ita esset, efficeretur, hanc mulierem, cum concepisset, fuisse natam CXX annos. quod uerisimile non fuerit. Nam Salomon à morte patris Dauidis, regnauit quadraginta annos: Roboamus XVII, Abia tres, Asa XLI, Iosaphatus XVIII, ante regnum Iorami regis Israel, cui Elisæus fuit σύγχρονος.

Animaduerto.) ex sermone & moribus. Sic enim Dominus noster ait: Ex fructibus cognoscetis eos. Qui præclarus usus est bonarum actionum, in quibus diuinitatis in sanctis hominibus uersantis appareat testimonium, nimirum charitatis de qua Ioannes: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet.

Sanctus uir est.) per separationem eius à mundo, Deo per spiritum eius consecratus. In mundo fastus, luxus, cupiditas uanarum rerum, & carnis studia cernuntur: in Deo puritas, bonitas, iusticia, uita. Quas dotes si quis habet, Deo sacer est: sin caret, profanus.

Faciamus ei cœnaculum.) Parat ei cellam, in qua uersetur: Lectum, mensam, sellam, candelabrum. Euoluendi typi sunt.

Siue principi, siue regi.) Apud quem tum ob conseruatum exercitum sciret se in gratia esse. Duo agnouit Elisæus: unum est, beneficijs conciliari amicos: alterum, amicos apud amicos, præsertim potentes, multum posse. Atqui istud mulier pia minimè curans. sic respondit:

In medio populi mei habito.) Se cõtentam suorum ope & præsidio dicit, nõ curæ habere ducũ & principũ in se studia. Exemplũ modestiæ in honesta muliere.

Filium non habeo.) quo sterilis præ cæteris bonis augeri cupit. Quàm sterilis Ecclesia sobole augeri expetat, & quantum gaudeat iam nacta liberos, declarat illud Isaiæ: Gaude sterilis, quæ non paris.

Et stetisset ad ostium.) non ingressa in cellam, quod erat muliebris pudoris & modestiæ. Similiter in Genesi scriptum legimus, Saræ pro foribus tabernaculi adstanti genium annunciasse, se prolem genituram.

Et hac eadẽ hora, si uita comes, &c.)

Hebraica

Hebraica hæc phrasis בעת חיה etiam in Genesi, in loco iam citato, ad Saram usurpatur.

Noli mentiri ancillę tuæ.) כזב fallere est, & uana spe lactare, ac imponere. uerba erant considerantis, debilitatas ad generandum naturæ uires, non uatis oraculo & Dei potentiæ diffidentis. Desiderium prolis expressit mulier congeminatione illa, Noli Domine, noli.

Et concepit mulier.) ui uerbi Dei, de qua Elisæus monuit: Amplexaberis filium. Notatur magnum mysterium, Filios quos sponsa Ecclesia parit, non naturæ, sed spiritus diuini ui concipi & generari, de quibus Ioannes: Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt.

Ad messores.) Excusso typo, occurrũt messis & messores, de quibus Dominus apud Euangelistam: Ipsa autem messis copiosa est, operarij pauci: Elisæis sub messem prædicationis Euangelij munere fungentibus. Primò mulieris Ecclesiæ liberi moriuntur ueteri homini, & terreno, de qua morte Apostolus: Corpus autẽ mortuum est propter peccatum. deinde, uitæ restituũtur eodem illo ministerio, de quo idẽ Apostolus: Spiritus autem uita est, propter iustificationem. Hanc natorum Ecclesiæ mortem & uiuificationem huius pueri sub messem mortui, & excitati ab Elisæo ad uitã typo adumbrari, pij intelligent, si hãc σκιαγραφίαν accuratè expenderint, in qua diuina imagine ueteris hominis mors, & noui uita repræsentatur. Quæ uita & mors administratione regenerationis à suis Elisæis, qui spiritu Elisæi sunt, peragenda, continetur.

Caput meum, caput meum.) Lugentium est huiusmodi uerborum geminatio. ut licet cernere in illo: Viscera mea, uiscera mea doleo. Hierem. 4.

Super lectum hominis Dei.) cuius precibus speraret fore, ut puer mortuus reuiuisceret.

Et clausit ostium.) Ne quis resciret puerum mortuum, quem destitutũ humana ope, permitteret uni curæ & prouidentiæ diuinæ. Duo ergo præstantis fidei signa in muliere pia apparuerunt: unum, quòd crederet in Dei manu mortem & uitam positam esse, qui cui uitam ademisset, ei illum uitam reddere posse: alterũ, quòd certò persuasum haberet, sanctorũ hominum precibus omnia à Deo impetrari atque effici: has uim suam in mortem, in uitam, in infernum atque in cœlum extendere.

Vocauit uirum suum.) quæ agnoscere sententiam illam in mulierem latam: Ipsę́q; tibi imperabit.

Vnum de pueris.) quæ intelligeret indecorum esse, honestas fœminas solas, sine pedissequis & comitatu, iter facere.

Vt excurrat.) Currendi uerbum ostendit uehemens desiderium recuperandæ filio uitæ, & reuertendi ad curandam rem familiarẽ. Ideo sequitur, Et reuertar. Vtrumq; intellexit sibi curæ habendum, & rem familiarem, & nati salutẽ. Prudens fœmina sciebat marem columnam esse familiæ, ut etiam est apud Tragicum uatem: σὺ δὲ γὰρ οἴκων εἶσι πασῶν κρέσσονες.

Hodie non sunt calendæ, neq; sabbathum.) Maritus legem Mosæam spectauit, qua præceptum erat, sex diebus laborandum, septimo sabbathum sanctè colendum, ad usum quietis capiendæ, & auscultandæ doctrinæ cœlestis ex sacerdotum & uatum ore. De quo usu uideris in Exodo, cap. 20. Itaq; calendis & sabbathis solitæ sunt sanctorum uatum domus frequentari, ad liberalem animi cultum capiendum, ex auscultatione oraculorum Dei, & explanatione legis: ut documento est is locus.

Quæ respondit rectè.) Vel synecdochικῶς maritum & se significauit: uel si etiam de puero intellexit, Dei uoluntatem spectauit, apud quem, qui nobis mortui uidentur, uiuant, ut quorũ mors non mors sit & interitus, sed traiectus in immortalem uitam. Hinc uerbum dormiendi, de ijs qui hinc è uiuis excedunt, in sacris literis usurpatur: in quo uerbo & quies & excitatio è mortuis, tanquam euigilatio dormientiũ è somno, notatur. Quò respiciens pia mulier, uidetur respondisse, Pax: quæ sanctorum Israelitarum, ad æternam salutem reseruatorum, ignara non esset.

Et apprehendit pedes eius.) Ad eos aduoluta, demittendi se gratia, quæ diuinitatem in sancto uate adoraret. Atq; hæc demissio apta erat ad impetrandum à Deo quæ petebat.

Vt amoueret eam.) qui seruus esset. Euoluto typo, de quo mox mentio fiet, occurrit discrimen ministerij seruilis legis & amabilis gratiæ, quæ non in Mose, sed in Elisæi uitæ & spiritus ministris cernitur. Ideo sequitur:

Dimitte illam.) Occurrit seruili asperitati, lenitas gratiosæ functionis Elisæi. Submota umbra legimus illud: Lex per Mosem data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Quæ gratia in Elisæorum noui fœderis ministerium cadit. Ideo sequitur:

Anima eius in amaritudine est.) in mœrore

mœrore & luctu. Munus eorũ Elisæorum, qui spiritu noui fœderis Elisæi sunt, exponitur. Quod Iesaias uates his uerbis explicat: Misit me ut consolarer lugentes, per ministros uidelicet gratiæ & uitæ. Sed qui sunt illi lugentes, & consolatione egentes? Mulier illa sunt hac nostra repræsentata, de qua idem uates cap. 54. Breui tẽpore dereliqui te, in misericordia magna colligam te. paupercula, uexata, consolatione carens, erunt tui nati à Deo docti.

Dominus celauit me.) Duo hic ex Elisæi uerbis intelligimus: unum est, Deum suis uatibus lucis spiritum pro re nata & usu suorum Israelitarum, hoc est electorum afflare: alterum, ipsos uates submisse de se sentire, nihil de suo naturali lumine & spiritu prædicare, sed unũ Dei spiritum & lumen agnoscere ex quo pendeant, & suas cogitationes consilia & actiones librent.

Nunquid petiui filium.) Prudens mulier, per occupationem à se curiosius petiti filij suspicionem diluit, quò prophetæ animum ad precandum de restituenda uita filio magis excitet, qui sua sponte antea preces ad Deum fudisset, quibus filiũ sibi impetraret. Expostulatio igitur hæc non ex maleuolentia in uatem, sed ex eius ultrò oblatis studijs & officijs nata est.

Ne illudas me.) Indicat, perinde esse non augeri sobole, & eam mox ut nactus sis, è medio tolli, ut æ non restituendum: Quid porrò mihi cũ filio, si non uiuat? Tacitè & arcanis notis excitationis è mortuis natorũ eius mulieris, quæ hic repræsentatur, spes ostenditur. Est autem תשלח propriè prosperè habere, ualere, pacatéq; uiuere. hic ad errare atq; decipi transumitur: quòd ferè specie pacis per blandicias imponi, ijs præsertim qui securè uiuunt, soleat.

Non salutes eum.) Hac loquendi figura significatur muneri uerbi Dei, quo uita dispensatur, omnia cætera officia & studia postponenda esse. Huc spectans Dominus uitæ reparator, sic mandat suis Apostolis: Neminem per uiam salutaueritis.

Super faciem pueri.) in qua sensus præcipuè sedem suam habeant, aspectus, auditus, olfactus: uersante etiam mente in capite, & per os se proferente. Itaq; in Genesi legimus: Inspirauit in nares eius halitum uitæ.

Viuit Dominus.) Postponit ministerium serui, Elisæi muneri. Submota umbra, cui Elisæo Deo sospitatori, quem אלישע nomine & typo refert, relicto seruo Mose, mulier Ecclesia fide adhæreat, dicẽs, Non relinquã te, indicat illa ipsa in Canticis canticorum: Tenui te, nec dimittam.

Giezi autem præcesserat.) Elisæum præcedit Giehezi seruus. Reducto uelo, occurrit illud: Lex pædagogus ad Christum.

Et non erat uox, neq; sensus.) Spiritu uiuificante non in Gihezi Mosæ ministerium, sed in Elisæi munus cadente. firmũ enim illud est: Litera (uidelicet legis) occidit, spiritus uiuificat. Qui spiritus, non Mosæ, sed Messiæ spiritus est. Neq; percipiendi ea quæ dicebantur, neque respondendi facultas in illo erat. Altera uis in קול, altera in קשב noto uerbo notatur. Aptè קול cum קשב coniungitur. Sermone enim ea quæ auscultando percepimus, explicamus. Quæ duo in nobis præcipuam uitæ dant significationem, intelligendi uis, & sermo rerum perceptarum interpres.

Dicens, non surrexit puer.) Verbum חקיץ usurpatur hic, quod est uelut è somno euigilare ac expergisci, tribuiturq; ex mortuis excitationi, ut patet ex illo חקיצו שבניעבר. Quod seruus fatetur à se puerum nõ excitatum, indicio est, reducto uelo, Mosem confiteri suum ministerium uitam nequaquam afferre: sed eum cuius ille posteriora solum uidit, non priora: qui Christus Iesus est, de quo sequitur mentio.

Et orauit ad Dominum.) Christũ, mortis & uitæ Dominum. Admonet nos hic Elisæus primò, sanctos, quæ cupiunt fieri, ut fiant & contingãt, precatione, quam fides fundat, impetrare: neq; sanctorum nutu & facultate magnas res confici, sed diuini spiritus. Secũdò, hanc facultatem diuini spiritus in Christo residere, quã suis Elisæis, cum uelit, ministret, habitante in eo diuinitate corporatè, ante quidem eius conceptũ in uirginis utero, & ex ea genituram, ut in uerbo æterno patris: post uerò eius conceptum & natiuitatem, ut in uerbo carne facto. Hinc de Christo illa: In illo, & per illum condita sunt omnia. item: Qui heri & hodie est. Tertiò, hũc Christum ex uirgine natum, filium Dei esse, cœlestem & diuinum Adamum, cuius spiritu mortui ad uitam excitentur, de quo Apostolus: Factus est extremus Adamus in spiritum uiuificantem, qui nõ solum animis uitam tribuat, sed etiam corporibus sit daturus. Quartò, miracula quæ Christus per se edit, etiam per sanctos ut ministros & instrumenta uirtutis diuinæ èdi. Hinc Christus ad discipulos suos sic ait: Amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet. Sed qua ui instructus? ui sacri

ſpiritus inſtructus. Quo ornatus Eliſæus, precatur hic Ieſum Chriſtum æternum Dei filium, ut mortuum uitæ reſtituat, qui ſciret patrẽ cœleſtẽ in Chriſto et per Chriſtũ filiũ omnia in cœlo & in terra efficere. Demũ cognoſcitur ex hoc magno & inſigni miraculo, ſanctos eius diuinitatis quæ in Chriſto plenè & ſine modo uerſatur, ex parte quoq; & ad modũ donationis capitis Chriſti Ieſu, tanquam membra corporis eius, conſortes eſſe. Non enim humanæ facultatis & potentiæ fuerit, mortuos ad uitã reuocare, ſed diuinæ. Quò pertinet illud Petri: Vos eſtis conſortes diuinæ naturæ. item illud: Ex Deo nati ſunt. Igitur ex miraculis in uetere et nouo fœdere editis, quæ ſanctorum fides agnoſcit, Peripateticorum philoſophia non agnoſcit, quantum inter lumen quod in Ariſtotelis philoſophia lucet, & eam facẽ quæ in ſacris literis ſplendet, interſit, ſatis clarè patet. Etenim alterum lumen omnia diuinæ potentiæ ita ſubiecta eſſe oſtendit, ut hæc ad quippiam efficiendum nullis ſubſidiarijs cauſis, nulliq; materiæ cui in agendo incumbat, alligetur, ſed omnia pro nutu & arbitrio faciat. Quam potentiam Ariſtotelis philoſophia Deo tribuere non uidetur. Siquidem hæc ſtatuit, omnia Deũ per ſecundarias cauſas, ut eſt cœli motus & lumen, ut ſunt elementa, & res ex eis concretæ, efficere. Proinde miracula nulla probauerit, quorum in natura cauſæ aſſignari nequeant. Quare neq; animorũ immortalitatẽ, neq; corporũ excitationem è mortuis, neq; dæmones ex Ariſtotelica philoſophia quiſquam confirmarit. unde concluditur, ineptè & turpiter ſophiſtas theologos, Ariſtotelis doctrina in confirmandis capitibus religionis Chriſtianæ abuti. in quam ex Ariſtotelis philoſophia lumen inferre, perinde eſt, atq; tenebras claræ luci offundere.

Et incubuit ſuper puerum.) Sic etiã ſuprà legitur, ut Elias filium Sareptanæ uiduæ ad uitam, ei ſe admetiendo reparârit. In hoc incubitu & admenſione, accipitur miniſterium ſpiritus uitæ in Elijs & Eliſæis, miniſtris gratiæ & uitæ, non ad unam aliquam partem eorum qui mortui ſunt, ſe admetiri, ſed toti homini ad uitam excitando incumbere, pariter corpore & animo hauſturis uitalem halitum per Domini noſtri Ieſu Chriſti afflatum, quem hic inuocauit Eliſæus. Qui ut terrenæ uitæ reſtituit puerum uiduæ Iſraeliticæ: ſic in diſpenſatione noui fœderis, ij qui ſpiritu Eliſæi ſunt, cœleſti uitæ in hac prima reſurrectione ex morte errorũ filij perditi ſuos Iſraelitas, hoc eſt, ſcriptos in libro uitæ reſtituunt, inſpirato à Chriſto illorum miniſterio ſpiritu ſacro, qui & mortalia corpora noſtra in alterâ reſurrectione uiuificabit. de quo Apoſtolus his uerbis loquitur: Quòd ſi ſpiritus eius qui excitauit Ieſum è mortuis, habitat in uobis, is qui excitauit Chriſtum ex mortuis, uiuificabit & corpora ueſtra, propter ipſius ſpiritum in uobis uerſantem.

Poſuitq; os ſuper os eius.) Trium meminit: oris, oculorum, & manuum, in quibus uitæ uſus præcipuè ſe oſtendit. in oculis, aſpectãdi uis, rerum formas internoſcens, & eas iudicandas menti offerens, cernitur. in ore ſermo, res oculis uſurpatas & mente perceptas explicans. in manibus, facultas ad conficiendas res quæ internuncijs oculis & ſermone interprete cognitæ ſunt, ſpectantur. Nam his tribus præſidijs homo nudus genitus, munitur ad ſe tuendum, & ad uitæ uſum declarandum: intelligentia, ſermone & manibus. & in hæc tria incubuiſſe Eliſæum legimus, quibus precante ſpiritu uitalem halitum redderet. Sic in adminiſtratione noui fœderis apoſtolum Paulum in Actis legimus incubitu ſuo, mortuo adoleſcenti uitam reſtituiſſe. Hæc eſt uis diuini ſpiritus in ſanctis, à capite Chriſto dimanantis, qui ſuo ſacro incubitu membris ſuis cœleſtem, ut cœleſtis homo ab ortu, natura, uſu, & munere uitam afflat & inſpirat.

Et incuruauit ſe ſuper eum.) Hebræus habet, Expandit ſe ſuper eum.

Et oſcitauit puer ſepties.) Septenarius numerus quàm abditam ſignificationem habeat, non eſt doctis ſpiritu hominibus ignotum. Submoto uelo & typo animalis uitæ, occurret nobis ſpiritus Chriſti uiuificus, cum ſeptem donis, de quibus Ieſaias capite undecimo meminit, illic explicatis pro dono gratiæ nobis à Domino conceſſo. At uerò cum duplex ſit reſurrectio natorum Eccleſiæ: una, qua ad uitam cognitionis Dei patris in filio Chriſto ex morte ignorantiæ nobis à Satana & filio eius Antichriſto offuſæ reuocamur: altera, de qua in Symbolo mẽtio fit (Credo carnis fore reſurrectionem) utraque reſurrectio per filij huius mulieris ad uitam excitationem præfigurata eſt. Nam Eliſæorum miniſterio ſpiritus ſanctus continetur, quo etiam prima illa reſurrectio perficitur, de qua poſt Ioannem Apoſtolus, in ea epiſtola quam ad Romanos ſcripſit, admonet, ubi de Iſraelitarum reconciliatione ex Moſe, & omnium prophetarum ſententia mentionem facit his uerbis: Quæ erit aſſumptio, niſi uita ex mortuis? Quæ reſurrectio prima ac reconciliatio. ſpiritu Chriſti conſtabit in

in hoc eius, per Euangelij longè clarissimam patefactionem, aduentu. de quo spiritu Iesaias his uerbis meminit: Donec effundatur spiritus de excelso. Et de aduentu patefactionis Christi per sacrum Euangelium, idem Iesaias: Cũ uenerit redemptor ex Sion, qui tollat improbitatem Iacob. sed hac de re fusius dictum est alio loco.

Tolle filium tuum.) Reuocata hypothesi ad thesim, cognoscimus uniuersum oraculorum Dei ministerium eò referri, ut Ecclesiæ liberi iam mortui, uiui represententur à ministris non literæ, sed spiritus.

IN CAPVT V.

REuersus est in Galgala.) Aliud signum mysticis notis insigne, ab Elisæo editum exponitur. in quo hæc fuerint expendenda: fames, discipuli uatum, olla, focus, pulpamentum ex syluestri cucurbita confectum, mors in olla, & farina ab Elisæo iussa afferri, malum emendans. De singulis ordine meminerimus inter interpretandum.

Fames.) Hæc extitit proculdubio ob contemptum legis diuinæ, ex Mosæo uaticinio in Leuitico, capite uicesimosexto, & Deuteronomij uigesimooctauo. Est etiam fames uerbi Dei, de qua Amos uates meminit: Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi uerbũ Dei. Qualis ut nostris temporibus sentiatur, declarant ij qui Antichristi tyrannide uexantur. Quæ fames non pelletur, nisi Elisæorum noui fœderis ministerio: ut Elisæus ueteris fœderis minister, famem panis terreni pepulisse à suis legitur.

Et filij prophetarum.) Hos aptos esse, à quibus auertatur fames. Depositio typo, qui fame uerbi Dei laborantes, à suis Elisæis pane cœlesti, qui Christus est, pascantur, declarat is ipse panis, ubi ait: Qui uenit ad me, non esuriet. Sed qui ueniunt ad Christum? ueniunt, quos pater traxerit per eam gratiam, de qua Dominus ipse: Oues meæ uocem meam audiunt. & Apostolus: Crediderunt, quotquot ordinati erant ad uitam.

Pone ollam grandem.) Nec olla in qua pulmentum ex cucurbitæ syluestris amaro fructu coquatur, deest, quem pane uerbi Dei affecti prius gustent, quàm pane dulci & suaui reficiantur. Olla hæc uetus homo est, in quo subiecto igni afflictionis, pulmentum amarum pœnitentiæ coquitur, ad panem dulcem nos reficientem præparans. Huc pertinet uox illa Ioannis, qui spiritu Elias & Elisæus erat: Agite pœnitentiã, quoniã in propinquo est regnum cœlorum. Regnum sanè uitæ æternæ, quẽ panis cœlestis Messias suis dat, & datã alit atque seruat. Cæterùm בִּקְעָה cucurbitam syluestrem uertunt, quam Græci τὸ λοχνώδες & συκέαν πικρὰν, id est amaram cucurbitam uocant. Quæ quem usum in purganda bile, & pituita & in medendis morbis, qui ex humoribus illis nascuntur, habeat, uideris apud scriptores rerum.

Mors in olla.) ut qui amaritudinem pulmenti non ferrent, coniunctam etiam cum letha li, nisi temperetur, ueneno. In olla ueteris hominis ut sua colocynthis per pœnitentiam amara, sub lethalis legis iudicio condemnante sese ostendat, experiuntur, qui huius syluestris cucurbitæ uim sentiunt, cum uate clamantes: Domine ne in furore tuo arguas me: Non est sanitas in carne mea. Quibus uerbis confessus est, id quod prophetarum filij senserunt: Mors in olla est. Constat porrò, legem occidere: & Mosem ministrũ legis, mortis ministrum esse, non uitæ: & pœnitentiam, hoc est mortificationem τῶν θυμώσεως & prudentiæ carnis ueteri homini amaram & acerbam esse, ut colocynthidis succus ualde amarus est gustantibus ipsum. At Elisæus quomodo huiusmodi pulmentum temperarit, ut comedi posset ad sarciendam famẽ, modus & ratio narratur.

Afferte mihi farinam.) Farinam afferri iubet, qua medeatur mortifero pulmento. Submoto uelo mystici pulmenti & farinæ, salutaris farina occurrit, ex qua panis uitæ, qui mortem ex lege, quæ peccati uis est, intẽtatam aufert. Panis inquam, qui de se dicit: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi: qui ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Is amarum pulmentum mortificationis ueteris hominis salubre & suaue reddit. Atq; id ipsum est quod hæc farina de se dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. & apud Iesaiam: Misit me ad medicandum mente fractis. Et hoc est quod sequitur: Et non remansit quicquam in olla.

De Baal Salisa.) Huius loci suprà in Samuele fit mentio. Hoc signum quoq; mysticum est, cuius rerum spiritualium arcanas notas inter exponendum breuiter explicabimus.

Panes primitiarum.) qui erant panes hordeacei. Accipitur enim de primis frugibus anni confectus panis, qui hordeaceus erat. De hordei culmo, spica, grano, farina, & hordeacea ptisana & eius usu, uideris apud rerum scriptores.

Et uiginti panes hordeaceos.) Hos panes primitiarum hordeaceos uiginti fuisse.

Et frumentum nouum.) כרמל accipitur pro spica recenti, quæ torrefacta esui sit: sangen.

Da populo.) Elisæus sibi allatos panes ad uescendum, iubet populo esurieti distribui. Adumbratur munus ministrorũ noui fœderis, quorum interest, panem cœlestem Messiam benedictũ non sibi reseruare, sed electis per prædicationem Euãgelij impertiri. Sic enim Apostolus ait: Nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

Hæc dicit Dominus.) Locus is admonet, uno uerbo Dei constare in rebus omnibus benedictionem, si adsit: sin absit, maledictionem. Ait enim Elisæus: Sic dixit Dominus. Itaq; Moses suprà monuit, non solum pane uiuere hominem, sed etiam omni uerbo quod exit ex ore Dei. Si enim Dei sermonem benedicentem sustuleris, nec etiã terrenus panis aluerit quenquam. Legimus porrò apud Mosem: Comedent, & non saturabuntur.

Et superfuit.) Similis benedictio suprà in aucto oleo ostenditur. Quæ uis in exhausta alendi in nostro pane cœlesti insit, sentiunt qui eo nutriuntur. Ad quam uim declarandam ualet uicenarius numerus, qui duos denarios continet, quorum alter ad uitam terrenam & animalem, alter ad cœlestem & spiritualem sustentandam satis sit. Denarij quinarius centrum est, cuius in nouo fœdere mentio fit apud Euangelistam, narrantem quinq; panibus duodecim millia satiata.

IN CAPVT V.

NAaman.) Narratur decimum miraculum ab Elisæo factum, quod cernitur in sanato leproso aquis Iordanis. Hoc signum quibus rebus insigne sit, inter explicandum indicabitur.

Regis Syriæ.) Cognoscimus hic, à Deo personarum rationem minimè duci: sed eius benuolentiam à respectu gentis, sexus, ætatis, fortunarum & status atq; conditionis, & ab elementis mundi liberam esse. Exempla occurrũt in Melchizedeco: in multis Aegyptijs, apud quos Iosephus uixit: in Iobo, Abimelecho, in Iethrone, Raaba, Rutha, Gabaonitis, uidua Sareptana, in Niniuitis, & hic in Naamane Syro. Verum igitur est, in Israelitis circũcisis, & in fœdere Dei mystico numeratis multos semper reprobatos à Deo: in gentibus uerò, præputiatos, & à fœdere circumcisionis præputij carnalis remotos, illi probatos fuisse. Quare Apostolus monet, circũcisionem eorum qui Deo non obediunt, in præputium uerti: & præputium eorum qui timent Dominum, pro circumcisione haberi. Idem confirmat etiam Petrus, cum ait: Reipsa comperio, quòd non sit personarum apud Deum: sed in quauis gẽte, qui timet ipsum, & iustè agit, acceptus est illi. qua in re diuinæ misericordiæ & bonitatis amplitudinẽ licet admirari, per quã Deus multo propensior sit ad seruandum, quam per iram qua aliena sua opera cõficit, ad perdendum. Ex hac enim narratione constat multos repertos, qui quamuis uiderentur in mundo carere Deo, ipsos tamen Deus suo amore & beneuolentia dignatus sit prosequi, non ipsorum quidem dignitatem & merita, sed suam bonitatem & misericordiam respiciẽs. Neq; etiam mirũ est, à Syris omnino non abhorruisse Deũ Israelitarũ, ut qui in Chanaane maledicti nõ essent, sed in Semo benedicti, ex quo Syri (ut ex cap. 10. Geneseos patet) nati sunt. unde apparet accidisse, ut Israelitarum maiores in Syrorũ familiam nubere non sint dedignati. ut documento sunt Nachor, Bathuel, & Laban. Huc quoq; Niniue, ab Assur cœpta ædificari, pertinet: qui ex qua familia natus sit, ex libro Geneseos liquet. Cæterùm clarus typus uocationis gentiũ in Naamane Syro ab Elisæo sanato hic præformatur: quæ gẽtes non secus à lepra uitiositatis ueteris hominis per Elisæos noui fœderis administros sint sanandæ, quàm Naaman Syrus à lepra corporis fuit sanatus.

Vir magnus.) Neq; potentes & opib. florentes homines repudiari a Deo, si animũ potentiæ suæ & opibus nõ adiecerint, illã Dauidis sententiam expendentes: Diuitiæ si affluxerint, cor eis ne apponito. Naamani ad animi submissionem non parum momenti afferebat lepra.

Syriæ.) Non solum oculos prouidentiæ diuinæ in Israeliticam terram intentos esse, sed eos per omnes terrarum fines spargi, quos tueantur & conseruent. Tanto prophanarum gentium ingratitudo flagitiosior est.

Sed leprosus.) A lepra illum neq; potentia, neq; opibus, neq; existimatione & authoritate, qua in toto Syriæ regno ualebat, neq; fortitudine bellica liberante: sed una potẽtia uerbi Dei, quod Elisæus administrabat.

Quæ erat in obsequio.) Locus de utilitate ostenditur, quam Israelitarũ exilium exteris gentibus attulerit. Exemplo est Abrahamus, qui quàm utilis fuerit Aegyptijs, satis constat. Exemplo est item hæc puella. Non commemoro utilitatem quam exules Israelitæ & Iudæi Assyrijs

syrijs, Medis & Persis, Babylonijs, Aegyptijs & reliquis gentibus, apud quas exularunt, apportarint. Quam demum salutem Apostoli genere Hebræi è terra sua in orbem terrarũ amandati attulerint, nos qui Christum profitemur, agnoscimus. Quare uera est comparatio illa Apostoli, qua is Israelitas oleæ, gentes oleastro comparat.

Vtinam fuisset Dominus.) Exemplũ fidei erga dominum suum Naamanem in serua, & pietatis etiam in exilio erga patriã religionem conseruatæ. Quod prædicauit sanctum uirum Elisæum ad incircumcisum Naamanem, documento est, hunc cum suis, non magnopere à Dei Israelitarum cultu abhorruisse: sed in eius animo semina quædam diuini spiritus, quem sacræ literæ timorem Dei initium sapientiæ uocant, insita ex electionis gratia fuisse. Qualis diuinus metus in ijs qui ex gentibus scripti in libro uitæ sunt, ante patefactum Euangeliũ à Petro in Actis laudatur. In hoc loco ponderari solet, electos cuiusq; nationis sub sole, semper charos esse Deo, priusquã etiam sunt & cum sunt orti, priusquam Euangeliũ cognitum habent. Firmum enim est illud: Hæc est charitas Dei, nõ q; nos dilexerimus Deum, sed q; prior ipse dilexit nos. Ergo cum nondum fidem habemus Euangelio, per electionis gratiam ab æterno chari sumus Deo. Sed dicas, Quid ergo opus est electis Christo, eiusq; Euãgelio, cum amentur à Deo priusquam illud fuerit patefactum? Non sine Christo & eius Euãgelio chari sunt Deo, sed in Christo, & eius Euangelio patefaciendo, siue per legem cõmunem externæ prædicationis, siue per specialem reuelationis, q diuinæ sapientiæ & bonitati probetur, modum. Nam firmum est illud Petri: Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Vnde efficitur, electos charos Deo in Christo filio esse, antequam sentiunt se charos esse: & quia chari sunt, accidere, ut tempore suo percipiant Euangelium, & fidem Christo seruatori habeant: in hoc electi, ut credant: non credentes, ut eligantur: electionis amore & ipsos, & eorum fidem antecedẽte. Et quoniam diliguntur, antè quàm cognitum habent Euangelium Christi, is Dei amor inanis & uacuus non est, ut omni afflatu diuino ante manifestatum Euangelium electi careant. Sed qualis est is afflatus? Is afflatus, sacer afflatus est, qui non à natura uetere, quæ tota corrupta est, sed per gratiam electionis à Christo futuræ Euangelij patefactioni uiam præparans proficiscitur: qui in sacris literis spiritus timoris ac metus Domini sapientiæ initium continens, appellatur. De quo præparante & initiali spiritu illud Malachiæ dicitur: Et orietur uobis timentibus nomen meum sol iusticiæ. & illud in Actis: Vobis qui timetis Dominum, missus est sermo salutis, qui Euangelij sermo est. Itaque Petrus dicit: Reipsa comperio, quòd non sit personarum respectus apud Deum: sed in quauis gente, qui timet ipsum, & agit iustè, acceptus est ei. Vbi Petrus de ijs loquitur, quibus nondum patefactum est Euangelium: hos scilicet ui electionis diuinæ, per sacrum timoris spiritum agentis, electos, charos esse Deo, quo præparati ipsi apti reddantur ad Euangelij auscultationem. Huc pertinet illud Domini: Qui ex Deo est, uerba Dei audit. & de repudiatis spiritu timoris Dei carentibus: Propterea uos non auditis, quia ex Deo nõ estis. hoc est, his diuinæ lucis seminibus, fauore prædestinantis Dei ad accipiendam cœlestem doctrinam non præparati. De qua præparante prædestinationis diuinæ gratia Apostolus sic loquitur: Crediderunt, quotquot ordinati erant ad uitam. & idem Apostolus ad Romanos: Quos prædestinauit, eos & uocauit: & quos uocauit, eos & iustificauit. quos inquã uocauit, ipsorum auribus sacro metus diuini spiritu perculsis. de quibus, ut citatũ est, in Actis: Vobis q timetis Dominũ, &c. Hoc metu reuerendi Deum qui ducuntur ante patefactum Euangeliũ, eo modo legem, hoc est ea quæ legis sunt, præstant, quo eos Apostolus in epistola ad Romanos, & Petrus in Actis facere ac præstare legem, hoc est iustè agere, precari, gratas eleemosynas exhibere, Deo fidere, sed rudiore fide, accipiunt, Deo ipso in eis hanc initialem quam metus cõtinet, fidem, & rudẽ ex ea natã iusticiam, gratam habente. quod in ipso Christo, sed patefaciendo clarius, ipsi Deo chari sunt: et hoc donum timoris diuini ab eodem Christo proficiscitur. Ex his intelligitur, quid inter puerilem ætatẽ quæ spiritu timoris regitur, & adultiorẽ quam spiritus adoptionis moderatur: quid item inter rudem puerilis, & perfectiorẽ adultioris ætatis fidem & iusticiã intersit: alterã ueteribus initialẽ & uelatam fidem atq; iusticiã, alterã reuelatã uocantibus. De qua reuelata fide Apostolus his uerbis loquitur in epistola ad Galatas: Cõclusi in eam fidẽ quæ erat reuelanda. Vnde etiã patet, quia electi semper in fauore & beneuolentia Dei sunt, propter filium & reuelandum & reuelatum: quæ ignorantia, quæq; incredulitas exitium & interitum afferat, quæ non item: quod propriè sit peccatum ad mortem incurabile, quodq; non item.

Curasset eum à lepra.) spiritus precantis ui. אסף propriè colligere est, ac congregare. inde per metalepsim pro curare ac sanare transsumitur: q. quæ uitiosa sunt, dissipata ac diuulsa uideantur. Sunt qui congregandi uerbum usurpari dicunt, quòd ijs qui lepra liberantur, ius sit se iterum ad eos aggregandi, à quorum consuetudine segregati fuerant. Cæterùm de lepra & eius generibus, & de significatione lepræ mystica, in Leuitico uideris. Pia puella spirans ingenium Israeliticum, agnoscit spiritum diuinum in sanctis uatibus uigere, cui uita & mors, robur & infirmitas, & totus mundus, & quæ mundo continentur, subiecta esse: deinde præsefert Israeliticam terram à Deo selectam, in qua cum uero cultu Dei, sanctorum uatum oracula sedem suam haberent, non extra eam. Demum fauorem diuinum etiam exteris gentibus non negari, si se ad uates Dei in benedicta terra adiungant.

Et sex millia aureos.) Paraphrastes de denarijs aureis interpretatur. [Non perpendebat Syrus, aliam uatum in terra sacra uersantium rationem esse, aliam Syrorum. Hos muneribus capi, ut exemplo Bileamus Syrus est: illos non item, ut hic documento est Elisæus.]

Scidit uestimenta sua.) indignitate rei postulatæ commotus, quam præstare nõ hominis esset, sed Dei. Mos erat Israelitis uestes dilacerare, cum detrahi Deo suam gloriam uiderent, & eam homini tribui. Sic apud Euangelistam legimus, summum sacerdotem uestem suam lacerasse, ut audisset Christum se Dei filium confessum: q. putaret, quãuis falso, hoc nomen in nullum hominem cõpetere.

Vt occidere possim, & uiuificare.) Quam facultatem ut sibi Deus ascribat & uindicet, ex illo patet: Dominus mortificat & uiuificat. Occidere quidem, etiam alijs facile est: sed ita occidere ut sanes, & uitã restituas ei quem occideris, Dei proprium, & eius hominis in quo diuinitas corporatè uersatur, qui est Messias benedictus, uitæ & mortis, inferni & cœli, peccati & iusticiæ Dominus.

A' lepra sua.) quam nulla medicina quidem, quam natura præstet, & medicorum ars, sanet: ut nec lepram uitij originis ulla naturæ uis curet, sed eius solius qui dicit, Misit me ad sanandos contritos corde.

Quod occasionem quærat aduersus.) belli contra me gerendi, negata ei re quã noluit à me præstari nõ posse. Itaq; hanc indignitatẽ non solum Dei contemptio, ut ipse interpretatus est, attulit, sed etiã metus periculi de bello excitauit. Qua in re Israel rex hos locos cũ animo suo considerauit. Vnus est, improbis nihil deesse ad lædendum præter occasionẽ, ut hic ille ipse dicit: Videte ut contra me captet occasionem. Hinc iactatur uulgo peruagata illa sententia, προφάσεως δεῖται μόνον ἡ πονηρία. Alter est, eos ad nocendum pronos esse, qui cum uoluntate uires & facultatem coniunctam habent: ut fuit tum Syrorum rex, quem nuper uictoria, qua Achabum patrem suum uicerat, Ioramus insolentiorem factum esse putauit.

Quare scidisti.) non perpendens in regno Israelitico uates esse, qui diuino spiritu freti efficiant quod à natura effici nequeat. Impietatis quidem fuerit, tentare quæ naturam superant, detracta Deo sua gloria: non item, si diuina ui quicquam quod naturam, hoc est communem gubernationis huius uniuersitatis legem superet, pertentetur. Qualis diuina uis in sanctis uatibus est, qui natura & elementorum huius mundi legibus non cõtinentur. Duo igitur in hac reprehẽsione Elisæus ostendit. Vnum est, Israelitas, hoc est electorũ Ecclesiam cum Deo sacro fœdere cœlestis amicitiæ iunctam, uatibus & salutarium oraculorum interpretibus non carere: alterum, prophetas ornari Dei spiritu, quo præditi, omnia quibus Dei nomen amplificetur, & Israelitarum salus cõficiatur, efficiant. Hæc cum non cogitaret rex, ignauæ diffidentiæ ab Elisæo, fidei in Deum patrium ministro, & diffidentiæ reprehensore, taxatus est. In qua taxatione declarauit regi, neque religionem, neque eius ministros uates pro more regum & principum terræ magnopere curæ fuisse.

Ad ostium domus Elisæi.) Moderationis & modestiæ in Naamane exemplũ. Quæ animi demissio, qua Deum in sancto uate ueneratus est, illi uiam sub prouidentia diuina ad ualetudinem recuperandam muniuit. firmũ enim est illud: Deus humilia respicit.

Nuncium.) Quòd Elisæus non alloquitur Naamanem, non superbiæ qua illum cõtemneret, sed modestiæ in sancto propheta fuit, qui neq; gloriam ex colloquio cum principe uiro, neq; lucrum ex eius muneribus captare uideri uoluit. Quod falsi uates facere non solent, principum & regum assectæ, & munerum captatores. Quales fuisse prophetas Baal, suprà legimus. Nostra tempora prætermitto, in quibus quantum ab Elisæi spiritu, uita & moribus pseudoprophetæ meretricis Babyloniæ dissentiant, res ipsa docet.

docet. Demum Propheta uitauit colloquiũ Naamanis, & eius aſpectum, ut is ex re ipſa experimentum caperet, non aliunde quàm ex Dei uerbo & ſpiritu pendere & effici eorum qui ſeruantur ſalutem. Exiſtimabat enim Naaman leprã curatum iri, ſi uates ipſe adhibita ad Deum precatione, manu lepram attigiſſet. Sic enim in narratione inijcitur: Putaram exiturum, & manu admota loco lepram eſſe curaturum.

Vade & lauare ſepties.) Myſticum locum declarat ſeptenarius, & Iordanis aquæ. Reducto adumbrationis rerum ſpiritualium uelo, occurrit donorũ ſpiritus ſancti ſeptenarius, quibus ueteris hominis, quæ in originis uitio cernitur lepra, per regenerationem è cœleſtis Iordanis aquis & ſpiritu ſacro Dei, curatur. At de hoc ſeptenario alias mentio facta eſt. Iordanis, ſacræ terræ ſacri fluminis aquæ, quas nobis aquas, ſpiritualem lepram purgantes repræſentent, Ezechiel uates his uerbis explicat: Effundam ſuper uos aquas mundas, ut ab omnibus ueſtris impuritatibus purgemini. Fluuius igitur Iordanis regenerationi ſacratus, in myſtica hæreditate fluens, nobis eum fluuium in cœleſti hæreditate fluentem repræſentat, de cuius uiuis aquis omnes ſordes et uitia ueteris naturæ abluentibus ſanctus Ioannes in ſua diuina Apocalypſi his uerbis meminit: Et oſtendit mihi purum fluuium aquæ uiuæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & agni. Huius cœleſtis fluminis aqua aſperſi, lotiq; ſepties, à lepra mundantur, ut in ciuitate Dei locum habeant, ex qua antea per lepram naturæ peccato uitiatæ excluſi fuerant. Firmum enim eſt illud in eadem Apocalypſi Ioannis, & extota in nouum hominem regenerationis ratione: Non ingreditur in eam aliquid prophanum, nec quod ſcelus commiſerit.

Iratus Naaman.) Qui exiſtimaret, plus momenti precationem ad Deum habere ad recuperandam ſanitatem, quàm ullius fluuij aquas. Dicit enim: Putaui eum exiturum, et præſentem Domini Dei ſui nomen inuocaturum.

Nunquid non meliores ſunt.) Hæc uerba ſunt ignari myſterij, quod fluuiorum, montium, fructuum & pecorum terræ ſacræ uelo tegitur. Oſtenditur etiam ex hac Naamanis offenſione, potentes & ſapientes huius mundi homines offendi ijs quæ diuinæ inſtitutionis ſunt, in quibus erant aquæ Iordanis, quibus ille ſuæ terræ aquas prætulit. Quid enim contemptius in mundo eſt aquis, uitia naturæ ueteris expurgantibus? Hæ enim ex Meſsia fluunt, qui gentibus ſtulticiæ eſt, & Iudæis offendiculo.

Pater.) Dominum ſuum Naamanem patrem appellant. Qua appellatione declarant, Naamanem bono & clementi fuiſſe ingenio, qui parentis officio quàm Domini in ſeruos ſuos maluerit uti. Qua ſua bonitate effecit, ut operas ſuas in fide retineret: cum alioqui ferè uulgaris illa ſententia uera ſit, Tot hoſtes quot ſerui.

Si rem grandem tibi propheta.) Nec ſeruis Naamanis Syri ueneratio Dei Iſrael in uate diuino deeſt. Qui enim prophetas Dei magnificiunt, etiam Deum quem profitentur, magnificerint. Vnde illud: Qui prophetam meo nomine receperit, me recipit.

Et mundatus eſt.) Subducto uelo, occurrit gentium ad regenerationis lauacrum uocatio, quæ temporibus Eliſæorum noui fœderis à lepra ſpirituali ſint mundandæ aquis ſalutaribus Iordanis cœleſtis. qua de re paulo ſuprà facta eſt mentio: quarum diuinum ſignum eſt aqua elementum, ſed ſacramentum per uerbum factum.

Sicut caro pueri paruuli.) Comparatio puerorum ſubmota umbra huc afferenda eſt, de qua Dominus meminit: Sinite paruulos ad me uenire, talium eſt regnum Dei. Notantur pueri renati è ſpiritu ſancto. his ſimiles qui ſunt, iudicantur à lepra liberati.

Reuerſusq; eſt ad uirum Dei.) Confeſſurus beneficium, quo miniſterio Eliſæi à Deo Iſraelitarum affectus eſſet, qui fructus erat ſanatæ lepræ. Duo igitur hic probantur in Naamane, quòd corde credidit in Deum Iſraelitarũ, & ore ſuam fidem confeſſus eſt. Hinc illud Apoſtoli: Corde creditur ad iuſticiam, ore fit confeſſio ad ſalutem.

Niſi tantum in Iſrael.) Fatetur primò, penes Iſraelitas uerum cultum Dei uigere, non penes alias gentes. Deinde agnoſcit, uerum cultum Dei ab Iſraelitis ad cæteras gẽtes dimanare: illorũ porrò eſſe adoptionem, gloriam, teſtamenta, legis conſtitutionẽ, cultum Dei & promiſsiones: & ex hoc theſauro penes Iſraelitas repoſito depromi, quod gentibus cõmunicetur. Atq; hoc ipſum eſt quod in Geneſi legimus, In tabernaculis Sem habitaturũ Iaphethũ. Dicat aliquis, Iehouã nõ ſolum in terra Iſrael locũ habere, cum nãtura duce oẽs gentes intelligãt ex mundo tam ſapienter condito, unam ſupremam naturam eſſe, & mentem, à qua omnia oriantur, & orta ſapienter gubernentur & regantur. Fatemur primò, à Iehoua etiam reliquas gentes adminiſtrari, nihilq; eſſe in hac rerum uniuerſitate quod ab eo non prouidenter

guber-

gubernetur. Deinde fatemur, non esse tam feram & barbaram gentem, cuius mentem sapientis architecti huius mundi cognitio non imbuat. Quod igitur Naaman Syrus dixit, non esse extra fines gentis Israeliticæ Deum, non de natura diuina longè lateq; bonitatem suam diffundente, id intellexit: sed de eius uero cultu, hoc Israelitas præ cæteris populis muneribus ueræ sapiētiæ & probitatis florere.

Viuit Dominus.) Sed cur tantopere mu nus recusauit accipere? Num turpe esse duxit uatibus diuinis, munera honestè oblata recipere? Munus Naamanis, nō quòd putaret Deo displicere, repudiauit, cum sciret Iacobum ab Esao, Iosephum à Pharaone Aegyptio, Salomonem à regina Sabæa munera accepisse. Sed cur dona à Naamane, uiro pio, & qui grato animo illa obtulisset, renuit admittere? Elisæus, neq; quòd contemneret Naamanem, munera eius aspernatus est: neq; quòd per se turpe esset munera accipere, ea reiecit: sed in repudiandis illis partim suum officium, partim exemplum liberalis animi, quod alijs de se præberet, partim magnitudinem & præstantiam beneficij quo affectus fuerat Naaman à Deo, suo ministerio, respexit. Si officium spectes, hoc huiusmodi erat, ut Dei gloria unicè & hominum salus eo quærenda fuerit, nulla priuata utilitas spectanda, nullum lucrum captandum. Ne igitur diuina munera uideretur Elisæus turpiter uendere, & eis (ut facere soliti erant prophetæ Baal) ad quæstum abuti, recusauit dona accipere. Hinc etiam, quod ad exemplum attinet, uoluit hoc suo facto cæteris etiam diuinis uatibus præire, ut suo exemplo discerent ministerium oraculorum Dei omni lucro præferre, atq; id liberum ab omni etiā auaritiæ suspicione custodire. In quam cum uideret se casurum, si munus accepisset à Naamane, maluit sanctus uir carere pecunia, quàm suam functionem ulla cupiditatis opum nota aspergere. Eadem ratione adductus Abrahamus, munera à Melchizedecho oblata accipere his uerbis recusauit: Leuaui manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ, si à filo usq; ad corrigiam calceamenti & ex omnib. tuis aliquid accepero, ne scilicet dicas, ego ditaui Abrahamum. Quapropter sancti homines in recipiendis renuendisq; donis, tempora ipsa expendunt, quibus uel gloria Dei agitur, uel periclitatur: periclitante illa, munera respuunt: non periclitante, accipiunt. Quò eorum exempla quæ suprà adducta sunt, pertinent.

Sed obsecro cōcede mihi.) Hebræa phrasi petitionem interrogatione eloquitur: An ne dabitur de terra? Idq; ex more huius linguæ fit, ut simile exemplum suprà in secundo libro, capite tredecimo offertur.

De terra.) ad extruendam aram Domino in Syria. Vt aquas Iordanis fluminis terræ Israeliticæ, quas antea contempserat, salutares expertus est: ita etiam terram salutarem fore sibi existimauit. Hæc est, submoto typo, uis regenerationis, ut placere incipiant quæ antea displicuerunt. De lege faciendæ aræ ex terra, uideris apud Mosem capite uicesimo Exodi.

Non enim faciet seruus tuus.) Hæc confessio declarat, non solum à corporis, sed etiā animi lepra liberatum Naamanem fuisse. Nam quamuis naturalis lex in omnium animis ostendat, unum Deum colendum esse fide & amore, non deos alienos: id tamen quia per lepram uitij originis, naturæ ui & facultate non præstatur, in Naamanis corde Dei spiritus excitatus est, q animi lepra sanata efficeret, ut unus Deus, negatis dijs alienis, ab illo fide coleretur. Quæ uis colēdi Deum solius Dei donum erat. Qua etiam ex re discimus, quid inter naturæ & diuini spiritus facultatem intersit. Atque per hunc afflatum, si quæ gentes legem scriptam nō habentes, ea quæ legis sunt unquam fecerunt, fecisse intelligentur.

Si adorauero in templo Remnō.) me submittens, rege manibus meis innixo.

Vt ignoscat mihi Deus.) Explicatur studium tuendæ bonæ conscientiæ in Naamane, animaduertente cum illa tum adorationē deorum alienorū, tum simulationē adorationis pugnare. Ab adoratione deorum alienorum se liberum esse dicit, simulationem uidetur agnoscere. Duo igitur erant, de quibus reprehendi poterat: simulatio, & confirmatio aliorum in adoratione falsa. Nam cū se submitteret, genua in tēplo Remnonis flectēs, iudicari poterat illius cultum se profiteri aut simulare, & suo exemplo aliorum falsam religionem defendere. Itaq; petit hic, ut Dominus huic suæ adorationi ac submissioni ignoscat, & eam corporis inflexionem condonet.

Vade in pace.) Verba hæc Elisæi, non erant probantis submissionem illam Naamanis in templo Remnonis, sed connuentis per considerationem tum infirmitatis Naamanis, tum occasionis in Syrorum regno nonnullos alios in fide Iehoua ædificandi. Probabat igitur sanctus uates in Syro, animum abhorrentem ab idololatria: officium erga regem suum in templo Remnonis ad tempus ferebat, qui intelligeret in infirmis & nuper

per initiatis sacris fidei quædam toleranda esse, & temporum habendi rationem, cum spe consecuturi fructus alicuius per istam patientiam & tolerantiam ruditatis.

Pepercit Dominus meus.) Recensentur delicta serui Elisæi, Giezi, quorum unum contemptus fuit honesti exempli in ueræ pietatis doctore Elisæo.

Viuit Dominus.) Alterum in abusione nominis diuini cernitur, quo improbus seruus ad rem turpem agendam abusus est.

Recté ne sint omnia.) Naaman, homo gentilis & incircumcisus, officiū charitatis præstat in Elisæum: Giezi Israelita, Elisæi seruus, perfidia se obstingit aduersus & Deum Israelitarū & Dominum suum Elisæum. Quod scelus ne cōmitteret, eum neq; uenerationominis diuini, neq; fides in Dominum, neq; sanctitas uatis, & eius doctrina qua institutus fuit, auocauit.

Dominus me misit.) Tertium delictū, mendacium, quo nihil uanius est, fuit. Hoc & se uanum declarauit, & domino leuitatis labem aspergere uoluit, qui mutata sententia, pecuniam quam antea liberali animo repudiauerat, iam abiecto & sordido repeteret. Quid enim abiectius est, & uilius, pecuniæ cupiditate? O quot in regno pastoris stulti Giezi sunt, Christo & eius Euangelio pecuniam & opes per auariciam anteponentes. Naaman Syrus lepra liberatus, idola reliquit, Deum Israelitarum fide & amore amplexus: Giezi Israelita, carne, non pectore circumcisus, idolum pecuniam adorans, lepram contraxit.

Duos adolescentes de monte Ephraim.) Aliud mendacium (ut peccata peccatis accumulantur) fingitur, quo per hypocrisim auariciam celat. Pauperes enim prætexit, quibus pecunia, quam petit, sit cessura, quam ipse in suum usum conuertere cogitabat. ut infrà ei Elisæus exprobrat: Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti uestes, ut emas oliueta.

Vesperi.) Hebræa uox interpretum sententia accipitur de editiore domus parte. Paraphrastes interpretatur de latebra & loco occulto. Quæ interpretatio declarat, studiū celandi tegendiq; furtum eos oculos, qui abdita rimantur, (ut erant Dei, & uatis Elisæi oculi, spiritu cuncta rimante illustrati) in seruo fuisse. Quo studio cum gloriam Deo cuncta uidenti detraheret, in corde cogitans, Non uidet: lepra, ut mox patebit, affectus est. In eorum enim numero mendax hypocrita fuit Giezi, quos uates Dauid his uerbis taxat per mimesim: Non uidet nos. Quæ maxima est dehonestatio nominis diuini: qua nimirum detrahitur Deo prouidentia, qua omnia lustrans bonos præmijs ornet, & de improbis pœnam improbitatis expetat.

Non iuit seruus tuus.) Aliud mendaciū, quod seruili serui animo inspirauit is, de quo apud Ioannem ueritas ipsa Messias mentionem facit: cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & eius rei pater. Is est auariciæ fructus, ut mendacia ex mendacijs confleat, ad possidendas terrenas opes, & ad eas tanquam Deum colendas, cœlestibus diuitijs neglectis. Quod cum faciunt auari homines, Deū gloria sua spoliantes, cum Satana audiunt in se hanc Dei sententiam dici: In pectus ambulabis, puluerem q; comedes, quandiu uiues. Vnde serpenti Satanæ suum uenenum, & ijs qui pectore in terram contempto cœlo incumbunt, lepra adnascitur, quæ ex terreno humore, qualis atra bilis est, oritur. Ad mysterium alluditur, sapientibus notum. Ideo sequitur:

Et lepra Naaman.) Præmium auariciæ est lepra. Ratio eius iam explicata est. de qua etiam uideris in Numeris, in eo loco quo narratur, ut Maria soror Mosæ lepra affecta fuerit.

IN CAPVT VI.

DIxerunt aūt filij prophetarum.) In hoc signo ab Elisæo edito, hæc perpendenda fuerint: persona Elisæi, & munus: discipuli eius, secessus ad Iordanem, domiciliorum extructio, securis & ferri eius significatio, quidq; eius in Iordanem lapsus & emersio adumbrarit. De singulis ordine monebimus.

Ad Elisæum.) Is spiritu Eliæ duplici ornatus, pœnitentiæ tum ad ueteris hominis mortificationem, tum ad noui genituram ministros figurabat. Tali spiritu pœnitentiæ qui ducuntur, Eliæ & Elisæi discipuli appellantur. Huc congruunt quæ sequuntur.

Ecce locus in quo habitamus.) Exponitur luctus ministerij Elisæi, qui copiosus numerus eorum erat quos ille spiritu suo formabat. Quanta multitudo eorum sit, quos, qui spiritu Elisæi sunt, ministerio spiritus adoptionis generant Christo, indicat Iesaias cum ait: Gaude sterilis quæ non paris, dilata locum tentorij, &c. Sed ad quod flumen tabernaculorū locus dilatatur? Sequitur:

Eamus usque ad Iordanem.) Vt ad flumen regenerationis lauacro per pœnitentiam

ſacratum, cuius qui ſpiritu Eliſæi ſunt, miniſtros agunt. Itaq; Ioannes Baptiſta, qui ſpiritu Elias & Eliſæus erat, ut confitentes peccata ſua ad pœnitentiam in Iordane baptizarit, apud Euangeliſtam legimus.

Et tollant ſinguli materiam.) cæſas in ſaltu trabes, ad extruēda domicilia. Ad Iordanem ſuum cœleſtem aquas ſpirituales ad regenerandum aptas continentem, materies paratur, ex qua domicilia ædificantur, de quibus Dominus apud Ioannem his uerbis mentionem facit: In domo patris mei multæ ſunt mãſiones. De fluuio autem cœleſti paulo ſuprà ex Ioannis Apocalypſi locus citatus eſt.

Veni ergo & tu.) Sine Eliſæo & permittente & præſente, non tentatur domiciliorum ad Iordanem ſtructura. Submota umbra, occurrit miniſterium ſpiritus ſacri, in illis noui fœderis Eliſæis, de quo iam aliquoties mẽtio facta eſt, ſine quo nulla ſtructura ædificij ſpiritualis in cœleſti hæreditate conſtat. De quo ædificio aliquot locis Apoſtolus meminit.

Caderet ferrum ſecuris.) In ſecuri duo cernuntur: lignum quo tenetur ferrum, & ferrum ipſum cædens & ſecans, quod ligno tanquam manubrio regitur & gubernatur. Hæc ſecuris ſermo pœnitentiæ ſeuerior & durior eſt, per legem ueterem hominẽ cædens & ſcindens. Qui ſermo aſperior Eliſæis & diſcipulis eorum committitur, ad cædendam materiem ex qua ædificium ſacrum, quod eſt Eccleſia electorum, extruatur. In qua ſtructura ſecuri hæc uitia & uitioſi reciduntur, ſelecta materies & ædificationi apta retinetur: quæ continet pios, iuſticiæ & probitatis ueræ donis exornatos. Ferrum igitur, durior terreno & ueteri homini filijſq; huius mundi concio eſt, eum cædens & frangens, hoc eſt mortificans ad nouũ generandum. Lignũ uerò, manubriũ quo ferrum tenetur & regitur, Chriſtus eſt, quo aſperior pœnitentiæ ſermo ad ſalutem per prædicationem Euangelij lenis & amabilis ſermonis adminiſtratur. Niſi mortificationis ueteris hominis doctrina, præeunte lege peccata oſtendens & damnans, ita adhibeatur, ut per ſpiritum Meſſiæ Euangelij munere adminiſtratum ſalutaris reddatur, mortem tantum attulerit, & exitium, uitam nullam, peccatumq; auxerit & iram, iuſticiæ & gratiæ ſpe omni præciſa. Hoc aũt ſalutare lignum Chriſtum eſſe, in Euangelio patefaciendum, ex illa Salomonis ſententia clarum eſt: Et lignum uitæ eſt, ipſum tenentibus. Vbi de Chriſto ſapientia Dei loquitur. Similiter Ioannes, idem lignum explicans, ſic ait: Et ex utraq; parte fluminis arbor uitæ, afferens fructus duodecim. De ferro, quantum ad eam partem attinet, qua uitioſi è medio aſperè caſtigati tolluntur, apud uatem legimus: Regam eos uirga ferrea. Et de malleo ferreo diffindente petras, Hieremias his uerbis: Verba mea ut ignis, inquit Dominus, ut malleus conterens petram. Is ferreus malleus, ſecuris eſt, de qua Ioannes Baptiſta ſpiritu Eliſæus loquitur in hunc modum: Iam uerò & ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.

Cecidit in aquam.) Submoto huius adumbrationis, quæ hic narratur, uelo, accipimus pœnitentiæ ſermonem durum & oneroſum, niſi aquis cœleſtis Iordanis immerſus leuis ad emergendum reddatur, talem effici, qualis iam deſcriptus eſt. Durum & graue metallum ferrum eſt: at hoc iniectum in aquas Iordanis, leue redditur: & coniunctum cum ligno quo regatur, aptum ad tractandum. Itaq; Ioannes Baptiſta hoc myſterium de ſecuris ferro & manubrio explicans, ſeueras conciones pœnitentiæ coniunxit cum uenturo Chriſto, ubi ait: Ego quidem baptizo uos aqua ad pœnitentiam: atqui ille qui poſt me uenturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum idoneus ut calciamentum portem, ipſe eſt qui baptizabit uos ſpiritu & igni. Is igneus ſpiritus Meſſiæ, luce & calore ſuo uitali temperat ferrũ iſtud, ut reddatur ſalutare.

Et hoc ipſum mutuo.) Precarium munus eſt, hoc eſt Dei beneficio ad nos profectum, quo per pœnitentiæ prædicationem uetus natura cæditur, frangitur & domatur in extructionem domicilij ad Iordanẽ, fluentem aquis de quibus uates: (Hauritis aquas ex fontibus ſaluatoris) meminit: quæ diuini ſpiritus aqua eſt, manans ex Meſſia, perenni cœleſtium aquarum fonte. De quo poſt Zachariam illud à Ioanne adducitur: Ex uentre eius fluent aquæ uiuæ, regenerantes uidelicet in nouum & cœleſtem hominem aquæ.

Rex autem Syriæ.) In hac myſtica narratione prouidentia diuina erga Iſraelitas, & muneris prophetici ratio explicanda proponitur.

Conſiliumq; iniit.) ſed in conſilium Deo non adhibito. Igitur conſilium Syri irritum fit, Dei ratum, ut ſequatur.

Miſit ergo uir Dei.) Explicatur munus uatis diuini, quod erat, mala ab Iſraelitis amoliri, & hoſtium conſilia diſſipare. De quo Ieremias his uerbis monet: Ecce dedi tibi uerba in ore tuo, conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, ut euellas & deſtruas, & diſperdas & diſſipes, ædifices

dífices & plantes. Legitur hic Eliſæus inſidioſa & callida Syri hoſtis conſilia Iſraelitis patefacta labefactaſſe. Apoſtolus ut uerorum & ſpiritualium hoſtium conſilia, quibus eos Iſraelitas perdere ſtudent, quorum nomina in cœlis ſcripta ſunt, irrita reddantur & caſſa, in hunc modum explicat: Siquidem arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad demolitionem munitionum, quibus conſilia demolimur, &c. Ad hunc demoliendi uſum, ut oraculorum ſuorum conſcios reddat Dominus ſeruos ſuos, uates Amos oſtendit: Non facit Dominus Deus quicquam, quin ſeruis ſuis prophetis patefaciat. Quæ maxima dignitas eſt prophetarum, eos in conſortium abditorum conſiliorum Dei admitti.

Syri in inſidijs ſunt.) Nobis ea in re eius hoſtis inſidias repreſentantibus, de quibus Apoſtolus admonet: Vt poſſitis ſtare aduerſus aggreſſiones diaboli. item: Eſt uobis aduerſus rectores tenebrarum lucta.

Conturbatumq; eſt cor regis.) metu proditionis perculſum: ut ſolent reges omnia circa ſe, ſi quid ſecus accidat quàm uelint, ſuſpecta habere.

Quis proditor mei ſit.) Quæ, diuina ratione laborante pro Iſraelitis fiebant miniſterio Eliſæi, ea rex Syrorum humana fieri putabat. Sic hoſtes Iſraelitarum, Dei conſilia interpretantur.

Sed Eliſæus propheta.) Teſtimonio hoc comprobatur, Eliſæum uatem à dictis & factis ſignisq; admirandis celebrem fuiſſe apud Syros. Quo maior ſtulticia & uanitas regis Syriæ fuiſſe indicatur: de qua ſubijcitur mentio.

Vt mittam & capiam eum.) Exemplum ſtupendæ cæcitatis in rege illo. Is eum uatem fallendo capere ſtudet, quem intelligeret arcana ſua conſilia nota tenere: fretus militum ui, captiuum abducere cogitabat, qui diuino Dei Iſrael ſpiritu ſeptus, mundi poteſtates uincebat. Sed in hunc errorem præcipitatur hoſtes Iſrael, ut Deus potentiæ ſuæ magnitudinẽ declaret, & palàm oſtendat mundi conſilia uana eſſe, & ſua firma & rata.

Dothaim.) Locus nobilis Ioſepho, ad eum Madianitis uendito à fratribus, & hic obſidione Syrorum ad capiendum Eliſæum. Ciuitas hæc ſita fuit in tribu Manaſſenſi. Huius etiam in Iuditha fit mentio: Venerunt per crepidinem montis Bethuliæ, uſque ad apicem qui reſpicit Dothaim.

Qui cum ueniſſent nocte, circumdederunt.) Adumbrantur bella, quæ aduerſus electos ſub noctem ab eo principatu geruntur, de quo illud: Principatus tenebrarum, filij tenebrarum. Contrà principatus Chriſti, lucis principatus, & ij qui eo reguntur, lucis filij dicuntur, alluſione ad opus creationis facta, in quo certis finibus lux legitur à tenebris ſeparata: Et diuiſit lucem à tenebris.

Noli timere.) Conſolatio ſalutaris, digna & nomine & munere Eliſæi. Notum enim etymum eſt אלישע.

Plures enim nobiſcum ſunt.) Conſolatio à potentia & ui adiuuantium. Comparatio non ſolum numerum & multitudinem indicat eorum qui opem ferant, ſed etiam uim & potentiam. Accidit enim ſæpe, ut pauci ingentem multitudinem uirtute ſuperiores profligent. Hic & plures & potentiores hoſtibus indicantur.

Cumq; oraſſet Eliſæus.) Hæc eſt munitio & armatura ſanctorum Eliſæorum: precatio nimirum fide gubernata, nubes penetrans ad thronum clementiæ & potentiæ diuinæ. Ad quem exercitus eorum militum adſiſtit, qui hic apparuiſſe Eliſæo & eius miniſtro legitur.

Domine.) Penes quem eſt clauis, de qua illud ſcriptum eſt: Hæc dicit ſanctus & uerax, qui habet clauem Dauid, qui aperit nemine claudente, claudit nemine aperiente.

Aperi oculos huius.) Mentis & animi, per clauem lucis fidei, qui per naturæ & carnis lumen clauſi erant. Firmum ſiquidem eſt illud: Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. Oculis igitur animalis hominis terreſtris potentia & exercitus cernitur: oculis diuini ſpiritus, potentia & exercitus cœleſtis, qui hic patefit miniſtro Eliſæi, qui uiderat antea brachiũ carnis Syrorum, exclamãs præ metu: Heu Domine, quid faciemus præ metu?

Et ecce mons plenus equorum.) Opponitur equitatus diuinus cum curribus, equitatui & curribus Syrorum. De his legimus: Equi eorum caro, & non ſpiritus: & cum Dominus extenderit manus ſuas, corruit adiutor, concidítq; adiutus, & conficientur uniuerſi. De diuino autem equitatu & curribus ſcriptum eſt, eos igneos eſſe: quos nulla uis abſumat, ipſi omnes aduerſarias poteſtates abſumant & perdant. Hi currus & equi ignei ſanctorum caſtra defendentes contra hoſtes, cœleſtes animi ſunt angelorum, quibus numen diuinum inſidet,

ad pugnandum contra inimicos electorum suorum. His curribus ac quadrigis equisq; igneis Elias in cœlum suprà legitur euectus. Cæterùm quoniam hic quadrigæ & equi numerantur, cognoscimus in cœlo suos quoque exercitus, suas legiones esse, quæ sub duce suo militent, qui Messias benedictus est. de quibus legionibus is ipse apud Euangelistam mentionem facit. Quare non negatur, inter angelos ordinem suum esse, & gradus dignitatis, lucis & splendoris diuini. Nam Apostolus meminit Archangelii, & alicubi Michaelis fit mentio, & legionum à Domino: ut appareat, inter angelos aliquot esse præcipuos, quibus cæteri pareant, sub duce summo Christo, cœlestium & terrestrium & infernorum principe & Domino. Quod legimus hic igneos currus apparuisse, id ipsum est quod uates Dauid canit: Angelos suos spiritus, & ministros ignem flammeum. Sed de angelis, & eorum naturâ atque munere, aliàs memnimus. Quod ad præsentem narrationem attinet, magna nostri consolatione cognoscimus, in cœlis suum exercitum esse, ex flammeorum angelorum legionibus descriptum, cuius dux Messias seruator noster sit, cœli & terræ Dominus, qui has diuinas quadrigas, & hunc cœlestem equitatum ad defendendos seruandosq; Israelitas suos, contra mundum principemq; mundi Satanam regat atque moderetur. Atque hoc ipsum est quod Elisæo à Syris circumsesso, currus & equi ignei in monte apparuisse defensores & adiutores in tempore angusto & periculoso leguntur. Qui quoque capiti sanctorum Messiæ apparuerunt, ad ministrandum ei eo tempore, quo peccati & mortis & inferni obsidio soluenda, & in cœlum ascensus parandus erat. Veluti legimus in Psalmo sexagesimooctauo, tum currus Dei affuisse illi, cum ascenderet in altum, captiuam secum ferens captiuitatem: עלית למרום שביה שבי. Et ut inseruiunt capiti Christo, ut duci & principi suo: ita etiam nobis in terra uersantibus, ut membris capitis Christi inseruiunt, quos à ui & iniuria hostium precatione & spiritu Dei sacro, quo præditi sunt, uindicent atque tueantur. Quæ magna est electorum dignitas, habere illos puros & cœlestes animos, Dei patris faciem intuentes, salutis suæ ministros. Vt exemplo est Abrahamus, Moses, Dauid, Hierosolyma, Elias, & hic Elisæus, & omnes sancti, regna item mundi. Nam legimus alium Persarum, alium Græcorum, alium Hebræorum, ex angelis præsidem fuisse. Nam cum omnem diuinam ordinationem Satan studeat dissipare, ordinis inimicus, & confusionis amicus & autor, huius libidini refrenandæ sacras illas & diuinas, tanquam ordinis omnis conseruandi ministras, mentes opponit, tum ad naturalem in natura, tum ciuilem in rebus, tum maximè sacram in religione institutionem & ordinationem tuendam atque conseruandam. Quam Dei curam & prouidentiam, quam de rebus humanis & de tota natura gerit cum gratiarum actione agnoscere, piorum & sanctorum hominum officium est & munus: impijs interim cogitantibus cum animis suis, & ore fatentibus atque dicentibus, Non est Deus. Cæterùm ut suprà monuimus, quale cœlum sit in quo Christus uersatur & angeli: sic hic monemus, angelos cœlestes spiritus dici, non à materiato cœlo, à nobis remoto, in quo habitantes à nobis absint: sed à cœlo diuinæ lucis claro, in quo Christus ut rex, sancti ut ciues admodum donatæ lucis his seculis conuenientem illustrati, & ipsi angeli ut administri spiritus uersantur nobis præsentes & intima societate coniuncti.

Percute obsecro.) Qui suprà orasset, ut ministri oculos Deus aperiret: hic orat, ut hostium oculis cæcitatem incutiat. Vtrumque enim ut fieret, intererat gloriæ Dei. Nam ministri patefactis oculis, in præsenti periculo præsentis Dei numen adesse sentiebat, qui suis magna cum laude nominis sui opẽ ferret, hostes uerò cæci redditi, reipsa experiebantur de Deo Israelitarum, id quod suprà Naaman Syrus confessus fuerat, Scio in toto terrarum orbe non esse nisi apud Israelitas Deum. Itaq; neq; Elisæus hostibus cæcitatem imprecatus est, ut cæci perirent, qui infrà ut uenissent in Samariam, ne interirent elaborauit: sed ut restituto eis uisu seruarentur, curauit. Qua in re Elisæus ostendit, ut spiritu noui fœderis Elisæi comparati esse debeant, hos uidelicet suum magistrum & doctorem Messiam imitari debere, qui fatetur se non propter iustos & amicos uenisse, sed propter iniustos et inimicos quos ad pœnitentiã uocatos iustos & amicos reddat. Sicut etiam Apostolus diuinum hoc Messiæ munus agnoscens, hoc de ipso præclarum testimonium edidit: Nam si cum inimici essemus reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati seruabimur per uitam ipsius.

Non est hæc uia.) Non mentitus est Elisæus. Non enim Dothaim erat ea ciuitas, in

qua

qua Elisæus ut ciuis uersaretur, sed Samaria. Neque Dothaim ea ciuitas erat, in quam conueniret Syros ingredi, quos decreto Dei infallibili in Samariam proficisci oportebat, etiam inuitos. unus igitur Elisæus exercitum hostilem ducit, non quò is uult duci, sed quò dirigit uoluntas Dei. unde debent discere impij hostes, quàm graue & perniciosum sit cõtra filios Dei arma sumere. deinde orationibus sanctorum omnia impetrari & confici, cunctáq; eis subijci, amicos & hostes. amicos quidem, ut opem afferant, ut angeli argumento sunt: hostes uerò, quos uidemus precibus Elisæi ita uictos, ut irent quò ipse uellet, mente & oculis capti. Demum discimus, omnia tum bona tum mala in amplam illam manum Dei cœlum & terram & cuncta his comprehensa ambientem cadere, omnia decretis ineuitabilis prænotionis Dei contineri: & si quæ contingentia est, eam in mutabili rerum quæ eueniunt natura, non in decretis & consilijs diuinis cerni. Quæ si spectantur, omnia ineuitabiliter fiunt: sin res quæ fiunt, hæ quoniam aliter fieri possent, si ita ferret uoluntas diuina, contingenter ac fortuitò fieri dicuntur: cum interim quædam ita sunt, ut aliter esse & habere nequeant, in quorum numero Deus est, & Christus uerbum Dei, & corpus Messiæ Ecclesia electorum.

Aperuitq; Dominus oculos eorum.) Aperiuntur oculi hostium, ut se captos uideant ab eo quem capturi aduenerant. Vident se circumsessos magna hostium ui, quos non euaderent, qui unum sanctum Israelitam capere, sed frustrà, tentassent. Qua ex re intelligimus, consilia sua hostibus, quibus populũ Dei perdere moliuntur, perniciosa esse, & sanctis salutaria, & Deo gloriosa. ut est apud uatem: Parat impius foueam, in quam cadit. Itaque horrendum est incidere in manus Dei uiuentis: cuius oculi pupillam tetigerit, qui sanctos eius ad lædendos eos tetigerit. ut qui eius agnatione & genere, ex participatu diuinæ eius naturæ teneantur.

Nunquid percutiam eos.) Occidere tentat eos, quos non improbitas in Samariam adduxisset, sed uis & manus Dei. Itaque his pro æquitate diuina parcendum erat, non uis intentanda. & Deus amplificãdus, qui Samaritanis pepercisset, quos sciret clade digniores esse quàm hostes Syros. Hi enim ignorantes, alienos deos colebant: illi scientes, cultu uero, & fœdere diuino, uatumq; admonitionibus contemptis. ideo sequitur: Ne occidito.

Pater mi.) In rebus prosperis uatẽ rex blãdè patrem uocat, cui paulo pòst in rebus aduersis necem minatur. Sic sunt hypocritarum ingenia. Exemplo Saulus, Achabus, Achaz, & qui horũ similes sunt. Cæterùm patris nomen ut ex hoc loco & alijs liquet, commune est parentibus, magistratibus, pietatis & morum magistris, prophetis, & oraculorum Dei interpretibus.

Non percuties.) Elias, qui non pepercisset prophetis Baal, eius discipulus Elisæus parcit Syris hostibus. Ratio iam exposita est. Dissimilis delictorum ratio in utrisque cernitur. firma est hæc Domini nostri sententia: Seruus qui uoluntatem Domini nouit, & non exequitur eam, duplo uapulabit.

Neq; enim cæpisti eos gladio.) Hebræus interrogationem habet: Num quos cœperis gladio & arcu tuo, eos occides? quãto minus occidere licebit quos Deus cæperit: qui Dei sint captiui, non tui. Quales hi Syri sunt, qui diuina ui & manu, nõ humanis artib. in Samariã captiui abducti sunt: ut tu rex cũ tuis hoc Dei beneficio affectus ad meliorẽ frugẽ redeas, Deũ amplificãs, et uates diuinos charos habeas eorum concionibus obsequens.

Et ultrò non uenerunt latrones.) Aut ij qui uenerant, tacti Dei numine, & grati erga Elisæum: aut non eo modo uenerunt, quo uenerãt, sed cum integro exercitu, ueluti sequitur.

Factum est autem post hæc.) Narratur bellum graue à Syris aduersus Samariam gestum, in quo hæc explicãtur: diuturna obsidio, fames tanta ut matres liberos suos comederint, regis in Elisæum capitalis exacerbatio, sed cuius eum pœnituerit. Demũ Elisæi de fame remittenda uaticinium. De singulis ordine inter interpretandum meminerimus.

Vniuersum exercitum.) unà cum culpa & rebellione crescit etiã hostiũ uis et impetus.

Et ascendit.) Situs Samariæ in monte sitæ respicitur. Hæc sita in Manasseni tribu fuit, à Hierosolymis unius diei itinere distans. uiginti stadiorum ambitus eius fuit. intus mons continebatur ab ima ualle, quam Iesaias opimam uocat, ad summum uerticem habitatus. in supremo montis dorso erat regia, ex cuius arce usq; ad Ioppen semportum prospiciebatur. Ager circũ irriguus fontibus, & res ad uictum necessarias abũde suppetens. Herodes posteris temporibus bellis attritam ab Hyrcano, instauraut, & in gratiã Augusti Cæsaris Σεβαστὴν appellauit. Samaria urbs, quæ Sic à Syris obsessa legitur, infrà ab Assyrijs

& obsessa & occupata, oppugnata & expugnata traditur.

Factaq; est fames.) impleta maledictione, quam Moses rebellibus euenturam in Leuitico & Deuteronomio prædixerat.

Donec uenderetur caput asini.) Quod immundum animal erat ad cibum & ad sacrificium. Ad cibum quidem duplici nomine: uno quidem, quòd non ruminat: altero, quòd fissas ungulas non habet. ad sacrificium ut ineptus fuerit asinus, ex Mose patet. At uerò digni erant, ut asini capite uescerentur, qui per contumaciam lege diuina neglecta, asini stolidi & pernicacis animalis ingenium imitarentur, exuto agni miti & tractabili ingenio, quod Elisæus noster Ioannes his uerbis prædicat: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Is, ut tempore custoditi uerbi Dei suos alit ad conseruandam uitam æternam: ita eo neglecto, qui premuntur fame, de qua Amos uates meminit, asini carne carò empta uescuntur. Quæ caro stolidi illius pastoris caro est, quem Zacharias capite undecimo describit. Huius autem asini contumacis ad doctrinam cœlestem caro, infestante nos fame Euangelij, quanti constet, experti iam aliquot seculis sumus, & etiamnum magno nostro dolore experimur.

Octoginta argenteis.) Paraphrastes addit סלעין siclis argenteis: siclo cõtinente quatuor drachmas, eyn halben gulden.

Et quarta pars cabi.) Hanc uocem aliàs in sacris literis non reperias. Annotant interpretes, ut in Exodo capite decimosexto indicatum, cadum cõtinere quatuor לוגים, hoc est sextarios: sextarium autem tantum, quantum sex oua continent.

Stercoris columbarum.) Hoc materiæ, ex qua ignem pararent & fouerent, uice fuisse tradunt, quos nimium extra urbem ire lignatum per obsidionem non liceret. Videtur columbarum stercus, propter caloris quam habet uim, aptum esse carbonibus ex eo conficiendis: qua de re uideris apud scriptores rerum. Tanti emebatur, quod ex alui columbarum cauo egerebatur. Alij ingluuiem notari uolunt, nempe quinq; argenteis ea esse empta, propter frumenti grana in ea reperta. At ueri simile non est, in tanta annonæ caritate columbas frumento nutriri solitas. Israelitæ, qui spreuerant uerbum Dei, panem uitæ, stercora columbina in precio habere coacti sunt. Tempore famis, quæ pastore illo stulto depascente oues Ecclesiam infestat, stercora humanarum doctrinarum, cum meritis & iusticia operum, quam Apostolus pro stercore duxit, ut in precio sint, palàm est. Iosephus tradit, stercore columbino pro sale Samaritanos usos.

Qui ait, Non te saluet Dominus.) Comparatione maiorum & minorum utitur. Dominus tibi opem non fert, unde ego tibi feram? Fatetur penes Dominum facultatem iuuandi esse, sed ei subueniendi uoluntatem deesse. Hoccine erat afflictam mulierem consolari?

De areâ ne an de torculari.) Sed cur ô rex in tanta rerum penuria, antea ab area tua & torculari miseris opem non tulisti, ne liberos suos ederent? Abfuisse regi & fidem in Deum, & amorem in suos, narratio indicat.

Quid tibi uis.) Percunctatur, an omnino nihil suppetat, unde uiuat. At percunctandum in tanta necessitate non erat, sed laboranti summa penuria subueniendum: & consolatio à bonitate diuina afferenda, non ea in dubium ad pariendam desperationem uocanda. Sed quid aliud faceret rex, qui cum maioribus suis semel à diuino fœdere defecisset, in cuius uiolatione, interitus & desperatio tempore rerum difficilium? ut exemplo hic est rex Ioramus.

Quæ abscondit filium suum.) ut charum & dilectum. חבא enim uox amori & abscondi communis est.

Coximus ergo filium.) Horrendæ & diræ famis exemplum, sed non temerè editum: quod nimirum ut edendum esset, à Mose magno uate prædictum fuerat. Sic enim scriptum est in Leuitico: Ita ut comedatis carnem filiorum uestrorum & filiarum uestrarum. & in Deuteronomio: Et comedes fructum uteri tui. Idem postea accidit Hierosolymis, à Vespasiano obsessis. Qua de re uideris apud Iosephum in historia belli Iudaici. Seruata igitur diuina lex si sit, soboles in benedictione est: sin neglecta, in maledictione, ut mater liberos suos, quos arctissimè amat, uoret. Tantum malum est contemptio uerbi Dei, ut in nos omnia quæ in hac rerum uniuersitate sunt, grassentur, elementa mundi, & res ex his conflatæ, pariter amici & inimici, parentibus etiam in amoris pignora liberos ferrum stringentibus. Metuamus igitur seuerum scelerũ uindicem Deum, eum fide & amore colẽtes, uitæq; probitate exprimẽtes, ut tanta mala euitemus. Nam si à condito mundo

terrarum

terrarum orbem unquam calamitates infestarũt, his extremis temporibus patefactionis Antichristi & filij Dei Messiæ benedicti infestabunt: in quibus maledictiones, quas Israelitæ secundum carnem tulerunt, Ecclesia quoque tam misere ab Antichristo profanata feret. Huius enim, & eius omnibus temporibus quem habet status figuram illi prætulerunt, & præferunt, & in finem usque mundi præferent. Omnino tempora ruinæ ipsius terræ à uatibus prædicta, implenda erunt, immissa illa maxima afflictione, cuius Dominus noster uatum interpres apud Euangelistam his uerbis meminit: Et erit afflictio tanta, quanta non fuit à condito mundo. Quæ si typum & rerum quæ futuræ erant, umbram spectes, hæc obruit Iudæos in horribili illa Hierosolymorum uastatione, qua Romani urbem illam cum templo uastarunt, Iudæis, adempto eis sacerdotio & regno, in exilium abactis. Sin reducto uelo rem adumbratam consideras, occurrunt hæc nouissima tempora, quæ Dominus adducto ex Daniele mystico oraculo indicat, ubi ait: Cum uideritis abominationem desolationis, sedentem in loco sancto. Hanc abominationem autem incipimus iam agnoscere & cernere. Apostolus, submota umbra, in altera ad Thessalonicenses epistola clarè explicat.

Scidit uestimenta sua.) sed non cor per pœnitentiam, secus quàm uates Ioel admonet: Scindite cor, non uestimenta.

Et comedimus.) Vnde patet, quantam uim habeat maximorum periculorum metus: hoc omnem misericordiam exui. neque parentum, neque liberorum habentibus rationem, qui in periculo uersantur: in quo posthabentur omnia priuato uitæ amori. Tanta huius precia sunt, uno Dei amore eam uincente: ut argumento sunt sancti martyres, quorum his temporibus in Anglia & alijs Europæ partibus magnus prouentus est, ad confundendam matrem omnis confusionis Babylonem, & ad amplificandam gloriam Christi, mox halitu oris sui hanc bestiam confecturi.

Hæc faciat mihi Deus.) Qui per culpam suam tantorum malorum causa erat, eorum sanctum uatem Elisæum, cuius probitatem & innocentiam testatam habebat, autorem falso existimauit. Sic omnibus temporibus hypocrisis comparata est. Intueamur nostra tempora, in quibus regnante hypocritarum principe Antichristo, omnia quæ orbi terrarum ingruunt mala, in Euangelium & eius professores reijciuntur. Eodem falsi iudicij malo Iorami pater Achabus laborauit, qui his uerbis Eliam acerbè reprehendit: Tune es qui conturbas Israelem?

Si caput Elisæi.) Asini caput, quo uescerentur, caro emerant. Elisæi, cuius oraculis & precibus seruari poterant, caput perdere studuit rex stolidus, asino similior quàm homini. Quem suprà אב, id est patrem, qui saluti Israeiltarum consuleret, uocauit: iam eum tanquam tantorum malorum autorem, odio persequitur.

Elisæus autem sedebat domi suæ.) Vates sanctus in spe & silẽtio meditans salutem, domi sedet quietus: rex perturbatus per muros discurrit, spe & fide uacuus: dum necem insonti uati contra legem (Ne occidito) molitur. & quem patrem antea appellauit, eum iam contra legem (Parentes honorato) probro afficit. Adeò hypocrisis se continere nequit, quin se aliquando proferat & ostendat. Exemplo est Cain, Saulus, & alij.

Et senes.) senatores cum Eisæo uersantur, quos, ut apparet, neglexerat rex. Qua in re non regem, sed tyrannum præstitit. Siquidem tyranni sapientibus & probis uiris infesti esse solent, omnia non consilio, sed animi libidine gerentes.

Dixit ad senes.) præmonitus spiritu Dei, quo muniuntur sancti homines ad tyrannorum consilia euertẽda. Consilium inierat improbus rex necandi Elisæi uatis, tot miraculis clari: sed non in consilium adhibito, qui Elisæum statuerat seruare. Adeò uera est illa uatis Dauidis sententia: Dominus reprobat consilia principum.

Filius homicidæ.) Achabi, à quo insons Nabothus interfectus fuerat. Considerat sapiens uates locum illum: Ex improbis improbi nascuntur, ex probis probi. & ut uulgo dicitur: Mali corui malum ouum. A patre impio sceleratum Iorami animum amplificat. Nam ut laudi datur, ex probis parẽtibus nasci: ita uituperio, ab improbis.

Et non sinatis introire eum.) premẽdum eum esse in ostio. Vbi significatur, tum ui repellere licere, ad tuendam uitam. si ui, non iure agunt tyrãni. Exẽplo hic est Elisæus, qui stipatorẽ in ostio pressum ab ingressu arcendum esse iussit. In defensione igitur sui, uis ex sententia Christi cohibenda est, quæ quæritur studio uindictæ

à recto

à recto ſpiritus iudicio auerſo, non quæ iuri naturali contraria ſit. Niſi huic de repellenda à ceruicibus noſtris ui occurrat ius primæ tabulæ, cui uita & omnia noſtra poſthabenda ſunt, ut amplificetur nomen Dei in Chriſto per patientiam noſtram, omnia peccatum, mortem, infernum & eius poteſtatem per uictricem fidem ſuperantem.

Ecce enim ſonitus pedum Domini eius.) Regis Iorami, in quo impletur illud Salomonis: Cor regis in manu Domini. Nam is qui ſtatuerat per ſtipatorẽ caput præcidere Eliſæo: iam mutato conſilio, nõ amore Dei & Eliſæi, ſed ita impulſus decreto diuino, laboranti pro Eliſæo & ſanctis qui inter Iſraelitas erant, impediuit, ne conſilium ſanguinarium quod conceperat, perficeretur. Itaq; ſequitur:

Et ait.) Verba regis ſunt, ſubſecuti nunciũ.

Ecce tantum malum.) nos perdens & labefactans. Nam רעה uidetur à רוע, quod eſt conterere ac frangere, deriuatũ. Non dicit, à nobis eſt, id noſtra culpa nobis accidit, ut agnoſceret illud uatis Oſeæ: Perdidit te improbitas tua Iſrael. Verè tamẽ dixit, calamitates à Domino eſſe. Aliter autem ab hoc ſunt, aliter ab improbis. Hi illarum autores ſunt, quatenus eas culpa ſua cõtrahunt: ille, quatenus eaſdem ut iuſtus iudex immittit, quibus ſcelerati puniantur & pereãt, cum in uiam, ut ſeruentur, redire recuſant.

Quid amplius expectabo.) Niſi ut pereamus partim fame, partim hoſtili manu urbe expugnata, ad implendam maledictionem à Moſe nobis prædictam: Cadetis inter ruinas idolorũ ueſtrorum, & abominabitur uos animus meus, tantum ut rediga urbes ueſtras in ſolitudinem. Non dicit hic rex, Ora pro me & populo meo Deum, ut ſit nobis propitius. neq; orat exemplo Dauidis: Auerte faciem à peccatis meis, expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt. Alienus igitur fuit animus eius tũ à precatione, tum à ſpe. Quæ quoniam, niſi adeſt, precatio fide & ſpe conſtans nullum habet locum, ideo pro ארחיל Paraphraſtes reddit מה אצלי. Quid amplius à Domino precer? Quæ deſperabundi, & omnino in tanta afflictione animum deſpondentis uerba erant. Sed quid accidit, cum hoc modo omnia acciſa & deplorata uiderentur? Sequitur:

IN CAPVT VII.

AVdite uerbum Domini.) Narratur miraculum, per Eliſæum diuinum uatẽ editum: Horribilis fuga hoſtium, eos nemine perſequente, relictis à tergo equis, armis, quadrigis, auro & argento, atq; commeatu. Poſtremò admirabilis annonæ utilitas, famem quæ ſumma fuerat conſecuta, exponitur. Sed cum Deus tanto beneficio afficeret Iſraelitas, proſtratis hoſtibus, quid reſpexit? fœdus ſuũ, preces Eliſæi, reliquias ſanctas, & earum tempore tantæ afflictionis orationem in cœlum per nubes penetrantem reſpexit: miſericordia eius improborũ improbitatem. & regis falſam in Eliſæum intentãtis criminationem, ſuperante.

Modius ſimilæ.) Suprà, aſini caput octoginta argenteis uenditum legitur: hic ſatum ſimilæ uno uendi legitur. & tantum diſcrimen uictus unius diei ſpacio factum eſt.

In porta.) Portæ igitur & iudicijs & rebus uendendis emendiſq; deſtinatæ fuerunt.

Reſpondens unus de ducibus.) Horrendum diffidentiæ exemplum, cõtra legem tabulæ primæ editum: quo Deo potentiæ & honor detrahebatur, & oraculi per Eliſæum expoſiti fides imminuebatur! Trium uiri pectus, cuius conſilio rex nitebatur, tanta perfidia occupauit.

Super cuius manum.) Manus pro conſilio, opera & ſtudio. Alij ſimpliciter interpretantur, qui tradunt morem fuiſſe, ut regium corpus principum uirorum manibus incumberet: & Naamanem pro argumento adducunt, de quo ſuprà facta mentio eſt.

Cataractas.) Græcos ſequitur, qui habẽt καταῤῥάκτας, notato præcipiti, abrupto & eminenti loco, unde aqua cum ui & impetu delabatur in ſinum terræ. Hebræus feneſtras habet, quæ figuratè cœlo tribuũtur, quas aperiat Deus ad pluendum, & claudat ad negandam pluuiã. Similiter Ioſephus Græcis reddit, cui quoque pro feneſtris καταῤῥάκται placent.

Nunquid poterit eſſe quod loqueris.) Is princeps non perpendit, quæ Deus Iſraelitis in ſolitudine oſtendit, mannam de cœlo depluens, non illud Moſæ: Non ex ſolo pane uiuit homo, ſed ex omni uerbo quod egreditur ex ore Dei. Hoc uerbum efficere, ut paucis panibus multi nutriantur. Huius uerbi uim, quod eſt Meſſias Dominus noſter, Eliſæus agnouit: ſtultus regis ſtulti tertius à rege princeps in regno Iſraelitico, non agnouit. Quare uera eſt illa Apoſtoli ſententia: Non multi potentes, non multi claro genere nati, &c. Naaman Syrus præputiũ in carne geſſit, & circumciſionem in pectore declarauit. Is Iſraelita contrà oſtendit. Vnde cognoſcitur, ueros Iſraelitas non ex myſtico circumciſionis fœdere,

dere,ſed ex ſpiritu diuino æſtimandos,qui neque ad circumciſionem,neq; ad gentẽ, neq; ad ſexum alligetur.

Videbis oculis tuis.) *non animi, hoc eſt fidei,quibus carebat,ſed corporis oculis, ut eorum teſtimonio diffidentia tua Deo gloriam potentiæ detrahens, redarguatur mendacij, & Deus uerax comprobetur.*

Et inde non comedes.) *morti deſtinatus ob perfidiam. Similiter temporibus quibus electi cœleſti pane Meſsia, horribili uerbi Dei fame depulſa, ueſcentur: impij tantum beneficium uidere coguntur oculis conſciẽtiæ, nec tamen fruentur,ſed in ſua diffidentia morientur.*

Quatuor ergo uiri leproſi.) *per leproſos annunciatur ſalus à Domino Iſraelitis parata,quæ ſalus cernebatur in fuga Syrorum,ſoluta obſidione Samariæ, reſtituta annonæ uilitate. Eſt etiam obſidio, qua electorum Eccleſia obſidetur per ſuos hoſtes, mundum, & eius principẽ ſatanam, qui in exercitu ſuo tot dæmones & impios homines ſub ſuis ſignis militantes habet. Eſt item fames,qua obſeſſi premuntur. inter hos autem cum uerſentur ſui Eliſæi,oraculorũ Dei & precum ſpiritu armati, eis quoq; affulget ſalutare Dei numen, hoſtes ſæuos fugans, obſidione liberans:pane,qui de ſe dicit, Ego ſum panis uitæ, reddito. Sed quibus nuncijs ad tantam ſalutem annunciãdam utitur?Leproſis, hoc eſt,abiecto et contempto in mundo hominum genere utitur.de quibus Apoſtolus meminit: Nos ſumus περικαθάρματα mundi.Formas nimirum crucis gerẽtes,eius de quo uates Ieſaias his uerbis loquitur: Et nõ eſt forma ei,neq; decus. Hebræi interpretes hos leproſos, Giezi in ſeruum Eliſæi & eius liberos fuiſſe tradunt.*

Iuxta introitum portæ.) *De more enim leproſi extra urbem uerſabãtur ab hominum conſuetudine remoti,ut patet ex Leuitico cap.13.*

Quid hic eſſe uolumus.) *Exponitur conſilium leproſorum. In hac deliberatione,mala duo per comparationem proponuntur. Periculoſum quidem erat in hoſtiũ caſtra ſe cõferre: ſed periculoſius eis uidebatur fore, ſi ſe intra Samariæ muros reciperent,in qua certa per famẽ mors eſſet propoſita. Altero igitur malo uitato,alterũ eligitur.In qua conſultatione non quid honeſtum eſſet,ſed quid ad præſens utile uideretur, perſequũtur.Honeſtius enim fuiſſet apud Iſraelitas honeſtè mori, quàm ad hoſtes præputiatos turpiter transfugere. Atqui quamuis eſſent hoc modo cõparati leproſi,eis tamen Deus ad afferẽdum lætum nuncium Samaritanis,bene uſus eſt.*

Si pepercerit nobis.) *tam miſeris,quibus etiam hoſtis ſæpe miſericordiam tribuit.*

Sicut Dominus ſonitum audiri fecerat.) *Exẽplum ſtratagematis diuini, quo hoſtes non humanis armis & conſilio,ſed Dei,in fugam conuerſi legũtur. Hæc eſt cura,quam Deus in Iſraelitas ſuos gerit. de quo ſic uates loquitur: Non dormit,qui cuſtodit Iſraelem.*

Curruum & equorum.) *Sonitus quadrigarum,equorum & exercitus auditus eſt, qui ſuprà Eliſæo propè Dothaim in monte apparuit aduerſus Syros. Sonitus inquam editus per angelos, quibus Deus tanquam quadrigis, equitatu & exercitu militari aduerſus ſuorum hoſtes utitur.*

Gethæorum.) *Hebræus habet* גתים, *Græci* χετταίων. *Huius gentis fit mentio in Exodo capite uigeſimotertio.Ioſephus de inſularibus interpretatur.*

Fugerunt in tenebris.) *Hoſtes Iſraelitarum,ut filij tenebrarum, fugam in tenebris moliuntur:Iſraelitæ,ut filij lucis, in luce ſalutẽ ſuam conficiunt,in ea & per eam lucem quæ de ſe prædicat,Ego ſum lux mundi.*

Et equos.) *quibus confiderant,ſed fruſtrá. unde illud: Fallax equus ad ſalutẽ. uidit ſuprà Eliſæus equos,ſed qui uicerint equos Syrorum.*

Animas.) נפש *in loco pro uita & ſalute.Fuga ſaluti ſuæ conſuluiſſe, & uitam conſeruaſſe,cui omnia poſtponũtur. ut eſt apud Iobum:* רכל אשר לאיש יתן בעד נפשו.

Hæc dies boni nuncij eſt.)*Nota uox Euãgelij* בשורה *eſt. Tenuis typus in hoc Euangelio, quod Ioramo regi afferre leproſi uoluerũt, de fugatis Syris,& reſtituta annonæ uilitate cernitur. Res ipſa & expreſſa ueritas in Euangelio, quod legati Chriſti de ſuperato principe mundi & poteſtatibus tenebrarum annunciant, ſpectatur.De quo Euangelio & Euangeliſtis Ieſaias uates loquitur his uerbis:Quàm ſpecioſi ſunt pedes ſuper montes Euangelium annunciantium? Sed quale eſt illud Euangelium?Inibi ſequitur:Annunciantis pacem,dicẽtis Sioni,Rex tuus regnat. Annunciantis pacem aduerſus peccatum & mortem bonæ conſcientiæ. de qua pace his uerbis Apoſtolus diſſerit: Igitur fide iuſtificati, pacem habemus cum Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.Qui eſt rex Sionis cœleſtis, regnãs in electis per ſpiritũ regij ſacerdotij in iuſticia & uita, quam is diuinus ſpiritus deleta iniuſticia & morte fidem habentibus Chriſto affert.*

IN CAPVT VIII.

ELisæus autem locutus est.) Vaticinium Elisæi, de grauissima septem annorum fame narratur, & beneficium in mulierem Sunamitem, cuius filium precibus ex morte in uitã reuocauit, exponitur. In qua narratione primò typi mysticæ historiæ, deinde res ipsa adumbrata explicanda fuerit.

Ad mulierem.) Sunamitem, de qua suprà capite quarto facta mentio est.

Et peregrinare.) Euoluendus typus mysticæ peregrinationis. Quæ cuius peregrinationis tempore famis, de qua Amos uates meminit, umbram prætulerit, pijs non est obscurum. Nota enim est ex Apocalypsi Ioannis mulier in solitudinem abacta, draconeam persequente, quæ quã consolationem his postremis temporibus accipiat à suis Elisæis, nos illius mulieris filij experimur.

Vocabit enim Dominus famem.) Vocare, huic linguæ parare est. ideo Paraphrastes pro קרא reddit זמין De hac fame etiam Ioelem uaticinatum nonnulli uolunt.

Septem annis.) Tempore Eliæ uatis tres annos & sex mẽses clausum cœlum legimus. hic duplum tempus narratur, quo fames sub Elisæo duratura sit. Tempus expendant sapientes & docti spiritu homines.

Pro domo sua, & pro agris suis.) in terea dum peregrinaretur, ab alijs occupatis: ut unà cum falsa religione libido, fraudes, & omnia scelera regnant.

Rex loquebatur.) Diuina prouidentia hunc sermonem moderante, ad aperiendum aditum fœminæ regem interpellandi de domo & agris suis, ut sequitur.

Eunuchum unum.) Hebraicè סריס ab excisis testiculis, Latinè spado, Græcè εὐνοῦχος, sic dictus à nobilium matronarum cubiculis custodiendis. Soliti sunt enim reges in eum usum spadones alere. ueluti in libro Ester scriptũ est: סריסי המלך שמרי נשים. Dicat aliquis, cum nephas esset quempiam Israelitarum castrare, unde regibus Israelitarum eunuchi obtigerint. Apparet ex gentibus eos in eum usum euocatos, uut etiam ex Israelitis, si qui uel morbo aliquo euirati essent, uel sic nati sine uirilitate.

Restitue ei omnia.) Mulier quæ tempore famis in exilio, domo, agris, terræq; sacræ usu caruit, apud præputiatam gentẽ uersans, confecto famis & exilij tempore, ad suos & ad sua redijt. Euoluto typo sciagraphicæ narrationis, occurrit mulier Ecclesia, quæ iam filio Messia ex mortuis reuocato ad uitam, cuius famis tempore exul peregrinari cœperit ab hæreditate cœlesti, profanationis tempora per Antichristũ inuecta satis documento sunt. ut autem famis septennio trãsacto, hæc ad hæreditatem suam redeat, hæc nouissima reconciliationis & futuræ translationis nostri ad supernam hæreditatẽ tempora, redditio nobis pane uiuifico Christo, declarabunt. Horum temporum mentione prophetarũ oracula plena sunt. Quò referenda erũt, quæ Apostolus in Epistola ad Romanos admonet, & Ioannes in Apocalypsi. Atque Dominus noster Christus apud Euangelistas de nouissimorum temporum afflictionibus decurtandis propter electos, ne uniuersa caro intereat, meminit.

Et uniuersos reddítus agrorum.) Non solum agri, sed etiam fundi prouentus, dum abfuit, percepti, restituuntur. Quod beneficium in honestam matronam collocatum indicio est, quanti fiat à Domino hospitalitas, erga suos diuinos uates declarata. Hæc enim mulier quæ suprà hospitio liberaliter acceperat Elisæum, ad suam post exilium redijt hæreditatem. Submota umbra mysticæ hæreditatis in terra Chananæa, offert se hæreditas cœlestis, ad quam ut peregrinãs in hoc mundo per septenarium annorum sapientibus notum Ecclesia, ijs quos Deus amat, benefaciens cernat atq; adeat, ostendit Dominus apud Mathæum cap. 25.

Venit ergo Elisæus Damascum.) ut uncto in regem Hazaele, impleretur uaticinium Eliæ uatis, quod supra libro tertio cap. 18. expositũ est: Cum perueneris illuc, unges Hazaelem regem in Syros: & erit, quicunq; fugerit gladium Hazaelis, occidet eum Iehu: & quicunq; fugerit gladium Iehu, occidet eum Elisæus. Quæ ergo iussus est facere Elias per eius discipulum Elisæum, iam tandem perficiuntur.

Aegrotabat.) nõ casu ac temerè, sed certo Dei consilio. ut ei in regno Hazael durum flagellum Israelitarum futurus succederet, qui Eliæ, Elisæi, Michææ & Amos atq; cæterorũ uatum admonitionibus obsequi, ut in uiam redirent, recusarunt.

Venit uir Dei huc.) notus Syris per Naamanem, quem lepra liberarat. Nec alia miracula ab illo edita, latêre Syros potuerunt.

Et consule Dominum per eum.) Agnoscit primò Deum Israelitarum יהוה esse, deinde Elisæum eius uatem. Demum ex hoc uate responsa Domini uera peti, quæ nõ fallerẽt. Itaq;

rex

rex Syrorum à fœdere Dei alienus, ea agnouit in Eliſæo quæ Iſraelitarum rex cum ſuis non agnoſcebat, cum ad illum ſtipatorem mitteret, qui ſancto uati caput præcideret. Longè igitur maiore culpa rex Ioramus cũ ſuis obſtrictus fuit, quàm profanus rex Benadadus. Tanta fuit uitioſitas in populo Iſraelitico illo tempore, ut prophetæ audeant dicere, ab illo uitijs Sodomam ſuperatam.

De infirmitate.) morbum hunc ueriſimiliter tradit Ioſephus ex mœrore contractum, quem fuga attulerit, cum Benadadus intelligeret ſe non hoſtium manu, ſed Dei, ab Iſraelitis ſtantis, ui profligatum. Duo enim hæc mala, mœror & metus iudicij diuini, conſcientia arbitra quàm graues morbos creent, norunt qui hæc mala ſentiunt.

Et omnia bona Damaſci.) Hæc munera regia, quãta in exiſtimatione Eliſæus apud regem fuerit, declarant. Ex narratione non conſtat, acceperit Eliſæus munera, necne.

Filius tuus.) Appellatio blanda, qua Eliſæum patrem & Benadadum filium uocat, apta erat ad impetrandum reſponſum. Hinc intelligitur, patris & filij nomina latiſsimè patère. patris nomine parentes inuentores & autores alicuius rei, tum magiſtrum & doctorem dici: ut Elias ab Eliſæo uocatur pater, & diſcipuli prophetarum appellantur filij. gubernatores præterea & principes uiri, patres dicuntur. Sic tribuũ Iſraeliticarum principes & capita patres nominantur. Demum ſapientia & rerum peritia præſtantes & excellentes uiri, ut ſunt ſenes & conſiliarij, patris nomine ornantur: ueluti hic Eliſæus pater appellatur, & Benadadus filius, qui peteret ex Eliſæo tanquam diuino oraculorum Dei interprete reſponſum. Sed quid reſpõdit Eliſæus Azaeli? ſequitur:

Vade, dic ei, ſanaberis.) Nodus hic nectitur, qui niſi ſoluatur, pugnãtia & diſſentanea non ſine ſuſpicione mendacij locutus uideri poſſit Eliſæus. iubere enim dicere uicturum, quẽ moriturum ſcias, mendacij nota non caruerit. Abſit autem, ut Eliſæus diuinus uates uel pugnãtia, uel ullam mendacij ſpeciem præferentia dixiſſe exiſtimetur. Sed quid faciemus propoſitæ narrationi ac ſcriptioni? Et ſi ſcribitur negandi dictio לֹא, omnes tamen interpretes לוֹ affirmantẽ uocem legunt, in hanc ſententiam Eliſæi uerba interpretãtes: Vade renunciatum ei, ipſum omnino cõualiturum eſſe, quanquam oſtendit mihi Dominus moriturum. Sic etiam pro לֹא Paraphraſtes reddit לֵיהּ, Græci αὐτῷ, quos noſter interpres ſequitur. in qua ſententia etiam omnes Hebræi interpretes ſunt, qui dicũt, ſcribi quidem לֹא, ſed legi לוֹ. Hic igitur dicas, ſi ita legendum & exponendum erit, quomodo igitur liberabimus mendacij ſuſpicione prophetam Eliſæum? Qui לֹא negationem interpretantur, facilè liberabunt illum mendacio, qui iuſſerit Hazaeli ut iret renunciatũ Benadado, ipſum non uicturum. At hi quid faciẽt cæteris interpretibus, qui omnes uno ore ſecus interpretantur? Inter hos alij aliter hunc nodum ſecant. Nam alij dicunt, Eliſæum uoluiſſe dicere, uicturum Benadadum, & moriturum: uicturũ quidem ea uita, quæ altero ſeculo expectatur: moriturum autem ea morte, quæ in corporis ab animo ſeparatione cernitur. Alij uerò ſatis ſimpliciter aiunt, Eliſæum indicaſſe Benadadum non moriturum morbo præſenti, ſed alio caſu, morte uidelicet uiolenta quam ei Hazael eſſet per uim illaturus, ad inuadendũ regnum. Quæ interpretatio oſtendit, Eliſæum pugnantia non dixiſſe, qui diuerſa in ſuo oraculo ſpectarit, non idem.

Stetitq; cum eo.) ſtatuit uultum ſuum, quem ad latus conuerſum tanti ſper fixum teneret, dum à fletu ſe cohiberet. at cum eum cauere non poſſet, flere cœpit, ut ſequitur.

Quia ſcio quæ facturus ſis filijs.) Exponitur ratio fletus: in quo ſpectauit partim grauitatem uindictæ, partim nominis diuini contemerationem, qua id hoſtes eſſent contemeraturi. Augebat proculdubio dolorem Eliſæo, quòd uideret ſe à Deo miſſum ad Hazaelem ungendũ in regem, qui præputiatus & à fœdere Dei alienus, gentem inclyto circumciſionis fœdere cum Deo iunctam graui bello infeſtaret. De quo mẽtio ſequitur:

Ciuitates eorum munitas.) Diſtributione amplificandi gratia exponuntur mala, quæ bella apportare ſolent.

Te regem Syriæ fore.) Non igitur temerè Hazael rex creatus eſt, ſed nutu & arbitrio Dei. Qua hypotheſi ad theſim reuocata, apud Danielem is locus occurrit: Deus mutat tempora & ætates, transfert & conſtituit. Deinde intelligimus, Deum tyrannorum regno uti ad plectendos ſuos, cum obliti fœderis diuini deos alienos colunt, in omnia uitia prolapſi, cum maxima dehoneſtatione Dei ſui, cuius fœdus profitentur ore, & factis negant. Exemplo hic eſt Hazael, exemplo Aſſyrius, Babylonius, Græcus & Romanus. Demũ ex hac narratione cognoſcimus, Deum uelle etiam gentes ſcire, quòd regnant & imperia in orbe terrarum gerunt, opibus & potentia

tentia clari,id se non à dijs suis quos colunt,sed à Deo Israelitarum habere.ut id hic Elisæus,ad Hazaelem creandum in regẽ missus à Domino,declarat. Danielis ad Nabuchodonosorẽ orationẽ prætermitto. Cæterùm cum proprium opus Dei,misereri & benefacere sit: alienum uerò,plectere,punire & perdere: Elisæus fleuisse hic legitur,cum in mentem eius ueniret calamitatum, quibus per Hazaelem Deus Israelitas gentẽ suã affecturus erat.

Tulit stragulum.) In Exodo cap.28.uertitur מכבר cribrum.Samuelis lib. primo, cap. 19.כביר redditur cervical. hic pro stragulo ac lodice Paraphrastes habet גרבא.Græci retinẽt Hebræam uocem μαχβήρ. Interpretes quidã uolunt,ad refrigerandum calorem, madefactum aqua lodicem adhibitum. Addunt nonnulli, adhibitum, ut eum suffocaret.Iosephus tradit, Benadadum ab Hazaele laqueo strangulatũ,ut eo sublato regnum ex Elisæi oraculo occuparet.Regnã di enim cupiditate impulsi ambitiosi homines, ius omne contemnunt,in ore habentes hanc sceleratam uocem:

Nam si uiolandum est ius,regni gratia
Violandum est: in cæteris pietatem cole.

Græcè his uerbis Tragicus:

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν,τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν,τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Anno autem quinto Iorami.) Quærat aliquis, quomodo anno quinto Iorami,Achabi filij,regnare Ioramus filius Iosaphati cœperit: cum suprà legatur,Ioramum Ochoziæ fratri in regno successisse anno secundo Iorami, filij Iosaphati regis Iudææ? Supra quæstioni huic occursum est,cap.1.

Noluit Dominus disperdere Iudã.) suæ fidei ad seruandum, nõ scelerum eius tribus ad perdendum rationem habens. Qua in re bonitas diuina laudatur, ingratitudo rebellium damnatur.

Vt daret illi lucernam.) splendorẽ regni. Sed qui splendor regius in eius regis regno fulgeret,quem uates describunt,& noui fœderis scriptura celebrat. quod est splendidum Messiæ cœlestis Dauidis regnum. Quare Paraphrastes pro נר,reddit מלכו.

Cunctis diebus.) usq; ad Christum.sic enim uaticinatus est Iacobus: Non tolletur sceptrum Iudæ, donec ueniat Silo, qui est Christus Iesus,sospitator mundi benedictus.

Recessit Edom.) Ex oraculo Isaaci,quod in Genesi capite uicesimosexto exponitur: Vives in gladio,& fratri tuo seruies,tempusq; ueniet cũ excutias et soluas iugum eius de ceruicibus tuis. Sed quæ causa rebellionis fuit,ac defectionis? Paraphrastes, quòd legem Dei Iudæi uiolassent, in causã numerat:quæ hic narratur.Regna igitur conseruat pietas & æquitas, labefactat contrarium uitium.Itaq; Salomon dicit, חסר ואמת יצרו מלך וסעד בחסד כסאו.

Et constituet regem.) Idumæa antea à præfectis,quos Iudæi ei assignarãt, gubernata.

Styra.) Volunt interpretes צירה urbis Idumæorum nomen esse.

Et Lobna.) urbs uicina Idumæis,in tribu Iudæa sita,de qua apud Iosuã cap.15. uideris. Apparet hanc à Iudæis defecisse, propter falsum cultum Dei à Ioramo susceptum. Vrbs enim sacerdotalis fuit. quare legitur in Paralipomenis: Quia dereliquerat Dominum Deum patrum suorum. Videris libro secundo Paralipomenum, cap. 21.

In ciuitate Dauid.) sed nõ in sepulchris regis. Qua de re uideris in Paralipomenis loco iã citato.De morbo quo obijt,uideris in eodẽ libro.

Viginti duorum annorum erat.) In Paralipomenis libro altero capite 22. scriptũ est, Ochoziam quadragesimo secundo anno ætatis suæ,annũ unũ regnasse Hierosolymis. hic uerò, annos iam natum duos & uiginti.Sunt interpretes,qui in Paralipomenis numerari ætatis Ochosiæ annos minimè uolunt,sed annos quib.regnũ Amri patris Achabi floruit. hos fuisse quadraginta duos annos. Amri enim sex annos regnasse,Achabum uiginti duos: huius filium Ochoziã duos,& Ioramum fratrem eius duodecim.Ex his annis coniunctis quadraginta duos effici, quibus floruerit Amri regnũ, sub Ioramo euersum: iamito in Iudæos ab Ochoziæ filio Iorami, nepote Iosaphati regno.

Athalia filia Amri regis.) Suprà legimus,filiam Achabi fuisse:Filia Achabi erat uxor eius.Ne hoc mirator. Nam auus in sacris literis patris nomen obtinet, & nepotes in liberis numerantur.

IN CAPVT IX.

Elisæus autem propheta.) Is ut Hazaelem Damasci regem ex sententia Dei designauit, qui in crimina Israelitarum uindicaret:ita hic Iehu in regem Israelitarum creat, qui sceleros am familiam Achabi deleat. Hæc sanctorum uatum functio documento est, quanta eorũ dignitas sit,ex quorum oraculis regna oriantur & concidant,mundi fastus pereat, & excelsa eius deijciantur,humilibus elatis.

Et

Et tolle lenticulã olei.) *Non erat oleũ sacrũ ex tabernaculo Mosæo olim, & postea ex templo Salomonio depromi solitum, quo solum sacerdotes et reges Iudææ ungebantur: quæ tribus regno sacrata erat, non alia.*

In Ramoth Galaad.) *Iosephus tum à Syris occupatam tradit, & ad eam mortuo Benadado recuperandam, profectum Ioramũ. Alij interpretes, ab Israelitis tum illam habitatã uolunt, ut ab obitu Achabi ab eis recepta fuisset. Indicia sententiæ suæ confirmandæ ex litera colligunt. in frà enim legi: Si placet uobis, nemo ex urbe euadat, qui eam rem Iezabeli nunciatum eat.*

Hæc dicit Dominus.) *Dicas, Iudæam tribum destinatam regno à Domino, nõ aliam. mirum igitur uideri, quod hic Domini iussu legatur Iehu rex unctus Israelitarũ. Nõ iussus est Iehu regnare, quia placeret Domino regnũ illud, in quo diuinus cultus perageretur: sed ut à Iehu Achabi familia deleretur. Sicut etiã Domino Hazael tyrannus placuit ut rex crearetur, quo uteretur ad castigandum populũ suum: quamuis nec persona regis, nec tyrannis ei probaretur. Itaq; tales reges placent diuinæ iusticiæ, ut flagella & carnifices atq; furoris uirga, per quos de improbis iustũ supplicium sumat. Secus regnum Dauidis habet, & eius unctio. Itaq; in hoc regno lucernam splendoris regij seruat, in illo imperij lumen omne extinguit: ueluti documento est deleta Ieroboami, Baasæ, & Achabi familia.*

Et ulciscar sanguinem.) *clamantẽ ad me, cum Abelis sanguine, in cœlũ. Metuant sibi tyranni orbis terrarũ, miserabili exemplo hoc diuinæ iræ in impios edito perterrefacti.*

De manu Iezabel.) *cuius sanguinarius animus suprà expositus est. Hanc Iezabelẽ, quæ Iezabel inebrians se sanctorũ sanguine imitetur, declarat Babylon nobile scortũ, de quo Ioannes his uerbis in Apocalypsi sua mentionem facit: Et in ea sanguis prophetarum inuentus est. item: Quia iudicauit de meretrice, quæ corrupit terrã prostitutione sui, & uindicauit sanguinem seruorum suorum de manu eius.*

Perdamq; omnem domũ Achab.) *Horrendum iudicium Dei hic proponitur, quo funditùs impij cum familia sua excinduntur. Sic Cain cum genere suo deletus est diluuio. Hinc orta sententia illa est: Semen impiorum peribit. Cõtraria ratio iustorum est, de quibus idem uates: Iusti autem terram possidebunt.*

Iezabel quoq; comedent canes.) *Ex oraculo Eliæ uatis: Canes comedent Iezabel in agro Iezrael. A' canibus ut discerperetur Iezabel, digna fuit, quam non puduerit canina rabie in sanctos uates sæuire.*

Non erit qui sepeliat eam.) *magno dedecore eius. Cõmendat enim sepulturæ ius ipsa natura. Veluti apud tragicum uatem sepultura inter τὰ τίμια, id est inter honorifica, numeratur. Par fuit sepulturæ honore Iezabelem priuari, quæ iustos fundamentum terræ de terra tollere ausa sit. Igitur terra, quæ tantũ scelerum pondus sustinere non potuit, neq; Iezabelem impiam mulierem eorum autorem sustinuit in gremium suum recipere.*

Insanus iste.) *Qui Baalẽ colebant, diuinũ uatem insanũ & lymphatũ uocabãt. Hæc est sors sanctorum prophetarũ. Nam ut sapiẽtia Dei stultitiæ est mundo: ita qui diuinã sapientiã profitentur, stulti habentur, & insani. Huc pertinent ea quæ Apostolus in priore epistola ad Corinthios hac de re disserit. Hac ex re discimus, quantum intersit inter humanã & diuinã sapientiã, inter mundũ & cœlũ, inter eos q mundi huius spiritu ferũtur, & eos qui Dei. Præstat igitur cũ Elisæo & eius discipulis stultos haberi in mundo, quàm sapientes, ut cœlestis sapiẽtiæ particeps reddare. Firmũ enim est illud uatis de sapientia mundi: Perdam sapientiam sapientum.*

Festinauerunt.) *ut sunt homines ad res nouãdas ppensi. Hãc acceleratione Dei uindicis scelerũ, seueritas in instrumẽtis iræ suæ regebat.*

Et Ochosias rex Iudæ.) *officij gratia, qui ex Athalia sorore Iorami natus esset. Profectus est aũt in bellum, ut ibi cũ Ioramo à Iehu occideretur, ad eum casum & exitũ à Deo destinatus. Nam hi duo ut sanguine, ita etiã criminibus coniuncti erant. Cæterùm is Ochozias etiã Azarias appellatus est, ut patet ex Paralipomenis.*

Quæ pax.) *Firmum est illud: Non est pax impijs.*

Fornicationes.) *Notantur stupra cum dijs alienis, relicto marito Deo, cõmissa. Hæc Iezabel commisit, & alijs quoq; autor fuit ut committerent. De nostra Iezabele illud legimus, Babylon magna mater scortationum terræ.*

Et ueneficia eius.) *De nostra uenefica Iezabele: Et in ueneficijs eius errauerunt omnes gentes.*

Et fugiens.) *sed non effugiens eius manũ, de quo uates: Deus iustus iudex est. Cuius fatalia decreta sapienter Græcus uates firma & immutabilia, quæ nemo uincat, appellat: κῦρα μοῖρα κραταιά.*

In agro Naboth.) Attingitur ex lege talionis pœna.

Onus hoc leuauerit.) In משא et נשא onus, hoc est durius oraculum accipitur, quo alicui exitium obnunciatur. Et leuandi uerbum pro obnunciandi. Igitur Paraphrastes hic pro onere reddit prophetiam. Hebræus indicat, super Achabum graue onus, quo opprimeretur, leuatũ. Quæ fuit destinata clades, à uate Elia prædicta, qua sceIO lerata familia funditus periret.

Et pro sanguine filiorum eius.) Nõ legitur suprà, Filios Nabothi trucidatos. Aut ergo quod suprà proditum literis non est, hic traditur: aut trucidati dicuntur, quòd suo patrimonio essent spoliati: quòd perinde sit adimere unde uiuas, atq; uitam adimere.

Mageddo.) Hæ tres urbes, Mageddo, Ieraël, & Ibleam, sitæ in Manassensi tribu, uicinæ inter se fuerunt.

Sepelieruntq; eum.) Ratio exponitur 20 in Paralipomenis: Eo quòd esset filius Iosaphat, qui quæsierat Dominum toto corde suo.

Anno undecimo Iorami filij Achab.) Dices suprà legi, anno duodecimo Iorami, filij Achabi, inijsse regnũ Ochoziam. Interpretes Hebræi his uerbis locos in speciem diuersos conciliant: uiuente patre Ioramo cœpisse regnare Ochoziam, propter morbum quo graui et diuturno pater laborauit: ut id ex Paralipomenis patet. Annus igitur is undecimus Iorami filij A- 30 chabi fuit. Sequens aũt annus, duodecimus annus fuit, quo mortuo patre regnum pleno iure occupauit. Itaq; alterum annum suprà uenire in rationẽ, alterum hic tradunt.

Depinxit oculos suos.) Hæc Iezabel fucata & compta, quam fucatam Iezabelem repræsentet, indicat in Apocalypsi Ioannes. Iezabel compta deterrere Iehu à furore studuit: nostra Iezabel ut fuco, simulatione & hypocrisi fallere tentet, satis hodie manifestum est, sed om 40 nia frustra: nulla specie fallente eum qui renes & corda scrutatur.

Nũquid pax potest esse Zambri.) Ab exemplo miseri casus Zambri terrorem incutit Iehu, de quo casu uideris suprà, capite decimosexto libri tertij.

IN CAPVT X.

TOllite capita.) Crudelis in speciem petitio fuit: sed quæ facta sit ex sentẽtia Dei, 50 qua tota domus Achabi delenda erat. Qua clade confirmatur id quod in Exodo scriptum est: Parentum culpã in irrogãda pœna in tertiã & quartam usq; generationẽ persequitur. Deinde apparet, omnino sobolẽ etiã fuisse criminosam, ut ex criminosis natã, & pessimè educatã in cultu Baalim, quẽ Iezabel improba mulier sequebatur. Alioqui uerũ est illud: Filius parentũ improbitatẽ nõ luit. Demũ, quoniã regnũ ipsi Iehu confirmandũ erat in quartã usq; generationem, propter res ex sententia Dei gestas, non temerè è medio sublatis filijs Achabi, qui maiorum sanguinem superstites relicti ulcisci potuissent. Quò pertinet Græcorum illud prouerbium, (πατὴρ νήπιος ὃς πατρὸς κτείνας παῖδας καταλείπει

Quare Homerus in expetendis rebus esse duxit, cæsis parentibus superesse tanquam paternæ cædis ultores liberos:

ὣς ἀραβὸν μὴ παῖδα καταφθιμένοιο λιπέσθαι.

Iuxta introitum portæ.) Vt omnibus pateret, iustum supplicium de impia impij regis sobole sumptum esse. In portis enim iudicia exerceri solita sunt.

Et Dominus fecit.) me iusticiæ suæ instrumento usus. Indicatur his uerbis, Dominum ipsum esse qui de sontibus per ministros suos, ut iustus iudex, supplicia sumat, & insontes præmijs ornet. Neq; propterea is duas uoluntates contrarias habere dicetur, non sanè magis quàm sol habet contrarias caloris sui uires, quòd lutum indurat, & ceram liquefacit. Est una uoluntas in Deo qua omnia in omnib. agit: res subiectæ eius actioni diuersæ cum sint, aliter in alijs atq; alijs agit.

Et uniuersos optimates.) ut scelerum Achabi & Iezabelis conscios.

Et sacerdotes.) ut ministros idololatriæ, & hostes sanctorum uatũ, & autores eorum sanguinis fusi.

Ad cameram pastorum.) בית עקד casa pastoricia est, ab ouibus sic appellata, quæ inter tondendum ligari in casis solent. Nota enim uox עקד est.

Inuenit fratres Ochoziæ.) non casu, sed Dei consilio oblatos. Sicut etiam uoluntati & consilij diuini fuit, quòd Ochozias ad Ioramum uenit. Vt scriptum est lib. 2. Paralip. cap. 22. diuina uoluntate accidit, ut Ioramum Ochozias uiseret. Cæterùm qui leguntur hic fratres Ochoziæ fuisse, in Paralipomenis dicuntur filij fratrũ Ochoziæ. Sed mirum id nõ fuerit. Nã filios fratrum, nomine fratrum censeri, declarat illud de Lotho: Et Lot fratrem eius.

Ionadab filium Rechab.) Rechabitarum mentio fit apud Hieremiã uatem cap. 25. Hos

ex

ex familia ſoceri Moſæ fuiſſe, aliàs indicatum eſt. Nominati autem ſunt Rechabitæ, à Rechabo patre Ionadabi. Qui etiã Cinei appellati ſunt, ut ex primo Paralipomenon libro, capite ſecundo liquet, ubi ſic legitur: Hi ſunt Cinei orti ab Hamacho, autores ſtirpis Rechabitarum. Quàm chara fuerit hæc familia Deo, ex Hieremia conſtat: Pro eo q, obediſtis præcepto Ionadabi patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Non ſuccidetur de ſtirpe Ionadabi, filij Rechabi, qui duret in cõſpectu meo cunctis diebus.

Zelum meum.) Hoc eſt, ſtudium uindicandi dehoneſtationem nominis diuini in improbos. Is affectus in ſanctis pius affectus eſt: cui non parum conuenit cum ea affectione, quam Græci νέμεσιν, & Latini indignationem uocant, qua afficiuntur, q grauiter ferunt impiorum res proſperas eſſe: quibus q dolet, piorum & proborum hominum, præterquàm meriti ſunt, res in malo ſtatu eſſe. Sed maximè קנאה laudatus affectus eſt, cum ſapientia Dei regitur: quæ ſi abeſt, ſæpe pernicioſus is ζelus redditur: ut exemplo ſunt Phariſæi & ſcribæ, exemplo Paulus, exemplo noſtris ſeculis per imperitiam ζelo quodam pios inimicè perſequentes.

Et combuſſerunt.) Vanitas idoli oſtenditur, in puluerem igni redacti. Puluis igitur, quo nihil uanius eſt, quẽ quiuis uentus diſijciat ac diſſipet, dij profanarũ gentium ſunt. Lex ſeruatur à Iehu, de qua Deut. cap. 7 fit mentio: Simulachra eorũ comburite. Cæterùm Baali Achabus ad gratificandum Ieζabeli, regiq; Tyriorum & Sidoniorum templum in Samaria extruxit, ſacerdotio in eius cultum inſtituto.

Latrinas.) Aedes Baalis in latrinas redigitur, idq; merito idolorum fit, quæ in ſacris literis ſtercora appellãtur, גלולים nimirum à גלל, quod ſtercus eſt. Quid igitur aliud colunt, deos alienos colentes, q̃ fimũ, lutum, & ſtercora? Sic qui opum, potentiæ, ſapiẽtiæ & iuſticiæ humanæ idolum adorant, ſtercus & lutũ adorant. Qualibus adoratoribus paſtoris ſtulti regnum refertũ eſt, quorum dij alieni igni iudicabuntur. de quo illud dicitur: Deus ignis eſt.

Veruntamen à peccatis Ieroboã.) ne ad regnum Dauidis imperiũ eius deficeret. de qua cauſa uideris ſuprà lib. 3. cap. 12.

Quia ſtudioſe egiſti.) Ornatur præmio Iehu, ob res præclarè geſtas. Sed quo præmio ornatur? Præmio regni ad quartã uſq; ſtirpẽ conſeruandi exornatur. Vt ſolet legis & factorum iuſticia, qua claruit Iehu, tẽporarijs munerari præmijs. Quæ iuſticia quoniã eos in quibus uerſatur, minimè renouat, ut toto corde Dei nomẽ amplificẽt, legimus hic Iehu nõ integra mente Deũ coluiſſe, q uitulos aureos contra Moſæam legẽ adoraret. Si quis percũctetur hic, an ſine fide tã fortiter ſe geſſerit Iehu, ſacræ literæ gradus fidei diſtinguũt. Eſt enim fides, quæ puerili ætati legis pædagogiæ ſubiectæ cõgruit: eſt item, quæ adultiori cõpetit. illam format ſpiritus timoris, principiũ ſapiẽtiæ, in adminiſtrationẽ legis Moſæ cadens: hunc uerò ſpiritus adoptionis, in publicam Euangelij diſpenſationẽ incurrens, parat. Altera fides ex ſpiritu timoris Dei nata, in ijs etiã ſpectatur q apertiore cognitione Chriſti ad tempus carẽt. Vt exemplo ſunt Niniuitæ, Rachaba meretrix, Naaman Syrus, & ij de quibus Petrus loquitur: Nũc ſcio quòd in quauis gente, q timet ipſum, &c. Altera fides ea ſolum fides eſt, qua prælucente Chriſtus ſeruator agnoſcitur, & per eã ſpiritu ſacro nobis cõmunicato noui homines uetere exuto efficimur, non partim Deũ colentes cum Iehu, partim uitulos aureos adorãtes: ſed unũ patrẽ in filio Chriſto, ſpiritu & ueritate adorãtes. De hac fide loquitur Apoſtolus ad Galatas: Cõcluſi in eã fidẽ, quæ erat patefacienda. Altera uulgaris fuit in puerili ætate populo gubernato à lege. per alterum Chriſtus præſens exhibetur cum donis ſpiritus adoptionis: per alterũ ſpe præſumptus expectabatur, ea dona adminiſtrans quæ legis pædagogiæ cõgruebãt. quibus hic Iehu præditus fuiſſe legitur, fortiter in Baalem & eius miniſtros contemptam gloriam nominis diuini uindicans.

In quartam uſq; generationem.) Is numerus etiã in Achabi regno cernitur. in numerum quaternariũ ueniunt Amri, Achabus, Ochoſias & Ioramus. In Exodo legimus, Deum clemẽtia ſua uti in mille uſq; ætates erga probè ſe gerẽtes. ſed de qua probitate loquitur? De ea, qua Abrahamus, Moſes, Ioſua, Calebus & Dauid claruerunt, ſecuti integro pectore Deum, nõ cum Iehu in utrumq; latus claudicantes.

IN CAPVT XI.

Athalia uerò mater.) Horrendũ ambitionis exemplũ in Athalia nobis in hac narratione ſpectandũ proponitur. Ex his intelligimus, quæ mala ambitio afferat, et auaritia. Hæc duo uitia exitiales rerum publicarũ peſtes eſſe.

Interfecit omne ſemen regium.) à Ioſaphato propagatum. Exemplum horribilis crudelitatis in fœmina, quæ etiam nepotibus ſuis, hoc eſt liberis Ochoζiæ nõ pepercerit. Qua in imma-

immanitate sæuitiem Iezabelis matris imitata est, à qua & falsam religionem, & scelera quæ falsa religio parit, didicerat. Etenim solent liberi parentum suorum ingenia & mores una cum religione effingere atq; imitari. Exemplo est Cain soboles, Chananææ gẽtes, Sodomitæ & alij. Hæc sunt mala, quæ affinitas cum impijs contracta in honestas etiam familias importat. Cæterum quia Deus totam Achabi familiam delere statuerat, usus est ad eam rem Athaliæ crudelitate. Hic legitur semen regni, in Paralipomenis additur Iudæ.

Iosaba.) Sed unde hæc impulsa fuit, ut conseruaret sobolem hanc regiam? Impulsa à numine diuino fuit, ut seruaretur promissum illud: Nõ extinguam lucernã Dauidi. Quam re uidemus, quàm fidelis sit Dominus in præstandis promissis suis: & quam in eis præstandis rationem teneat, præstari nimirum ea tum maximè, cum omnia apparent accisa: & cum minimè spes est, fore ut præstentur, quo maius in credentibus fidei lumẽ eluceat, ex tenebris se ostendens, & spes maiorem uim suam in patientia rerum aduersarum ad amplificandam potentiam diuinam cum summa bonitate coniunctam declaret, dum cernitur ex tenebris lux & ex morte uita proferri. In hac chola sapientia piorum hominum, quæ crucis sapientia est uersatur, Satan Athaliam incitauit, quæ omnem stirpem regiam perimeret, ne ulla spes de Christo, quem sciebat ex Dauidis familia profecturum, superesset. Sed fallitur Satan, ut antea quoq; falsus fuit, cũ omnem marem Israeliticum in Aegypto perdere moliretur Christi odio, quem cognouerat ex Israelitis in mundũ hunc gignendum. Tantum odium Satan cum suis ministris dæmonibus & impijs in terra hominibus in Christum gerit. De quo odio uideris in Genesi capite tertio. & exemplo hic est Athalia cum sua matre Iezabele, quæ cuius Iezabelis hodie satis notæ figuram prætulerit, experiuntur sancti homines, propter Christi confessionem fuso sanguine clari.

De triclinio.) Quomodo is locus interpretandus sit, ex Paralipomenis discimus: Et reposuit eum in conclaui lectulorum. Itaq; infans non in regio cubiculo abscõditus fuit, sed in conclaui cubiculi, quod erat in templo, ubi Leuitæ cubare soliti sunt.

Eratq; cum ea sex annis.) Senarij & septenarij significatio non fuerit negligenda.

In domo Domini.) Athalia exemplo est, muliebri crudelitate per animi impotentiam superari omnem crudelitatem. Sed id etiam supra in Iezabele annotatum est. Profana exempla non recito. Itaq; ueteres uates, Furias nõ marium, sed fœminarum nomine describunt. Vt est apud Latinum uatem:

Continuò sonteis ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultãs, toruosq; sinistra
Intentans angues, uocat agmina sæua sororem.

Item apud Tragicum, πότνια δ' ἐς θεὰ.

Ioada pontifex.) maritus Iosabæ, filiæ Ioram regis Iudæorum. Dicas, In Numeris sub finem legem extare à Mose traditam, non licere quenquam in alterius tribum nubere. Verum id quidem est, si adierit hæreditatem paternam: sin secus, licere. Vsa est diuina prouidentia hoc matrimonio ad regiam conseruandam sobolem, ex stirpe Dauidis.

Centuriones.) Hi centuriones ex Leuitis accersiti sunt, quorum nomina in altero Paralipomenon libro recensentur. Hos centuriones, ut etiam Iosephus interpretatur, à Ioada ad primarios Iudææ tribus missos, quos Hierosolymam accerserent. Etenim uox שרים principes uiros significat, tropo ab arietibus sumpto. Hæc sententia confirmatur ex Paralipomenis, loco iam citato. Vbi legitur, missos centuriones, qui Iudæam obirent, & ex omnibus oppidis Leuitas Israeliticarum familiarum primarios uocarent. Qui igitur hic שרים, in Paralipomenis ראשים appellantur. Cæterum quæ munera Dauid Leuitis mandarit, in priore Paralipomenon libro cap. 23 narratur, uigintiquatuor millia delectos, qui templi curam gererent, qui magistratus & iudicum munus obirent sex millia, ianitores quatuor millia, qui Dominum musicis instrumẽtis laudarent quatuor millia.

Pepigitq; cum eis fœdus.) Primò cũ centurionib. quinq; ex Leuitis delectis, deinde cũ ijs quos illi oppidatim per Iudæam congregarunt, horumq; cum rege fœdus initum est. Sic enim in Paralipomenis annotatum est: Et in templo centuriones cum rege fœdus inierunt, de quo sequitur narratio.

Ostendit eis filium regis.) Quos in Paralipomenis sic admonitos à Ioada legimus: Ecce regis filium, ad quem regnũ pertinet, quemadmodũ promisit Dominus Dauidis posteris. Quæ admonitio à fide quam deberent regiæ stirpi, & regni legitimo hæredi, & ab ipsis oraculis promissionis diuinæ multum momenti & ponderis habuit ad animos Iudæorum conciliandos, & ad abalienandos eosdem ab Athalia, quæ regium semen

ſemen omne, quantũ in ipſa fuit, delere ſtuderat.

Et adiurans.) iureiurando obſtrictos, ne cõiurationem in Athaliã proderent, & imperata facerent, ad tuendam Dauidis ſobolem aduerſus improbæ mulieris furorem.

Iſte eſt ſermo.) Ferè ubiq; דבר interpretis noſtro ſermo eſt: cum ea uox Hebræis ſermo, conſilium & res ipſa atq; negocium conſilio conceptum, & ſermone explicatum notetur. Quale ſit ſacerdotis munus, hic oſtenditur: docere nimirum, quid faciendum ſit. quod munus regiã poteſtatem natura præcedit. Siquidem cõſilijs & doctrina atq; cognitione rerum adminiſtrandarum, regnum conſtat & conſeruatur. Quare Ioada ſacerdos hic docendo & admonendo quæ fieri oporteret, uiam ineundo à Ioada regno munijſſe legitur. Huc referenda ſunt quæ in Moſea lege de ſummi ſacerdotis officio traduntur. Neq; hic obſcuris typis præluditur ſacerdotio & regno Meſſiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ab utroq; & à Ioada & à Ioas rege hic adumbratur: Ioada eius ſacerdotium, Ioas regnũ præfigurante. Chriſtus enim quatenus ſacerdos eſt, docet, monet, precatur, & omnia quæ ad tuendum regnum in ſuos Iudæos, hoc eſt electos pertinent, præparat. Etenim is ſuos quoq; duces, centuriones, & ſtipatores armat. ſed quibus armis? armis ſanè nõ carnalibus, ſed ſpiritualibus: non terrenis, ſed cœleſtibus inſtruit. Quam armaturam & eis indutos duces & milites Apoſtolus ad Corinthios & Epheſios deſcribit. Et ut Ioada munere ſacerdotali præit regno, ita Chriſtus prius ſacerdotale munus cœpit obire, quàm regium. Nam in hoc mundo ſacrificando, docendo & precando prius ſacerdotio fungitur, ſe hoſtiam offerendo pro luẽdis peccatis mundi, quàm excitatus ex mortuis regnum cœleſte init.

Tertia pars ueſtrûm.) Singulis ſabbathis ſuis uicibus mutabantur miniſteria, alijs qui per ſuam hebdomadam munere defuncti erant, exeuntibus, alijs ſubeuntibus. De hac uiciſſitudine officiorum & miniſteriorum quæ à familijs ſacerdotalibus Aaronij generis uigintiquatuor gerebantur, ſubiectis eis ianitoribus & cantoribus, primo Paralipomenon libro capite uiceſimoquarto uideris. Vtroſque & introeuntes & exeuntes apud ſe, qui ad tuendum regem operam ſuam ponerent, retinuit. Eos autem qui ſabbatho ueniebant ad adminiſtrandum in templo, in tres partes, quæ in narratione ordine exponentur, diuiſit.

Ad portam Seyr.) Hanc portam interpretes orientalem templi portam eſſe uolunt, & eam hic uocari סור, in Paralipomenis סוּר, hoc eſt portam fundamenti.

Habitaculum ſcutariorum.) Hanc portam auſtralem templi fuiſſe portam tradunt, ad quam regij ſatellites uerſari ſoliti ſint, atque eam cuſtodiri iuſſam, ne qua per eam ab Athaliæ militibus ad regem fieret irruptio. Reducto uelo myſticæ narrationis, occurrit cura qua noſter Pontifex cœleſtis templi, quod eſt Eccleſia ſanctorum, portas cuſtodiri mandat, ne improba illa Athalia hodie ſatis nota in illud irrumpat, & ſacrum ſuum regnum uaſtet.

Septum templi.) Medium militum excubias agentium ordinem, quem uox סדרות notat. Cautum diligenter, ne quis in medium militũ ordinem irrumperet: de extraneis accipitur, quã non erant de ordine Leuitarum, regis cuſtodiam in templo agentium. De his in Paralipomenis in hunc modum ſcriptum eſt: Et circumuallabunt Leuitæ regem, & qui ingreſſus fuerit in templũ, interficietur. item: Nemo aũt ingredietur ædem Domini niſi ſacerdotes, & qui miniſtrant Leuitis. De uulgo igitur legimus in eodem loco: Vulgus in atrijs Domini erit.

Arma Dauid.) Arma Dauid dantur Leuitis, quibus uim impiæ Athaliæ coerceant. Itaq; ſacerdotium regno deſeruit docendo, precando, conſilia dando: arma à regno ſuppeditantur, quibus ſacerdotes armati uim & tyrannidem prohibeant. Sic coniunctus fuit Aaron cum Moſe, Abiathar ſacerdos cum Dauide, & hic Ioada cum nouo rege creando Ioas. Hic typus & imago, in ſacerdotio regio Meſſiæ ueritas cernitur: qui ſecundum ordinem Melchizedeci ſacerdos & & rex eſt, non terrenæ, ſed cœleſtis Hieroſolymæ. Expendendi hic fuerint typi Hieroſolymæ, templi, ſacerdotis Ioadæ, regis Ioas, Athaliæ hoſtis generis regij, & cultricis Baal, & ueræ religionis profanatricis. Cæterùm quantum ad arma Dauidis pertinet, quæ traduntur in templo Domini fuiſſe, in his clypei aurei fuerunt, quibus rex Syrorum Adar Ezer ſpoliatus, ſuprà lib. 2 cap. 8 traditur.

Altaris.) ſuffitorij, quod in ipſo templo erat.

Produxit filium regis.) ex templo in atrium.

Et teſtimonium.) עדות alij pro ueſtitu regali interpretantur, qui uoces עדה & עדי reſpiciunt. Paraphraſtes, ut noſter. Similiter Græci, τὸ μαρτύριον. Lex ſignificatur, quæ cur teſtimoniũ appelletur, ſuprà id in Moſe indi-

catum est. Cõmendatur aũt doctrina legis à sacerdote regi, ex sententia Mosæ, de qua his uerbis in Deuteronomio mentio fit: Cum autem sederit in solio regni sui, describat sibi Deuteronomium legis huius, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habeat secum, legatq; illud omnibus diebus uitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum. Vt sacerdotis summi caput corona in Exodo legitur exornatum, quæ sanctitatis corona appellatur: ita hic regi Ioas corona imponitur, ut intelligamus regnum sanctorum Israelitarum sacerdotalem, & sacerdotium regalẽ potestatem esse, atq; utramq; potestatem in Messia benedicto & in electis eius coniungi. Quò pertinet illud Petri: Vos estis regale sacerdotiũ, gens sancta. Corona capiti imposita, admonebat regem officij regij, quo fungeretur in uero Dei cultu & probitate ciuili tuenda: & figura quadã Christum regem repræsentabat, sessurum in sõlio spirituali & cœlesti. de quo his uerbis Lucas meminit: Eiq; dabit Dominus Deus solium Dauidis eius parentis, isq; in Iacobi familiam regnabit in æternum. Lex autem regi commendata est, ex qua disceret, quomodo regnaret, & imperium in suos gereret. Igitur in rege duo cernuntur, auctoritas potestatis regiæ, & sapiẽtiæ legis diuinæ lumen, quo prælucente sciat, quomodo se gerat, et sua omnia consilia & facta Deo probet, & ut suos suo imperio subiectos gubernet ad optimum regni statum conseruandum. Itaq; Salomon sapiẽter in Prouerbijs dicit: Oraculum habet rex in labijs, & os in iure crimen non admittit.

Vnxerunt.) Non oleo quo reges Israelitarum ungebantur, sed oleo sacro, ex sacrario allato, quod Moses cõcinnari iusserat ad ungendos sacerdotes. Sacerdotij enim & regni oleum idem non sine mystica notatione fuit. In Paralipomenis legitur: Vnxerunt eum Ioada & filij eius.

Audiuit autem Athalia.) Vbi hic legimus audisse Athaliam uocem currentis populi, in Paralipomenis legimus, audisse Athaliam uocem currentium & celebrantium regem, hac nimirum uoce: Viuat rex. Paraphrastes de strepitu ac plausu pedum interpretatur, qui intelligit & manibus & pedibus plausum datum nouo regi, quem perceperit Athalia. Athalia uidet mala sua, & bona eorum quos odiebat. Is est miser casus impiorum, quem imprecatur Dauid suis hostibus: Vt uideant qui oderunt me, & confundantur.

In templum Domini.) In atrium, in quo Ioas rex proclamabatur. Si quis percunctetur, cur ex mandato illo sacerdotis, qui intra septum introierit occidatur, Athalia occisa non fuerit: respondemus, permissam eam ingredi in atriũ per ordines armatorum, ut caperetur, & extra septum profana & funesta mulier in profano loco interimeretur.

Scidit uestimenta sua.) Deum dehonestatum arbitrans, se contempta. Intueare Iezabelis & Athaliæ nostræ indignationem, quam de sui contemptu & amplificatione Christi concipit. Hæc indignabundè, cum Christus rex à suis proclamatur, seditionem esse audet interpretari, clamans: Coniuratio coniuratio est. Veluti hodie pro seditiosis & rebellibus habentur, qui cum plausu publicè acclamant, Viuat rex Christus, & perdatur profanatrix templi & sacrorum eius impia Athalia, hoc est Babylon nobilis illa meretrix totum terrarum orbem errorum uino inebrians.

Non occidatur in templo Domini.) Sacrato expiationi peccatorum per sanguinem sacrarum uictimarum, nõ impiationi per sanguinem sceleratorum. Præterea templum quod paci sacratum erat, sanguinarias manus non ferebat. Nam Dauidi, quod multum fudisset sanguinem, ædem Domino ædificare non licuit: neq; ferri sonitus in eius extructione toleratus fuit.

Et interfecta est ibi.) Scelerata mulier lege talionis diuinæ interficitur. quæ regiam stirpem interfecerat, & regno improbè affectato spoliatur, quo legitimos hæredes spoliare studuit. Itaq; ueram comprobauit sententiam illam esse: Impius parat foueam in quam incidit. Iehu in regno Israelitarum Achabi familiam deleuit: Ioada pontifex Athaliã filiam Achabi, ne qua stirps impiorum superesset, in regno Iudæ extinxit.

Iuxta palatium.) In eo loco, quo ex templo in regiam domum aditus erat. A loco ipso augebatur dolor. ante regiam enim plenã splendore, superba regina interficitur. Meritum supplicium erat. Par siquidem fuit, ut ante regalem domum miserè periret, quæ in illa regios pueros trucidasset. Is miser tyrannidis exitus est.

Fœdus inter Dominũ & regem.) ut rex uellet cultum Dei uerum tueri, & contrarium Baalis falsum euertere, ex sentẽtia legis Mosæ, quæ fœderis diuini lex est: ut Moses in Exodo, cap. 24 tradit.

Et inter populum.) qui ex præscripto legis uiuere statueret, uero Dei cultu recepto, falso relicto.

Et inter regem & populum.) Primò igitur ritè administretur, regem & populum subie-

subiectum cum Deo, summo totius uniuersitatis rege, fœdere coniungi oportet, quod fidei & metus diuini fœdus est. Deinde, beneficio huius fœderis regem, & qui eius imperio parent, ita inter se compositos esse, ut rex recte imperet, populus imperio obediat. Quæ coniunctio cum seruatur, optimus reipublicæ status seruatur: sin minus, euertitur.

Templum Baal.) exemplo Iehu.

Et posuit sacerdos custodias.) Vt ex Paralipomenis patet, פקדות munera sunt & officia quæ pontifex Ioada curanda in sacra æde mandauit, ex præscripto legis Mosaicæ, quæq; antea Dauid Leuitis distribuerat. Apparet autem, ea uel deprauata, uel intermissa fuisse eo tempore, quo Baalis cultus Hierosolymis uiguit. Qua de re uideris in Paralipomenon libro altero.

Lætatus est omnis populus.) Quanto uerius gaudium percipitur ex nostræ Athaliæ satis notæ interitu, & in reparato templo, de quo illud, Vos templum Dei estis: quod tanto tempore à matre abominationum profanatum fuit? in regis item Christi cœlestis Dauidis restituto regno quanta lætitia oriatur, hodie incipimus sentire. Deus quoniam promiserat Dauidi, se ex eius lumbis suscitaturum Dauidem Messiã, ut id fieret, Ioas quamuis natus esset ex improbis parentibus, seruandus tamen fuit, ad capiendum regnum Dauidis, ne id totum deleta Dauidis regia sobole aboleseeret. Qua in re admirabilem Christi bonitatem cernere licet, quẽ ex improbis nasci non puduerit: ut Thamar, & hic Ioas, qui nepos Athaliæ & Ochoziæ filius fuit, documento sunt. Vnde nascitur uerũ illud electorum gaudium, Messiam scilicet euersa scelerata Athalia, suorum neq; peccatis neq; miseria deterritum regnare.

IN CAPVT XII.

ANno septimo.) cum sex annos regnasset impia Athalia. Senarius is, quem senarium, & septimus annus initi regni à Ioas, quem septimum regni Messiæ cœlestis Ioas annum præfigurarit, piè sapientibus ex prophetis & ex Ioannis Apocalypsi non ignotum est.

Docuit eum Ioada.) pro munere suo, quod in docẽdo uersatur. Vnde accidit, ut pontifex תמים & אורים in pectore gerere dicatur: quorum altero lumen ac claritas sapientiæ, altero integritas et innocentia ex lumine diuinæ sapientiæ nata significatur. Igitur Ioas sanctè se gessit, cũ sacerdotis doctrina uteretur: malè uerò ut Ioada doctore destitutus fuit. In Paralipomenis legimus, toto sacerdotis Ioadæ tempore bene rectèq; uixisse Ioas. Quocirca diuina ratione prouisum fuit, ut Hierosolyma sacerdotij & regni sedes esset, quod regnum nisi affulgeat sacerdotalis doctrinæ lumen, bene administrari nequeat. Expendenda hic nomina fuerint יהואש & יהוידע. Horũ altero uis diuini numinis ignea, quæ regia uis est: altero doctrina sapientiæ diuinæ, quam calleat sacerdos, significatur. Submoto uelo, uerè hæc in Pontifice & rege Messia spectantur.

Veruntamen excelsa.) Indultum aliquid ea in re duræ ceruicis populo. Sic legimus etiam à Salomone, Asa, & Iosaphato filio Asæ excelsa non sublata, cum ex lege Mosæa solum Hierosolymis rem diuinam fieri liceret. De qua lege uideris in Deuteronomio cap. 12.

Dixitq; Ioas ad sacerdotes.) Causa reficiendi templi in Paralipomenis explicatur: si quidem impia Athalia & filij eius, Domini templum corruperant, & sacra eius ad Baalis cultum transtulerant.

Omnem pecuniam sanctorum.) Domino in templi usum consecratam.

A' prætereuntibus.) בסת עבר, id est pecunia transeuntis. Recensitorũ pecunia erat sic appellata, quòd qui recensebantur, sub manu eius qui recensebat, transirent. Sic oues transire sub pastoris uirga dicuntur in Leuitico, decimationis tempore numerandæ. Hæc pecunia semissis sacri sicli erat, quem uiginti aut amplius annos natos singulis annis in tabernaculi usum Moses iusserat pendere. Atq; appellatur preciũ propitiatorium, quod qui pendebant, uitã suam à clade liberabant. Mystica ratio explicata est in Exodo, cap. 30.

Quæ affertur pro precio animæ.) Alterum genus pecuniæ, in ædis usum transferendæ, ostenditur. Hæc pro cuiusque capitis æstimatione pendebatur. de qua uideris in Leuitico, capite uicesimoseptimo: cum quis se uouisset Deo, licebat ei se certa pecunia redimere, æstimante sacerdote. Hanc quoque pecuniam iussit Ioas rex colligi, in instaurationem templi.

Et quam sponte & arbitrio.) Tertiũ genus pecuniæ, quam quisque sua sponte in templum inferebat.

Vt instaurent sarta tecta.) diruta templi reficerent ac repararent. Toleratur interpretis nostri uersio. Nam publica opera quæ

locantur ut integra præstentur, sarta tecta dicuntur. Itaque sartè pro integrè ponebant, autore Festo.

Non instauraverunt sacerdotes.) In Paralipomenis legimus, regem mandasse, ut celeriter negocium expedirent: sacerdotes autem non properasse. Quos ignauos & tardos nostri templi instauratores illi repræsentarint, hodie res ipsa satis declarat.

Nolite ergo amplius accipere.) Contrà quàm munus eorum erat. Taxantur auaritiæ, qui pecuniam in alium quàm in templi usum conuerterint. In Paralipomenis scriptum est: Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Leuitas inferre de Iuda & Hierosolyma pecuniam, quæ à Mose seruo Domini constituta est? Igitur exemplum hic sacerdotalis auaritiæ proponitur, cui ut in regno stulti pastoris sacrificuli sint obnoxij, satis constat. Qui cũ deberent templi Ecclesiæ docendo, consolando, uitiáq; reprehendendo ruinas sarcire, omnia auaricia & lucri cupiditate corrumpunt, precio de quo monet Apostolus (Precio empti estis) in suos usus conuerso, dum Christi prætextu rem suam facientes, eas opes accumulant, quæ regibus sint formidabiles. Hos noster cœlestis Ioas Christus Dominus meritò his quoq; uerbis redarguit: Quare diruta tẽpli mei non reficitis? cur tam negligentes in eis sarciendis estis?

Prohibitiq; sacerdotes.) Heb. cõsenserunt: Græci similiter, συνεφώνησαν.

Et posuit illud iuxta altare.) uictimarium. In Paralipomenis scriptũ est, edictũ per Iudæam & Hierosolymam, ut honorarium munus à Mose in solitudine Israelitis impositum afferretur. Ad aram quæ erat in atrio, locabatur arca ad oblatam pecuniam in ea reponendam.

Effundebantq;.) Numeratam pecuniam in loculos relatam, & subducta ratione operis curatoribus traditam, quam in fabros lignarios erogarent, inq; structores templum Domini reficientes, in cementarios, in lapidicidas, in ligna quadratosq; lapides comparandos.

Veruntamen non fiebant ex eadem pecunia.) Dicas, in Paralipomenis legi, pecuniam erogatã ad facienda sacra templi uasa. Nodus in Paralipomenis soluitur his uerbis: Verùm cum perfecissent omnia opera, detuleruut ad regem & Ioadam reliquam pecuniam, ex qua administratoria templi uasa fierent.

Pecuniam uerò pro delicto.) Apparet morem fuisse, ut qui uictimam noxalem offerre debebant, certam pro eo pecuniam penderent: qua à sacerdotibus ad emendam uictimã expensa, si quid superasset de pecunia, id non in templi usum reseruatum, sed sacerdotibus cessisse.

Tunc ascendit Azael.) Causa grauiter infestatæ Iudææ à Syris, exponitur in Paralipomenis: Post mortem Ioadæ, passum sibi diuinos honores tribui regem Ioas: deinde relicto patrio templo, lucis & statuis seruitum: & filium Ioadæ cum defectionem acriter redarguisset, & Iudæos ut ad uerum Dei cultum neglecto falso redirent, seuerè admonuisset, regis iussu à populo lapidibus obrutum ac interfectum. His criminibus commotum Deum iustum scelerum uindicem, Hazaelẽ Syrorum regem excitasse, per quem de sontibus pœnas expeteret. Rectè ergo suprà legitur, bene à Ioas rempublicam administratam fuisse, quãdiu Ioada doctore uteretur. Cæterum anni ætatis Ioadæ, qui hic reticentur, in Paralipomenis narrantur: mortuum hunc, natum centum triginta annos. Aetas equidem longa memoratur uiri qui metuisset Deum, & eum sanctè coluisset, ut uerè dixerit Salomon: Timor Domini apponit dies. In eodem Paralipomenon libro traditur, Ioadam pontificem in Dauidis urbe apud reges sepultum esse, ut ne mortuus quidem à regibus separatus sit, cuius cum uiueret, sacerdotium cum regno coniunctum fuisset.

Vt ascenderet in Hierusalem.) In Paralipomenis legimus, uertente anno, occiso Zacharia Ioadæ pontificis filio, à Syris omnes Iudæorum optimates interfectos, ut Ioas rex cum magno exercitu illos adortus fuisset, regem profligato ipsius exercitu multis affectum uulneribus relictum. hac autem clade debilitatum populum, quòd Deum suum deseruisset.

Omnia sanctificate.) quæ in alienos usus conuertere non liceret. Qua de re lex Mosæa in Leuitico extat. Quare noxa accumulatur noxa, dum sacra Deo pecunia profano hosti cedit: & ea pax redimitur, quæ ne amitteretur, pietate & fide elaborandum fuerat. At dignus erat Ioas, ut cum ignominia sua sacratos Deo thesauros perderet, qui sibi turpiter diuinos honores tribui permisisset. Sic Alexander magnus & Caius Caligula, ut ascripsissent sibi honorẽ Deo debitum, perierunt. Sic his postremis temporibus misere peribit filius perditus, qui audet superbè dicere: In cœlum ascendam, & supra astra cœli ponam solium meũ: supra omne numen Dei sese efferens.

Et percusserunt Ioas.) Qui interfecerat

rat Zachariam filium Ioadæ, optimè de se & rep. meriti, æqua talionis lege non ab hoste externo, sed à suis, qui in suos ingratus fuisset, occisus est. Vera igitur sentẽtia illa est: Delicto quo quisque deliquerit, eo puniri. Itaq; in Paralipomenis additur, conspiratum in Ioas propter cædem Zachariæ filij Ioadæ. Is est exitus desertorum cultus Dei, & hostium prophetarum atq; ingratorum tyrannorum. Sapienter Salomon de his sic loquitur: Ingratorum spes uelut hyberna glacies liquescet, & inutilis aquæ ritu diffluet. Zachariæ à Ioas trucidati Dominus noster apud Matthæum meminit, cap. 23. & uocatur filius Barachiæ. Itaq; Ioada sacerdos binominis fuit. Cæterùm in Paralipomenis legitur, Ioas regẽ in lecto interfectum, quem reliquissent Syri grauiter uulneratum.

In domo Mello.) Interpretum sententia, Bethmello proprium loci nomen est, sicut etiam Sillo: non domus Hierosolymis à Salomone ædificata, de qua suprà mentio fit.

Ifaschar.) qui hic Iozabar uocatur, in Paralipomenis Zebad uocatur, Semathæ Ammonitidis filius.

Filius Somer.) In Paralipomenis, filius Simrith Moabitidis.

In ciuitate Dauid.) In Paralipomenis additur: Sed non in sepulchris regum.

IN CAPVT XIII.

VIcesimotertio Ioas anno.) Dicat aliquis, potius scribendum fuisse, anno uicesimoprimo: ex quo suprà legitur, anno septimo Iehu inijsse Ioas regnum in Iudæos. Iehu autẽ uigintiocto annos regnasse traditur. Septem autem annis à uigintiocto detractis, uiginti unus remanserit. Nodus sic soluitur, ubi suprà legitur, anno septimo Iehu regnum inijsse Ioas: accipiendum id fuerit de initio anni septimi. Sex enim annos in templo uersatus est sub custodia sacerdotum, septimo anno ab eo inito imperio. Sex autẽ annis à uigintiocto subductis, quibus Iehu regnauit, residui erunt uiginti duo. Itaque quod hic scribitur de uicesimotertio anno, intelligendum id erit de principio uicesimitertij anni, non de expleto.

Deprecatus est autem.) fretus fœdere cum maioribus à Domino icto. Huius quanta uis sit, precatio Ioachazi nõ ualde probi regis documento est, uincente improborum uitia fœderis diuini constantia atq; fide, dum Dominus non spectat quid fœderati mereãtur, sed quid sua bonitate & clementia dignum sit. sicut infrà legimus: Et misertus est eorum, propter fœdus quod ei cũ Abrahamo & Isaaco & Iacobo intercedebat. Itaq; quod scribitur hic, Dominũ iratum Israelitis, quos dederat Siris: ira hæc nõ fuit prorsus repudiantis Israelitas, sed per afflictionem ad pœnitentiam & precationem sollicitantis, ad eos seruandos. qualis ira geritur in rebelles liberos à parentibus, quos castigant non ut perdant, sed seruent. Proinde aliter irascitur Deus in fœderis sui expertes, aliter in eos qui illo continentur. Hinc illa celebria promissa de reconciliatione Israelitarum apud uates extant: quibus per figurã & futurorum imaginem admonemur, electos quamlibet ad tempus uideantur sub pondere errorum & calamitatum reiecti à Deo, tandem tamen eos seruatũ iri. Intueamur superiora secula, ut his profanata sit, & etiamnum profanetur electorum Ecclesia ab Antichristo, & his postremis temporibus ea in gratiam cum Domino restituto Euangelio redeat.

Et exaudiuit eum.) humiliatum & dejectum, Domino in cœlo & in terra humilia respiciente, elata & sublimia aspernante. Legimus enim hic: Israelitarum calamitates respiciens, quibus à rege Syriæ atterebantur. Ordine ergo hæc fuerint hic perpendenda: peccatum, afflictio, precatio, Dei fœdus & salus: noxa ad calamitates & crucem salutarem, hac ad precationem, precatione ad salutẽ sub fœderis diuini fide aditum aperiente.

Saluatorem.) Is Ioas est, filius Ioachazi, de quo mox fiet mentio.

Siquidem & lucus.) Baalim solum cultu à Iehu euerso. Erant consitæ in usum idololatriæ & libidinis exercendæ arbores, quæ אשרות appellabantur.

In Samaria.) in qua uituli non erant: sed Dane & Bethele contra legem Mosæam serebantur luci, quæ in Exodo memoratur.

Quinquaginta equites.) ex tam numeroso, qui fuerat, populo.

Quasi puluerem tritura areæ.) Similitudo apta, ad significandam miseri populi attritionem. Sic Babylon apud Iesaiam Dei tritura appellatur, quæ in trituræ puluerem sit redigenda.

Anno tricesimoseptimo Ioas regis Iudæ.) Dicat aliquis, ex litera colligi annũ tricesimumnonum. In principio enim uicesimi tertij anni Ioas regis Iudæ, regnare Ioachazum cœpisse, regnasseq; septẽdecim annos: quos si uiginti duobus

ti duobus iam numeratis annis adiunxeris, triginta nouem anni exiſſent. Probabile nonnullis uidetur, Ioas, uiuente adhuc patre Ioachaz, cœpiſſe regnare, duobuſq; ante obitū eius annis imperaſſe. te id eſſe quod ſuprà legitur: Et dedit Dominus ſeruatorem Iſrael, qui fuit Ioas. Atq; hunc exhibitū uidetur ſtatim, ut opem diuinam precatus fuiſſet Ioachaz us aduerſus Syros. Nam litera habet: Et exaudiuit eū Dominus. Quomodo aūt potuiſſet ſcire exauditum ſe à Domino, niſi ipſe dum uiueret, præſentem ſalutem ſenſiſſet?

Eliſæus autem ægrotabat.) Eliſæus qui uiduæ puerum à mortuis excitauit, & cuius oſſium attactus mortuum uitæ reſtituit, ipſe mortuus hic legitur: ſed qui extremo die, per eū qui uitæ & mortis principatum tenet, ad uitam excitaretur, interim animo uera uita fruente in ciuitate Dei cœleſti.

Affer arcam & ſagittas.) Arcus & ſagittæ appoſita ſigna erant, quibus Eliſæus diuino ſpiritu inſtinctus, debellādos Syros ſignificaret. Militare enim inſtrumentum arcus eſt, qui in hoſtes intenditur ad ſeruandos eos pro quibus intēditur. Depoſita ſagittæ ſalutaris, quam hic ipſi Ioas regi oſtendit Eliſæus, umbra, occurrit Chriſtus illa pura & bene polita ſagitta, de qua Ieſaias capite quadrageſimonono meminit: Et poſuit me in ſagittam mundam & politam. qui uerbo Euangelij, inſtar ſagittæ ex pharetra prouidentiæ diuinæ celeriter emiſſo, meos ſeruem, hoſtibus profligatis. De cuius ſagittæ celeri iactu Dauid uates canit, Velociter currit ſermo eius, cōſcientias piorum penetrans, ad eas ſeruandas: & hoſtes confodiens, ad eos conficiendos. Eſt etiam hoſtiſuus arcus, pharetra & ſagittæ, de quibus Apoſtolus mentionem facit: Super omnia aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis omnia iacula mali illius ignita extinguere. Qui huius mali ſpiritu aguntur, arcum quoque ſuum habent, quem in probos intendant, de quo illud: Extendunt linguam ſuam uelut arcum mendacem. At uerò is ſatanæ & miniſtrorum eius arcus, frangitur ab arcu eius, de quo hic legimus ſub figura: Sagitta ſalutis Domini. & de eo Anna in primo ſacræ Regum hiſtoriæ libro: Arcus hoſtium ſuperatus eſt.

Sagitta ſalutis Domini.) uictrix ſagitta Syrorum, & liberatrix Iſraelitarum, quæ ſpiritu nimirum ſacro uatis Eliſæi gubernata ſit.

In Aphec.) ubi antea Achabus uictoriā de Syris reportauit, ueluti patet ex capite uiceſimo libri tertij.

Mortuus eſt Eliſæus.) in eo libro qui apud Hebræos uocatur סדר עולם, annotatur, decimo Ioas regis Iſraelitarum anno mortuum Eliſæum eſſe. unde colligitur, quot annos pauerit uates is diuinis oraculis Iſraelitas, annos uidelicet paulo plus quinquaginta. Nam decimonono Ioſaphati anno cœpit is ſe Iſraelitarum uatem profiteri, ad id munus ab Elia aſcriptus.

Qui cum tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit.) Myſterium reſurrectionis adumbratur. Etymum expendendum eſt in אלישע.

Et miſertus eſt Dominus eorum.) iam per Azaelem miſerè afflictorum, eis uelut mortuis uita reſtituta. quam uitæ reſtitutionem, eius qui ad tactum oſſium Eliſæi reuixit, figura prætulit.

IN CAPVT XIIII.

ANno ſecundo Ioas.) Nam anno triceſimo nono Ioas regis Iudææ, obijt Ioachaz us rex Iſrael, cui Ioas filius ſucceſſit. Si iam addideris triceſimonono anno ad explendos quadraginta annos, quos regnauit Ioas rex Iudææ, habebis alterum regni Ioas filij Ioachazi annum, in quo Amaſias regnum in Iudæos iniit.

Non ſicut Dauid.) cuius in Chriſto cor perfectum erat fidei iuſticia.

Cumq; obtinuiſſet regnum.) Prudētiæ regiæ exemplum. Ad uitandos publicos motus nō prius in ſontes animaduertit, quàm firmatum regnum ſibi cognoſceret.

Qui interfecerant regem.) iuſtè quidem, ſi Deum ultorem ſcelerum iuſtum ſpectes: iniuſtè autem, ſi ſeruos, quibus in dominum regem, quem trucidarent, nullum ius erat. Itaque qui gladium iniquè ſtrinxiſſent, gladio perierunt, ab eo qui uindicandæ necis parentis ius habebat.

Filios autem eorum qui occiderant.) A quibus nihil ſibi metueret. Alioquin nō ignorabat ſententiam illam: Stultus qui patre cæſo filijs pepercit. Aut ſi potuit ab eis metuere, potior tamē apud eum lex diuina fuit, Ne occidito: quàm cladis metus. Itaq; ſequitur:

Non morientur patres.) Si probi ſint: ſin improbi & autores improbitatis, accidit eis quod Eli accidit.

Pro filijs.) propter liberorum culpam. Tale ſonat in loco præpoſitio על.

Neq; filij.) ſi probi ſint: ſin improbi, ſtat ſententia illa: Perſequar improbitatem parentum in tertiam

in tertiam & quartam progeniem. Similiter illud Domini nostri apud Mathæum capite uicesimo quarto: Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti usq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem inter templum & aram occidistis. Dicat aliquis, Deum in diluuio pariter fontes & insontes infantes deleuisse. Aliàs argumento occursum est, cum diceremus Deum à lege Mosæa liberum esse, cui reges Israelitarum subiecti forẽt. ad hæc coram Domino infantes propter uitium originis, quod eos morti obnoxios reddit, insontes minime haberi, quod uitium in puniẽdo Deus respicit, iudex in terra uersans nõ item, cuius gladius in facinora palàm designata, quæ actualia uocant peccata, stringitur, in animorũ occultam labem & uitia ius nullum habens.

In peccato suo.) Dicas, omnes aliena culpa & improbitate improbos esse, neminẽ sua. Sic enim scriptũ est: Per inobedientiã unius hominis multi constituti fumus improbi. Alieno quidẽ uitio uitiati sumus, sed ita, ut uitio originis quisque tã quam suo dicatur uitiatus, quo corruptus nimirũ sua uoluntate in malum propensè inclinet, à bono auersus. Sicut ouis quæ contagione scabiem contraxit, sua scabie prurire dicitur: & uas aliquod fœtore corruptum, suo fœtore fœtere iudicatur. Idem iudicium est de aliena iusticia, quæ Messias est, secundus Adamus, de quo legimus: Ita per obedientiam unius, iusti constituentur multi. Huius quidem iusticia per fidem gratuita imputatione iusti efficimur, sed ita, ut nihilominus quisque suo iusticiæ à capite Christo per fidem communicato dono iustus dicatur, de quo illud: Multo magis ij qui exuperantiam gratiæ & doni iusticiæ accipiunt, per uitam regnabunt, autore uno Iesu Christo.

Percussit Edom.) qui subiugatus à Dauide, defecerat à Iudæis, regnante Ioramo filio Iosophati.

In ualle Salinarum.) Hæc uallis etiam aliis uictoriis de Idumæa partis clara est, ut patet ex capite secundi libri octauo.

Decem millia.) Aliorum decem millium de petra præcipitatorum hic non meminit, sed in Paralipomenis, his uerbis: Decem quoq; captiuorum millia Iudæi in rupis fastigium duxerunt, uiuosq; de rupe præcipitauerunt, atq; ita omnes illi dirupti sunt.

Et apprehendit petram.) Paraphrastes de arce petræ imposita interpretatur, quam cæperit. In Paralipomenis scriptũ est, Amasiam recensitis Iudæis & Beniamitis, inuenisse trecenta millia ad militiam, & ad tractandum scutũ & hastam idoneos: & ex Israelitis centũ millia centum argenti talentis conduxisse, qui secum contra rebelles Idumæos arma sumerent. sed hos, ut uenissent, dimissos, uatis cuiusdam impulsu, cum ut eos dimitteret, admonuisset. Hi autem ob eam dimissionem se contemptos interpretantes, cum stomacho in patriam reuersi sunt, non sine clade Iudæorum, qui Samariæ uicini erant. Quæ clades in causa fuisse uidetur, cur Amasias uictis Idumæis, bellum Israelitis inferre statuerit. Cuius belli sequitur narratio.

Tunc misit Amasias nuncios.) insolentior ex uictoria Idumæorum factus, & irritatus clade qua affectus ab Israelitis fuerat. Insolentiam eius declarat contemptus Dei patrij, & adoratio deorum Idumæorum, quos secum Hierosolymam attulerat, parta de illis uictoria. Sic enim legimus in Paralipomenis: At Amasias ex Idumæorum cæde reuersus, filiorum Seir deos quos attulerat, deos sibi constituit, eosq; adorans, eis adoleuit. cuius stulticiam sceleratam his uerbis uates redarguit: Cur eorũ deos quæris, qui suos à te nõ defenderũt? Et cum rex Amasias ei, nisi cessaret reprehendere, necem minaretur, fortiter is ita respondit: Scio inquam Dei consilium esse, perdere te, qui cum istud feceris, meum consilium non audis. Qua in re indurationis in Amasia exemplũ, & indurati miserrimus exitus ostenditur, qualis in Pharaone, Saulo, Achabo, & alijs multis ostẽsus fuit. Itaq; expensis talibus exemplis, hæc in animorum ad exitium induratione cernuntur: insolentia ex rebus prosperis nata, deorum alienorum contempto uero ueri Dei cultu amplexus, odium uerbi Dei & eorum qui id denunciant: demum exitiũ, quo ad amplificationem iusticiæ diuinæ intereunt.

Veni, & uideamus nos.) Phrasis Hebraica est, prouocantium ad prælium. sic etiam Germani loquuntur: **Komm/lasse vns ein ander ansehen.** Locutio inde sumpta est, quòd qui congrediuntur ad committendum prælium, uultus inter se obuertunt, ut contrà fugientes terga. Iosephus ueri similiter dicit, per literas Ioas Israelitarum regem admonitum ab Amasia, ut in posterum pareret cum suis Iudæorũ imperio, ut antea Dauidi & Salomoni paruissent: quod nisi facerent, bello ipsos ad parendum adacturum. Hinc incitatum Ioas, ut apologo qui sequitur, arrogantiam regis Amasiæ retundere ausus sit.

Carduus

Carduus Libani misit ad cedrũ.) In hoc apologo Ioas se cedrum uocat, ob amplitudinem & sublimitatem regni decem tribuum: Amasiam uerò carduum, ob imperij humilitatem et angustiam. & Libani feram suos milites, carduũ Amasiam proculcantes, appellat. Cæterùm cum duplex genus sit exemplorum, uerorum & fictorum: ficti generis, in quo continentur parabolæ & apologi, exemplum hic ex apologis affertur. Rarus usus est apologorum in sacris literis, frequens parabolarum. Nam hic adducitur apologus, & suprà in libro Iudicum ab Abimelecho, de uite & oliua.

Percutiens inualuisti.) Accommodatio apologi, continens reprehensionem superbiæ, & hortationem ad moderatum uictoriæ usum, æquitatis & periculorum locis instructã.

Et non acquieuit.) sed cur honesta & æqua admonenti non paruit? Ratio exponitur in Paralipomenis: Sed non paruit Amasias, Deo ita statuente, ut traderet eos in manus hostium, qui quæ fuissent deos Idumæorum. Vnde discimus, uoluntate diuina fieri, si impij non obtemperent æqua & honesta petentibus: Voluntate uidelicet non probante improborum in malo contumaciam, sed puniente uoluntate peccatum, per peccatum exitium afferens. Deinde discimus, quàm pernicios deorum alienorum cultus sit, ob quem fiat, ut reiectanei redditi, neq; ipsi sapiamus, neq; rectè sapientibus & admonentibus pareamus. sicut legimus hic Amasiam iusta & salutaria suadenti Ioas non acquieuisse, quòd statuisset eum Deus dedere hostibus, qui coluisset deos Idumæorum. Postremò intelligimus, in solo uero Dei cultu sapientiam, iusticiam, uitam & omnem salutem consistere. Etenim hoc solo Deus, sanctorum in Christo iusticia & uita, nobis iungitur.

In Bethsames.) De hac urbe uideris apud Iosuam capite decimoquinto. Hæc urbs in amplissimo campo propè Ciriathiarim sita, ut insignis fuit clade captæ à Palæstinis arcæ: ita eadem turpi Iudæorum cæde & fuga, captoq; rege Amasia famosa reddita est. Qua clade accidit, ut templũ auro suo spoliaretur ab Israelitarum rege, magno Iudæorum opprobrio.

A porta Ephraim.) quæ sic appellata est, quod à septentrione Iudææ & Beniamĩ sitibui uicinos Ephraimitas respiceret.

Portam anguli.) Ab angulo muri, in quo patebat, porta sic dicta est. Non solum ab Assyrijs & Babylonijs Hierosolyma ciuitas sancta Dauidis inuaditur, sed etiam ab Israelitis. Reducto uelo mysticæ historiæ, quæ inuadendæ & suo auro spoliandæ Hierosolymæ ciuitatis Dauidis Christi occurrant, pijs non est obscurum. Inspiciamus superiora & nostra secula. Ex hoc misero Amasiæ & Hierosolymæ casu discimus, quæ mala afferat bellum temerè susceptum: cædem, turpem fugam, uastationem & direptionem urbium, sacrorum profanationem, captiuitatem & exilia. Has calamitates, ita statuente diuina iusticia, expertus est Amasias, rebellis & desertor fœderis diuini.

Viginti quinq; annis.) Hebræus hic & Paralipomena quindecim annos habent.

Fugit in Lachis.) sed fruſtrà, eius necem meditante eo de quo uates Dauid canit: Deus iustus iudex: De Lachis urbe uideris apud Iosuam cap. 15. Huius mentio etiam fit apud Iesaiam, Hieremiam & Micheam.

Et ædificauit Ailath.) Hæc urbs, seruatis Hebrææ uocis uestigijs, à Græcis & Latinis Elana appellata est, quæ Hebraicè אילת & אילות uocatur. Atq; hæc urbs ditionis Idumæorũ fuit, ut patet ex libri tertij capite nono. Fuit autem primò à Dauide rege expugnata, ut suo imperio Idumæam subiecisset: deinde ut regnante Ioramo filio Iosaphati, defecisset à Iudæis, per Azariam regno Iudæo restituta est. Cæterùm in Paralipomenis prolixè res fortiter ab Azaria gestæ narrantur, Deo eius res fortunante, cũ ex legis præscripto uiueret. Narratur nempe, ab eo Palæstinos, Idumæos & Ammonitas tributarios factos: Hierosolymæ murum, quem Ioas Israelitarum rex destruxerat, instauratum, & populum ad militarem artem & disciplinam reuocatum: atque eo regnante uineas, hortos & agros bene cultos. Quæ præclara fortis & sapientis regis laus est.

Ipse restituit terminos Israel.) occupatos à Syris.

Ab Emath.) termino Septẽtrionali. De qua sita in tribu Naphthalia, uideris apud Iosuã capite decimonono.

Vsq; ad mare solitudinis.) Lacus Asphaltites est terminus australis.

Per seruum suum Ionam.) qui Niniuitas ad pœnitentiam uocauit. Is igitur uates uixit tempore Ieroboami, filij Ioas regis Israel.

Et quomodo restituit Damascũ.) Suprà libro secundo capite octauo legimus, quomodo Dauid Syriam fecerit tributariã, & præfectos Damasco imposuerit, quæ metropolis Syriæ

riæ fuit. Quæ interea cum defeciſſet, narratur ut ſit imperio Iſraelitarum reſtituta.

Viditq; eum Dominus.) oculis clementiæ. qui antea uultum ſeuerum & oculos inclementes eis oſtenderat.

Afflictionem.) non neq; regis, neq; populi probitatem, & meritorum dignitatem.

IN CAPVT XV.

ANno uiceſimoſeptimo Hieroboam.) Dicas, potuis ſcribendũ fuiſſe anno decimoquarto Hieroboami. Suprà enim legis, anno decimoquinto Amaſiæ regis Iudææ, Hieroboamũ iniiſſe regnum, cuius regnum durarit annos uiginti nouem: ab his aũt detractis 15 annis, remanere decimumquartum regni Hieroboami annum, in quo Amaſiæ filius Azarias cœperit regnare, non uiceſimoſeptimo. Interpretes uiginti ſeptem annos, quibus Iehu regnum finiendum erat, adhuc futuros numerãt, quos unà cum Hieroboamo regnarit Azarias. Regnaſſe enim Hieroboamum annos unũ & quadraginta, quos quindecim anni quibus cum Amaſia patre Azariæ, & uiginti ſeptẽ anni quos ab obitu Amaſiæ cum Azaria imperauit, efficiunt.

Fecitq; quod erat placitum,) Ab initio ciuili & legali probitate commendatus, ut pater eius Amaſias. De qua probitate uideris in Paralipomenis. cæterum tria nomina fuerunt huic regi, עזריהו עזריהו צבריהו.

Percuſsit auetm Dominus regẽ.) In Paralipomenis cauſa, cur affectus ſit lepra, exponitur. quòd is potentiam nactus, animo cœperit ſuperbire, contraq; Dominum peccare: qui in templum Domini ad ſuffiendum ingredi auſus ſit, ſacerdotis munere contra Moſæam legem ſibi uendicato. Qua de inſolentia ſuccẽſens ei Dominus, lepra eum affecit. Simile exemplũ in Maria ſorore Moſæ occurrit, quam lepra correptam legimus, ob probra quæ in Moſem fratrem prophetã Dei iecerat. Quæ exempla monent, quantum crimen ſit profanos homines ſacra munera, inuadere, diuinis hominibus eorũq; mõnitionibus contemptis: ut Oſias ſacerdotis admonitionem contempſit. Cæterum de lepra & eius origine, generibus, expiatione & ſignificatione myſtica, in Leuitico uideris capite tredecimo. Quantũ ad præſentẽ narrationẽ pertinet, ex ea diſcimus, adhibita dijudicatione ſpirituali, qua ſpiritualia ſpiritualiter dijudicãtur, ex cõtemptione ſpiritualis ſacerdotij Chriſti, ſpiritualem lepram induci, qua contaminati ex Dei & ſanctorum conſortio excluduntur: ut Oſeas hic corporatam lepram contempto ſacerdotio myſtico cõtraxit, per quã conſuetudine populi ſacri externa priuaretur.

In domo libera.) Sic eam domum uocatam uolunt, quòd libera eſſet à publicis regni negocijs. Sunt interpretes qui tradunt, quòd regnũ quædam ſeruitus ſit: ſic uſurpatam uocem notæ ſignificationis חפשית. Igitur quidam ex ueteribus dixit, regnum ſplendidã eſſe ſeruitutem. Simplex ſententia eſt, eum ſeparatim extra Hieroſolymam uerſatum, ad eam uitam ei parata domo. Quò ſpectat etiam Paraphraſtes. Quod autem ſeorſum iuſſus eſt habitare, id factum eſt ex præſcripto legis Moſææ, de qua uideris in Leuitico & in Numeris. In Paralipomenis additur, expulſum ex templo Domini, ſeorſum habitaſſe. Vbi ſuccidendi uerbum גזר uſurpatur: ſic eum exactum fuiſſe, ut omni ſpe præciſa, nunquam in ſacram ædem redierit. Itaq; qui templum profanaſſet, etiam ſacra ciuitate priuatus fuit à Pontifice ac ſummo ſacerdote. Cuius quanta fuerit poteſtas, ex hac narratione intelligimus, cui licuerit etiam in reges animaduertere. At quanto maior poteſtas eius ſacerdotij eſt, quo Chriſtus fungitur, quamq; ſuis ſacerdotibus Spiritu ſancto unctis tribuit his uerbis: Accipite ſpiritũ ſanctum: ſi quorum peccata remiſeritis, remiſſa: ſi quorum retinueritis, retenta erunt? Quæ peccatorum labes totum hominem inficiens, ut per lepram ſignificetur, aliàs id indicatum eſt. Qua lepra affectis ut neq; Hieroſolymis, neq; in ſacro Dei templo, quod ſanctorum Eccleſia eſt, locus ſit, declarat illud uatis: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis requieſcet in monte ſanctitatis tuæ? Qui ambulat ſyncerè, & iuſtum facit, & uerum ex corde loquitur. Qui uerò contrà affecti ſunt, cum Vſia, ut leproſi, ex tẽplo & ciuitate Dei eijciuntur. Si quis requirit legem, quæ doceat capitale eſſe munus ſacerdotale Aaroni & eius poſteris mandatum inuadere, lex in Numeris tradita occurrit, quæ ſic habet: Aaron uerò & filios eius inſtituas, ut cuſtodiant ſacerdotiũ ſuum: & alienus ſi acceſſerit, interficiatur.

Sepelieruntq; eum cum maioríb. ſuis.) non in ſepulchris maiorum, ſed in agro uicino: ueluti legimus in altero Paralipomenum libro, capite 26.

Anno triceſimooctauo Azariæ regis Iudæ.) Scrupulus hic affertur in hac anno rũ ſupputatione, q ſic habet. Hieroboamus regnauit unũ & quadraginta annos. Si igitur Azarias anno decimoquarto regni Hieroboami imperium iniit in Iudæos, nõ quadrageſimoprimo anno Hie-

roboami Zacharias regnare cœpit patre mortuo, sed quinquagesimo secundo. Nam triginta octo anni ad quatuordecim additi, quinquaginta duos efficiunt. Vndecim igitur anni supererunt, qui dubitationem de calculo annorum hic posito afferunt. Nonnulli Hebræi interpretes nodum sic soluunt: probabile uideri, hos undecim annos Zachariam una cum Hieroboamo patre regnasse, cum uiueret, & sex menses post eius obitum: idq; sibi non ex litera aperte, sed ex supputatione uideri. Sunt alij, qui ueri simile esse putant hos undecim annos, Azariam cum patre Amasia imperasse, cum is profugisset Lachis, ut se ab eorum ui tueretur, qui Hierosolymis aduersus ipsum conspirassent.

Ad quartam generationem.) Quæ sic supputatur: Ionathan successit Iehu patri, Ionathani Ioas, huic Hieroboamus, Hieroboamo Zacharias filius. Anni quibus singuli imperarũt, in narratione annotati sunt.

Sellum filius Iabes.) Accumulatis auctisq; Israelitarum flagitijs, subita tyrannorum mutatio facta est, dum miser populus in Assyriorum potestatem ueniret. Nam horum tyrannorum, qui sanguine & cæde ad imperium aspirarunt, intra paucos annos iugum gens exitio destinata tulit. Horum primus Sellum fuit: qui occiso Zacharia Ieroboami filio, mensem solum unum regnauit. huic successit Menahemus, qui Sellum interfecto, decẽ annos partum sanguine regnum obtinuit, non in Deo quidem, quem contempserat, sed in Phul regis Assyriorum auxilio spem collocans, quem mille talentis argenti, non quæ fiscus, sed optimates penderent, sibi ad firmandam tyrannidem deuinxerat. Quæ certa uia ad interitum decem tribuum erat, neglecto uidelicet præsidio diuino, ad profanarum gentium opem confugere, eosq; sacræ terræ sacris opibus demereri, quorum animus à Deo Israelitarum et eius fœdere abhorrebat. Secutus est Manahemum Phacehia filius, non plures quàm duos annos regno potitus, qui parem improbitati exitium uitæ habuit. Nam is cum quinquaginta Galaaditis eum comitantibus, à Phaca filio Romeliæ suo duce interfectus fuit. Qui qua probitate uiginti annos regnarit, documento est clades qua Israelitæ affecti sunt. Eo enim ad gubernacula regni sedente, rebellione aduersus Deum inualescente, Theglathphalassar Assyriorum rex tres ferè tribus Israeliticas partim citra, partim trans Iordanem sitas, in Assyrios transtulit. Qua in calamitate æquum Dei iudicium cernere licet. Etenim qui Domini cœli & terræ oraculis gubernari recusarunt, & præsidia sua in Assyrijs posuerunt, ut deserti Deo maiorum suorum ope, in Assyriorum potestatem uenirent par fuit. At uerò neque Phaca Romeliæ filius aliter obijt, quàm regnum adeptus est. Nam ut sanguine regnum suum more tyrannorum imbuit, ita sanguine id finiuit. Hunc enim Osea Elæ filius interficit, qui per uim Phacehiam Menahemi filium interfecerat. Vera igitur hæc Domini nostri sententia est, talionis diuinæ æquitatis lege nixa: Qua mensura metimini, eadem metientur uobis alij. Verùm enimuero hic nodus de annorum calculo nectitur. Legimus de Phaca, ut uigesimo anno Ioathanis Vziæ filij regis Iudæorum regnum occuparit, qui non uiginti, sed sedecim solum annos traditur regnasse. Ergo potius scribendum erat, Phacam anno quarto Achaz cœpisse regnare. Bipartita responsio affertur, qua nexus nodus soluitur. Vna est, Ionathanem quatuor annos regnasse, uiuente patre Vzia, cum hunc per lepram regia negocia obire non liceret. Atque hos quatuor annos in rationem hic uenire uolunt, infrà uerò solum sedecim, quos iam mortuo patre solus regnarit. Alij dicunt, sacram narrationem potius Iothamis mortui & sepulti uoluisse meminisse, quàm Achaz uiuentis, ut improbi & flagitiosi regis. Prior interpretatio satis simplex est, & probabilis.

Iuxta omnia quæ fecerat Vzias pater.) In Paralipomenis additur: Nisi quòd non est ingressus in templum Domini.

Portam domus Domini superiorem.) Interpretes de ea porta interpretantur, quæ inter sacram ædem & domum regiam erat. Res à rege hoc gestas alter Paralipomenum liber, & copiosius, exponit. Ab hoc arces & turres in nemoribus, & oppida in montanis Iudææ extructa esse: Ammonitas uictos, ut centum talenta argenti, & tritici decem cororum millia, & hordei totidem penderint.

In diebus illis.) Iam mortuo Iothamo, & regnante Achaz. In Paralipomenis legimus, magnum captiuorum numerum à Syris abactum, & id à Phaca Romeliæ filio: Iudæorum centum uiginti millia uno die interfecta, quòd deseruissent Dominum Deum maiorum suorum.

IN CAPVT XVI.

ACHAZ rex.) *Improbus filius pbo patri succedit in regno: ut intelligatur, probitatem non propagari sanguine, nec hæreditate ut opes obuenire, sed eius originis esse, de qua apud Ioannem mentio fit: Qui neque de sanguinibus, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt.*

Sicut Dauid.) *sed sicut Achabus, cuius genus et familiam per Athaliam attingebat: ideo sequitur,*

Transferens per ignem.) *idolo Molocho in ualle Benhinnon, ut in Paralipomenis additur: in qua ualle huiusmodi nefarius cultus peragi solitus fuit. Qui cultus quàm capitalis fuerit, Mosæa lex capite uicesimo Leuitici ostendit. Atqui non solum transferendi per ignem liberos, penes Ammonitas & Chananæos immanis superstitio fuit, sed etiam apud alias gentes, ut id in Mose annotatum est.*

In uia regum Israel.) *Horrendæ defectionis exemplum. In Paralipomenis legimus, statuas ab Achazo fusas Baali.*

Tunc ascendit Rasin rex Syriæ.) *euocatus à Deo cum rege Israel ad puniendã defectionem à patrio cultu. Syri qui ab Asa rege Iudæa cõtra Baasan Israelitarũ accersiti fuerant, iam cum rege Israel coniuncti, regnum Iudææ infestant. Hæc est uicissitudo, qua humanæ res temperantur, iudice æquo Deo.*

Non ualuerunt superare eam.) *defendente Hierosolymam Domino. Sed cur is eam tuitus est? Num propter Achaz? at is impius erat. Num propter ciues? at hi quoq; improbi fuerunt, sicut legimus in Paralipomenis: Eo quòd deseruissent Deum maiorum suorum. Cur igitur Deus Hierosolymam defendit, ut eam hostes capere non possent? Iesaias rationem reddit his uerbis: Protegã ciuitaẽt istã propter me et propter Dauid seruum meum. Si percũctere, quæ sit illa Hierosolyma tam grata, & quis seruus Dauid tam dilectus? Quod ad ciuitatem attinet, occurrit cœlestis Hierosolyma, ex ciuibus in cœlo designatis descripta, quam nobis terrena, umbra quadam & imagine repræsentauit, de qua Hierosolyma illud dicitur: Illa autem quæ sursum est Hierosolyma. Item: Sed accessistis ad Sion montem, & ad ciuitatem Dei uiuentis, Hierosolymam cœlestem. Sin uerò Dauidem seruum unicè dilectum Deo consideras, occurrit Messias benedictus, cœlestis ille Dauid, de quo apud Oseam: Et quærent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum. Is Dauid est ille, ex animo amatus Deo Dauid, de quo hoc datur testimonium: Is est filius meus dilectus, ipsum audite. Itaq; ubi hic legimus, Hierosolymam non potuisse expugnari à Rasine Syriæ rege, & à Phaca Israelitarũ rege: sub typo et figura mysticæ Hierosolymæ Hierosolyma cœlestis, sed in terra peregrinans, & inter hostes partim externos partim domesticos et internos uersans occurrit, quæ diuino præsidio munita sit propter Dauidem Christũ aduersus omnem hostium uim & tyrannidem: hoc est, aduersus Satanam, & Antichristum Satanæ filium, aduersus tyrãnos orbis terrarũ ministros Satanæ & Antichristi, aduersus peccatum & mortem, atq; infernum & eius æreas portas. Igitur Iesaias capite septimo consolaturus Hierosolymam, obsidentibus eam Syris & Israelitis, sic ait: Non stabit, non erit istud. Hoc est, consilium ineunt hostes, se regem Hierosolymis imposituros. hoc eorum consilium ratum non erit: sed Damascus erit metropolis regni Syriæ, non Hierosolyma: Samaria erit caput regni Israelitici, non Hierosolyma: quæ Dauidi parebit, non exteris regibus. Qui locus indicat, locum ex tricesimo septimo capite adductum, Protegã ciuitatem istam propter me & Dauid seruum meum, etiam in Achaz tempora conuenire: atq; reducto uelo, intelligi Hierosolymam electorum Dauidis Christi imperio gubernandã, non ab Antichristo subiugandam. Quò pertinet signum ab Iesaia in oraculo propositum: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, nomine Emmanuelem. Vbi explicatur, propter quem Dauidem Hierosolyma illa uera ab hostibus suis sit liberãda. Quærat hic aliquis, Si Achaz Syri uincere nõ potuerunt, cur igitur in Paralipomenis scriptum legimus, uicto Achaz magnum à Syris captiuorum numerum Damascum abactum? Maxima item clade traditur affectos Iudæos à rege Israelitarum Phaca, ab eo centum nimirum Iudæorum millia uno die interfecta, Achaz filio in ea pugna desiderato, cum Azricamo præfecto domus, & secundo à rege Elcana. Nos legimus Hierosolymam quidem obsessam fuisse, & exercitum clade affectum, sed urbem non expugnatam. Nam Hebræa uerba, oppugnationem & obsidionem significantia, non expugnationem, in narratione ponuntur. Itaque Iosephus scribit, Syro domum reuerso, Achaz bello à Phaca Israelitarum rege petitum, & in eo eam cladem acceptam, quæ iam memorata est.

Misit autem Achaz.) diffisus præsidio Dei, à cuius fide ad deos alienos defecerat. At ut hi seruare impium regem non potuerunt, ita ab Assyrio cuius opem implorauerat, miserè uexatus est: ut experiretur, quantum malum perfidia sit, & rebellio aduersus fœderis diuini legem: Deos alienos ne habeto. Nam in Paralipomenis legimus, à rege Assyriorum Theglatphalassare Achaz grauatũ, nõ leuatũ, frustra templi Domini & regijs optimatumq; facultatibus in illum collatis ad eum demerendum. Si quis perquirat causam, cur Dominus Assyrios in Achaz ad eũ cum suis plectendum immiserit, causam eius afflictionis exponit Iesaias his uerbis: Quoniam populus iste aquas Siloæ placidè fluentis respuit, propterea Dominus eis est adducturus aquam fluminis uehementem & abundantem, hoc est Assyriæ regem cum omni suo robore. Vbi per aquas fontis Siloæ leniter fluentis, à uate humile Dauidis regnum significatur. Mystica notatio in commentarijs in Iesaiam scriptis indicata est.

Seruus tuus & filius tuus.) Indigna Hierosolymæ sacræ ciuitatis, & Sionis montis Dei rege uox hæc fuit. Se seruum agnoscit Assyriæ regis Achaz, qui populum regebat ex hominum seruitute in libertatem uindicatũ: quiq; cum unum Dominum Deum Abrahami & Isaaci & Iacobi agnoscere deberet, cum animo suo minimè cogitabat, Abrahamum olim ex Assyriorum & Chaldæorum finibus à Domino eductũ, qui in Chananæa, in posteris suis, non Assyrium Dominum suũ & patrem fateretur esse, sed eum qui alicubi sic ait: Vocaui filium meum ex Aegypto. Igitur filium se Assyriorum regis nominat, magno opprobrio eius qui se patrem Israelitarum uocat: Nunquid non ipse pater tuus, qui possedit te? Itaque spurius fuit Achaz cum suis, ut iure eum quem hic patrem uocat, sæuum tyrannum expertus sit. Submota umbra, occurrunt tempora filij perditi ab Assyrijs & Babylonijs præfigurati. Vt is pater appelletur, & eo regnante ij patrum nomina gerant, qui pernicioſi hostes sunt ciuium cœlestis Hierosolymæ, clarum fieri hodie incipit.

Libera me.) Liberatoris nomine dignatur Assyrium, repudiato liberatore quem pater Dauid prædicat, Liberat pauperem à potente: & quem Darius Persarum rex unum liberatorem et saluatorem agnoscit, Ipse liberator est & saluator, Achaz rex Hierosolymæ non agnoscit. Is liberator Messias est, quem ut pro unico salutis salutari signo propositum Achaz us neglexerit, uates quoq; Iesaias capite septimo testatur.

Et cum collegisset argentum & aurum.) Auro Domino consecrato spoliat templum, quod Assyrio det. Reducto uelo, qui templum Ecclesiam spolient suo auro & argento, hoc est uerbo Dei, & eius fide, honoremq; diuinum tribuant spirituali Assyrio, Apostolus in altera epistola ad Thessalonicẽses capite secundo declarat.

Cyrenem.) קירה non est Cyrene Africæ urbs, sed Assyriæ, cuius etiam Amos uates meminit, cum ait: Et transferetur populus Cyrenem.

Cumq; uidisset altare Damasci.) Aram diuinam Domino sacram, mutat ara Damascena idolis destinata. Deos colit, qui suos cultores, quo minus perirent, liberare non potuerunt. O horrenda cæcitas. Qui aram sacrosanctam, quæ Christus est, aliena ara commutent, satis hodie manifestum est. In Paralipomenis scriptum est, ut Achaz us dijs Damasci rem diuinam fecerit, dicens, deos Syriæ Syris opem ferre: ideo se eis sacrificaturum, ut etiam ipse ab eis iuuetur.

Ad Vriam sacerdotem.) Qualis igitur rex fuit, talem se sacerdos exhibuit: hoc est, impium, & legis Mosææ oppressorem, non doctorem. Hoc exemplum admonet, sacerdotibus docendi uerbum Dei munere non fungentibus, omnia pessum iri, religionem, bonum ciuium statum, publicam honestatem & pacem. Is flagitiosus pontifex non solum impio regi non repugnauit turpia mandanti, sed etiam ei acquieuit, sub mota ab eo sacra ara, & in locum eius reposita profana. Qui hunc Vriam pontificem imitentur, pastor ille stultus, quem Zacharias uates describit, satis clarè docet. Qui fatuus pastor, Christum cœlestem aram loco mouens, alienum reponit: qui templi, quod Ecclesia est, ostium claudit: & templi profani, hoc est ecclesiæ Satanæ, ostium aperit: qui sapientiam & iusticiam Dei Messiam aspernatur, mundi sapientiam & iustitiam amplificat: qui Euangelij doctrinam cœlestem tollit, & humanas doctrinas ex terra, imò ex orco natas tradit: qui libertatem ueram aduersus peccatum, mortem atque mundum, eiusque principem Satanam tutam euertit, & miseram seruitutem peccati & mortis, quæ que sub iugo elementorum mundi degitur, inducit: qui cultum quo Deus pater in spiritu & ueritate colitur, euertit, eo instituto quo

Deus

Deus extra Christum in obseruatione personarum, locorum, temporũ & elementorum mundi, contra omnem rationem noui fœderis, colatur. Is item uæsanus pastor, imò uerius lupus, submoto cultu patris in Messia, dijs alienis atque eorum idolis argenteis, aureis, stanneis, plumbeis, ligneis et lapideis, omnia, urbes, uicos, pagos, agros & nemora replet. Spoliauit Vrias templũ Domini suo mariae lacu: Vrias alter templum Dei, quod sunt sancti, spoliat lacu & labro cœlesti, pleno uitalibus aquis spiritus sacri Euangelij, quibus pectora electorum aspersa à peccatis & ueteris naturæ miserè labefactæ uitijs mundantur, labro extructo quod fundit aquas de quibus Hieremias his uerbis mentionem facit: Duo mala facit populus meus, me dereliquit fontem aquæ uiuæ, et fodit cisternas quæ aquas continere nequeunt.

Et immolabat holocausta.) sacrificia dijs Syrorum & Assyriorum in aliena ara, specie cultus diuini facit, uictimam in holocaustum cremans, sertum offerens, sanguinem pacificorum ad aram spargens. Vt omnia in regno nostri Achaz, & sacerdotio pontificis Vriæ hypocritarum parentis specie quadam diuini cultus fiant, nos ipsi cernimus, dum Christi, Euangelij, sacramentorum, capitúmque fidei nomina in ore crepant, in corde autem Damasci & Assyriorum idola defixa colunt, atque in ipsis factis sese palàm, quales sunt, ostendunt.

Porrò altare æreum.) quod Salomon ex sententia Dei fecerat. De hac ara ut fuerit maior ea, quam legitur fecisse Bezaleel filius Vri, suprà ex altero Paralipomenum libro mentio facta est. Fortasse hic quærat aliquis, quid fecerit Achaz, cum noua sua ara, & diuina, Deo sacra, is diuinam submouit longius à templo, Damascena propius aquilonem uersus collocata.

Quod erat coram Domino.) ad ostium templi. Etenim legimus in Exodo, capite quadragesimo, uictimariam aram ad tabernaculi ingressum locatam fuisse.

Præcepit quoque rex Achaz.) Rex quem ex præscripto legis Mosææ à sacerdote expositæ uiuere conueniebat, ipse conuersa ratione sacerdoti, quid in Dei cultu agat, præscribit: contrà quàm Moses fieri præcipit in Deuteronomio capite decimoseptimo. secus item quàm iussus est Iosua agere, in Numeris, capite uicesimoseptimo: Et stabit ante Eleazarem sacerdotem, qui consulet pro eo oraculum Vrim coram Domino, & ex præscripto eius ipse unà cum omnibus Israelitis egredietur, & ingredietur.

Rescidit cælatas bases.) De basibus decem, quibus lauacra imposita erant, materia, magnitudine, forma, ornatu & usu, suprà in libro tertio, capite septimo uideris. In Paralipomenis legimus, ab Achazo uasa templi mutilata, & eius ostia clausa fuisse, atque in omnibus Hierosolymæ angulis & passim in Iudææ oppidis excelsa constituta, in quibus dijs alienis suffitus fieret.

Misach quoque.) Tapetum fuisse elegans & pretiosum tradunt, quod sabatho expandi solitum sit.

Et ingressum regis.) Aditum quoq; regium exteriorem in templũ præclusum, templũq; clausum metu regis Assyriorum. Submota figura & umbra rerum futurarum, cuius Assyrij metu templum satis notum claudatur, nos hodie intelligimus, & magno dolore nostro experimur. Sed non minore lætitia, quod aperiri incipit, afficimur.

Et sepultus est cum eis.) sed in eorum sepulchra non illatus, ut ex Paralipomenis patet.

IN CAPVT XVII.

ANno duodecimo Achaz regis Iuda.) Dicat aliquis, suprà legi Achaz regnum iniisse in Iudæos anno decimoseptimo Phacæ regis Israelitarum: cum autem is regnarit uiginti annos, & eo interfecto, Osea Elæ filius cœperit imperare, potius scribendum hic fuisse, anno quarto Achaz imperium in Israelitas ab Osea occupatum, quàm duodecimo. Respondent interpretes, Oseam filium Elæ eo tempore quo tributarius fuit regis Assyriæ, uerius seruiisse quàm regnasse. Tum igitur cœpisse imperio uti, cum excusso seruitutis iugo, tributum pendere Assyrijs desijsset. Quod accidit anno duodecimo regni Achaz. Libero ergo usus est regno nouem annos, usq; ad sextum Ezechiæ regis Iudææ annum.

Sed non sicut reges Israel.) Quem ferunt potestatem suis fecisse Hierosolymis sacrificandi, quod tum cultus uitulorum uastata Dane à Syris & Assyrijs sublatus esset: idq; ex superiori historia, quæ præcedenti capite explicatur, clarum esse dicunt.

Obsedit eum.) cum iam nouem annos regnasset, liber à tributaria seruitute. Malè igitur cessit Oseæ, quòd præsidium & opem ab Aegyptijs

ptijs postulasset, à quibus Israelitæ tam fortiter liberati fuissent, ut omnem opem tempore rerum aduersarum à Domino Deo suo peterent. Non secus etiam Iudæa tribus postea miserè afflicta est, quòd legatos in Aegyptũ postulatum eius auxilium misisset, ueluti his uerbis uates Iesaias capite tricesimo indicat: Erit uobis potentia Pharaonis ignominiæ, & fiducia umbræ Aegypti dedecori.

Qui eduxerat eos de terra Aegypti.) ut eum sanctè in Chananæa colerent, & à nullius ope quàm ipsius penderent. Exprobratur ingratitudo, et uiolationis fœderis diuini crimen: qui in eum deliquerint, à quo uindicati fuissent in libertatem, quem coniugali fide & amore obseruarent, non scelesto adulterio adulteros amarent. in חחק notatur, Israelitas Pharaonis tyrannide tanquam sub graui onere fuisse oppressos.

Coluerũt deos alienos.) cõtra legem, Deos alienos ne colito.] Si statum Ecclesiæ, quo hæc regnãte Antichristo fuit, cõsideres, nõ ne reducto uelo mystici Israelis, eadem exprobratio in illius Israelitas congruit: Peccarunt filij Israel in Dominum Deum suum, qui liberarat eos tempore Apostolorum ex Aegypto, domo seruitutis peccati & mortis, atq; potestatis tenebrarum, coluerunt deos alienos, &c.

Quas consumpserat.) Exprobratur cõtemptus iudicij diuini in Chananæos declarati, quo admoneri ne similia flagitia admitterent, recusarint. Ideo sequitur:

Et irritauerunt.) Is contemptus exprimitur in celandi & tegendi uerbo. Hos ita flagitia sua designasse, ut putarent ea latêre Deum omnia uidentẽ. De quo scelere in hunc modum conqueritur Ezechiel: Ciuitas repleta est peruerso iudicio, quia dicunt, Derelinquit Dominus terram, nec uidet: quæ uidelicet nos agimus. Similiter Isaias uates in tales suorum criminũ celatores inuehitur: Væ qui Dominum consilia profundè celant, & quorum facinora sunt in tenebris, & qui dicũt: Quis uidet, aut nouit? Grauissimũ hoc scelus est quo Deo sapientiæ et æquitatis, bonos detrahitur, quem multa lateant in hac rerũ natura, qui de sceleratis pœnas non expetat, & bonos curæ non habeat, quos præmijs exornet.

Et coluerunt immundicias.) Deos alienos גלולים, hoc est stercora, uocat.

Et testificatus est Dominus.) Exprobrat cõtumaciam, ne admonitos quidem toties à uatibus, perfidiã et rebellionem deposuisse. Testificari, in loco admonere & denunciare oracula diuina est, quæ de uoluntate Dei testificentur. unde lex & oracula uatum עדות, id est testimonia appellãtur, ut est apud prophetam: Testimonium tuum firmum. Et qui uerbum Domini exponunt ac interpretãtur, testes appellãtur. sicut legimus in Actis: Eritis mihi testes in omni Iudæa, id est, Euangelium docebitis, in quo meæ mortis & resurrectionis ad tribuendam iusticiam testimonia cõtinentur. Sic Iesaias capite 55. Christũ testem uocat: Ecce ego dabo uobis testem. sed qualem testem? Sequitur inibi, Ducem & præceptorem populis. Ducem quidem, qui eos regat sceptro spiritus Euangelij: præceptorem aũt, qui præcipiat non duram & asperã legem, quam nemo præstet, qualis Moses testis et præceptor fuit: sed legem Euangelij doceat, quæ fidem Christo habenti remissionem delictorum afferat, & diuinæ uoluntati parendi facultatem per spiritum sacrum subministret, inq; cordibus credentiũ testimonium non de irato Deo, quale lex format Mosæa, sed de placato & reconciliato Deo excitet, de quo & Apostolus his uerbis dicit: Qui spiritus in cordib. nostris testatur nos filios Dei esse. Tantum ualet uox testis apud Iesaiam. Ex hac igitur narratione discimus, quantũ discrimen in testificando sit inter uates ueteris fœderis, & apostolos atq; ministros noui fœderis: inter testẽ Mosem et Christũ, inter testimoniũ legis Mosææ & testimonium Euangelij, hoc est legis spiritus S. in cordibus filiorũ Dei scriptæ, de qua Hieremias & Ezechiel uates mentionem faciunt.

Prophetarum & uidentium.) Duo uocabula hic ponuntur uatibus congruentia: alterum נביא est, alterum חוזה. Altera uoce indicatur, ipsos uates uidere, hoc est cognitam tenere uoluntatem Dei, eorum animis oraculorum luce illustratis: altera, eosdẽ eloqui quæ uiderint. חוזה enim uidere est, et גזב. Vnde deducta uox נביא eloqui. Duo hæc inter se coniuncta sunt. Nam ueri uatis est, Domini mentem cernere, ac notam habere, & eam deinceps alijs ad docendum, monendum, terrendum & consolandum exponere. Sicut hic legimus diuinos uates fecisse: Reuertimini à uijs uestris pessimis.

Sed indurauerunt ceruicem suam.) Translatio à bobus sumpta est, detrectantibus contumaciter iugum. Sed quo in uitio contumacia hæc cernitur? Sequitur:

Et noluerunt obedire.) Fons omnium scelerũ ostẽditur, q est, uerbo Dei fidẽ nõ habere.

Secutiq; sunt uanitates.) Per contentionem

tionem amplificandi gratia, Deo & eius cultui, gentium deos, falsum cultum et flagitia quæ ex illo manant, opponit: hæc uanitatem, apto uerbo, uocans.

Et uanè egerunt.) Nam ut qui probè se gerunt, Deum in cordibus suis spirantem & agentem habent, replentem omnia bonitate: ita qui improbè se gerunt, Deo carentes, inanes sunt & uani.

Vniuersam militiam cœli.) Solem & lunam atque reliqua astra ut deos coluerunt, quæ Deus, ut homini, principi mundi, motu, calore & lumine inserurent, condiderat. O' peruersitas, operibus conditis diuinitatem iungere, quam adores: & eam unam in Deo conditore omnium sanctè non adorare & colere, qui solus natura Dominus sit & Deus, creatis rebus omnibus in uanis dijs reputatis, ut est apud Hieremiam: Et ipsi non dij, natura scilicet, sed ab ea uani, & ad iuuandum inanes atque inertes. in his numerantur angeli, diui, astra, sapientia & potentia humana, & omnia in quibus extra Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, & extra hunc ipsum et eius spiritum, fiducia collocatur.

Et diuinationibus.) contra legem in Leuitico expositam, ex qua monemur, turpe esse populo ad sacrũ Dei fœdus selecto, ex augurijs, auspicijs, dæmonũ responsis, sortib. & ex euocatis mortuorum animis, contemptis responsis Dei, oracula sciscitari. Israelitis licebat ex Vrim & Thumim põtificis, ex somnijs, & ex uatibus oracula percũctari. nobis in administratione noui fœderis propositũ est propitiatoriũ Iesus Christus, ex quo uno liceat consilia rerum gerendarum et omnem salutis comparandæ rationem petere: & qui aliunde petunt responsa & oracula, in eam reprehensionem incidunt, in quam hic incidisse Israelitæ leguntur. Sic enim pater de hoc oraculari propitiatorio testificatur: Ipsum audite. Cæterum in נחש קסמים omnis prohibita diuinatio, ex quacunq; re et quoquo modo instituta, significatur. De bipartito diuinandi genere, probato & reprobato, deq; utriusq; partibus & formis, in Leuitico meminimus.

Et tradiderunt se.) Significantius quiddã in Hebræo uerbo exprimitur, eos nimirum se uendidisse, ut mancipia scelerum essent, qui ex Aegypto emancipati fuissent, non ut criminum mancipia, sed domini forent. Vt Apostolus hoc uerbo in epistola ad Romanos utatur, satis patet.

Abstulit eos.) è sacra terra, ut sacrorum oraculorum & ueri Dei cultus sede, non falsi.

A' facie sua.) quæ probos in oculis ferat, non improbos. Itaq; qui in flagitijs committendis oculos & uultum Domini reueriti non sunt, à uultu Dei submouentur, ut quem plenum gratia et beneuolentia in Christo uenerari recusassent, eum ira commotum & concitatum æqua talione sentirent.

Et habitauerunt in urbibus eius.) Israelitæ ex terra sua eiciũtur ob perfidiam, qua à Deo suo defecerunt, quem ipsorum maiores coluissent: gentes profanæ à diuino fœdere alieni in eam recipiuntur, sub typo & figura uocandarum ad salutem tempore Messiæ gentium, repudiatis Israelitis. De qua uocatione Moses uaticinatus fuerat: In gente stulta irritabo uos.

Non timebant Dominum.) eum nõ colentes, quæ nimirum eius colendi rationem non tenerent: non ferendi tamen in sacra terra, nisi timerent. Ideo sequitur:

Immisit in eos Dominus.) Feras esse ministras ultionis diuinæ, ex Leuitico patet: cuius exemplum hic editum legimus, & suprà in uate Iudæo à leone interfecto, quòd Dei monitis non paruisset. de quo uideris superiori libro, capite trẽdecimo.

Vnum de sacerdotib.) ut peritis legis.

Dei terræ.) Aliam terram alium Deum habere, stultæ gentes cogitarunt, non quòd nescirent unum esse Deum omnium conditorem, cum id eas naturalis ratio doceret, argumẽtis ex mundo hoc tam sapienter fabricato conuictæ. At uerò uitio deprauatæ naturæ superati, hunc unum Deum pro dignitate non amplificantes, gloriam eius per imaginem non solum ad mortalis hominis, uerùm etiam ad uolatilium & quadrupedum & reptilium similitudinem effinxerunt. Atque hoc ipsum est quod hic legimus, gentes in sacram terram ex Assyrijs & Babylonij translatas, coluisse & Dominũ et deos suos: Dominum quidem Deum Israelitarum metuentes, hoc est colentes ex præscripta quadam ratione, ex Mose mutuata, quam doceret sacerdos Israelita: sed hac non contenti, suam quoque quam didicissent, cuiq; assueuissent, religionem persequentes. Quæ eum alia apud alias esset, quæq; gens hic suum Deum sibi fecisse legitur.

Et docebat eos qũo colerẽt Deũ.) ex præscripto ceremoniarum à Mose traditarũ. Verisimile etiam est, has gentes circumcisionem admisisse, propter quam ut partem iusticiæ legis, Deus eis pepercerit, ne eas feræ cõficerent. firmũ enim

enim est illud: Qui fecerit ea, uiuet in eis.

Vsq; in præsentem diem.) Variant interpretes: alijs interpretantibus, de his iam memoratis gentibus: alijs, de Israelitis, qui etiam tum seuere puniti in uiam non redierint, timentes Dominum. Ad hanc sententiam, quæ sequuntur, congruunt.

IN CAPVT XVII.

Anno tertio Oseæ filij Ela.) rebellionis aduersus Assyrium. Is ultimus rex Israelitarum fuit.

Ezechias filius Achaz.) Narratur Ezechiæ genus, uita, & res gestæ. In his rerum typi præformati sunt, quas Christus cœlestis Ezechias in Ecclesia Israelitarum in cœlo scriptorum, contra spiritualem Assyrium Antichristum, perditũ Satanæ filium gesturus erat. Itaq; in hac admirabili historia utriusque res gestæ, & Ezechiæ & Assyrij Senacheribi accuratè pensitandæ fuerint, deinde typi in utrusq; factis considerandi: in altero Christi & Ecclesiæ electorum, in altero Antichristi & eius membrorum. Nam ad hanc Christi & Ecclesiæ, aduersarij & eius membrorum summam, omnia in mystica historia & abditis Prophetarum oraculis referuntur. Et quod ad hanc historiam attinet, hic explicatam de Ezechia & Assyrio, in ea nõ exigua pars conionum oracularium Iesaiæ uatis, ut suis locis monebimus, continetur.

Filia Zachariæ.) Quis ille fuerit Zacharias, incertum est. Sunt qui de Zacharia sancto uiro, Ioadæ sancti pontificis filio, à Ioas interfecto, interpretantur. At uerò de hoc ut accipiatur, obstant anni qui à Ioas regno ad Achaz fluxerunt, quos facile licebit supputare, annis Ioas, Amasiæ, Azariæ & Ionathanis usq; ad Achazum enumeratis. Alij uerò filiam Zachariæ ultimi regis Israel de genere Iehu, hanc Ezechiæ matrem fuisse tradunt. At hoc quia incertum est, relinquamus.

Confregítq; serpentem.) à Mose Dei iussu erectũ, qui Messiæ in solitudine huius mundi erigendi ad lethales morsus serpentis satanæ sanandos typum præferret, non iussum conseruari cui Israelitæ diuinum cultum tribuerent. Cæterum serpens æreus cum manna & Aaronis uirga in monumentum editi miraculi, à Mosæ temporibus seruatus fuit.

Adolebant ei incensum.) Qui cultus precationis bene flagrantis, & per nubes ad gratiæ thronum penetrantis figuram gerens, uni Deo, non genijs, non diuis, non siderũ copijs, multo minus æreo trunco, omni sensu et motu carenti congruebat.

Nomen eius Nohestan.) per cõtemptum, qui ærea massa esset, ad iuuandum nullum momentum habens. Dicas, Cur ergo aspectatus ab Israelitis, eos lethali ueneno liberasse legitur? Non serpens æreus eos liberauit, sed imagine eius repræsentatus Messias serpens, hoc est maledictum factus: extra quem serpentem, cum nullum Deo cultum placere intelligeret Ezechias, is serpentem æreum, cum Iudæi ei tribuerent quæ per Christum Deo erant tribuenda, contriuit. Atq; ita iudicauit pius rex, præter serpentem Christũ elatum in crucem, nullum aliũ serpentem salutarem esse. Quò pertinet illud Apostoli: Nihil scio inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.

Et in Domino Deo sperauit.) Laus à fide & spe: qua una probati sancti homines Deo, res gratas illi, & Ecclesiæ utiles perficiunt. Cuiusmodi sunt, quæ hic memorantur ab Ezechia gestæ.

Non fuit similis ei.) in eo genere rerum gestarum quæ hic memorantur. in cæteris multis præstantior Dauid fuit, in nonnullis etiam maior Salomon, & eo non deterior Iosias, qui eum secutus est. In Paralipomenis libro altero, capite uicesimonono, narrantur multa ab Ezechia præclarè gesta, quæ hic non narrantur, ut uidelicet primo regni sui anno templi ostia aperuerit, quæ pater Achaz in gratiam Assyriorum regis clauserat: atq; templi cultum restituerit, eo per Leuitas repurgato: atq; hos ut oratione plena fide & pietate ad id muneris suscipiendum hortatus sit, in eodem libro exponitur: ut præterea reliquas tribus quæ per Ieroboamũ à cultu, qui in templo Hierosolymitano peragebatur, recesserant, Hierosolymam reuocarit ad faciendum Pesah, idq; Oseæ filio Ela Israelitarum rege non impediente, quod priores reges ne fieret prohibuerant. Qua in re ut ea consociatio, cuius Ezechiel meminit capite tricesimoseptimo, adumbrata sit, docti oraculis diuinis homines norunt.

Et adhæsit Domino.) fide & spe. Paraphrastes דבק ברחלתא דיי. Intima & arcta cõiunctio notatur in זיווג, qualis in marito & uxore, qua nulla arctior est, cernitur. unde accidit, ut idem uerbum diuinus spiritus etiam in Adami & Euæ matrimonio usurparit.

Et non recessit à uestigijs eius.) à cultu eius. Eadem sententia per negationem repetitur, amplificandæ probitatis Ezechiæ gratia.

Vnde

Vnde erat Dominus cum eo.) consilia, studia, & res eius fortunans. Fructus atque usus probitatis explicatur. Scitè paraphrastes: יהוה מימרא דיי בסעדיה: id est, Itaq; uerbum Domini corroborabat eum. Hoc autẽ uerbum Christus, qui heri & hodie est, erat: omnia quæ moliebatur Ezechias, confirmans.

Sapienter se gerebat.) Spiritu non huius mundi & humano, sed Dei, eius animum, consilia & studia gubernante. Quo spirante in animis sanctorum hominum, quoniam feliciter quæ ab eis adornantur, succedunt & geruntur, in sacris literis ישביל utrumq; sonat & sapienter & prosperè agere.

Rebellauit quoq; contra regem Assur.) tributa ei non pendens, quæ pater redempta amicitia eius pẽderat. Rebellarat & Osea filius Ela, sed cur hoc rege uincto in exiliũ Israel uastata Samaria abactus est ab Assyrijs, parsim uerò Ecclesiæ & Hierosolymis? Ratio pijs obseruanda in sacra narratione redditur. De Ezechia legimus: Fecitq; quod rectũ erat coram Domino. Contrà de Osea: Fecitq; malũ corã Domino. De Ezechia: Et Domino Deo suo confidit. de Osea: Nam miserat nuncios ad regem Aegypti. Huius præsidio, nõ Dei Israelitarũ nitens, seruitutis iugum excutere uoluit. De Iudæis Ezechiæ imperio parentibus, in Paralipomenis scriptũ est, ut idololatriã in Iudæa destruxerint. De Israelitis uerò hic: Non audientes fuerũt uoci Domini, & uiolarũt fœdus eius. Sed unde accidit, ut Ezechias tanta probitate fuerit? Id accidit, ut Deus præstaret promissa sua de regno Dauidi cõseruando facta. Quod regnũ proborum regũ probitate conseruandum, non improbitate improborũ euertendum fuit. Atq; id cõtigit propter Christũ, & corpus eius Ecclesiam: propter Christũ quidem, qui procreandus erat ex Dauidis genere: propter Ecclesiam aũt, quæ ex Christi spiritu generata, eius ope & præsidio conseruanda erat, ut mystica Hierosolyma Ezechia regnante, qui Christi figuram prætulit, cõseruata fuit. Nam ut Ezechiæ tẽpore decẽ tribubus ab Assyrio in exilium abactis, reliquiæ in Iudæa conseruatæ sunt: ita in mundum Messia cœlesti Ezechia repræsentato aduersario Euangelij spirituali Assyrio grassante, reliquiæ sub primam Euãgelij prædicationẽ seruatæ sunt. De quibus reliquijs mox ex hac narratione, & ex Apostolo mysticæ narrationis interprete mẽtio fiet.

Anno quarto regis Ezechiæ.) Digreditur ab Ezechiæ historia ad Oseam Israelitarum regem, ut obiter ratio reddatur, cur is cum Israelitis captiuitate mulctatus sit, non item Ezechias.

Anno decimoquarto Ezechiæ.) iã restituto Dei cultu, & euerso falso. Nam in Paralipomenis legimus, Ezechiã anno primo regni sui mẽse primo ostia templi Domini aperuisse, etc.

Ascendit Sennacherib.) Respicitur situs Hierosolymæ, cum Sione mõte. Superbia insolentis hostis notatur, qui ausus sit Hierosolymã in sublimi sitam, & munitã excelsi Dei præsidio, inuadere. Huius superbia mox explicabitur. Similis insolentia reprehenditur in Babylonio Nabuchodonosore, apud uatem Iesaiã his uerbis: In cœlum ascendam, & super astra cœli collocabo sedem meam, & sedebo in mõte testimonij. Idem igitur ascendendi uerbũ utrinq; usurpatur, ad mystice indicandum eum Assyrium & Babyloniũ, de quo Apostolus his uerbis meminit: Effertur aduersus omnẽ qui dicitur Deus, aut numẽ, adeò ut in templo Dei sedeat, ostentãs seipsum esse Deum. Hic cernimus quàm pulchrè inter typos umbrás que, & res adumbratas conueniat. Assyrius & Babylonius ascendunt ut occupẽt Hierosolymã, & Sionẽ montẽ templo sacro inclytũ. Antichristus spiritualis Assyrius & Babylonius ascẽdit, ut occupet tẽplum Dei, de quo illud Apostoli mysticũ templum explicantis: Vos estis tẽplum Dei. Qui igitur hic pro ascendit, uertunt Expeditionẽ fecit, tanti mysterij rationem non habent.

In Lachis.) De hac Iudææ tribus urbe uideris apud Iosuam cap. 15. quæ olim suo rege clara fuit, à Iosua interfecto. Ex hac urbe legitur hic, Hierosolymam ab Assyrijs infestatam.

Dicens, peccaui.) rebellando, & annuũ tributum à patre solitum pendi, non pendendo. Tentatur fides Ezechiæ. Dicat fortassis aliquis: Si tam probus fuit Ezechias, & Iudæi illi obtemperantes in Dei cultu reparãdo, quid igitur in causa fuit, cur Iudæam tam grauiter Deus ab hoste Assyrio infestari, uastariq; permisit? Verisimile est, tredecim illis annis quib. iam in Assyrios & Medos trãslatis Israelitis Ezechias rex prospere regnũ administrauit, principes uiros cum multis sacerdotibus & plerisq; de populo, ut fit, improbius uixisse, ad ueterem idololatriam, cui sub impijs regibus assueuerant, adspirãtes. Quibus etiã à uate Iesaia exprobratum fuit, quòd animũ de diuina ope despondentes, in Aegyptum legatos petitum eius præsidia misissent. Sic enim reprehenduntur à propheta: Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium. Itaq; hac eorum improbitate

adductus Dominus est, ut tanta clade Iudæã afficeret: sed hac lege, ut reliquias conseruaret piorũ hominum, inter quos cum Ezechia uates Iesaias clarebat, munere admonendi, precandi & prophetandi clarus.

Valuas Domini.) ab eis auro, quibus inductæ erant, auulso. Itaque Papaphrastes pro רלים reddit.

Misit ergo rex.) fidem, ut nonnulli uolunt, Ezechiæ non seruãs. De qua perfidia uideris apud Iosephum lib. 10. Antiquitatũ Iudaicarũ. Alij tradunt eo tempore missos legatos, quo cœperat Ezechias rebellare.

Tarthan.) Tres legati hic nominãtur. In Iesaia solum unus, Rabsaces scilicet, quẽ apparet principem inter legatos locum habuisse.

Cum ualida manu.) Hostis potẽtia narratur, quo diuinæ uictoriæ miraculum de hostili exercitu partæ maius appareat. Non temerè Assyriorum rex Hierosolymam adortus est, sed certo Dei consilio excitatus. Quod his uerbis à Iesaia uate exponitur: Propterea quòd abiecit populus iste aquas Siloæ quæ fluunt leniter, & Rasinæ et Romeliæ filio delectãtur, ꝓpterea Dominus adducturus est eis aquas fluminis uehemẽtes & multas, regẽ Assyriorũ. Exercitus qui hic in narratione magnus appellatur, in oraculo uatis figuratè aqua uehemens & abundans uocatur.

Eliacim præpositus domus.) regiæ domus procurator. Iosephus enim τὴς βασιλείας ἐπίτροπον uocat. De huius laude uideris apud Iesaiam cap. 22.

Et Sobna scriba.) De hoc idẽ uates mentionem facit. Is tandem ob perfidiæ crimen capitali supplicio affectus est.

Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorũ.) Oratio ex genere deliberatiuo adornatur. in qua primò metum incutere conatur ab ipso titulo regis, quem magnum uocat, cuius potentiæ nemo resistat, ne Deus quidem Hierosolymæ. Omnia impij regis impius legatus tentat, ut Ezechiã & ciues Hierosolymitanos à fide in Deum suum abducat, & eos regi suo adiungat. Rabsaces non dicit se uenire nomine Dei, sed regis sui. Hũc qui legati in Antichristo regno imitentur, non est obscurum: imitari nimirum eos, qui infestaturi cœlestem Hierosolymam, sed in terris peregrinãtem, non diuina oracula Dei Israelitarum, sed sui regis uerba afferunt: Hoc sanctissimus põtifex statuit, atq; decernit.

Quæ est ista fiducia, qua niteris.) Ex loco eorum quæ fieri nequeunt, argumẽta petit. primò uniuersum præsidiorum genus, quo sint destituti, proponit. deinde partes numerat, ut ostendat nullum præsidium reliquum esse, quo se tueatur Ezechias.

Forsitan inijsti consilium.) cogitas uel consilio, uel uerbis, uel ui ac robore certare cum magno & præpotenti rege Assyriorum: sed falleris. Nam neq; consilio bellum geres, quod tibi in tanta rerum angustia finibus regni tui præter Hierosolymam ab Assyrio occupatis deest: neq; uerba tibi proderunt, quibus non geritur bellum, sed armis, robore autem & fortitudine fretus ut pugnes, non est quod tentes: qui exercitu, quem pares, careas. Nonnulli uerba interpretantur de precatione: Ezechiæ nihil profuturã precationem ad Deum, ubi impius hostis præstantissima in rebus aduersis præsidia sancto regi eripere molitur: huic neq; fidem in Deum, neq; precationem utilem fore. Vera igitur falsis admiscet, ut Ezechiam & probos Hierosolymæ ciues à fide atq; spe, quam de ope diuina habeant, deijciat. Verum quidem erat, humanã opẽ & auxiliũ quo se tueretur, deesse Ezechiæ: falsum autem, orationem & consilium, quod Dominus per Iesaiam uatem daret, nihil commodare. Hæ sunt artes hostiũ Hierosolymæ, quibus eius ciues ad defectionem sollicitent. Reducto uelo, intueamur Antichristi tempora, in quibus ut partim præmijs, partim minis ueteratoria arte cum pijs, ut se illi dedant agatur, relicto regis sui Iesu Christi regno, palàm est. Tales Rabsaces satis hodie noti sunt.

Vt audeas rebellare.) Rebellis cum suis nominatur Ezechias, qui Assyriorum regi in defendẽda falsa religione, ut pater Achaz fecerat, seruire recusaret: Deum cœli & terræ conditorem, Dominum suum agnoscens. Quibus nominibus seditiosorum, rebellium & factiosorum traducãtur, qui relicto suo Sennacheribo Antichristo, Messiam benedictum sequuntur, non est hodie obscurum.

An speras in baculo arundineo.) Damnat fiduciam in externũ præsidium, atq; id uerè facit, sed callidè: ut euertens fiduciam in præsidia humana, etiam fidem in Deũ Hierosolymæ euertat. Scita similitudine utitur, qua Aegyptios baculo arundineo cõparat: cui si quis innitatur, perforet ei manus. Talem esse Aegypti regem, & omnes qui ei confidunt. sic Oseas Israelitarũ rex miserè concidit, ut Aegyptijs confidere cœpisset. Similitudinem ab arundine sumptam usurpat etiam Ezechiel uates capite decimonono, cum eam, hoc est Aegyptios confringendos uaticinatur,

natur,quòd Israelitas ei innixos fefellisset.

Quòd si dixeritis.)Per occupationẽ argumentis occurrit,adhibita ꝓsopopœia,qua fingit aduersarios loquẽtes. Hic tãdem callidus legatus dolos suos prodit,dum etiã diuini præsidij fiduciã ex animo Ezechiæ & ciuiũ eius euellere studet. Quod erat,caput sãlutis petere. Versutus sophista utitur captione πρὸς τὸν ἔλεγχον τῆς τῶς, hoc est,decipiendi gratia modum & rationẽ qua excelsa destructa essẽt, et cur debuerint destrui, reticet. Colligit enim, quia aras & excelsa destruxisset,ideo uerum Dei cultum euersum: cum falsum euertisset,uero instaurato. At id cõmemorauit sophista Assyrius,ut uulgus in suam sententiam pertraheret, in quo nõ ignorabat esse ueteri religioni satis æquos.Nam uulgus Iudæorũ tanto studio excelsa coluit, ut ne probi quidẽ reges ea demoliri ausi sint:ut de Asa,Iosaphato,Ioas,Amasia clarũ est.unus Ezechias extitit, qui auderet lucos,statuas,excelsa & æneũ serpentẽ confringere atq; conterere. Hunc Rabsacem qui hodie imitentur,bestiæ regnũ comprobat. In quo ab eius legatis ad rauim clamatur, nouæ religionis, quam odiosè sic nominãt, cum uetus sit, cultores à Deo nõ exaudiri:qui eius cultũ,sacramẽta, imagines,adorationẽ diuorum, & eorum merita dissipent:falsum cultum,uerum,& uerum,falsum,exemplo Rabsacis hypocritæ,interpretantes.

Ante altare hoc.) Sunt qui de ara uicti maria ante templi ostia collocata,Rabsacen loqui uolũt.alij de suffitoria,in ipso tẽplo posita, interpretantur,freti Paralipomenis,in quib.suffitoriæ aræ mẽtio fit.Cæterùm Rabsaces per contẽptum demonstrationem, ad Hierosolymam conuersus, adhibet.

Nunc ergo transite.) Hebræus habet, Age iam sponsionem fac cum Domino meo rege Assyriæ, si ego tradidero tibi duo equorũ millia, ni tu nõ possis totidẽ equites ad eos præbere.Sarcasmo deridet tenuitatẽ regis Ezechiæ, nõ perpendẽs arrogãs & superbus legatus,quid sit: Dominus humilia respicit in cœlo & in terra. itẽ illud:Fallax equus ad salutẽ. & uates Iesaias: Equi eorũ caro,& non spiritus.Itaq; his uerbis à Domino, Assyris, insolenter de sua potentia & fortitudine gloriantis,superbia reprehenditur: Nunquid gloriabitur securis cõtra eum qui secat ea?

Et quomodo potestis resistere.) In debortando,loco comparationis maiorũ & minorum utitur:non animaduertẽs,eum à Hierosolyma stare,qui excelsa deijciens,& deiecta efferens,omnem potentiam superet. Quod agnoscẽs rex Ezechias, quàm præclarè hortetur suos aduersus Assyrium, ut sese fortiter gerant,uideris in Paralipomenis.

Nunquid sine uoluntate Domini ascendi?) Argumentũ à uoluntate diuina, cui nemo resistat,ducit. Nouerat illud Iesaiæ uatis: Ecce Dominus adducet eis aquas fluminis uehementes et multas,regem Assyriorũ.Hoc argumẽto conatur efficere, ut Ezechias intelligat, Deũ sibi nõ fauere,sed infestum esse,qui aduersus Hierosolymam ob delicta eius tam potentem hostem excitarit:qua machina,omnem spem & fidem in tanto periculo uersantium conatur labefactare. Nam cogitare,Deum sibi irasci,& inimicũ esse, omni fiducia excussa desperationẽ parit:quæ effi cit, ut Deus etiam contrà odio habeatur, omni precãdi eum facultate præcisa. Hæ sunt artes, hæc stratagemata satanæ,quib. ad frangẽdos animos utitur.Neq; aliter cõparati sunt Satanæ legati,qualis fuit Rabsaces, & quales sunt hodie aduersarij Messiæ legati,nobis satis noti. Vanus orator cum hunc in modum argumentatur, ea ex Iesaiæ uatis oraculo prætermittit referre, quæ pro Hierosolymis & Ezechia rege faciebãt:Accingite uos,& uincemini.item:Noli timere populus meus habitator Zion,ab Assur. Suscitabit cõtra eum Dominus exercituũ, flagellum. Celat igitur in hortãdo diuinum cõsilium, cur rex suus Sinnacheribus excitatus sit cõtra Hierosolymã. Hunc nimirũ excitatũ, non qui Hierosolymã funditus perderet,ut eam perdere cogitauit:sed ut castigata ad meliorẽ frugem rediret,sicq; emendata seruaretur,non periret.Hoc Dei consilium tegit ad Ezechiam,putans suas artes latêre sanctũ regem: cum is haberet apud se Iesaiam uatẽ,diuinæ uoluntatis & eius oraculorum gnarum & cõscium. de qua uoluntate poterat etiam istud ex eodẽ uaticinio nosse: Propterea Dominus Deus exercituũ immittet in pingues eius maciẽ,& erit lux Israel in ignẽ,et sanctus eius in flammã,&c. Sed sic est ingenium ueteris draconis Satanæ, ut sacrorũ oraculorũ partem quæ pro se uideatur facere,citet:eam uerò quæ contrà faciat,dissimulet. ut uidere licet in tentatione,qua Christũ tẽtauit.

Dominus dixit mihi.)Duo agnoscit arbitra conscientia:Dominum rerum omniũ conditorem esse,adductus ad eam cõfessionem lumine naturali: alterum, eius nutu se ascendisse contra Hierosolymã. At in hac ipsa cõfessione se iugulat atq; confodit,& Ezechiam cum suis consolatur. Nam etiam ex hoste pius rex intelligebat, hostes ipsos non plus posse incommodare, quàm eis permitteret

mitteret Dominus. Quare impius orator ueritatem sic confitẽdo, in improbitate detinebat: quòd quem hic confitetur Dominum, infrà eum non solum non glorificat, sed etiam his uerbis contemnit: Nolite audire Ezechiam, quoniã decipit uos dicens: Dominus liberabit nos. Nunquid liberarunt dij gentium quisq; gentem suam? His Rabsacis uerbis moti nonnulli, eum Iudæum fuisse uolunt, qui oracula diuina nosset, & Hebraicè sciret. Si ita res habet, occurrit illud: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.

Vt loquaris Syriacè.) Prudentis hominis erat hæc hortatio. Metuebat enim, ne uulgus in muris uersans, percepta reprehẽsione, qua Rapsaces Ezechiam quòd excelsa diruisset reprehẽderat, ad rebellandum concitaretur. Nouatio enim religionis quid ad mouendos animos, præsertim in mobili uulgo possit, omnia secula documento sunt, & nos nostris temporibus experimur.

Nunquid ad Dominum tuum.) Alius simulantis fauorem in populũ dolus ab hypocrita struitur, quo regẽ inuisum plebi reddere studet, cuius gratia uenisse se dicit: cui misericordiã tribueret, quam rex Ezechias perdere uellet. Sic enim in Paralipomenis Rabsacem disserere legimus: Non'ne Ezechias incitat uos, ut in mortem & famem uos tradatis? Hunc simulatorem Rabsacem qui in Antichristi regno rèpræsentẽt, satis clarum est. Siquidẽ huius legati hoc præcipuè moliuntur, ut Euangelij doctores uulgo inuisos reddant sub seductorum & pernicioſorum hæreticorum nominibus.

Regis magni.) Sed maior est is de quo illud: Deus rex magnus super omnes deos. Cuius potentiã impius legatus deijcit, regis sui potentiam amplificans.

Non uos seducat Ezechias.) Seductoris & impostoris nomine traducitur Ezechias ad populum. Sed quib. argumẽtis id probat? quòd humana omni ope destitutus, regi suo, quẽ magnum uocat, resisteret. At cum id facit, Ezechiam sua criminatione falsa armat, & regem suum exarmat. Dominum Deum enim hoc modo, ut à deiecto & humiliato Ezechia aduersus superbum tyrannũ stet, excitat. Adeò uerum est, potentiam potentum infirmari, & sapientiam sapientum perdi: & deligi à Deo stulta secundum mundum, ut pudefaciat sapientes: & quæ imbecilla in mũdo sunt, ut pudefiãt ea quæ sunt robusta, ne glorietur uniuersa caro coram ipso. Cæterùm mirum non est, tam insolenter se gessisse Rabsacẽ, qui pincerna ebrij regis, errorum uino ebrius esset: quod innuit uox רבשיתה. Hunc ebrium legatum Rabsacem referunt Satanæ & Antichristi legati, ebrij uino de quo illud: Habens poculũ aureum in manu sua plenũ abominationibus, & inebriati sunt qui inhabitant terram de uino prostitutionis eius. Hoc uino inebriati legati regni Antichristi, hic in Assyrio, et infrà in Babylonio præfigurati, ut cœlestem nostrum Ezechiam Messiã seductorem & impostorem appellent, declarat illud: Recordati sumus, quòd impostor ille dixit adhuc uiuens, &c. Intueamur præsentia tempora. Quid hodie aliud nostri Assyrij & Babylonij legati, Christum & eius Euangelium contemnendo faciunt, quàm quod Rabsaces Ezechiam & eius cultores illudendo fecit?

Non enim poterit rex eruere.) Mendacium hoc fingit, ad terrẽdum populum. Stabat enim ab Ezechia, qui uellet & posset Ezechiam liberare, Dominus Deus Israel: cuius numen illi præsens adesse, non animaduertebat maledicus legatus regis Assyriorum. Porrò ob crucis formas contẽptui erat Ezechias Rabsaci, qui ignorabat, per illas deiectũ despectumq; Ezechiã, uictoriã de superbo Assyriæ rege reportaturũ. Sic noster Ezechias Messias benedictus, primo à crucis forma contemptus iacuit in mundo, ut sic humiliatus super omnia extolleretur, de cõtrarijs potestatib. uictoria relata. Hæc est dignitas et præstãtia mysterij crucis, per quã ad patefactionem aditus fit.

Neq; fiduciã uobis.) In sacro populo eã fidem impius legatus studet reuellere, quæ antea Aegyptũ euerterat, Pharaonẽ cũ exercitu in mari rubro absorpserat, mannã de cœlo deuocarat, ex petra aquã expressérat, potẽtes Chananæas gentes subegerat. & cum hæc, fides mundum uincens effecerit: tuũ ô Rabsaces regem, hominem, non Deum, carnem, non spiritum, imò puluerẽ & cinerem terræ, non uincat & prosternat?

Facite mecũ quod uobis est utile.) In Hebræo est ברכה, benedictionis uox, pro qua Paraphrastes שלמיא. ut secũ pacem ineãt, & amicè agant, hortatur. Sed qualis fuisset hæc benedictio & pax futura? Exiliũ, captiuitatẽ, falsam religionem erat miseris allatura, regno, sacerdotio, omniq; cultu Dei & libertate adẽpta. Blãdis uerbis hypocrita legatus ad has artes à parẽte suo Satana factus, miseros ad deditionem sollicitat. Quid hodie aliud faciũt legati nostri Sãcheribi? pacẽ, felicitatẽ & omnia tranquilla offerunt, ut ueram pacem auferant, de qua noster cœlestis Ezechias meminit: Pacem relinquo uobis, pacem meã do uobis. Sed qualem mũdus dat pacem?

cem? Pacem dat, qua in hoc mundo animi libidinẽ terrenis bonis expleas, cœlestibus cariturus: præsentem hanc uitam incolumẽ ad tempus tuearis, cupiditatibus tuis indulgens, futuram illam et æternam amittas. Nam pacem sub Antichristi filij Satanæ principis huius mundi figura ac imagine offert Rabsaces Hierosolymæ, sed frustra: quã nimirum erat seruaturus, qui apud Iesaiam uatem princeps ueræ pacis & Emmanuel uocatur, Christus Dominus noster, electorũ suorum seruator.

Et egredimini ad me.) νεῦτὲ μέωτιν, egrediendi uerbũ pro deficiendi & dedendi.

In terra quæ similis est uestræ.) Vtilitatis locos proponit in hortando, qui antea periculorum proposuisset. Sui regis terram, plenam idololatria & flagitijs, similem sacræ terræ hæreditati diuinæ facit, oraculis cœlestibus ueræ religioni sacerdotio & regno propter Messiã consecratæ. Consideremus nostri Senacheribi blanditiem, qua in promittendo utitur: typorum ueritas constabit.

Et fertilem uini.) Sed carentem uino, de quo uates Iesaias: Venite emite uinum absq; argẽto. Quod est exhilarans pectora uerbi Dei uinũ, cuius ferax est terra Chananæa, promissa sanctorum Israelitarum hæreditas. In qua uitis nascitur, quæ de se dicit: Ego sum uitis.

Terram panis.) Sed carentem pane, quo qui uescuntur, ad uitam æternam aluntur. de quo panis ipse sic loquitur: Ego sum panis uitæ, qui de cœlo descendi.

Terram oliuarum.) Sed oleo lætitiæ destitutã, de quo illud: Præterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ.

Ac mellis.) At carens dulcedine mellis, quod stillãt labia sponsæ Messiæ, de quo is ipse apud mysticum Salomonem: Fauũ stillant labia tua ô sponsa, mel & lac sub lingua tua. Hoc autem sacri Euangelij mel non in Assyriorum, sed in sacra Israelitarum terra reperitur, de quo illud: Ex Sione exibit lex. Lex inquam melliti Euangelij, omne mel dulcedine superantis.

Viuetis.) Vana promissio est, uita nimirum non inueniente locum nisi Hierosolymis, regnante eo Ezechia qui de se dicit: Ego sum uia, ueritas & uita.

Nunquid dij gentium.) A maiore ducit argumentum: si reliquarum gentium quæ te potentia superant, dij suam quisq; terram defendere non potuerunt, multo minus Hierosolymã Dominus defendet. Hæc maiorum & minorum comparatio in Paralipomenis explicatur. Hoc argumentum plenum blasphemia est in Dominũ Deũ Israel. In quo siquidem audet conferre cum Iehoua gentium deos, qui tales sunt dij, quales infrà describet pius rex Ezechias: Verè Domine dissipauerunt reges Assyriorum gentes, & terras omnium, & miserunt deos eorum in ignem. Non enim erant dij, sed manuum humanarum opera, ex ligno & lapide, quos perdiderũt. Quare mendax orator captionem ex homonymia struit: Dij cæterarum gentium uicti sunt, ergo Deus Hierosolymæ uincipotest. Etenim Deus Hierosolymæ uerus Deus est: dij gentium non dij, sed opera manuum humanarum.

Tacuit populus.) permittens suam causam Domino, cuius gloria agebatur. Dicuntur silere sancti, cum suis uiribus diffidunt, ab unius Dei nutu & arbitrio pendentes sub spe per patiẽtiam. Sic apud Iesaiam uatem legimus, capite trigesimo: In silentio & spe erit fortitudo uestra. & Exod. 14. Dominus pugnabit pro uobis, uos tacebitis. Non igitur armis, non equitatu, non militum robore, nõ potentia mundi uincitur Satan, & eius filius Antichristus cum legatis Rabsacibus pseudoprophetis: sed uno silentio, hoc est abnegatione sui, & spe in Dominum: Qui uersans Hierosolymis maior mundo est, & eius principe Satana.

IN CAPVT XIX.

SCidit uestimenta sua.) Pro more indignè ferentium dehonestationem nominis diuini.

Et opertus sacco.) Dolorem præ se ferens, cuius saccus ac centones indicium erant. Inde transfertur apud Hieremiam uatem ad tenebras, Cœlum sacco induam: hoc est, nubibus & tenebris obducam, summa afflictione & mœrore significato. Quò etiã illud pertinet: Cõuerti sti planctũ meũ in gaudium, soluisti saccum meũ. hoc est, absterssisti mihi luctum & mœrorem.

Ingressusq; est domum Domini.) precationi: cuius sacratã. Hæc sunt præsidia sanctorum in reb. aduersis: pœnitentia, precatio, fides per spem omnia uincens, sub patientia & tolerantia malorum. Sic his postremis temporib. spiritualis Assur Antichristus uincitur: non armis humanis, nõ equitatu, non peditatu, non ullis machinis bellicis. Itaq; Ioannes sic ait, ad hæc tempora respiciens: In patientia possidebitis animas uestras.

Ad Iesaiã.) Cuius munus intelligeret esse, diuinæ mẽtis cõsilia ad usum Ecclesiæ exponere, & precationẽ ad Deũ fundere de liberando populo Dei. De quo munere legimus in Genesi: Et

orabit pro te, quia propheta est. Ad hæc munera peragenda uates unguntur diuino spiritu: qui uatibus Dei consilia patefacit, & eorum linguã ad interpretandam diuinam mentem expedit, atq; eorum animos ad precandum excitat. Sine quo spiritu interpellatore nulla oratio, quæ ad thronum clementiæ diuinæ penetret, constat.

Dies tribulationis.) Narratur magnitudo periculi, materia precationis. Non leuis afflictio in Hebræa uoce significatur, sed talis, quali uexantur qui in angusto positi, spacium ad effugiendum uix habent: in qua uexatione Hierosolyma ab hoste Assyrio coarctata fuit. Sed maiore illa altera Hierosolyma angustia premitur, eã Antichristo obsidente, ualloq; peccati, mortis, inferni, & potestatum tenebrarum circundante. Intueamur superiora & nostra secula.

Et increpationis.) תוכחה correctionis ob delicta. Agnoscit pius rex tantæ afflictionis causam, culpam esse. Qua in confessione iusticiam & æquitatem diuinam commendat, & suorum uitia damnat. Vnde certa ad pœnitentiã, & per hanc ad diuina præsidia, arbitra fide, uia sternebatur. Aut תוכחה refertur ad id quod mox infrà legitur תוכיח ברכרים, notata insolenti in Assyrio Domini reprehensione.

Et blasphemiæ.) ab Assyrio in Dominũ Deum Israelitarum iactæ. Verbo נאץ & blasphemia & prouocatio ad iram significatur, q̃ ita natura comparatum sit, ut contemptionem ac despectionem ira comitetur.

Venerunt filij usque ad partum.) Amplificat comparatione à parturientis nixu mutuata, cuius fœtus ad uuluæ fauces uenerit, quem edere per infirmitatem nequeat. Itaq; breuis quidem huius afflictionis narratio est, sed ad mouendum eum præsertim efficax, qui in lamentando et lugendo uerba precantium non numerat, sed ponderat: eaq; ab animo & fide, non ex labijs æstimat. Notum porrò illud est: Priusquam clamaueris, exaudiam te.

Si fortè.) Non sunt uerba de diuina clemẽtia ad exaudiendum prona dubitantis, sed præsenti calamitate perturbati. Quæ perturbatio quales animos in summa trepidatione reddat, norunt qui similia passi sunt. Notum est illud: Speméq; metumq; inter dubij.

Audiat.) ad ea uindicanda, non prætereat dissimulando. Audire Deus dicitur impiorum probrosum sermonem, cum eum ulciscitur: piorum honesta uerba, cum eis benefacit. Sunt igitur aures diuinæ & ultrices & liberatrices aures. Quales etiam oculi ei tribuuntur: cuiusmodi sequentibus duabus uocibus indicantur.

Dominus Deus.) adiutor suorum, & ultor scelerum.

Tuus.) Sic nominat Deum Iesaiæ, quòd singulari ratione Iehoua uatibus suis familiaris esset. De qua familaritate Amos uates: Non est arcanum quod Deus non patefaciat seruis suis prophetis. Quæ dignitas est sanctorum uatũ, eos diuinorum decretorum atq; consiliorum conscios esse.

Verba Rabsacis.) dehonestantia nomẽ tuum, quod in tota rerum natura qua cœlum, qua terra patet, honestari cõueniat, & adorari. Oratio Ezechiæ indicat, sanctos homines hoc unum studere, ut in precando Dei honor uindicetur. Itaq; uates Dauid: Adiuua nos Deus seruator noster, propter gloriam nominis tui. Et Moses: Ne audiant Aegyptij, & dicant, Nõ poterat introducere in terrã. Eodem modo hic ab Ezechia oratur, ut de conuicijs Rabsacis ultio sumatur, asserta nominis diuini dignitate. Quid Assyrij non facturi fuissent, captis & direptis Hierosolymis, cũ antè uictoriam tam insolentes se declararunt?

Deum uiuentem.) Qui ipse perẽnis uita sit, et alijs ut uiuant, naturam, uitam & motum largitur. qualis ab Apostolo in Actis describitur. חי igitur epithetũ soli Deo cõditori & seruatori in uerbo suo Messia cõpetit, nemini alteri: ut qui solum à se uiuat, et cæteris ut uiuãt uim suppeditet, de uitæ suæ qui Christus est thesauris.

Quæ audiuit Dominus.) eius oculis & auribus, omnib. in hac uniuersitate patẽtibus: secus quàm dij Assyrij habent, qui oculos tenent & non uident, aures & non audiunt.

Fac orationẽ.) pro munere prophetico.

Pro reliquijs.) decẽ tribubus in exilium abactis, & Iudæa misèrè uastata, sola Hierosolyma ut tugurio in uinea relicta. Hæc ad misericordiam Dei Israelitarum mouendam ualent, qui pro clementia & fide sua nolit ex fœderis lege totam gentem Iacobæam perire.

Dicit Dominus.) Rabsaces suprà dicit: sic dixit rex. Iesaias hic: Hæc dicit Dominus. Hoc discrimine legati principis mundi & eius filij Antichristi, & legati Messiæ Iehoua Domini cœli & terræ dirimũtur. Vsurpat amabile suaueq; nomen יהוה, ad consolandum: quod uoluntatem iuuandi cum facultate coniunctam continet. Ideo sequitur:

Noli timere.) à te & Hierosolyma stante potentiore, quàm sit Assyrius. Qui tam bonus est, qui uelit te iuuare: & tam potens, qui possit,

sit, ut metus animi contractio est ex futuri mali, quod interitum aut perniciem aut molestiam allaturum uideatur, cogitatione nata, ita fiduciã efficit opinio de superando malo per aliquam potentiorem uim. Quæ uerè numen diuinum est, in cuius tutela pij firmum subsidium, quod fallere nequeat, cum Ezechia ponunt.

Ecce ego.) Cuius imperio omnia in cœlo & in terra subiecta sunt: contrà quàm sentit Assyrius, qui contumelioſe audet dicere, qui nam illi sunt in uniuersis dijs terrarum, qui eruerunt terram suam de manu mea, ut posſit eruere Dominus Hierosolymam de manu mea?

Spiritum.) qui eum loco moueat, ut uentus puluerẽ mouet. Notatur motus & cõcitatio Dei, qua is pro nutu & arbitrio cuncta mouet & agitat. Fit hic spiritus mentio, paulo infrà etiam circuli & freni: Ponam circulum in naribus tuis.

Et audiet auditum.) De fama interpretantur regis Aethiopum, de quo mox fiet mentio in hac narratione: Cum audisset de Taracha regis Aethiopum.

Expugnantem Lobna.) Iosepho autore, Pelusium est Aegypti urbs, Iudææ uicina.

Misit nuncium ad Ezechiam.) Qui oraculum Iesaiæ ei, ut uidetur, à Sobna proditum, infirmaret.

Non te seducat Deus tuus.) Deum Hierosolymæ, qui ueritas est, qui & ipse fallatur, & alios fallat, traducit. Qua contumelia summũ honorem ei detrahit. Quid autem aliud id erat, quàm dicere Deum non esse?

Tu enim audisti.) A potentia sua metũ iniecit, & spem in Deũ deiecit. Potentissimũ Assyriorum & Babyloniorum, quod pro uno regno à Daniele reputatur, regnum fuisse, idẽ Daniel his uerbis indicat: Tu rex regum es, & Deus cœli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi. Quantâ igitur consolatione opus habuerit Ezechias, & quantam in eo fidei uim & robur oportuerit uigere, præsens periculum & potentia regis Assyriorum, eiusq; prosperæ res satis documento sunt. Quòd igitur à Domino tãta à suis fides requiritur, quantum est sinapi, non spectatur ab eo in comparatione moles, cum magna fides laudetur, parua reprehẽdatur. Sic enim arguitur Petrus: Paruæ fidei, cur dubitasti? Sed uis spectatur, quæ tanta sit, quanta est in grano sinapi: cuius acrimonia adeò uehemens est & efficax, ut nisi temperetur aliquo succo, ferri ab ijs qui gustarint, nequeat. Atq; talis fides ad transferendos montes requiritur: fides inquam, tam ad ueterem naturam purgandam ualens, quàm uis in sinapi grano ad mouendum purgandumq; cerebrum ualet. De qua purificandi ui Petrus in Actis: Fide purificantur corda, &c.

Nunc ergo solus.) A tenuitate.

Nunquid liberarunt.) Repetitur argumentum à comparatione maiorum & minorum ductum. In quo quæ captio committatur, suprà indicatum est.

Haran.) De hac urbe in Genesi mentio fit. Mesopotamiæ clara urbs est, & clade Crassi nobilitata:

Assyrius Latio maculauit sanguine Charras.

Sed multo clarior Abrahamo est, qui egressus ex Vre Chaldæorum cum suis, & patre Thara, Harane habitauit. Hebrææ uocis uestigia Charræ uox retinet.

Et Reseph.) Petram Arabiæ dixerunt. Ptolemæus, in Palmirena regione meminit huius nominis.

Et filios Eden.) Suprà in Genesi Eden fit mẽtio, ubi paradisus explicatur. Apparet, eundem situm Eden & hortum illum tenuisse.

Hemath.) Antiochia.

Arpad.) Damascenæ Syriæ.

Sopharnaim.) Suprà de hoc loco fit mentio. Vnde in Samariam colonos deductos legimus.

Ana & Aua.) Hebræi interpretes חנע ועוה de Assyrio interpretantur, qui reges istos loco mouerit, & incuruarit: hoc est, eorum robur & potentiam fregerit & deiecerit. Similiter Paraphrastes. Noster interpres Græcos sequitur.

Ascendit in domum Domini.) Qui cognitam teneret hanc promissionem: Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eorum qui in isto loco orauerint. Itaque qui alijs in locis uersabantur, templum uersus orabant. Vt exemplo Daniel est, qui Babylone degens, ad templum Salomonium in precando se conuertit. Hæc contingebant pro ratione ueteris fœderis, quod in adorando respectum loci & elementorum mundi admittebat. Secus res habet in administratione noui, in quo precatio fit spiritu & ueritate, nulla corporati templi habita ratione, sed eius de quo illud: Dominus Deus omnipotens, templum illius est & agnus.

Coram Domino.) In templo ad arcam propitiatorio tectam præsente. Remota umbra, in noui fœderis administratione nobis præsens est Deus pater in propitiatorio arcam Ecclesiam tegente, Messia benedicto.

Deus

Deus Israel.) ex fœdere, cuius fœderis nomen est יהוה. ut ex illo patet: Assumpsi uos mihi in populum, & ero uester Iehoua, & scietis quia ego sum Dominus Deus uester. In Iesaia additur: Domine exercituum Deus Israel, cui omnia tum terrestria tum cœlestia, tum aspectabilia tum inaspectabilia sunt subiecta. A' qua potentia facultatis locum instruit, qui possit suos liberare hoste disperdito.

Qui sedes super Cherubim.) tuos ad te preces fundentes exaudiens, propter propitiatorium tuum, supra quod Cherubim alas suas explicant & extendunt. De mystica ratione arcæ, & propitiatorij, & cherubim, uideris in Exodo, & in superiore libro historiæ huius sacræ.

Tu es solus Deus.) dijs prophanarum gentium Dei nomen non tuentibus.

Regum omnium terræ.) Eorum regna tuæ potestati subiecta tenens, quæ des & auferas quibus uelis. ut Daniel dicit: Ipse mutat tempora & ætates, transfert regna & cõstituit. Assyrius supra alios deos numerat, qui potentiores Deo Israel sint. hic Ezechias dicit: Tu es solus Deus. Idem Assyrius dixerat, se multa regna in suam ditionem redegisse, neq; Deum Ezechiæ effecturum quo minus Hierosolyma in suam potestatem ueniat. Contrà Ezechias ait: Tu, quem Assyrius conuicijs insectatur, omnium regnorũ Deus es. Ampla confessio Dei Israelitarum hæc est, quam Ezechiæ fides, non natura in tanta necessitate expressit.

Tu fecisti cœlum & terram.) nõ dij Assyriorum. Et cum tantum sit tuum numẽ quod fide colimus, exaudi nos precor, ut sequitur:

Inclina aurem.) clementiæ & bonitatis tuæ, ad exaudiendum nos contra tyrannum, conuicijs proscindentem nomen tuum.

Aperi Domine oculos tuos.) amoris & beneuolentiæ, quos iratus iam clausisti. αὐθρωποπάθως oculi aperti & clausi tribuuntur Deo, humanis rebus in Deum translatis, ut diuina ad nos translata patefiant.

Et audí omnia uerba.) ad uindicandas blasphemias in te iactas. Vrget precãdo, ut Deus honorem nominis sui asserat, cum quo salutem Hierosolymæ coniunctam cerneret. Finis igitur precationis omnis sacræ est, amplificatio nominis diuini. Huius exemplum in precatione Ezechiæ proponitur, & formam eius noster Dominus Iesus Christus ostendit his uerbis: Sanctificetur nomen tuum.

Verè Domine dissipauerunt.) Occurrit aduersario glorianti de uarijs à se terris uastatis, earum dijs crematis, sed qui dij non essent, quibus falso te Deum uiuentem comparauit, putans, si cæteras regiones sui dij non liberassent, nec te posse Hierosolymam ciuitatem tuam de sua manu liberare.

Nunc igitur Domine.) Concludit precationem.

Vt sciant omnia regna.) eorum insolentia depressa, & tuis, qui te fide & amore colunt, conseruatis.

Misit ergo Iesaias.) ut interpres uoluntatis diuinæ pro munere prophetico.

Quia precatus es.) precatione piorum ad solium clementiæ diuinæ penetrante, & omnia aduersus hostes impetrante. In statu enim noui hominis sunt, qui rectè inuocant Deum: in eo nimirum statu sunt, in quo spiritus diuinus animos sanctorum regit & moderatur, qui efficit primò ut Deus cognoscatur, qui pro potentia & bonitate uelit & possit iuuare inuocantem nomen eius. hinc illud: Protegam eum, quia cognouit nomen meum. Deinde idem amoris & fidei spiritus intimè Deum in Messia cum inuocantibus coniungit, tali nempe coniunctione, qualis inter parentes et liberos intercedit, in qua qui precantur, inclamãt Abba pater. Qua coniunctione nihil aptius & efficacius ad impetrandum quæ à Deo petita fuerint. Accedit huc pœnitentia, quæ præstat ut facilè reconcilietur ad opem ferendam pœnitenti Deus: partim quia is quem suorum delictorum pœnitet, agnoscit miseriam suã, & infirmitatem: (miseris autem natura tribuitur misericordia) partim quia pœnitentes sibi improbitatis opprobriũ, Deo iusticiæ gloriam ascribunt. Vnde fit, ut tanto gaudio afficiantur angeli, uno aliquo peccatore ad pœnitentiam conuerso, quòd Dei gloria asserta, imago diuina per culpam deturpata reparatur, ad complementum corporis Christi facta accessione.

Audíui.) Suprà Ezechias: Inclina aurem. hic Dominus: Exaudiui.

Spreuit te.) Quem ego ut amplificarem, mihi filiam genui oraculorum meorũ spiritu. Virginem sub typo Hierosolymæ & Syonis, Ecclesiam uocat, quæ alium maritum non agnoscit, quàm sanctũ Israelis, qui est Messias benedictus. Sic enim Apostolus: Despõdi uos uni marito, tanquam uirginem.

Post te caput agitauit.) Deridentium est. Sic in Psalmo uicesimosecundo: Et mouerunt caput.

Cui

Cui exprobrasti.) Apostropha ad Sennacheribum, quem per subiectionem exagitat, liberè confitens, despectionem filiæ Sion, sui esse despectionem. Quæ confessio plena consolatione est. Itaq; sponsus apud uatem Zachariam sic ait: Qui tetigerit uos, tanget pupillã oculi mei.

Et eleuasti in excelsum oculos tuos.) Fastus in elato supercilio notatur. Quem cõueniebat sub maiestate diuina deijci, aduersus eum uocem elato supercilio extulisti. Tales oculos ut odiat Dominus, ostendit Salomon in Prouerbijs: Sex Deus odio habet: oculos sublimes, linguã mẽdacem, manus effundentes sanguinem, &c.

Contra sanctum Israel.) Contra Dominum, qui est sanctus Israelis, ei sanctitatem iusticiæ & uitæ suæ communicans in Christo filio suo, qui sanctus sanctorum appellatur, ut est apud Danielem capite nono: Vt ungatur sanctus sanctorum.

In multitudine curruum meorũ.) fortitudine mea fretus, non Dei. Vnde hic reprehenditur fastus eius à Domino apud Iesaiam: Robore manus meæ feci, sapientia mea intellexi, & terminos populorum abstuli. Inducitur Assyrius superbè res suas gestas prædicare.

Ascendi excelsa montium.) Regiones uicinæ Damasco, Dani & Libano notãtur.

Sublimes cedros.) Figuratè de potentibus & principibus hominibus.

In summitate Libani.) Hebræus habet, Latera Libani. Videtur sic uocare terrã Chananæã, quæ à latere aquilonari Libano adiacet.

Et egressus sum ad terminos eius.) Heb. Et ingrediar habitaculũ finis eius, saltũ Carmeli eius. Sententia est: Qui ascendi in terrã Israel, & subieci eam mihi, succisis eius cedris, hoc est principibus & proceribus eius: nunc ea uictoria non contentus, ingrediar quoq; Hierosolymã, quæ habitaculum & finis eius terræ est. מילון autem uocatur Hierosolyma, propter templum quod Domini משכן, hoc est habitaculum est. Scitè nõnulli interpretes ברמל pro agro culto interpretantur: Et nunc ingrediar in optima eius terræ. Similis arrogantia & fastus reprehenditur in Babylonio, apud Iesaiã capite decimoquarto, ut suprà quoq; indicatum est: Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Quòd templũ hic finis terræ sacræ uocatur, non est mirum. Etenim in ea nihil subiugandum restabat, præter Hierosolymam.

Et bibi aquas alienas.) Hebræus addit, Effodi & bibi aquas alienas. Gloriatur se effodisse aquas, quibus exercitum suum potaret, à nemine antea effossas: atq; inde eas alienas uocat, ut prioribus ignoratas.

Et siccaui uestigijs pedum meorum.) Nec munita aggeribus flumina suæ potentiæ restitisse, quin ea superaret. Arbitrantur nonnulli interpretes Aegyptum significari, Nili aggeribus & riuis ex eo deductis, atq; paludibus restagnantibus munitam. Hanc quoq; statuisse suo imperio subijcere.

Nunquid non audisti ab antiquo.) Vanæ Assyriorũ regis gloriatiõi occurrit. Quid tu de tuis partis uictorijs gloriaris, contra Deum sanctum Israelis? nunquam'ne audisti, iam olim me decreuisse, quod nunc ad rem contuli, me in rudera uastæ solitudinis munitas urbes redigere, earumq; incolas tam pudendo metu percellere, ut essent similes herbis, stirpiumq; uiriditati, & tectorum gramini, quod arescit priusquàm ueniat ad maturitatem?

Quod ab initio fecerim.) Vt intelligatur, omnia quæ fiunt, siue commoda siue incommoda, siue aduersa siue prospera, iam olim & ab æternitate ita decernente Deo fieri, ut nemo possit gloriari à se quicquam aliter, quàm ab instrumento diuinæ potentiæ fieri. Hæc sententia à Iesaia sic exprimitur: Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea, an extolletur serra cõtra eum à quo trahitur? Non hic legimus, quia Assyrius uastaturus erat munitas populorum urbes, ideo præsciuisse Deum id ab eo futurum: sed quia Deus præsciens decreuisset per Assyriũ gentes uexare, ab hoc illas infestatas bello, & imperio eius subiectas. Legimus enim hic, Dominum his uerbis expostulare cũ tyranno superbo: Nũquam'ne audisti, iam olim cũ animo meo cogitasse me, ut per te populos affligerem? non dicit, quia afflicturus esses, me præsciẽdo id statuisse ac decreuisse. Absurdus igitur error est eorum, qui ad confirmandum liberum arbitrium, diuinam prænotionem ac præscientiam humanis consilijs & actionibus tum bonis tum malis subijciũt: cum cõtrà uoluntas humana cum decretis consilijs & actionibus subijcienda sit diuinæ uolũtati, et eius præscientiæ. Quæ statuenda est certa & infallibilis causa rerum futurarum: non contrà, nostra uoluntas præscientiæ diuinæ. At hac de re in cõmentarijs in Exodum & in Deuteronomiũ Mosæ prolixus sermo institutus est.

Et diebus antiquis plasmaui.) יצרתיה fingendi uerbum pro חשבתיה cogitandi. Fingendi uerbum aptum cogitationibus

& decretis, quæ quasi animorum figuræ atque formæ sunt, iudicatur esse. Iam olim à me formatum consilium est, per te orbis terrarum populos uexandi: idq; per uates meos denunciaui atq; exposui. De quo hoc apud Iesaiam extat oraculum: Heu Assur uirga furoris mei.

Et nunc adduxi.) consilium executus, & eo in rem collato: phrasi Hebrææ linguæ, adducendi uerbum pro exequendi & implendi.

Humiles manu.) Hebræa uox mancos significat. Indicatur, eorum incolas mancos fore, hoc est animi fortitudine ad res fortiter gerendas destitutum iri.

Contremuerunt.) Heb. metu correpti sunt. Is coniungitur cũ pudore, in uerbo ירשו indicato. Etenim solet metu perculsis turpis pudor offundi. Hinc illud Latini uatis:

Degeneres animos timor arguit.—

Facti sunt sicut fœnum agri.) Hæc similitudo terrarum incolis, et tyrannis orbis terrarum diligenter animo uoluenda est.

Ad maturitatem.) Elegans tropus in קמה à stando mutuatus est, quòd culmi stirpiũ nactarum iustum incrementum, recti stent & firmi. Vbi hic legitur שרמה, in Iesaia scriptum est שרמת. Sed eadem utriusque uerbi significatio est. Nam eiusdem מרצא, hoc est prolationis, Mem & Pe esse dicunt. Sunt interpretes, qui in hunc modum interpretantur quæ præcedunt: Num nescis, me iam olim parasse eam, Hierosolyman uidelicet, in qua ut sacra mea ciuitate uersarer præsens oraculis & responsis meis: quî fieret igitur, ut eam ad id discrimen adducerem, ut more cæterarum urbium eam uastarem? Indicatur igitur, Hierosolymam iam inde à condito mundo electam, quam sua beneuolentia & fauore Deus prosequeretur, contra omnem hostium uim & tyrannidem. Submoto uelo, quid id sit, declarat illud: Quemadmodum elegit nos in ipso, antequã iacerentur fundamenta mundi.

Ascendit in aures meas.) De terra in cœlum, usq; ad thronum iusticiæ meæ: In quo ego iustus rex sedens, de sceleratis pœnas expeto, & eorum fastum & arrogãtiam defensis probis reprimo, ut sequitur.

Ponam circulum in naribus tuis.) Similitudo à bubalis, ad consolandum apta, ducitur, quibus principes & tyranni orbis terrarũ similes sint: qui non secus Dei nutu, quò is uelit, trahantur, atq; bubali unco naribus inserto, & equi lupato ori iniecto aguntur, quò placeat agitatoribus. Hæc igitur significat præsens similitudo, diuinæ potentiæ omnẽ principatum subiectũ esse. Deinde monemur, magna nostri cõsolatione, non plus sæuis tyrannis & eorum patri Satanæ licere in electos, quàm Deus eis permiserit. Permittere aũt tantum, quantum interfit & ad suam gloriã illustrandam, & ad suorum salutem procurandã. Quare sequitur:

Tibi autem Ezechia.) Semel uictum Assyrium, non rediturum ad uexandam Hierosolymam: nec uos perituros fame, cunctis per illum in Iudæa uastatis, me ita res uestras fortunante. Atq; huius mei in uos amoris hoc erit signum. Anno hoc in quo per Assyrios serere non licuerit, sponte nascentibus uescemini: altero aũt anno, ea quæ ex deciduis prioris anni nata fuerint, uobis uictum præbebunt. Tertio uerò anno, sementem & messem facietis. Heb. interpretes שמטה, hoc est, septimum remissionis, de quo mentio fit cap. 15. Deut. alterum hunc annum fuisse uolunt. alioqui nõ assignari rationẽ, cur in eo sementis & messis facta non sit. Alij admiraculũ benedictionis diuinæ referunt, qua & hostis Assyrius delectus sine humanis armis, et sacer populus citra suã operam sustentatus sit, quo Dei potentia, bonitas & fides illustrior appareret. Sunt qui resurrectionis mysterium hic agi existimant, cuius die uictis aduersarijs potestatibus, omnium bonorum copia cœlestis Hierosolyma sit abundatura.

Et quodcunq; reliquum fuerit.) ab Assyrio rege.

Mittet radicem seorsum.) Venusta similitudo ab arbore sumpta, quæ spoliata ramis, foliis & fructibus, radices in terra agit, per quas repullulet ad ferendos suo tempore fructus. Sic reliquias populi diuini habere. Etenim hanc in terra radices agere, p quas tracto humore uitali fructus edat sursum cœlum uersus, unde & terra et radix & rami, folia atq; fructus uim suam ducũt, luce & aquis cœlestib. cuncta inferna fœcundantibus. Hinc fit, ut etiã originẽ suam truncus, rami & fructus respiciãt. Itaq; legimus hic: Et ferat fructus sursum. Sic sancti in terra uersantes habent. quorũ fœtifica lux, & aquæ uerè cœlestes hanc terram fœcundantes, ijs qui ueteris naturæ trunco cum ramis & fructibus suis resecto in nouam repullulant per regenerationem, ignotæ non sunt.

De Hierusalem.) Vt ciuitate Dei, unica sacerdotij & regni sede, atq; præfigurante nobis Hierosolymam cœlestem electorum Ecclesiam. In qua sola salus cernitur, & ex ea proficiscitur. Ideo sequitur:

Egre-

Egredientur reliquiæ.) seruandæ, Assyrio deleto. Reducto uelo rerũ Ezechiæ tempore gestarum, intelligemus hæc uerè, sineq; figura, sæuiente spirituali Assyrio, Iesu Christi cœlestis nostri Ezechiæ tempore contigisse. Nam Apostolus ad id tempus scripturam hanc de seruatis reliquijs accommodat, ubi in epistola quam ad Romanos scripsit, ex Iesaia uate hæc uerba adducit: Si fuerit numerus filiorum Israel ut arena maris, reliquiæ saluæ erunt. Itaq; si historiæ mysticæ tenorem sequimur, hæc de seruatis reliquijs narratio ad Ezechiæ tempora refertur: sin ipsam rem repræsentatam, ad Christi tempora referetur. In quibus de manibus aduersarij suæ quoq; electorum, ut res ipsa docet, per Apostolorum ministerium sub rege Christo erãt liberandæ. Qui Antichristus tum erroris mysterium agens subgliscebat, uelut id ex Paulo & Ioanne, atq; ipso Daniele, & ex euentu etiam satis clarè patet.

Zelus Domini.) Zelus Domini Christi pro sponsa sua Ecclesia, qui riualem & socium nõ ferat, qualis Assur esse moliebatur, & Antichristus spiritualis Assur in nouissimis temporibus esse studet.

Exercituum.) cœlestium & terrestriũ, qui in femore suo scriptum habeat, Rex regũ & Dominus dominantiũ: cui facile sit, sponsam suam deleto crudeli hoste in libertatem uindicare.

Faciet hoc.) nemo alius. ut uerum sit illud: Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat saluum fieri. Itaq; sequitur:

Quamobrẽ hæc dicit Dominus.) Cuius sententia semel pronunciata, rescindi & irrita fieri nequeat: qui Deus sit, nõ homo, ut Assyrius hostis, & olim Aegyptius, de quo uates Iesaias: Aegyptus homo, non Deus. & qui Dominus exercituum uerus Deus sit, non falsus, ut dij Assyriorum sunt. Cæterùm opponit uerbũ Domini, uerbo regis Assyriæ, de quo suprà Rabsaces: Hæc dicit rex meus Assyriorum. Cum Iesaia similiter omnes legati Dei spirituali Assyrio Antichristo se opponẽtes dicũt: Hæc dicit Dominus.

Non ingredietur urbem hanc.) mihi consecratã, in qua uerser, nõ Assyrio: mihiq; arctissimo matrimonij uinculo deuictã, nõ Assyrio.

Nec mittet in eam sagittam.) Sunt & Antichristo hosti cœlestis Hierosolymæ, sed in terra peregrinantis, suæ sagittæ, suiq; clypei & munitiones, de quibus Apostolus ad Cor. monet.

Per uiam qua uenit.) reuersurus Niniuen, ut mox patebit.

Ego.) nulla humana sapientia & uis.

Protegã urbem hanc.) contrà quàm Assyrius existimauit, cum diceret: Liberabit'ne uos Dominus?

Propter me.) ad asserendam gloriam meam, quam mihi detrahere uoluit superbus tyrannus. Cum firmum sit illud: Gloriam meam alteri non dedero.

Et propter Dauid seruum meum.) Submota umbra occurrit illud: Et erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, et seruus meus Dauid rex super eos. Is autem Dauid rex Messias est, in quo, & per quem, & propter quẽ pater Deus suos liberat, & hostes euertit.

Veniet angelus Domini.) יצא, id est, egressus est tanquam dux aduersus Assyriũ, prælium initurus. Est militare uerbum siquidem qui expeditionem fortiter parant, nequaquã se domi præ metu continẽt, sed in hostium conspectũ prodeunt. Hoc loco angelus expeditionem parare dicitur. apud Iesaiam uerò capite tricesimoprimo, Dominus descendere ad militandum pro Sione contra Assyrium hostem dicitur. Nominatur autem hic angelus, quòd Dominus in cœlo descriptas habeat legiones, quas aduersus hostes suos armet, ad defendendam in terra Ecclesiã electorum contra Satanam & eius ministros dæmones, atq; orbis terrarum tyrannos. De quibus legionibus Dominus ipse meminit ad Pilatum.

Et percussit in castris.) Sed qua clade affectus est Assyriorum exercitus ab angelo? Sacra narratio nomen cladis nõ explicat. Iosephus ex Beroso refert, peste hostilem exercitum deletum. Ezechia regnante, Assyrius hostis diuina ui, non humana, ante Hierosolymam perijt. Apud Iesaiam legimus: Et cadet Assyrius non uirorum gladio, non humano cõfectus ense, &c. Reducto uelo, spiritualis Assyrius quibus armis sit periturus, apud Iesaiã Dominus his uerbis exponit: Spiritu oris sui interficiet impiũ. Item Apostolus: Et tũc patefiet iniquus ille, quem Dominus conficiet spiritu oris sui, & abolebit claritate aduentus sui. claritate nimirum lucis Euangelij, cuius semina iam spargi sentimus. In qua luce aduentus patefactionis Christi cernitur, de quo is ipse loquitur: Donec dicatis, Benedictus qui uenit in nomine Domini. item Apostolus ex Iesaia uate: Aduenier ex Sion ille qui liberat, & auertet impietatem à Iacob.

Centum octogintaquinq; millia.) Exemplum horrendæ cladis in omnẽ posteritatẽ memorabile, ad terrendos impios, & ad cõsolandos pios, & eos in fide & spe per patientiam retinendos.

nẽdos. Hac clade non solũ uulgares homines, sed etiã potentißimi quiq; extincti sunt ab angelo. ue luti legimus altero Paralipomenon libro: Et misit Dominus angelum, qui ad internecionem deleuit omnem fortem militem, ducem & principem.

In Ninive.) De uetustate & magnitudine huius urbis, eiusq; conditore, uideris in Genesi, capite decimo.

Percusserunt́q; eũ gladio.) qui filios Dei perdere uoluit, à suis filijs occiditur in suo regno, & à suis, non ante Hierosolymam, ut impleretur oraculum Iesaiæ: Via qua uenisti, eâdem reuertêris. Vt Antichristus à suis quos educauit liberis, occidatur, nostra tempora indicant.

Fugerũt́q; in terram Armeniorũ.) Similiter Iosephus pro אררט Armeniã reddit, ut etiam in Genesi cap. 8 redditur, cuius uestigia Armenia uox retinere uidetur. A septentrione Assyrijs adiacet.

IN CAPVT XX.

IN diebus illis ægrotauit.) Sed quo tẽpore? Probabile duplici nomine est, ante extinctum Assyrium ab angelo Dei lætali hoc morbo ægrotasse Ezechiam. Vno, quòd infrà legitur: Sed & de manu Assyriorum liberabo te. altero, q; ut in cæteris, ita etiam hac in re, Iesu Christi figuram præferre eum diuinæ sapientiæ placuisse uidetur: quem non prius de suo aduersario triumphasse scimus, quàm è mortuis ad uitam excitatus esset. ut Ezechia iam è mortali morbo liberato, ante Hierosolymam Assyrius prostratus est. Quò etiam pertinet triduum, cuius in hac historia fit mentio.

Vsq; ad mortem.) Lethalis morbus erat, si naturam spectes, & medicinam quam medicorum ars præstaret: non autem lethalis, si curam diuinam, morbos & mortem superantẽ. Vates igitur hic naturæ uiam & orationem spectãs dicit, Morieris: non præscientiam, & diuinæ clementiæ rationem.

Præcipe domui tuæ.) Phrasis de faciẽdo testamento, quod iussus est componere ad cauendas hæredum lites & discordias, qui careret (ut uolunt) liberis. Manasses enim duodecim tantum annos natus regnum inijt, mortuo patre, qui ualetudini restitutus quindecim annos uixit.

Conuertít se ad parietem.) templum, ut apparet, uersus.

Obsecro Domine.) Nõ deterritus neq; morbi magnitudine, neq; mortis denunciatione à uate facta, Dominum precatur ut uitam sibi proferat, qui prælucente fidei face agnoscere Deum Israelitarum mortis & uitæ, inferni & cœli, morborum & sanitatis Dominum esse.

In ueritate.) אמת fidei cultum notat, hypocrisi contrarium. Non igitur hic iactat Ezechias merita sua, sed fidem, qua se rectè gesserit: neq; gloriã suæ uel prudẽtiæ uel pbitatis se quæsiuisse ostendit, sed gloriam amplitudinis diuinæ. Iactant hypocritæ facta sua, cum Pharisæo se iustificantes: Gratias tibi ago, quòd non sum sicut cæteri. Hæc factorũ prædicatio fide carẽs, Deo gloriam misericordiæ in filio Christo declarandæ derogat, quam ei fides sanctorum tribuit.

Et corde perfecto.) pro mensura primitiarũ spiritus fidei et amoris diuini, erga Deũ et alterũ. Est enim sua perfectio in uiatore, est item in eo qui confecto itinere quietem & portũ nactus est. Sed omnino absolutè perfectũ cor Christi est, cuius perfectio per fidem nobis imputatur, sed imputatione atq; fide non ociosa & inerti, sed quæ per Christi spiritum in nobis agat. Quo qui carent, eos Apostolus Christi non esse dicit.

Coram te.) Heb. in oculis tuis, non mundi, non hominum.

Feci.) tuo spiritu me agente, nõ natura, non uoluntate & intelligentia ueteris hominis.

Itaq; fleuit.) Partim qui uideret Hierosolymam in magno periculo uersari, quã nollet suo imperio destitui: partim q; sentiret, se mortuo improbis occasionẽ oblatum iri conuicia in rẽs à se bene gestas iaciendi, se ideo ex hoc seculo sublatum, q; uera religione quam maiores tot annos tenuissent submota, falsam substituisset: partim q; liberis careret, qui regni essent hæredes usq; ad Christum, quem spe præsumpserat ex posteris Dauidis procreandum.

Audiui orationẽ tuam.) fide mihi, gloriam bonitatis, potentiæ & ueritatis tribuente, subnixam.

Et uidi lachrimas tuas.) ex reputatione periclitantis gloriæ meæ per Assyrium, & tuæ miseriæ expressas. Quales lachrymas ego clementer respicio, oculis meis humilia & deiecta respectantibus, excelsa auersantibus. Hinc illud Domini: Beati flentes. Cæterùm lacrhymam humorem ex calfactione humidi cerebri, eius cõpressione destillantẽ per oculos, ex miseratione, cum se quis uel alterũ in mœrore miseratur, fluere, nos ipsi experimur. Flent & impij, sed horum fletum Dominus non exaudit. ut exemplo est Esaus, de quo legimus in Genesi: Et fleuit. item Dominus de repudiatis: Ibi erit fletus & stridor dentium. Sed cur aliorum fletus respicit Deus, alio-

rum

rum non item? Discrimen personarũ, earum & fides & diffidentia faciunt.

Addã diebus tuis.) Sed qb. diebus? diebus quos morbus finiturus erat, sub dispositiõe causarũ in natura repertarum: non diebus quos mẽs diuina, ultra quos nõ uiueret, ab æterno designarat.

Quindecim annos.) Ab æterno destinatos, quos ultra fines in natura determinatos uiueret. Si nostrum Ezechiam Christum benedictum spectas, eius perennem uitam, quam per resurrectionem è mortuis tertio die habiturus erat à diuino spiritu, per septenariũ & octonarium significari hic monemur, quorum numerorũ alter quieti, alter immobili & stabili perfectioni, qui cubicus numerus sit, quem bis bina bis sumpta efficiunt, consecratur.

Quid erit signum.) Non sunt uerba diffidentis Deo, sed quæ expresserit occulta diuinæ sapientiæ dispositio, ut per hanc eius umbræ reuocatio sũbstituta luce adumbraretur, de qua illud Apostoli: Hæc sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. Huius autẽ umbræ reuocatio suppositio corpore lucis, ut contigerit, cum Christus cœlestis Ezechias in cruce uitã deponẽs ad septenarium & octonarium perennis uitæ numerum erat transferendus, declarat scissum in tẽplo uelum, quod omnes ueteris fœderis umbras denotabat. Petit hic Ezechias signum, idq; nactus à morbo conualuit. Signum nimirum Messiam nactus, qui sol ille diuinus est, umbras atq; tenebras ignorantiæ Dei mortisq; & inferni suo appulsu repellens, & retro deuoluens, suaq; luce uiuificaueram uitam & sanitatem afferẽs. De qua umbra & caligine uates his uerbis meminit: Tu me in imum detrudis infernum, in profundæ caliginis locum. Miraculoso hoc signo & Ezechiæ fides cõfirmabatur, illius animo ad eum reuocato, cuius fide uerè animi confirmantur: & Domini potentiã ostendebat, qui lucis & tenebrarũ, mortis et uitæ, cœli & inferni Dominus esset. Huius enim amplificandi gratia, & ad hunc glorificãdum ut sanctorum animi per fidem reuocẽtur, signa atq; miracula edũtur. Signa igitur cuiuscunq; generis sint, admonendo & repræsentãdo cõfirmant & salutem ostendunt: res uerò quarum admonent, uerè & natura salutẽ afferunt, & consolationẽ.

Vis ut descendat umbra decem lineis.) In Hebræo est מעלות, uis umbram decem gradibus progredi, an decem regredi? Sunt qui hic nomine graduũ horas accipiunt, ut Paraphrastes, qui uertit שעיר: sed de horis nõ fit mẽtio in narratione. Si horas acceperis, dies illa ad triginta horas excreuisset, cum longissimus in Iudæa dies non excedat quindecim horas, quas loci latitudo, propè triginta tres partes maioris circuli in quo latitudo mensuratur, continens efficit.

Facilè est umbram crescere.) Quid hic uoluit Ezechias? Facilè ne esse solem regredi, & eius motum cum umbra mutari? Absit. Etenim sapiens & sanctus rex nouit, id futurum nõ fuisse sine insigni miraculo, semel uidelicet solis & siderũ conuersione, quam firmam & constãtẽ diuina prouidentia instituerat, immutata. Itaq; apparet Ezechiã, cum diceret facile esse umbrã decem gradib. proclinari, respexisse ad naturalẽ umbræ declinationẽ & progressum, quæ natura sua nõ reuertatur, sed unà cum sole procurrat.

Et reduxit umbram per lineas.) Legitur umbram retractã, non solem. Itaq; sunt qui uolunt, regressionem umbræ solum factã, non corporis solaris, nec tamẽ sine miraculo umbrã reuocatam, sed longè maius id futurũ fuisse sole quoq; retracto. Vtcunq; res habet, hic nemo neq; de horis quarũ in narratione non fit mẽtio, neq; de solis retractione curiosius disputet. Nam regressio umbræ ad decem gradus in unam horam designatos fieri potuit: & solem retractum esse hic non memoratur, sine cuius etiã reuolutione umbram Domini non facile retro agere licuit.

In illo tempore misit Merodach.) Sed quæ causa fuit, cur Babyloniorũ rex munera mitteret Ezechiæ? primò, ut id faceret, gratulandi Ezechiæ, qui curato morbo conualuisset, studiũ in causa fuit. Sic enim legimus hic: Audiuerat enim quòd ægrotasset. Additur in Iesaia: Et cõualuisset. Deinde ut cognosceret de portento, quod in Iudæa editum fuerat. Siquidem legimus in Paralipomenis, missos legatos à Babyloniorum rege, qui super portento quod audierat, interrogarent. Nam uerisimile est, quia Babylonij semper astrologiæ studiosi feruntur fuisse, eorum regem incitatum, ut miraculum de retracta umbra in Achazi horologio editum cognosceret. Augebat etiam admirationem, ante Hierosolymã deletus sine manu & armis humanis Assyriorum exercitus. Præterea uerisimile est, cum Babylonij Medos ab Assyrijs defecisse, hosq; profligatos ante Hierosolymam, & eorum regem ab Assyrijs interfectum percepissent, eos quoq; ad defectionẽ spectasse, quomodo nimirum Assyrij regni sedem Babylonem transferent, quæ antea Niniue fuerat. Non enim putandum est, duo fuisse imperia Assyrium & Babyloniũ: sed unum fuit, ut ex Daniele licet cognoscere, qui quatuor bestias,

ſtias, hoc eſt mundi monarchias deſcribit, non quinq;. Igitur ſedem ſolum Imperij mutatam intelligimus, non etiam Imperium. Quemadmodum non, quia olim Conſtantinopolim Romani imperij ſedes tranſlata fuit, ideo Conſtantinopolitanum imperium à Romano diuerſum fuiſſe exiſtimatur. Idem de Aſſyrijs & Babylonijs iudicatur: Hanc cauſam ſocietatis cum Ezechia contrahendi, Ioſephus libro decimo Iudaicarum antiquitatũ recitat. At poſtremò occultior cauſa redditur, ex legibus & decretis prouidentiæ diuinæ: cui cum uiſum eſſet ſpiritualis Babylonis imperium adumbrare, quod hæc in Hieroſolymam illam interiorem nouiſſimis temporibus erat habitura, placuiſſe diuinæ ſapientiæ uidetur, Babylonij regis nuncios excitare, qui in myſticam Hieroſolymam ad cuncta præſtantiſſima in ea rimãda mitterentur. Sicut etiam Babylon illa famoſa non prius Hieroſolymam myſtica repræſentatã occupare cœpit, quàm Meſſiæ cœleſtis Ezechiæ theſauros, qui Euangelio continentur, perluſtrauit, quas in templo Dei ſedens diriperet. Sed hac de re in prophetis fuſius meminerimus.

Lætatus eſt autem.) non laudata lætitia, quæ nimirum cum uana & rerum proſperarum oſtentatione coniuncta eſſet. In Paralipomenis enim libro altero legimus, Ezechiam gratum & memorem erga Deum non fuiſſe, ſed inſolentem ſuperbumq; ex proſperis rebus redditum. Quod ſuperbiæ exemplum in Ezechia documẽto eſt, periculoſiores eſſe res ſecundas quàm aduerſas. Nam Ezechias tempore rerum aduerſarũ probitatẽ conſeruauit, quam à uana ſuperatus gloria in rebus proſperis imminuit. Sic enim de eo ſcriptum eſt in Annalibus: Elatum fuit cor eius. Simile in Dauide exẽplum cernitur, qui turbine rerum aduerſarũ iactatus, tutus eſt innocentiã: Hieroſolymis nactus tranquillitatem & regium ſplendorem adulter factus eſt, & homicida. Igitur res proſperæ pijs ſuſpectæ eſſe debent, aduerſæ patienter ferendæ, quæ nobis fidem conſeruẽt & augeant, pœnitentiam foueant, inſolentiã reprimant, uiam ad ueram gloriam & cœleſtium bonorum participatum ſternant. Legitur hic, munera à Babylonio rege ad Ezechiam miſſa eſſe, non autem ab eo neglecta. qua in re etiam regis imprudentia reprehenditur, qui ſcire debuiſſet, hoſtium munera non eſſe munera. De quibus hæc iactatur ſententia apud Tragicum,

ἀλλ' ὅσιν ἀληθὴς ἡ ξενοτῶν πρόνοια,
ἐχθρῶν ἄδωρα λῶρα, οὐκ ὀνήσιμα.

Domũ aromatũ.) Non ſunt aromata in Hebræo, ſed theſauri. Proponitur uniuerſum rerũ quas Ezechias habuit genus, cui deinde partes et formæ opum ſubijciuntur, argentũ, aurũ, aromata, unguenta precioſa, & armarium. Omne ergo rerum ſuarum promptuarium Babylonijs oſtendit Ezechias. Qua in re ut deliquerit, res ipſa docet. Quid enim ſancta ciuitas Hieroſolyma cum Babylone commune habuit, ut regi eius ſacros theſauros oſtenderet, & quaſi proderet? quod cõſortium luci cum tenebris? Baali cum Chriſto? qui ſic admonet ſuos: Ne detis quod ſanctum eſt canibus, neq; proieceritis margaritas ante pedes porcorum, ne hi eas pedib. ſuis conculcent, & illi conuerſi lacerent uos. Quod accidit Ezechiæ, ſicut infrà legimus: Ecce dies uenient, cum omnia quæ domi tuæ ſunt, quæq; maiores tui in hunc diem congeſſerunt, auferentur Babylonem, nulla omiſſa re, inquit Dominus. Quàm fœdè enim Chaldæi Hieroſolymam diruerint, templum incenderint, eiusq; & Ezechiæ theſauros diripuerint, infrà narrabitur. Duo igitur hic loci nobis perpendendi fuerint: alter ciuilis eſt, alter Eccleſiaſticus. Ciuilis eſt, pernicioſum eſſe, rebuſp. exteris, qui uel aliquando hoſtes fuerunt, uel hoſtes fieri poſſunt, diuitias & opes ſuas oſtentare. Nam ut eſt regum auaritia inexplebilis, cupiditate hi opum alienarum accenſi, facile ad bellum inferendum, quo oſtenſis opibus potiantur, excitãtur. Hinc ab ijs qui de rebus ciuilibus ſcribũt, nimis diuites & potẽtes reſp. non ualde cõmendantur, quòd his alios inſidioſos eſſe intelligunt. Eccleſiaſticus autẽ locus eſt, opes diuinitus auctas, ſiue externas ſiue internas, ſiue terrenas ſiue cœleſtes ac ſpirituales, non eſſe ijs oſtendendas qui noſtræ religionis non ſunt: hoc eſt, profanis & impijs, ad quos nimirum hæ nõ pertineant: ſed eis moderatè ad amplificandum nomen Dei, non ad oſtentationem eſſe utendum. quod cum non feciſſet Ezechias, ut ſeuerè reprehenſus ſit à uate Ieſaia, mox liquebit. Vt autẽ Ezechias gloria et opibus floruerit, quantáq; exiſtimatione apud finitimas gentes fuerit, ex altero Paralipomenum patet. Hac gloria & rerum proſperarum ſplendore inflatus Ezechias, malè apud Dominũ audiuit. unde intelligimus, aliam rationẽ eſſe earũ diuitiarum, quas noſter Ezechias Meſſias Chriſtus Ieſus ſuis in noui fœderis diſpẽſatione promittit, & largitur: aliã earũ opũ quæ in ueteris fœderis adminiſtratione diuina bonitate promiſſa et tributa ſunt. Siquidẽ per has tantũ abeſt ut meliores reddãtur qb. contingũt, ut etiã niſi diuinus ſpiritus earum cupiditatẽ moderetur, deteriores euadãt: per illas

illas uerò, hoc est per diuitias cœlestis benedictionis, ut sunt sacri spiritus diuitiæ, meliores effici, qui eas adipiscũtur. Igitur rectè Apostolus dicit: Lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem. sed hac de re suprà aliquot locis, & in ipso Mose mentio facta est.

Vnguenta quoq;.) De balsamo interpretantur, quale optimum nasci Hierichunte ferunt: unde eam urbem ab odore יריחו appellatam uolunt. Nota enim est odoris uox ריח. Cuius uestigia apparent in Germana lingua Ruch.

Et in omni potestate sua.) Sunt qui hinc colligant, legatis Babylonijs etiam ea quæ in templo Dei continebantur, ostensa fuisse: ut erant mensa, candelabrum, ara, & uaria templi uasa. At sequens narratio hæc non explicat.

Venit autem Iesaias.) correcturus errata Ezechiæ, & eius insolentiam castigaturus: ut Nathan ad Dauidem, quem post cõmissum adulterium & homicidium ad pœnitentiam sollicitaret, uenerat. quod erat uatum munus.

Quid dixerunt uiri isti.) Non erant hæc uerba interrogãtis quæ nesciret, sed quærentis occasionem, sententiam diuinam commodè exponendi, in Ezechiæ insolentiam latam. Huius generis interrogationes crebrò occurrunt in sacris literis, ut alias annotatum est.

Ad me.) Non dicit, ad amplificandum nomen Dei Israel.

De Babylone.) cuius legatio & munera, ô rex Hierosolymæ, suspecta tibi debebant esse, non grata: ut Babylonis spiritualis, cuius illa figuram prætulit, munera pijs suspecta debent esse, ut cœlestis Hierosolymæ ciuibus, quibus cum Babylone illa confusionis matre & omni errorum lue defœdata nihil commune esse decet.

Et auferentur omnia.) Talionis lege agitur cum Ezechia, opes eius per aduersas res esse auferendas, quibus rebus secundis ad superbiã & fastum fuisset abusus: & à Babylonijs eas diripiendas, quas illis insolenter ostendisset. Hæc sententia Dei impleta est, cum Nabuchodonosor omnes regios thesauros Babylonem transtulit. De quo uideris infrà cap. 25.

Eunuchi.) Paraphrastes Chaldæus pro סריסים uertit רברבין, hoc est, principes: quales fuerunt interpretum sententia Daniel, Misael, Hananias, & Azarias: qui in Babylonis regia apud regem uersati sunt. Nam eunuchi principem locum apud reges habere soliti sunt. Itaque horum sententia eunuchi non sunt spadones, sed cubicularij, à Græcis appellati ἐχεμ κοὶτὴ ὄὖνμ à custodiendis lectis. Accedit huc, quòd apud Danielẽ legimus, à Nabuchodonosore suis negocium datum, ut quærerent qui ex Iudæis de regio semine essent. Itaq; non semper סריס uox de euirato accipitur: quòd nõ esset mos apud Iudæos quenquam de suo genere euirare, & spadones ad honores euehere. In Genesi etiam capite 39, סריס usurpatur de eo qui uxorem habebat.

Bonus sermo Domini.) Non purgat sese Domino de insolentia: sed agnoscens culpam suam, Dei sententiam æquo animo fert, ut æquam & immutabilem. Atque in eum usum Ezechiam tentatum à Domino, ex Paralipomenis intelligimus. sic enim scriptum est: Deseruit eum Deus, ut eum tentaret: ut disceret, quid omnino haberet in animo. Ex quibus uerbis hæc ordine perpendimus: Primò, ab ipso Deo etiam pios deseri, dum eos ad tempus sibi relinquit, diuino spiritu eorum pectora non mouente. sicut Ezechiæ accidisse legimus: Deseruit eum Deus. Idem euenisse Mosæ ad Aquas contradictionis, Dauidi, Salomoni, Petro & alijs constat. Deinde cognoscimus, si quæ rectè fiunt, ita rectè fieri, si Dei spiritu fiant, si adsit is mouendo & incitando: malè autem, si desit. Tertium est, deseri à Deo pios non temerè, sed certo consilio & ratione, ut eos tentet, hoc est periculum faciat num eorum pectus per fidem bene sit conpositum nec ne, num quid in eis lateat suæ gloriæ aduersum, nondum agnitum, sed agnoscendum, ut se ostenderit: & sic agnitum, diuina clementia in condonata culpa prædicetur. Exemplo hic est Ezechias, de quo legimus in Paralipomenis: Deiectus est. per pœnitentiam uidelicet, qua & dolorem de sua superbia concepit, & per demissionem animi diuinæ æquitatis sententiam commẽdauit, dicens: Bonus est sermo Domini. Demum discimus, aliter tentari nos à Domino, aliter à Satana: hũc nimirum tentare ut perdat, illũ ut seruet. alterum, ut in peccato pereant per desperationem qui tentantur: alterum tentare, ut in agnitione peccati suam diuinam bonitatem ad salutem adipiscendam sentiant. Alter igitur tentat, ut deiecti penitus concidant, omni erigendi se salutis spe præcisa: alter, ut humiles & demissi facti leuentur, Dei plena gratiæ et fauoris manu suppositi, è qua nequeũt scripti in libro uitæ excidere. de qua manu Dauid, eã toties expertus sic canit: Non collidetur cũ ceciderit, quia Dominus supponit manũ suã. Hæc manus efficit, ut Deus p̃ sua clemẽtia nõ sinat hoc in mũdo ulla mala fieri, quæ

quæ non maiora consequantur bona: ut id mysterium arcanumq; crucis consiliũ declarat, in quo uulnera infliguntur, ut præstans ualetudo inde oriatur: in infernum fit deiectio, ut cœlum splendore diuinæ benolentiæ plenum aperiatur: temporaria mors infligitur, ut ei æterna & perennis uita succedat: in casum dantur electi, ut cum Mose, Dauide, Ezechia & Petro, cum salutis fœnore resurgant. Hæc sunt stratagemata militiæ sanctorum, quæ duce Christo exercentur. Qui suis per crucem & gloriam, per infirmitatem & robur, per humiliationem & exaltationem præiit per omnia, nobis similiter excepta culpa tẽtatus. A qua culpa cum liber esset, factus est peccatum & maledictũ, qui nos à peccato & maledictione liberaret. Quod uictoriæ genus est ualde mirabile, peccato uidelicet peccatum & maledictionem maledictione uincere.

Et ueritas.) אמת fides est, quam Deus in præstandis promissis seruat.

Et aquæductum.) Narratur prudentia ciuilis Ezechiæ, quam cum religionis studio coniunxerit. In quo boni regis imago nobis ad contemplandum proponitur. Decere uidelicet eum, ut & religionis amore, & conseruandæ reip. prudentia, qua ea curet quæ ad felicem ciuium statũ tuendum pertinent, uigeat. Constat autem felix reip. status triplici bonorum genere, fortunæ, corporis & animorum. His ut abundaret regnũ suum, Ezechias elaborauit. De fortunæ bonis legimus in Paralipomenis, ut diuitijs & gloria floruerit, ut thesauros argenti & auri cõpararit, ut cellas ad frumenti, musti, oleiq; prouentum construxerit, ut stabula ad omne armenti genus caulasq; ad pecora ædificarit, ut oppida instaurarit, quod ad bellicam curam attinebat. Corporũ autẽ bona in robore, agilitate & ualetudine cernebantur. Hæc pius rex conseruabat, ciues suos agricultura & honestis studijs exercẽs. Animorum autem cultus conseruabatur ueræ religionis legisq; diuinæ obseruatione. Quã religionẽ iam collapsam ut restituerit, falsa euersa, ex superioribus patet. Quæ præclara studia effecerunt, ut huic regi & eius ciuibus cuncta feliciter, uicto per angelum Dei ante Hierosolymã Assyrio, successerint. Veluti legimus diuinitus ingentes opes eum adeptum, & feliciter in omni opere se gessisse. Qua de re etiam apud Iesaiam extat oraculũ, suo loco explicandum. Quod autẽ hic narratur, eum facto aquæductu, aquam in urbem induxisse, id planius exponitur in altero Paralipomenum libro: ab Ezechia nimirum aquas fontanas quæ extra urbem erant obturatas, fluuiumq; qui per mediam regionem manabat obstructum, ne si Assyrij uenissent, aquam inuenirẽt. Et in eodem libro nomen fontis ponitur, quod hic reticetur. scriptum enim est, aquarum scatebras superiores Geonis fontis obstructas fuisse, & eas subter occidentalem urbis Dauidis partem deriuatas. Atque idipsum est, quod hic legimus aquæ ductum factum, per quem in urbem aquæ inducerentur. Vt noster cœlestis Ezechias scatebras aquarum uiuentium in suam cœlestem Hierosolymam deriuet, quibus aduersus suos hostes reficiatur, & ab eis illos abarceat, indicat Ioãnes his uerbis in Apocalypsi: Et ostendit mihi purum fluuium aquæ uiuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & agni.

IN CAPVT XXI.

ET regnauit Manasses.) filius impro bus pio patri succedens. Quæ humani generis misera cõditio est, de qua iactatur hæc sententia sæpe citata: Heroum filij noxæ.

Duodecim annorum erat.) Quæ puerilis ætas obnoxia fuit malis malorum sacerdotum & prophetarum consilijs. Vetus est sententia, Improbitati nihil deesse præter occasionem. Hanc nacti falsi uates, Baalim & excelsorum sacerdotes, qui Ezechia Manassis patre regnãte nihil præ metu eius tentare audebãt: illo autẽ mortuo adepti occasionem, pueri regis animum ad falsam religionem reuocandam, ex qua intermissũ quæstum facerent, pellexerunt. At is miserabilis casus est rerum humanarum, ut falsa ueris, mala bonis, honestis turpia succedant. Quare sapiens Salomon uerè & sapienter docet, omnia sub cœlo uanitati obnoxia esse, nihilq; in rebus humanis firmum & stabile cerni. Intueamur nostra tempora. Quanti igitur constiterit Ezechiæ, tot hostibus externis & internis repugnantibus, ueram religionem falsa sublata restituere, ex hac & superiore narratione clarè patet.

Et quinquaginta quinq; annos regnauit.) cum pius pater solum uigintinouẽ annos regnasset. Quem etiã filius ætate superauit. Sexaginta enim annos uixit, cũ pater solum quinquaginta quinq; uixisset. In quo bonitas diuina agnoscitur, quæ Manassi decepto à falsis uatib. & improbis sacerdotibus, uitam ad pœnitẽtiam producere uoluit, per quam sua scelera cõfitens, Dei misericordiam amplificaret.

Fecitq; malum.) contrà quàm pater fecit, de quo suprà: Fecitq; quod erat bonum coram Domino.

Sicut

Sicut fecerat Achab.) Quẽ inter reges Israel primum lucum parasse constat. Nam qui ante eum regnarũt, in Ieroboami uijs ambulasse leguntur.

Et adorauit omnem militiã.) Sidera cœli צבאות, hoc est exercitus appellantur ac copiæ, q; ritu exercitus certo instructa ordine in cœlo ingrediuntur. In hoc exercitu duo siderũ genera continentur, alterũ eorum quæ errantia appellantur, ut sunt Luna, Mercurius, Venus, Sol, Iupiter, Mars, & Saturnus: alterũ eorum quæ cœlo inhærent, ut sunt reliqua astra. His Manasssem more cæterarum gentium, diuinum honorem contra legem de non adorandis astris dedisse. De qua Moses in Deuteronomio his uerbis meminit: Ne fortè leuatis oculis in cœlum, uideas solem, lunam & stellas, cũ uniuerso exercitu cœli, & impulsus adores atq; colas ea. Cur aũt sidera adorari non debeant, duplex ratio à Mose exponitur. Vna est, q; unum solum diuinũ numen sit, à quo cuncta oriuntur & reguntur, non plura: Dominus Deus tuus unus est, unus creator huius uniuersitatis, unum bonum, unũ pulchrum, una sapientia, una perennis uita, cæteris ut uiuant, ut bona, ut pulchra sint, tribuens. Altera causa est, quòd astra cõdita nõ sint quæ adorẽtur ab homine, sed ei ad ipsius usum motu et lumine seruiant. Sic enim ait cap. quarto Deuteronomij: Quæ deus omnibus populis qui sub cœlo sunt, partitus est, ut eis motum, lucem, discrimenq; dierũ & noctium faciant, partiumq; anni uices temperẽt: sole suæ lucis accessu & recessu uer, æstatem, autumnum atque hyemem efficiente. Si igitur creata sidera sunt, quæ nobis seruiant, non imperent, nobisq; ut dominis mundi subiecta sint, tanquam motus & lucis in hæc inferna fundendæ instrumenta: efficitur, ea nequaquam tanquã deos & dominos adoranda. Siquidem turpe fuerit, seruos à dominis ueluti numen diuinũ coli. Sunt autẽ ueri Israelitæ, hoc est spiritu Christi gubernati homines, ex iure fœderis diuini in Christo, domini omnium: domini inquam cœli & terræ, & omnium quæ cœlo & terra continẽtur, per eum de quo uates: Omnia subiecit pedibus eius. Exoritur hic de cœlo & sideribus uetus quæstio, diu multumq; à doctis hominibus agitata, cœlum ne et eius sidera animata sint, necne. In qua explicanda nõ meminerimus quæ Platonici de anima mundi disputarunt, utq; mundus is magnũ animal appelletur. Sed obiter atq; breuiter exponemus ex sacris literis, quid de cœli & eius astrorũ anima statuẽdum sit. Si anima generatim accipitur pro agitante mouenteq; ui, qua res conditæ agitãtur, mouentur atq; conseruantur: nemo negarit, cœlum & astra suam animam habere, qua tam constantem motum perficiant. Etenim in hãc uniuersitatem diuina uis, qua cuncta existant, uiuant & moueantur, diffunditur. De qua ui Apostolus in hunc modum loquitur: Per ipsum sumus, uiuimus & mouemur. Hunc animum in omnem rerum naturam pertinentem, gentiles etiam philosophi non ignorarunt, & de eo Latinus uates sic canit:

Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra,
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Sin uerò anima accipitur pro agente ui, qua quod per eam mouetur & agitatur, uiuere, sentire atq; intelligere dicitur, quomodo per suam animam stirpes, animãtia sensu & motu prædita uiuere dicũtur, quæ ex corpore & anima tanquã ex partibus conflata affirmamus: si inquã hoc modo usurpatur, ut cœlum & eius sidera animata confirmemus, ex sacris literis nulla constat ratio, sed earũ testimonio contrarium probatur. Nam Moses in libro de Origine mundi primo, inter eas res quas à Deo recensẽt conditas, cœlum & terram numerat, & utrunque ut ad decus & speciem suam à diuina sapiẽtia expolitum sit docet. In eo autem ornatu describendo non refert, ut cœlum cum suis astris animans sit: qui animantia alia in terra, alia in aqua, alia in aere, nulla autẽ in ea parte cœli quæ astris distincta & ornata est, collocat: nõ præteriturus sanè silentio, si in æthere animantia sensum & mentẽ habentia uiuerent, ut in infernis mundi elemẽtis uiuunt. De quibus animantibus sic loquitur Moses: Producat aqua natatiles animantes, & uolucres quæ supra terrã in aere uolent. & de terra: Producat terra animantium genera: non uerò de cœlo, Producat cœlum sidera quæ animata sint, sensu & animo prædita. sed solum legimus: Fiant luminaria in cœlo ad collustrandas terras, & ad discernendum diem à nocte. Quod si cœlum saperet, & intelligentia rerum excelleret, non minus cum astris suis libero motu esset, quàm homo, qui mentem & uoluntatem habens, non certo & definito motu ut cœlum, sed libero & multiplici in quamuis partem mentis ui se mouens & agitãs fertur. Quod si planetæ uago in cœlo modò ortũ, modò occasum, modo aquilonẽ, modò austrũ uersus ferũtur motu: is tamẽ motus suas leges, definitas à diuina prouidẽtia præscriptas seruat, quas transgredi nõ liceat. Itaq; ut terram, aquam, & spirabilem aerem nobis circũfusum, simplicia corpora, ad simplicẽ motionẽ quam conficiant, condita, animata non uocamus, quomodo animalium corpora animata dicuntur: ita neque superiorem cœli partem suis luminibus descriptam, anima quæ sensu & mente ualeat,

præditam dicemus, sed cœlum liquidum & simplex corpus ab opifice Deo creatũ affirmabimus, quod simplici, rata constantiq; conuersione atq; luce nobis, cæterisq; infernis rebus ad temporum uices distinguendas, atq; ad res in terra & aquis generandas deseruiat. Nam hæc in cœlo nobis considerandæ sacræ literæ proponunt, & ea in illo ipso animaduertimus, non ut animans sit cuncta sensu & mente perlustrans. Hæc enim intelligendi omnia uis Deo sapientissimo mundi moderatori & cœlestib. animis decretorũ illius sedulis ministris, atq; homini ad diuinã imaginẽ effecto animanti assignatur. Qui homo in umbilico uniuersitatis huius collocatus est, qui cuncta intelligentia ad amplificandum Deum, obiret atq; perlustraret. Atq; is uerè intelligens cœlum, in quo Deus habitet, appellari potest, ut etiã diuinitatis templũ & habitaculum appellatur. Quod si cœlum tale animal sapiẽs & intelligens esset, sacræ literæ alicubi monerent, ab eo etiam Dei faciẽ cerni, ut eam angeli cernere & cõtemplari dicũtur. monerent item, Deum cum cœlis loqui, ut cũ angelis & homine loquitur: atq; eos sensu & mente nobis ministrare, ut angeli nobis precando, & eas res meditãdo quas nobis salutares intelligunt, ministrare legũtur. At de cœlis materiatis tale nihil neq; sacris proditũ, neq; usu compertũ est: sed solũ ut lumine & motu, & ea parte quà nubium receptaculum sunt, fundẽdis in terræ sinũ pluuijs nobis inseruiãt, in scriptura diuinitus tradita indicatur. Demum hæc nusquam mõstrant, cœlum ad eam beatitatem peruenturum, ad quã homo peruenit. Perueniret autẽ, si ut homo mente præditũ animal esset. Qui quoniam ad Dei speciẽ, quam repræsentaret, conditus est, eorum bonorũ particeps est quæ Deus possidet: hoc est, diuinæ sapientiæ, iustitiæ, uitæ & gloriæ. Cœlum autem ad Dei speciem atq; imaginẽ effictum esse, ut hominem, neque Moses, neq; reliqua scriptura ostendit. Iam uerò, quæ in Christo Dei similitudinem non exprimũt, neq; ea felicitate fruentur, qua Christus & qui in Christo ut mẽbra in capite cõtinentur, fruũtur. Testatur quidẽ diuinus spiritus, cœlos nouos creãdos: sed nusquã testatur, ita eos instauratũ iri, ut in participatũ eius gloriæ, quæ homini diuino animali, & angelis parata est, ueniat. Quam sanè nõ magis assequẽtur, quàm terra, olim quoq; instauranda, assequetur. Quod si quis dicat, mẽtes illas cœlestes angelos appellatas, in animis cœli & siderũ haberi: has mẽtes simplices et separatos spiritus esse, à corporũ mole quã forment atq; animẽt liberos, non in usum animãdi cœlos, sed ad seruiẽdum homini qui in terra uersatur, tanquã interpretes atq; nũcios cõsiliorum Dei creatos esse ex sacra scriptura cognoscimus, ut id ex Mose, prophetis et noui fœderis literis constat. Obijciat aliquis, cœlestiũ corporũ dignitate, qua nostris corporibus puritate & firmitate præstant, comprobari, ea animata esse, & præstãtiore quidẽ anima quàm humani animi sint: quòd uerisimile sit, in nobilioribus corporib. nobiliorẽ habitare animum. Non efficitur, quia aliqua ex parte corpora cœlestia nobiliora sunt nostris corporib. puritate uidelicet & firmitate, ideo omnino perfectiora & nobiliora esse. Nam si simpliciter loquare, humana corpora cœlestibus in eo præstantiora iudicantur, quòd ita diuina ratione temperantur, ut in eis animi proximè, nullo interiecto meliore opere, ad diuinam mentem atq; naturam accedentes uersentur. Talibus autem corporibus, tam ab excellenti natura animatis, quæ quæso in hac rerũ uniuersitate excellentiora corpora inuenias? Hæc porrò nõ solum creatarũ mentiũ, sed etiã diuini spiritus templũ & domiciliũ dicuntur esse, quod nusquã de aspectabilibus illis & corporatis cœlis affirmatur. Quod si ad præsens infirma atque fragilia, & ob contractam culpam à primis parẽtibus impura sunt humana corpora, in eis fœda cupiditate aduersus diuinam legem grassante: non tamen inde consequitur, ea semper talia fore: cum sit futurum, ut excitationis eorum ex terra beneficio, eam claritatem & puritatem sint habitura, quæ longè cœlorum claritatem superet, ut quæ ad splendorem corporis Domini nostri Iesu Christi sint conformanda, cuius claritas infinitis partibus omnium corporum claritati antecellit. Siquidem constat, Christi humanam naturam in cœlum diuinitatis splendore illustre, super omnes materiatos cœlos elatam, in quo ille super solium Maiestatis diuinæ sedens, omnia gloriæ & maiestatis suæ imperio replet. Ad quam gloriam creatum & aspectabile cœlum nunquam perueniet. Præterea si cœlum homine præstantius animal esset, uerbum illud sacrosanctum, quo cœlum & terra & omnia quæ his continentur, condita sunt, non homo, sed cœlum factum esset. At accidit, ut homo fieret, nõ cœlum: homo inquã, hoc est ea natura, per quam, & in qua cum Deo omnia tum cœlestia tum terrestria instaurarentur atq; pacificarentur: ut id Apostolus in ea epistola quam ad Colossenses scripsit, sapienter cõprobat. unde contingit, ut non legamus uniuersam creaturam ingemiscentẽ expectare, ut noui cœli creentur: ut expectat filiorum Dei, quo nomine cœli non appellantur, gloriam patefieri. de quo amplissimè uereq; idem Apostolus in epistola ad Romanos loquitur. Dicunt aliqui apud Hieremiam legi, à Iudæis reginam cœli adoratã, quæ nihil aliud possit esse quàm cœli, & eius siderum anima. Hebræi interpretes, qui

qui eum locum interpretãtur, dicunt, מילבת idem esse quod מילאבת, hoc est machinam cœlestẽ: de anima quam cœlum habeat, nullam facientes mentionẽ. Quare Paraphrastes Chaldæus pro מילבת reddit לכוכבת שמיא, stellis significatis, non anima cœli. Quòd si regina placet, hæc regiũ, hoc est clarum & illustre sidus, non anima qua cœlum sit animatum, fuerit. Obijciat aliquis, cœlo in sacris literis tribui auditum: unde efficiatur, audiendi auscultandiq; ea quæ Deus loquatur, sensum ei inesse. Sic enim legi apud Mosem in Deuteronomio: Audite cœli. item apud Iesaiã uatem: Audi cœlum. Fatemur quidem cœlo auditum tribui, sed figuratè eo modo quo inanimis rebus sensus & sermo per prosopopœiã tribuitur. Sicut etiã terræ auditus assignatur, Auscultа terra: quam tamen nemo propterea, ut stupidum mundi elementũ, auditu præditam esse dicet. cur in sacris literis cœlum & terra eis auditu affecto, in testes adducãtur, ea de re in Deuteronomio & Iesaia ratio exposita est, quã nihil ad præsens argumentum intersit retexere atq; repetere. Similiter à Dauide inducitur cœlum, & eius sidera, celebrare Dei laudes: sed ea ratione, qua etiam cæteræ res, ut ignis, grãdo, nix, glacies, montes, arbores, pecora & uolucres inuitantur ad laudandum opificem suum: non quidem ut intelligamus, hæc mentem & sermonem habere, quo Deũ laudibus uehant: sed quòd munus suum à Deo designatum, legẽ diuinæ prouidentiæ seruãtia obeunt, dicuntur Dei sapientiam & bonitatem laudare. Veluti Dauid ipse explicat, ubi psalmo centesimo quadragesimonono canit: Verbũ, hoc est imperiũ eius, exequuntur. Qua in re declarant, se magnifacere conditoris sui uoluntatem, homine eorum nomine uerè tanquam interprete Deum celebrante & laudante per Dominum Iesum Christum, cui sit gloria & honos in æternum, Amen.

Aras in domo Domini.) Perfidiæ ab attributo loci amplificatio. Impius rex Hierosolymis, urbe electa Dei, & in tẽplo nomini diuino sacrato, dijs alienis aliena sacra facere ausus est. Submoto uelo, quid Antichristus in templo spirituali tentet facere, explicat Apostolus in altera epistola ad Thessalonicenses.

Et ariolatus est.) contra legem, de qua Leuitici 19. Vbi duæ uoces usurpãtur, quibus hic quoque utitur, ענן ונחש. Quarum altera ענן scilicet de ijs dicitur, qui superstitiosius aerẽ nubium sedem ex siderum inspectione obseruant, eius tempestatem & temperiem rimantes. Nam ענן nubium uox nota est. Hinc uerbum ענן deciſum uolunt, quo generatim eos notari tradunt, qui tempora, horas & momenta ad res gerendas ex siderum cœli positu scrutantur, & ex eorum significatione pendentes uitam suam moderantur, quos decebat à siderum & aeris rectore & Domino pendêre. Altero uerò uerbo, quod est נחש, auspices, haruspices, fulguratores, sortilegi, & quotquot signa ad capiendum experimentum & coniecturam de euentis quales futuri sint, explorant, significantur. נחש enim periclitandi & experimentum capiendi uerbum est.

Pythones.) אוב in Leuitico cap. 19. Græci uertunt ἐγγαστρίμυθος, id est uẽtriloquos, qui uel uentris causa, qui eorum Deus sit, uaticinentur: uel ex uentre maligno spiritu inflati mussitante, sua oracula edãt. Nam hoc spiritu afflatos ab אוב, hoc est lagunculis sic dictos putant, quòd responsa sua obtusa uoce reddunt, perinde ac si è lagũcula loquerentur. Quò pertinet illud apud Iesaiam: Consulite Pythones & diuinos, qui mussitant. Cæterùm אוב, ex mortuis diuinans spiritus erat, ut ex Samuelis libro de Saulo patet: Dixitq; Saul seruis suis, Quærite mihi mulierem præditam spiritu Pythonis. ubi אוב uox usurpatur. Atq; talem spiritũ solitum uersari in euocatione mortuorũ, textus declarat, qui mihi sequitur: Dixitq; ei mulier, Quem suscitabo tibi? Qui ait, Samuelem mihi suscita.

Et ultrà non faciam commoueri pedem.) Periphrasis exilij.

Sed seducti sunt à Manasse.) regis flagitijs redundantib. in plebẽ. Hinc sapiẽs Salomon in Ecclesiaste suo dicit: Væ terræ cuius rex puer est. Manasses & ætate puer erat, cum iniret regnũ: & puerũ, hoc est stultũ regẽ, cum ex puerili ætate excessisset, egit. Grauis sanè est stultus rex: sed grauior, si etiã ab imprudentib. & stultis cõsiliarijs regatur. Sed longè grauissimus, si bonis & sapientib. cõsiliarijs atq; diuinis uatibus parêre minimè sustineat, sed inimicè eos insectetur: ut fecit Manasses.

Funiculum Samariæ.) A fabris mutuatur translatio. Amussim non ædificatoriã, sed destructoriam se extensurum super Hierosolymam dicit. Vates Iesaias hanc amussim קורתהר, id est normã ac amussim uastitatis appellat.

Sicut deleri solent tabulæ.) Hoc est, Hierosolymam sic detergam, ut detergi patella, & detersa in pronum uerti solet.

Dimittam uerò reliquias.) Suprà legitur de Hierosolyma, Egrediẽtur reliquiæ, & quod saluetur de Sion. hic uero, Deserã reliquias hæreditatis meæ. Hæ reliquiæ quæ regnãte Ezechia in uiam redierãt. sub Manasse improbo rege à Domino Deo suo defecerũt. Itaq; tota Iacobæa familia ad tempus repudiatur, etiã Hierosolyma ciuitas electa Dei, ut sese pari perfidia cum Israelitis obligasset.

Summoto mysticæ historiæ uelo, occurrit Ecclesiæ status, quẽ defunctis iam Apostolis legatione sua, habere cœpit: in quo subinde reb. illius in deterius delabentibus, ut miserè profanato templo Dei per spiritualem Babylonẽ Antichristũ in orbe terrarũ omnia errorũ suorũ uino Babylone illa nobili scorto inebriante deuastata sit palàm est. Intueamur superiora tempora, & nostra, quibus Mahumetus & bestia septem colles inhabitans regnarunt, & etiamnum regnant facta defectione, de qua Apostolus in altera ad Thessalonicenses epistola meminit: & uastitate inducta abominabili, de qua Christus Dominus noster per allusionẽ ad mystici templi & Hierosolymæ uastationẽ, mẽtionẽ Matt. 24. facit.

Insuper & sanguinẽ innoxium.) Cum rebellione aduersus Deũ, qua in primã commissum est tabulã, trangressionẽ alterius tabulæ qua in insontes uates & in eos qui falsam religionẽ amplecti recusarũt, grassatum est, coniunxit. Sic omnibus tẽporibus sæui tyranni, idololatriã draconis ore traditam mordicus tuentes, eos crudeliter igni, aqua, laqueis & gladio perdere student, qui agnum sequẽtes, Deum patrẽ spiritu & ueritate colere student, ut impleant sententiam illam statim ab initio pronunciatam: Inimicitiam ponam inter semẽ tuum & semen illius. Consideremus nostræ Hierosolymæ profanationem.

Donec impleretur Hierosolyma usque ad os.) Paraphrastes, ab ora ad oram: hoc est, passim fusum innocentẽ sanguinẽ. Nostro simi liter Græci, στόμα. Veteres interpretes etiã Iesaiã à Manasse trucidatũ tradũt, quòd dixisset se uidisse Dominum super excelsum solium sedentem. aduersus quẽ dicunt hæc Mosæ uerba citata: Non uidebit me homo, & uiuet. Nos quia nihil ex sacra scriptura firmi ea de re afferre possumus, relinquamus hæc suis autorib. Verisimile tamen est, huic uati improbissimos quosq; propter cõstantiam quã in tuendo uero cultu Dei, & euertendo falso tenuit, maximè infestos fuisse, eisq; ad interimẽdum illum neq; animum neq; consilia defuisse, quo suo parenti Satanæ, qui ab initio homicida est, satisfacerent.

Reliqua autem sermonũ Manassæ.) in quorũ altero libro narratur, ut Deus Manassem ob flagitia sua in Babyloniorum potestatem tradiderit, eo uincto Babylonẽ abducto. In eisdem Paralipomenis exponitur, Manassem, ut pœnitentiam scelerum egisset, exilio liberatum, regnoq; restitutum. Vnde cognoscimus primò, quam fœda res sit peccatum, quòd nos Dei beneuolentia & amicitia priuet, & in crudelium hostium potestatem dedat. Sed horribilior erat captiuitas & nexus Satanæ, quo uinctus tenebatur ad mortis & inferni tenebras abiectus. Deinde intelligimus, quàm salutaris sit pœnitentia, & grata ipsi Deo, & angelis eius, quæ Deum placet, & ex seuero iudice patrem reddat, ut in Annaliũ altero libro scriptũ est: Cumq; in angustia esset, Dominum Deum suum precatus est, qui ei placatus est. Vnde quoq; discimus, quanta sit clementia Dei, qui etiam crudeles Manasses non recusset in gratiã recipere, ubi ipsos uiderit suorũ delictorũ pœnitudine duci. Itaq; is uerè de se prædicat: Nolo mortẽ peccatoris, sed potius ut pœnitentiã agat, & uiuat. Tertiò hic monemur, omnia delicta ueniã impetrare, quæ in eo qui deliquerit, pœnitentiã quæ Deo probetur nõ excludunt. Probatur aũt Deo pœnitẽtia, in qua nos nostrorũ peccatorũ clementis Dei amore pœnitet. Qualis pœnitentia Manassis fuit, quem legis sic precatum: Qui Dominus sis toto terrarum orbe supremus, benignus, ad iram lentus, in primisq; misericors. Postremò cognoscimus ex hac narratione, uitia & scelera scelerosorum nobis debere odio esse, non personas. sed cogitandum illud: Qui stat, uideat ne cadat. qua in meditatione nobis proponitur ad imitandum bonitas diuina, quæ ad pœnitentiam quam agant, legis transgressores tolerat, transgressionem & culpam odit & detestatur. Si quis percunctetur hic, quos fructus Manasses pœnitentia dignos tulerit? hi in eodem annalium libro iam citato narrantur, ab eo alienorum deorum cultum sublatum, & uerum restitutum, Iudæos ad rectè colendum Deum in uiam reuocatos. Qua ex re intelligimus, quatuor in rebus pœnitentiam cerni: in peccatorũ uidelicet, quã lex in crucis angustia efficit, agnitione: alterũ est, odium scelerum, Dei amore, non pœnæ metu subortum, cum dolet nobis quòd diuinam bonitatẽ offendimus, non huius, Dei metu, sed amore bonum persequentes, malum fugientes. Vnde tertiò discimus, fide nobis opus esse, qua clementia Dei nitamur, qui uelit condonare delicta, et eorum gratiam in filio Messia facere pro sua benignitate, qua propensior sit ad seruandum quàm ad perdendum: quorum alterum natiuum ei sit, alterum non natiuum, sed alienum ab eius natura & ingenio. Demum in pœnitẽtia pietatis officia & bonæ actiones, quæ uerè nos pœnitere peccatorum declarent, spectantur. Quare Ioannes baptista pœnitẽtiæ prædicator ad Pharisæos sic ait: Edite igitur fructus qui deceant pœnitentiã: hoc est, innouationẽ uitæ, deposita exutaq; uetere uita. Hæc ut desideretur hodie in hac Euangelij patefactione, omniũ piorum hominum querela est. Atq; cum hæc indies, magis magisq; Dei proximiq; amore refrigescente, negligitur, quid aliud expectãdum erit, quam ut illud uatis impleatur: Percutiam terram anathemate.

In

In horto Oza.) De hoc rege uideris suprà cap. 15. qui ut non in sepulchris maiorum suorum sepultus est, ita nec Manasses.

Per quam ambulauerat pater eius.) In Paralipomenis additur: Neq; humiliatus est coram Domino exemplo patris sui Manassis, sed accumulauit delicta. uitia igitur, ut ferè fit, patris, non uirtutes, improbus is filius repræsentauit. Quæ improbitas celerem ei interitum attulit, qui solum uigintiquatuor annos uixerit, & duos regnarit.

IN CAPVT XXII.

Octo annorum erat Iosias.) impio patri pius filius in regno successit, ne sententia illa irrita fieret: Vt remaneat lucerna Dauidi seruo meo. & oraculum illud tandem impleretur, Ieroboami tempore editum: Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine.

Per omnes uias.) Notatur nomine uiæ recta uiuendi ratio, à lege monstrata, & à Dauide usurpata. imò sacra uia est, in qua qui ambulant, non errant. de qua, uia ipsa: Ego sum uia, ueritas, et uita. Est & uia sceleratorum, contraria uiæ iustorum, de qua Dauid pater Iosiæ his uerbis: Et in uia peccatorum non stetit. in uia, hoc est praua uiuendi ratione, consilijs & institutis. Hanc uiam improbitatis suprà Amonem instituisse legitur.

Ad dextram.) Dei uerbo addens, per hypocrisim.

Ad sinistram.) Dei uerbo adimens, per ipsius contemptum. Regia uerò uia & medium iter tenetur, cum ad præscriptũ uerbi Dei uiuitur, fide nostros animos, studia, uitam gubernante, per diuinum amorem, non ratione humana.

Vt confletur pecunia.) Explicato genere probitatis regiæ, iam partes eius ordine exponuntur, initio facto à reparandi tẽplum studio. cuiusmodi suprà fuisse in Ioas rege cap. 12. legimus: à quo ad Iosiam fluxisse annos ducentos uigintiquatuor, colligitur. Cæterùm ריהם, est conficiendæ summam pecuniæ uerbum.

Veruntamen non supputetur eis argentum.) Indicatur, operis curatores fuisse integros & probos, quibus necesse non fuerit expensam ferri pecuniam.

Librum legis reperi in domo Domini.) qui regnante Manasse contemptus iacuisset, rege cum populo ad idololatriam cõuerso. Sunt qui tradunt ab Achazo librum ad comburendum quæsitum, cum regnaret: tumq; absconditum, ne in manus eius ueniret: iam uerò Iosia ad regni gubernacula sedente, illum repertum. Alij absurdum esse putant, hunc librum Ezechiam latuisse, qui omnia ex præscripto mentis diuinæ in diuino illo libro explicatæ egerit. Proinde ad Manassis tempora referunt eius neglectionẽ, quibus falsa religio, uera euersa, obtinuerit, ueris uatib. trucidatis, falsis in honore habitis. Atq; hi tradunt, iam Manassem ad pœnitentiam reuocatum, breui illo tempore quo superuixit, legis libro animum non adiecisse. Apparet autem, librũ in ipso adyto prope arcam repertũ, in qua iussus est decalogus reponi, ut in Exodo capite 25 scriptum est. Ex hac narratione intelligimus, quàm necessarius sit usus uerbi Dei: quo uno, si adsit, uera religio cõseruetur, & falsa profligetur: cõtrà eo absente, neglectoq;, ueram amitti, & falsam recipi: ut hæc historia Regum & Iudicum documẽto est. Intueamur tẽpora Antichristi superiora & nostra, idem accidere cõperiemus. Iam uerò ut Iosias noster cœlestis Messias benedictus, regnũ suũ instauret, reperto, qui diu neglectus latuit, Euangelij libro, nostra tempora comprobant.

Coram rege legendum.) Ex lege Mosæa, qua ut liber peculiariter regibus legendus cõmendetur, ex Deuter. cap. 17 patet.

Et Achabor.) In Paralipomenis uocatur is עברו. binominis igitur fuit.

Super me.) se nominat, ut gubernatorẽ: deinde populum, ut cuius salus ei tanquã rectori esset commendata, sed quæ sine Dei uerbo nõ cõsisteret.

Magna ira Dei succensa est.) cuius lex iam memorata, ministra sit, quæ etiam ignea in dextra Dei uersari dicitur: ut etiam diuinus thronus igneus à prophetis describitur.

Adholdam propheten.) Consulere hic legitur Addam uatem, nõ Hieremiam: quòd is Hierosolymis non habitaret, sed Anathote, quæ Beniamin tribus urbs erat. Hieremiam autem uatem tum floruisse, ex primo libri Hieremiæ capite liquet, in quo sic legitur: Quod factum est uerbum Domini ad eum tempore Iosiæ filij Amon, regis Iuda, anno regni eius decimotertio. Itaq; tres uates regnante Iosia floruerunt, Zophonias, Hieremias & Holdam.

In secunda.) Paraphrasti משנה est בית ארלפנרא, id est schola, in qua Holdam uates uersata sit. Sunt interpretes, qui Hierosolymam in duas partes diuisam fuisse putant, in quarum altera uersatam Holdam uolunt, atq; id esse במשנה. Sunt qui Hierosolymam tradunt tetrapolim fuisse, cuius secunda pars hic indicetur, in qua habitarit Holdam. Qua de re uideris suprà capite primo libri Iudicum.

Super locum hunc.) significatur hostis Babylonius. Iratorũ parentum ingeniũ præ se fert, qui ira commoti, nominatim eorum quibus irascun-

tur, meminisse dedignantur. Itaq; non dicit, se malis affecturum Hierosolymam & Iudæos.

Et omnia uerba legis.) cõtinentis testificationẽ iræ diuinæ in improbos, & clementiæ in probos. Hinc Dominus: Est qui accusat uos, Moses.

Et sacrificauerunt.) Hebr. suffitũ fecerũt, neglecta suffitoria ara in templo, ad adolẽdum Domino Deo Israel, collocata. Quæ ueram illam aram Mosæa adumbratam in Antichristi regno contemnant, non est obscurũ. Messias est sacrosancta illa ara, supra quam unã precum suffitio facta ad thronum clementiæ diuinæ euolans, exauditur à patre. Veluti hæc ipsa ara de se dicit: Quæcunq; petieritis nomine meo, &c. Vt autem is thronus, ad quem sanctorũ precatio peruenit, loco circumscriptus nõ sit, sed tam longè lateq; pateat quàm maiestas et imperium regis Christi, aliàs indicatum est.

Manuum surarum.) non mearum.

Non extinguetur.) Dum Hierosolyma diruatur, & templum incendatur per Chaldæos, & postremis temporibus per Romanos, atq; Hierosolyma Ecclesiæ electorum per spiritualem Babylonem uastetur.

Et perterritum est cor tuũ.) Hebræus usurpat molliendi uerbum: Quoniã molle fuit cor tuum. Quod uidelicet ad uerba legis Mosaicæ non fuerit induratum instar luti ad ignem, sed mollitũ & liquefactum instar ceræ.

Et humiliatus es.) per agnitionem improbitatis sub ferula legis, culpam ostendentis.

Et scidisti uestimenta tua.) testificans scissum per pœnitẽtiam cor. Nam alioqui non ignorauit illud Ioelis: Scindite cor, non uestes.

IN CAPVT XXIII.

Ascenditq; rex templũ.) iam instauratum. Atriũ templi significatur. In tẽplum diuinum non descenditur, sed ascenditur, ut in mõte Moria sitũ. Adumbratur enim Salomonio tẽplo cœleste templum, de quo Ioannes his uerbis: Dominus Deus omnipotens templum illius est & agnus.

Sacerdotes & prophetæ.) rex, senatores, sacerdotes, prophetæ & populus, certo ordine hic memorantur.

Legitq; cunctis audientibus.) Ex auscultatione legis Mosaicæ uulgo se proferẽte spiritu timoris, qui puerili ætati cõgrueret: ut ex auscultatione Euãgelij spiritus adoptionis publicè excitatur, administrationi noui fœderis conueniens. In utraq; igitur administratione ad formandam pietatẽ & cultum Dei hæc necessaria sunt: ministri doctrinæ cœlestis, auscultatio, eiusq; ad colendum sanctè Deum receptio. Itaq; in Deuteronomio legimus cap. 31. ut Moses scriptã à se legem sacerdotib. filijs Leui tradiderit, quam septimo quoq; anno remissionis in tabernaculorum solennitate confluẽtibus Israelitis, in loco quem Deus ad colendum se delegisset, recitarent. Sed in quem usum recitarent? Sequitur illic: Vt audiẽtes discant timere Domnũ Deũ, &c.

Libri fœderis.) ueteris, quod conditiones legis in libro scriptæ seruandas continebat. Diuersus liber fœderis noui est, qui Euangeliũ continet. In quo docemur, ut credamus in Messiam, cuius spiritu afflati præstemus quod Moses à suis per legem requirit. Itaq; cum lex in libro fœderis Mosaici scripta dicit, Fac quod iubeo: lex noui fœderis, quæ spiritus fidei lex est, dicit, Da Domine ut faciã quod iubes me facere: & id quod petit, impetrat. Sic enim legimus: Datus est spiritus credentibus, spiritus uidelicet noui fœderis, legis Mosææ in Christo perfector. Hoc est spiritus legis est, de qua his uerbis Hieremias loquitur: Post dies illos, dicit Dominus, legem meam in interiora eorum dabo, & cordi eorum inscribam. Quapropter Mosæa lex dura & saxea corda tractat, lex fidei mollia & carnea: & alter populus duræ ceruicis, alter tractabilis populus nominatur. & lex ministra iræ per Mosem, lex uerò uitæ & gratiæ per Christum promulgata dicitur.

Qui inuentus est in domo Domini.) Quem Moses iusserat reponi in latere arcæ fœderis. Sic enim legimus in Deuter. cap. 31. Accipite librum legis huius, & reponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei uestri, ut sit ibi coram te in testimonium.

Stetitq; rex super gradum.) מעמוד alijs columna est, ut Græcis πίσσς τῆς σύλης. Alijs pulpitum, ac suggestus, ut Paraphrasti. alijs locus in atrio, in quo soliti sunt reges uersari. Citatur huc testimonium ex libro Paralipomenum דיעמוד חמילך עלעמודו.

Acquieuitq; populus pacto.) Similiter stand uerbum עמד reddit Chaldæus: הקבילו. Significatur in Hebræo uerbo firmus ad conseruandam legẽ in populo consensus, cuius hæc uox est: Faciã legem. ueluti legimus in Exodo: Cuncta quæ præcepit Dominus, faciemus. Diuersa uox est noui fœderis, populi à seruili legis pædagogia liberi: Credemus in eum qui legem impleuit, & legis perfectio nobis credentibus est, nobisq; suum spiritum donat, per quem & ipsi legem implere in nouo homine cœlitùs ad cœlestem & nouam uitam renato studeamus.

Et sacerdotibus secundi ordinis.) qui sub summo sacerdote, per uices in tẽplo ministeriũ sacrum obirẽt. De horũ ordinibus uigintiquatuor, uideris in primo Paralip. libro, cap. 24.

Proij-

Proijcerent de templo.) Dicas supra legi, à Manasse, ut pœnitentiã egisset, idololatriã extirpatã. Sic enim in Paralipomenis de eo scribitur: Et abstulit deos alienos, et idola de domo Domini. Amon filius Manasis falsam religionem restituit. de quo supra: Fecitq; malum corã Domino. Hic legimus in euertenda falsa religione, & restituenda uera cum regno sacerdotiũ coniungi. Subducto uelo mystici regni & sacerdotij, occurrit regium sacerdotium Messiæ, quod quid in seruando uero Dei cultu & delendo falso possit, pij experiuntur, & de eo sibi gratulantur.

De tẽplo.) In hoc tẽplo typus & umbra cernitur, res in tẽplo Ecclesia: ex quo ut noster Iosias Christus idola eijciat, satis hodie manifestum est.

In conualle Cedron.) Cedron siue uallis, siue torrens uicinus Hierosolymæ est, ad occidẽtalem plagam. Huius mentio fit Ioan. 9 nempe torrentis quem traiecerit Christus cum suis discipulis. Paraphrasti quoq; uallis placet: sed nihil refert, torrentibus nimirum per ualles decurrentibus.

Et tulit puluerẽ eorum in Bethel.) Quæ nimirum urbs idololatriæ sedes esset, aureo uitulo & aliena ara defœdata. Quare digna erat, in quam impuri illi cineres proijcerentur. Mosæa lege cauebatur, ut cineres holocausti extra castra efferrẽtur, et in loco mũdo reponerẽtur. his aũt cineribus locus impurus destinatur, Bethel.

Et deleuit aruspices.) כמרים à pullis & nigri coloris uestibus, religiosos flamines ac sacerdotes hic appellatos uolunt. ab adustione, quæ atrũ colorẽ efficit, tropus mutuatus est. Quid enim sit כמר, declarat illud Hieremiæ in Threnis, התנור נכמרו.

Soli & lunæ.) Vt maioribus luminaribus, quorũ uim res in terra nascentes præcipuè sentiũt.

Et duodecim signis.) Duodecim addit de suo. מזלים est in Hebræo. Sed etiã Hebræi interpretes de duodecim quæ in signifero cernuntur signis, interpretantur, quos sequitur noster.

Super sepulchra uulgi.) In Paralipomenis ostenditur explicatio huius loci: Lucos & sculptilia comminuit, & super tumulos eorum qui eis immolare consueuerant, fragmẽta dispersit. Indicatur idolorum fœditas, quæ contrita, in sepulchra sparsa leguntur: in sepulchra inquã, quæ foris dealbata cernuntur, intus plena sunt fœtore cadauerũ. Tales sunt, interprete Christo, & hypocritæ idololatræ, & idola quibus sacrificatur.

Aediculas effœminatorum.) Per antiphrasim uoces קרשה, et קרשים de scortis & scortatoribus accipiuntur. hanc significationem cõfirmat id quod sequitur de ædiculis, hoc est ganeis, in quibus fœdi cultus pars peragere tur, extructis. Atq; in eum usum legũtur fœminæ cortinas texuisse, quas בתים hic appellari uolunt. Interpretes nõnulli de cinædis interpretantur קרשים. Qui admonent, partem cultus huius falsi fuisse, ut masculi obscœna libidine inter se conflagrarent. Vnde intelligimus, nulla flagitia tam turpia esse, in quæ prolabi nõ contingat, legis diuinæ repagulis submotis: Dei uerbo neglecto, et humanis doctrinis receptis cultus diuini ergò. Intueamur regnum Antichristi: ut in hoc semel cœlestis regni Euangelio sublato, et falsa religione, quam pastoris stulti humanæ doctrinæ inuexerũt, susceptа, omnia funesta libidine cœperint pollui, clarius est quàm ut referat meminisse: et turpior atq; fœdior libido, quàm ut debeat nominari. In quos meritò dicitur etiam illud Apostoli: Quapropter tradidit illos Deus per cupiditates cordium in immundiciẽ, ut ignominia afficiant corpora inter se sua, qui ueritatem eius mendacio commutarunt, & uenerati sunt, coluerunt q; ea quæ cõdita sunt supra eum qui condidit, qui laudandus est in sæcula: Amen.

Et contaminauit excelsa.) Id est, pro locis immundis pronunciauit, in quæ cadauera & alias sordes proijcerentur. Similis Phrasis cernitur in חרשיע & הצריק.

Contaminauit quoq; Thopeth.) Loci nomen est circa Hierosolymam, in ualle filij Hinnon situs, in quo liberos suos Molocho per ignem traijcere soliti sunt. Hinc gehennam appellatam uerisimile est, cuius à Domino nostro apud Euangelistam mentio fit: ubi per eam uocem infernus significatur, ardens igne iudicij diuini. Qui à uate Iesaia corporata Thopeth loci specie his uerbis depingitur. Est enim iampridem Thopeth regi præparata profunda & lata, cuius incendiũ est ignis & ligna multa, flatus Domini quasi ignis succendens eam. Vbi ponderanda fuerit profunditas uallis, ut in bono statu sanctorum sublimitas cœli: ponderandum incendium & ignis, qualis is ignis sit: ponderandus diuinus furoris Dei flatus, & eius ignis nutrimentũ quale sit. Cæterum sunt qui de cultu Molochi sic sentiũt, duos ignes factos, inter quos liberos transmitterent ad eos purificandos, & hac ceremonia Deo alieno consecrandos, non comburendos. Ignẽ enim à gentibus aptum lustrationi habitum, ob puritatem & caloris uim. Sic nonnulli Hebræi interpretes sentiunt.

Abstulit quoq; equos.) in solis cultum Hebræorum sententia paratos: quibus insidentes, orienti soli obuiam procederent. Alij simulachro solis cum curru & equis statuaria arte sculpto interpretantur: quod à Iosia confractum sit.

Montis offensionis.) Tradunt scribi משחית pro משחה, hoc est, interitus pro unctionis: significato monte oliuarum. Sic enim Paraphrastes: ירחא. In uoce igitur interitus, uolũt significari idololatriam omnia disperdentem. Mons is à Domino nostro Iesu Christo in precationib. frequentatus est. Quem igitur Salomon uetus idolis contaminauit, eum cœlestis noster Salomõ orationibus consecrauit. Itaq; qui prioris Salomonis uitio mons corruptionis appellatus fuit, alterius Salomonis sanctitate mõs olei benedicti appellatus est. Cuius oleum nobis eius unctionis oleum sacra imagine repræsentauit, de qua Ioannes: Vnctio docebit uos omnia.

Astaroth idolo Sidoniorum.) Sunt interpretes, qui tradunt Salomonem non aliter dici aras dijs alienis extruxisse, quàm q permiserit mulieribus, dijs alienis, quanq; suo, sacra facere, & ipsum interea à falso cultu liberum fuisse. Qui sic sentiunt, quid faciunt illi quod suprà lib. 3. cap. 11 legitur: Cumq; iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur deos alienos, nec erat cor eius perfectum.

Quod erat in Bethel.) De quo uideris suprà lib. 3. cap. 11.

Quod locutus est uir Dei.) De quo & eius oraculis suprà lib. 3. cap. 13.

A' diebus Iudicum.) In Paralipomenis: A' diebus Samuelis prophetæ, q fuit ultimus Iudicũ.

Similis non fuit ante eum rex.) Qui tanto studio non solũ idololatriã in Iudæa, sed etiã in tota Israelitica terra cum excelsis omnibus extirparit. Quod non legimus ab ullo alio rege factitatum. Tempore enim Salomonis, Asæ & Iosaphati, excelsa relicta sunt: Ezechias quidem ea demolitus est, sed in Iudæa solum. At is rex omnia in omnibus finibus terræ sacræ euertit.

Et proijciam ciuitatem hanc.) Eam, ut pater, exilio Babylonio emendaturus: non funditùs perditurus, ut seuerus iudex. Constitutũ enim illi fuit LXX annorum exilium: quibus exactis, suo splendori restitueretur. Neq; id sine mystica ratione accidit, quæ in translatione Hierosolymæ electorum in suum exilium cernitur, qua in spiritualẽ Babylonem, quæ regnum Antichristi est, illã translatam cognoscimus, & magno nostro luctu experimur. Quod exilium suum quoq; præscriptum tempus habet, quo duret. quod apud Danielem & Ioannem explicatur.

Quam elegi.) Quæ electio efficit, ut reiecta ciuitas Dei Hierosolyma, reconciliationis gratiam quoq; sentiat. Quam gratiam electionis diuinæ nulla contraria uis labefactarit. Firmum enim est illud: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei?

Et sepelierunt eum.) cum magno populi & Hieremiæ uatis luctu. Sic enim legimus in Paralipomenis de Hieremia: Sed & Hieremias planxit Iosiam. Quò referunt illud in Threnis: Quomodo sedet ciuitas sola, &c.

Tulitq; populus terræ Ioachaz.) Nomina filiorum Iosiæ regis in priore libro Paralipomenon, capite tertio, hoc ordine memorantur: Filij autem Iosiæ fuerunt: primogenitus Iehanan, secundus Ioachim, tertius Sedechias, quartus Sallum. Variant hic interpretes. Sunt qui Iehanã Ioachaz esse uolunt, quem putant binominem fuisse. atque eum primogenitum dici, quòd primus populi suffragio regnum occuparit. De Sallum quoq; dissentiũt. Sunt enim qui sentiant, Sallum esse Ioachin, filium Ioachim, quem Nabuchodonosor captiuum Babylonem transtulit. Nam more scripturæ sacræ, etiã nepotes numerari in filijs. Sunt alij, qui accipiunt Sallum Ioachaz fuisse, ad suam sententiam confirmandam citantes Hieremiam, ubi ait capite uicesimo secundo: Quia hæc dicit Dominus ad Sallum filium Iosiæ regis Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo, qui egressus est de loco isto, non reuertetur huc amplius. Cõstat autem hunc, ex hac narratione, à Pharaone rege Aegypti captiuum in Aegyptũ abductum, neq; redijsse. Atq; qui sic sentiunt, uerisimiliter dicunt, Iehanan primogenitum regno non potitum. Huius sententiæ Abrahamus est, cuius uerba recenserem, si opus esse uideretur.

Filia Ieremiæ.) non uatis Hieremiæ, cuius patria non Lobna, sed Anathos fuit.

Vnxitq; eum Pharao.) Qui in fœderis diuini seruatione libertatem regiam tueri poterat, eo uiolato seruus Aegyptiorum factus est, è quorũ seruitute potenti Dei brachio in libertatem Israelitæ uindicati fuerant.

In Reblatha.) Cum bellum aduersus Assyrios gereret, quod susceperat uiuente Iosia. Nobilis Syriæ urbs est, quæ à Iosua terræ sacræ diuisore Naphthaliæ tribui assignata fuit capite decimonono. Nam ut hæc etiã Hematha appellata fuerit, in Iosua est indicatum.

Vertitq; nomen eius.) ut intelligeret rex Ioachim se & regnum suum in potestate Pharaonis esse. Eiusdem enim esse, noua nomina ueteribus mutatis imponere & imperare.

IN CAPVT XXIIII.

IN diebus eius ascendit Nabuchodonosor.) Iam uicto Pharaone Aegypti rege, & Syria ad Pelusium usq;, præter Iudæam quã tributariam reddere studuerat, recepta. Si quis per cuncte-

cunctetur, quo anno regni Ioachim Nabuchodonosor Hierosolymam oppugnatũ uenerit, Daniel tempus designat his uerbis: Anno tertio regni Ioachim regis Iuda, uenit Nabuchodonosor rex Babylonis Hierusalem, & obsedit eam. Si dicas, Quid igitur faciendum Hieremiæ, ubi ait: Verbum quod factum est ad Hieremiam de omni populo Iuda in anno quarto Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis. Non diuersa sentiunt Daniel & Hieremias: alterũ enim de exacto anno, alterum de quarto iam incipiente & ineunte loqui apparet.

Factus est seruus tribus annis.) In Paralipomenis legimus, Ioachim uinctum Babylonẽ ductum. Hierosolymam igitur reductus fuit: quod scribitur hic, tres annos ipsum seruiuisse, & deinde rebellasse. Quanto autem tempore fuerit Babylone, ex sacra narratione nõ certò cognoscitur. Omnino ex Paralipomenis constat, undecim annos eum regnasse. aut igitur quatuor annos fuit in exilio: aut si eo anno rediit Hierosolymam, quo fuit captus, quatuor annos rebellauit Nabuchodonosori, priusquam Chaldæus expeditionem in Iudæam, ad oppugnãdam Hierosolymam fecit. Nam septẽ anni defluxerunt usq; ad eũ annũ, quo cœpit à rege Babylonis deficere. Igitur restant adhuc quatuor anni usq; ad undecimum, qui erunt ea ratione supplendi, qua diximus.

Et rebellauit.) Spe belli, quòd audiuerat Aegyptios aduersus Babylonios moturos, fretus. Vbi non perpendit illud Hieremiæ: Ab Aegypto confunderis.

Immisitq; ei Dominus.) ut iustus scelerum ultor. Cuius iustè iudicandi ratio efficit, ut bella, regnorum interitus & conuersiones, exilia, direptiones urbium, cædes, uastationes agrorum, & reliquæ quæ bella consequuntur calamitates, in terrarum orbe non temerè, sed certo Dei consilio contingere iudicentur. Itaq; legimus hic: Immisitq; ei Dominus, ut summus nimirum regnorum administrator, cuius in orbe terrarum principes ministri & serui essent. Veluti apud Hieremiam Nabuchodonosor seruus Domini dicitur, ubi sic ait: Nunc ego dedi omnes terras istas in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, serui mei. Non aliter Assyrius apud Iesaiam, Virga diuinæ iræ appellatur.

Vt disperderent eum.) Dicas, legi apud Oseam, perniciem ex Israele esse, non ex Deo: hic uerò de Domino, ut immiserit hostes qui disperderent Iudam. Ex Israele pernicies est, quatenus ipse sua culpa sibi exitium conflat: à Deo autem, ut iusto iudice. In hoc iudicium spectatur, quo scelerati iustè perduntur, qui seruari sua culpa renuant: in illo autem crimen, quo sibi interitum creat.

Et impleuit Hierusalem.) ciuitatem paci & iusticiæ consecratam, non cædi piorum. de qua Iesaias: Quomodo facta est meretrix urbs fidelis, plena iudicij: iusticia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Ab attributo ciuitatis selectæ ad pacem & iusticiam, amplificatur scelus Manassæ. Hunc qui hodie in regno bestiæ imitentur, satis manifestum est.

Noluit Deus propitiari.) Quamuis natura clemens & misericors, & ad condonanda delicta propensus, ut de se prædicat apud Mosem: Deus misericors & clemens. Sed quibus est clemens? ijs sanè, de quibus Dauid clementiam diuinam toties expertus meminit: Vt miseretur pater filiorum, sic Deus miseretur timentium se. Quales sunt, quos suorum delictorum per ueneretionem Dei pœnitet. Tales autem Iudæos non fuisse, quos hic exterminandos de terra pro iudicis seueritate minatur, uatum conciones comprobant. Sic enim Hieremias uates in illos inuehitur: Sed & uos peius egistis, q̃ patres uestri. suæ enim quisq; animi perditæ improbitati obsequimini, ne mihi obediatis. Vbi igitur hic legimus: Nec uoluit Dominus לסלח, id est, ueniam eis dare, in eodem Hieremia mens Domini ita explicatur. Et dixit Dominus ad me: Si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Cæterùm in סלח uerbo, ea misericordia ostenditur, quæ in remittendis delictis cernitur: ueluti ex Exodo, Leuitico, Numeris, & alijs locis patet. Et quoniam idem uerbum sæpe coniungitur cum expiandi & uelut precio persoluto redimendi uerbo, ut cernere licet Leuitici quarto, & Numerorum decimoquarto, significatur, remissionem delictorum diuina clementia non fieri sine expiatorio uictimæ piacularis sanguine. Qui sanguis Messiæ benedicti sanguis est, electis patrem, expiatis peccatis, reconcilians.

Nonne hæc scripta sunt in libro sermonum.) In quo legimus, ut hic: Fecit malum coram Domino, omnium uitiorum indicato, partibus omissis. Igitur sunt, qui de Hieremiæ scripto accipiunt, qui cap. 22 Ioachim scelera ordine commemorat.

Et dormiuit Ioachim.) Non legitur, Et sepultus est. Inter manus enim hostium miserè raptatus expirauit, ut ex Ieremiæ uaticinio patet, capite uicesimo secundo. Hæc dicit Dominus de Ioachim rege Iuda: Non plangent eum, sepultura asini sepelietur, raptatus & proiectus extra portam Hierosolymæ. Vt asinus mortuus non sepelitur, sic nec Ioachim sepultus est. De miserrimo casu Ioachim,

chim,uideris apud Ioſephum libro Antiquitatum Iudaicarum decimo.

Et ultrà non addidit rex Aegypti.) eo uidelicet tempore, donec imperaret Sedechias. Tunc enim regem Aegypti, cuius ope confiderat Sedechias,aduerſus Chaldæos expeditionem feciſſe, ex Hieremia patet cap.37.

Decem & octo annorum erat Ioachin.) In Paralipomenis legitur octo annos habuiſſe,cum regnum iniret:quid ergo faciemus reliquis decem? Fieri poteſt,ut nõnulli uolunt, Ioachin à patre Ioachim primo regni ſui anno regem deſtinatum,qui poſt ſe regnaret. Ad octo igitur annos reſpexit liber Paralipomenon, quos fuerit natus Ioachin,à patre,dum uiueret,regno deſtinatus:decem uerò octo annos perpendi in hac Regum hiſtoria,quos habuerit Ioachin,cum iam patre defuncto uita regnum plenum obtinuit.

Anno octauo regni ſui.) De principio anni octaui regni Nabuchodonoſoris accipitur. Annos enim undecim regnauit Ioachim,à cuius regni quarto anno,in quo cœpit regnare Nabuchodonoſor, octo anni uſque ad captiuitatem Ioachin defluxerunt. Octauus igitur regni regis Babylonij annus finiti regni Ioachim & exilij Ioachin annus eſt.

Decem millia in captiuitatem.) Dicas,Quid igitur faciendum erit numero qui ſequitur:Et omnes uiros fortes ſeptem millia. Item quid illi numero,qui apud Hieremiã legitur capite quinquageſimoſecundo: Iſte eſt populus quem transtulit Nabuchodonoſor in anno ſeptimo, Iudæos tria millia uiginti tres. Interpretes reſpondent, ſeptem millia fuiſſe ex Beniamẽſi tribu, & cæteris Iſraelitis,tria millia ex Iudæis,autore uate Hieremia iam citato. Ex his ſubducta ſumma, efficit decem millia,hic numerata.

Exceptis pauperibus terræ.) ut inermibus, & duce ad res nouas moliendas carẽtibus.

Et incluſores mille.) De cuſtodibus murorum,turrium & portarum urbis interpretes ex Paraphaſtis ſententia interpretantur.

Viceſimum & primum annum ætatis.) Qui ſimpliciter ſentire ſe de hoc numero putant,dicunt, patre Ioſia mortuo, Sedechiam fuiſſe minimum natu,& decem annos habuiſſe, iam defuncto Ioſia patre:quibus ſi undecim annos, quib. Ioachim regnauit,addas, oſtendi uiceſimumprimũ annum,quo regnum iniit Sedechias. Dicas,Sallum fuiſſe minimum natu,qui quartus & ultimus numeretur in Paralipomenis,inter filios Ioſiæ. Hunc Sallum Ioachin fuiſſe,filium Ioachim, nepotem Ioſiæ, uolunt.

Impoſuitq; nomen eius Sedechiã.) Quòd admoneret eum iuſticiæ diuinæ,quàm capitale ei foret negligere, uiolato iureiurando, quo eũ alligarat ad ſeruandam fidem. Quid enim ſignificet nomẽ צדקיהו, ſatis clarum eſt. Itaq; legimus in Paralipomenis: Qui adiurauerat eũ per Deum, ut uellet uidelicet manere in fide.

Et fecit malum coram Domino.) Videris de expoſitione delictorum illius in Paralipomenis,& apud Hieremiam cap.37 & 38.

Iraſcebatur enim Dominus.) Cauſa rebellionis explicatur. Similia ſuprà lib. 1. Reg. de filijs Eli narrantur.

Vt proiiceret eum à facie ſua.) priuatum cultu templi & propitiatorio,ad quod Domini facies plena beneuolentia apparere ſolita fuiſſet. Itaq; populus templo incenſo,Hieroſolyma uaſtata, hæreditate terræ ſacræ amiſſa,& in exiliũ ad gentem dijs alienis defœdatam miſſus,à facie Dei ſublatus dicitur. Sicut ſuprà, Cain egreſſum à facie Domini legimus,cum patriam,parentes, cultumq; Dei patrium,primogenituræ amiſſo iure,cogeretur relinquere.

IN CAPVT XXV.

Venit Nabuchodonoſor.) Vt prædixerãt Hieremias & Ezechiel, cõtrà quàm putauit Sedechias & eius principes, ſeducti uaticiniis falſorum uatum. Qualis uates fuit Hananias, qui confracta catena de collo Hieremiæ uatis,quæ auſus ſit dicere aduerſus uera oracula Hieremiæ, uideris cap.28 libri Hieremiæ.

Heruſalem.) ciuitatem regno, ſacerdotio, templo,lege & oraculis inclytam. Quam Hieroſolymam ſpiritualis Babylonis rex Antichriſtus miſerè uaſtet, tẽplo eius profanato, ſatis eſt manifeſtũ.

Preualuitq; fames.) Hanc famem & rerum penuriam eluxit Hieremias in Threnis.

Nona die menſis.) Sed cuius menſis? Is in Hieremia nominatur: Vndecimo autem anno Sedechiæ,menſe quarto, nona die menſis, aperta eſt ciuitas.

Fugit itaq; Sedechias.) Fuga cladem effugere tentauit,qui fide & probitate ſalutem tueri debuiſſet. Sed fruſtra Babylonium hoſtem effugere molitur, in cuius manus ut ueniret, ſtatuiſſet Deus. Sic enim prædixerat Hieremias: Si non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum,& ſuccendent eam igni,& non effugies de manu eorum.

Filios autem.) ut mali parentis malam ſobolem. Quam trucidauit, ne ſupereſſent uindices tantæ cladis.

Et oculos eius effodit.) Horrendi ſupplicij

plicij exemplum nobis spectandum proponitur. sed quo ut afficeretur, ita uisum fuisset diuinæ iusticiæ, ut is nimirum oculis caperetur, qui lucem oraculorum Dei cernere recusasset, toties per diuinos uates oblatã. Prælusum est hic mystice ei excæcationi, de qua Dominus per Iesaiam his uerbis præmonuit: Excæca cor populi huius.

Vinxitq; eum catenis.) Qui libertatem Dei per probitatem quam fides parat, per amorem agens, tueri noluisset, cathenis à Babylonio rege uinctus ad seruitutem fuit. Quæ cathenæ & seruitus, quas cathenas & seruitutem præfigurarit, explicat Apostolus in altera ad Thessalonicenses epistola.

In Babylonem.) Locum olim linguarum confusione nobilitatum, qui cuius Babylonis typũ præferat, ea de re sæpe est admonitum: & de Babylone Antichristi ciuitate in Apocalypsi Ioãnis prophetarum oraculis comprobata, clara testimonia extant. Dignus fuit Sedechias, qui cum suis captiuis Babylonem duceretur, qui Hierosolymã sacro Dei cultui consecratam fœda idololatria deturpasset, & eam omni genere flagitiorum confudisset & perturbasset. Itaq; explicans rerum futurarum imaginem Apostolus sic loquitur: Pro eo quòd dilectionem ueritatis non receperunt, in hoc quod salui fierent, propterea immittet eis Deus efficaciã illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt in iusticiam.

Ipse est annus nonusdecimus.) Dicas, apud Hieremiam decimioctaui mentionem fieri. Fit mentio anni decimioctaui expleti, cuius finis initium erat anni deciminoni. Similis nodus de anno quarto & tertio regni Ioachim, solutus est.

Et domos Hierusalem.) Hierosolyma, quæ igneam legem Dei non seruasset, igni iudicata miserè conflagrauit. Ignemq; diuini iudicij eius experta est, qui in igneo throno iudex & ultor scelerum sedet. De quo throno illud: Thronus eius flamma ignis.

Domum Domini.) quæ diuinitatis sedes fuerat, ut Babylonijs idolis profanata est, Babylonio igni miserè conflagrauit. Hunc ignem Babylonium pernicialem, ut templum diuinitati sacrum Ecclesiam multis annis senserit, Apostolus his uerbis ostendit: Adeò ut in templo Dei sedeat uastator, uidelicet conscientias igni succendens. de quo idem Apostolus: Inustam habentium conscientiam.

Et muros Hierusalem.) quæ murum Deum colere renuisset. De quo Zacharias: Ego ero ei murus igneus per circuitum.

Cum principe militum.) Milites aptauoce in sacra lingua, quasi lanij & carnifices appellantur. Quid enim aliud sunt Martis satellites, quàm humani generis carnifices? Quare prudenter uates Homerus, Martem ipsum furentem & homicidam uocat, ἀρηΐφατον αὐσποφόνοιο.

De pauperibus terræ.) ne in solitudinem terra redacta, nullum ei tributum penderetur. Tenues & improbi seruantur: potentes qui opibus abusi fuerant, miserè pereunt.

Sacerdotem secundum.) secundi ordinis post Pontificem. In Babyloniorum potestatem ueniunt sacerdotes, qui templi inani cultu freti, se ab illis tutos fore putarunt, inclamantes aduersus Hieremiam, Templum Domini, templum Domini, &c.

Et translatus Iuda de terra sua.) quæ Dei oraculis, eiusq; cultu consecrata, rebelles & perfidos non ferret, ut nec decem tribus Israeliticas tulit. In terra Iudæa & Hierosolyma non tolerantur flagitiosi. Submota umbra & imagine rerum futura, ut flagitiosos non toleret cœlestis Hierosolyma, ciuitas Dei electa, declarat his uerbis Ioãnes: In eam non ingredietur quicquam inquinatum, quod'ue scelus committat, &c. Cæterùm ut sacra terra cum Hierosolyma & templo sæpe infestata sit, ex historijs patet. Primò enim à Sesacho Aegypti rege templum spoliatum, in hac narratione legimus. Deinde, à Ioas rege Israelis, qui Amasia Iudæorum rege deuicto, non Hierosolymam modò cæpit, & regios thesauros diripuit, sed etiam sacram domũ opibus suis spoliauit. Tertiò, Achaz ut thesauris suis illam priuarit, quibus Assyrium sibi conciliaret, suprà narratum est. Quartò Ezechias quoq;, sed alia ratione, auro & argento templum nudauit, ut à ceruicibus Hierosolymæ hostem Assyrium amoliretur. Quintò, per Babylonios regnãre Ioachimo eadem clade templum affectum est. Sextò, Sedechia capto, Hierosolyma uastata & templo incenso, omnes & urbis & templi opes Babylonem trãslatæ sunt, annis quadringentis quadraginta duobus, postquam à Salomone templum esset ædificatum, & ante natum Messiam paulo minus sexcentis. Septimò deinde, ut exactis septuaginta annis postquam instauratum fuit, traditur à Vogese Artaxersis præfecto infestatum. de qua infestatione uideris apud Iosephum & Eusebium. Octauò, legitur uiolatum à Ptolemæo Lagi filio. Nonò, impudentissimè diuinum templum uexauit Antiochus Epiphanes appellatus: de qua impudentia regis uideris in libris Machabæorum. Decimò, à Romanis infestatũ est: horum primus Pompeius templum cæpit, & ingressus uictor cæteris abstinuit.

nuit. Vndecimò, post hunc Marcus Crassus in expeditione aduersus Parthos, aurum quod intactum Pōpeius reliquerat, tēplo ademit. Postremò, Titus Vespasiani filius direpto templo, & incenso, atque Hierosolyma solo æquata, Iudæos in exiliū, in quo etiamnum miserè uagantur, misit. Quod exilium cum uastata Hierosolyma, & spoliato incēsoq; templo, quam rerum futurarum imaginem prætulerit, ea de re alio loco mentio facta est.

Præfecit Godoliam.) De hoc Godolia & eius historia uideris apud Hieremiam, cap. 40. & 41.

Venerunt in Aegyptum.) minimè parentes diuersa suadenti ex Dei mandato Hieremiæ cap. 43.

Anno triceſimoſeptimo.) Qui primus annus regni Euilmerodachi regis Babylonis erat, & quadrageſimus quartus parentis eius Nabuchodonoſoris.

Die uiceſimaſeptima.) Apud Hieremiam legitur, uiceſimaquinta die. Igitur Hebræi interpretes monent, uiceſimaquinta die mortuum quidem Nabuchodonoſorem, ſed uiceſimaſexta ſepultum: ſequenti autem uiceſimaſeptima die è ſepulchro extractum, & tum demum tumulatum. idq; factum ab Euilmerodacho, ut cognoſceret, num pater ad ſe rediſſet, ut antea redierat, cum inter beſtias ferarum ritu degiſſet. Et hoc ipſum eſſe dicūt, quod prædixerat Ieſaias: Tu autem è ſepulchro proiectus es tanquam inuiſus furculus.

Subleuauit caput Ioachim.) Hoc eſt, ad regiam dignitatem extulit. Similis phraſis eſt illa Pſalmi: Exaltans caput meum. item illa in Geneſi, Eleuabit Pharao caput tuum: hoc eſt, reſtituet te priſtinæ dignitati. impletur oraculum Hieremiæ de proſpero ſtatu, quo eſſent futuri qui ſe ultrò in fidem & poteſtatem regis Babylonis traderent. Qui uerò ſecus facerent, id eis malè ceſſurum. Sic quoque patienter tempora ſpiritualis Babylonis noſtræ ferenda ſunt, dum his finitis, ſeruator noſter CHRISTVS nos liberet: ut olim exactis ſeptuaginta annis Cyrus rex Perſarum, Meſsias Dei appellatus, noſtrum liberatorem Meſsiam præfigurans, Iudæos, Babylonicæ captiuitatis iugo diſſoluto liberauit. Cui ſeruatori Domino noſtro IESV CHRISTO, ſit gloria & honos in æternum: Amen.

FINIS.

ERRATA ALIA, PRAETER EA QVAE AB initio ſunt annotata, ſub operis finem demum animaduerſa, ſic emendabis.

In præfatione, Pag. 2. uerſ. 20. Ioſiam 172. 19. natura & ui ſua 879. 8. אריים 910. 8. Oſea 909. 12. lege iterum rebellare 912. 31. perdere hoſtis 931. 48. מעלות 931. 51. Delenda ſunt quæ ex Paraphraſte de horis allata ſunt, & reliqua uſq; ad, facile eſt 914. 1. רבשקה 914. 29. Ad patefactionem gloriæ.

RERVM ET VERBORVM IN HI-
SCE COMMENTARIIS PRAECIPVE
memorabilium Index.



Bigail & Nabal myſtica tra ctatio 419.40
Abigail laus 419.24
Abigail oratio ad Dauidem 424.4
Abimelechi ſacerdotis expurgatio aduer ſus Saulum 408.48
Abneris cædes, ut iuſta & iniuſta cenſeatur 471.46
Abneris cædem cur Dauid tantopere deplorarit 473.26
Abrahamus an coluerit deos alienos. 117.20
Abſalomus unde hauſerit malum ſuum ingenium 467.50
Abſalomi rebellis filij interitus 548.48
Abſalomum quæ res incitarint ad ambiẽ dum regnum 525.1
Accaronem nõ eſſe turrim Stratonis, poſtea Cæſaream appellatam 79.51
acclamatio, Viuat rex, quas res cõplectatur 606.30
Achabus qua captioſa concluſione uſus ſit aduerſus Eliam 760.14
Achabi clementiam in Syrum declaratã, crudelitatem fuiſſe 782.38
Achabi expoſtulatio cum Elia, & quæ in ea conſideranda 759.30
Achabi uictoriæ de rege Syriæ relatæ ratio 778.21
in Achanis facinore deprehẽdendo, quid ſit, à Domino deprehenſam tribum Iudæam 36.48
Achis rex Palæſtinorum de religione Iſraelitica quæ confeſſus ſit 446.20
Achitophelis miſer interitus 545.8
Achitophelem quæ res ad deficiendum à Dauide impulerint 548.26
Achan quomodo, qui iuſſus ſit cremari, lapidatus legatur 40.17 (34
ἀνηιβόλινεων & ἐπτείνεα quo differãt. 106.
Adad Ezer 496.25
Adami peccato alieno ut omnes poſteri dicantur uitiati 887.20 (23
Adoniæ affectãtis regnum hiſtoria. 604.
aduentus Chriſti per patefactionem Euãgelij 831.1
in Aduerſis rebus quæ ſanctorũ præſidia. 91841
adulatorum mos 407.51 (24
adulteria mente priuare adulteros. 504.
Adumim 76.23
Aegyptiorum regum præter commune Pharaonis nomen, propriũ etiam fuiſſe 706.12
Aegyptus myſtica, & quæ per myſticam adumbretur 132.35
æquitas, legis anima eſt, & Lesbia regula 566.22
æquitas ut interpres legum ſit 509.28
aer nobis circumfuſus quæ opera contineat, aptas translationes præbentia. 574.8
ætas conſtans cur apta iudicetur ad regnandum 478.17
ætatis puerilis & adultioris, & donorum utriuſq; diſcrimen 114.35
afflictionis piorum terminos conſtitutos eſſe diuina prouidentia, & uitioſitatis impijs, qua tandem pereant 418.40
afflictiones cur remiſſa culpa à Deo non auferantur, & cur immittantur 518.29
afflictiones non immitti à Deo, quibus eius iræ ſatisfiat 519.6
afflictiones ſanctorum nõ pœnæ, ſed medicinæ nomen ac uim obtinere 518.28
afflictiones ſint ne certa ſigna iræ diuinæ 535.26
afflictionum cauſa ſit ne peccatum 83.3
afflictionibus Chriſti quæ deſunt, quomodo nos explere dicamur ex ſententia Apoſtoli 518.47
in Afflictionibus quid ſpectandũ. 537.30
affligendi Iſraelitas, & hoſtium illorum, diuerſa ratio 161.21
agriculturæ laus 777.1
Ahiæ uatis oraculum in Ieroboamum. 727.24
Alarum translatio quam conſolationem habeat 280.7
Alexandri magni dictum 200.49
Amalechitarum cædem non pugnaſſe cũ lege, Ne occidito 375.14
amantes Dominum comparari ſolis exorienti & ſubinde creſcenti lumini. 160. 27
amari Deum per amorem Deum 618.38
amaſiæ inſolentia 888.15
ambitioſos homines adulandi uitio laborare 527.6
amici ueri quales ſint 516.4
amicorum uera nota quæ 461.11
Ammonitæ cur ciuitate Iſraelitica donari prohibiti 501.1

Ammonitæ quos repræsentent 355.46
Ammonitarum in Israelitas odiũ. 355.24
Ammonitarum & Moabîtarũ ingeniũ ex turpi origine quale sit 500.38 (27
Amnon cur non punitus sit à patre. 523.
amor mulierum quantus 461.39
amor Dei in electos, quò spectet 505.33
amor Dei ut perpetuus sit erga electos, etiam cum nondum amant Deum. 505.1
amoris diuini perfectissim⁹ gradus quis. 417.42
amori Dei antecedẽti in Christo filio tribuenda omnia quæ ad salutem pertinent 618.27
amor illiberalis ociosorum hominũ affectio 515.38
amor non legis, sed fidei iusticia. 554.10
amor perfectio legis 554.5
amoris lex de altero diligendo cur par dicatur legi de amando Deo 412.2
amoris natura 408.24
amoris quanta uis 515
amoris significationem fieri osculo & ore 350.50
amoris turpis ut pulchritudo corporis causa sit 502.27 (39
amori inhonesto quæ res medeantur. 515.
amorem Dei antecedere omnia in nobis 120.37
amorem fœdum consequi odium & dolorem 516.43
amorem, igneæ naturæ quamuis sit, tamen magis descendere quàm ascendere 548.7
amorem interdum sæuire 263.19
Amorræorum interitus narratio quã utilitatem afferat 60.27
Anarchia res pernicioſa 262.34
angelus cur in flamma ignis apparuerit. 234.19
angelus fœderis noui Messias 771.38
angeli à quo cœlo cœlestes spiritus appellentur 850.18
angeli cur assistere throno Dei dicantur, non sedere 164.7
angeli cur terribiles dicantur 231.17
angeli cur gaudeant peccatore ad pœnitẽtiam conuerso 922.37
angeli ministri salutis electorum in terra 163.40
angelorum functio 480.44
angelorum ne ordo aliquis sit 849.13
angelorum usus & munera 230.15
angelos Abrahamus hospitio excepit. 264.5
angeli principes uiri uocantur 266.3
animantia cuncta hominem agnoscere caput mundi 724.48
annorum numerus ab egressu ex Aegypto, usq; ad ædificationem templi Salomonis, ut supputetur 641.20
Antichristus quot idola colat 335.52
Antichristi interitus quæ causæ sint. 62.30
Antichristi legati ut cõpositi sint. 914.48
Antichristi superstitio 198.22
Antiochus quantis copijs Dor ciuitatem obsederit 58.42
Apocalypsis locus in capit. 12 explicatus. 755.40. Item locus de fluuio procedente de sede agni 830.30
apologus Ioas regis Israelitarum explicatur 889.1
Apologus Ioathami, & quæ in eo cõsideranda sint 203.1
in Aqua quæ notentur 17.3
aquæ pro afflictionibus 576.22
aquæ quæ uerè mundent, purgent atq; regenerent 17.18
aquarum Iordanis, quibus Naaman à lepra mundatus est, mystica explicatio. 839.11
aquarum, spiritus, & igneæ lucis aspectabilis collatio, cum aquis spiritu & igni regenerante 174.20
Arad urbs Amorræorũ 127.49 (765.50
aræ ab Elia extructæ mystica explicatio.
arca Mosæa quam arcam figurarit 13.17 & 483.25
arca quot locis sit portata à sacerdotibus 14.19 quoties translata sit 339.48
arcam contrectare temerè cur capitale, & mystica eius rei explicatio 485.44
arcus Dauidis & Messiæ 459.4
arcu quæ notentur 309.37
areę, uentilabri, & frumenti in Ruthæ historia mystica explicatio 288.23
arma sanctorum hominum quæ 430.10
Arnon fluuius 66.49
Aroer urbs 66.42
Ascalon urbs 65.24
Ascalonitarum Deus Dagon cur appelletur 118
asini caput caro emptum mysticè explicatur 853.12
Asion Gaber 686.38
Assyrium & Babylonium imperium nõ diuersa imperia esse & regna 932.50
Assyriorum cladis ab angelis acceptę mystica explicatio 928.38
Astaroth ciuitas 70.35
Asylum quibus aperiatur 106.4
Athalia cur incitata sit à Satana, ut regiã stirpem perimeret 877.28.

Athalia in templo cur trucidata non sit. 878.20
Athaliæ sæuities quanta 872.51
ex Athaliæ morte, exorti gaudij mystica explicatio 879.19
Athaliá clamantẽ coniurationẽ esse, quæ Athalia nouissimis temporibus imitetur 878.8
Athaliam lege talionis trucidatã. 878.28
auaritia & ambitio duæ rerump. pestes. 342.14 (533.43
auaritia improbitatis arx & metropolis.
auaritiã & ambitionẽ Timon μισαύθρωπος appellatus, duo malorum elementa appellauit 526.23
auaritiam omnium iniuriarum fontem esse 450.26
aula principum plena inuidia 434.35
aures duabus in rebus oculis antecellũt. 387.29
aures & oculos ut aperiat Deus 349.10
auum, patris nomen obtinere 866.40
Azotus urbs 65.19

B

BAal, idem qui & Belus 118.3
Babylon meretrix ut furorem Ephrensium ciuium imitetur 182.38
Babylonem tetrapolim appellatã. 177.4
Babyloniorum legatorum missorũ, qui Hierosolymarũ opes rimarẽtur, mystica explicatio 933.10
baptismꝰ per fidẽ salutaris efficitur. 173.8
baptismus præsentis regenerationis sacramentum 169.15
baptismꝰ quo dicatur salutẽ afferre. 72.40
baptismus, uerbũ, & spiritus sacer q̃ diuersa ratione emũdent et expurgẽt. 174.28
baptismus ut mundet & sanctificet ecclesiam 173.47
baptismi nomine calamitates 17.17
baptismi usus quis 173.34
baptismo, Euãgelio & fidei ut diuersa ratione salus tribuatur 173.12
baptismo ut certiores reddamur de salute 173.38
baptismo ut peccatorum remissio cõiungatur 173.3
baptismum Christi constare ex igni & aquis sacri spiritus 174.6
baptismum duplici ratione regenerationis lauacrum appellari 174.31
baptismum fide & spiritu sancto anteuerti 173.24
ad Baptismũ salutẽ non alligari 172.28
barbæ uirilis quæ dignitas sit, & rasæ quod opprobrium 500.32
Bathabæ oratio ad Dauidem 605.4
Beersaba urbs 96.43
bellũ temerè susceptũ quæ mala afferat. 890.6
bella duabus rebus confici 41.47
bella ut à Deo excitentur 669.32
Benadadus Syrorum rex quæ agnouerit in Iehoua Israelitarum rege 802.50
benedicere interdũ celebrare esse, locus Pauli explicatur 348.14
benedicere quid 110.2
benefaciendi legatis Dei studium quàm salutare 823.50
benefacta promissionis gratuitæ Dei opera, non naturæ 610.9
benefacta quantum ualeant apud Deum 375.46
benefacta ut considerandа sint in ratione præmiorum 285.31
benefactorum usus quis 824.18
benefactorum Dei usus 672.9
beneficijs à Deo qui ornentur 620.27
Beniamensis tribus cur tota deleta non sit 275.1
Beniamensis tribus coniunctæ cum Iudæa, mystica ratio 275.20
Beniamensis tribus quæ loca habeat, à Iosua non memorata 96.8
Beniamin cur cum Iuda coniunctus sit in Hierosolymæ participatu 96.2
Bethaue urbs 33.9
Betehan ciuitas 87.34. Bethel 84.26
Bethel an duplex sit 94.16
Bethel cur Bethauen appellata 84.26
Bethoron 467.11 duplex 85.1
Bethsames urbs 77.31
Bethsita & Thobath loca 192.33
Bethur locus, eunuchi Candacis reginæ baptismo nobilis 85.8
Bezec urbs 125.8 (505.22
bonitate Dei ut non deceat electos abuti.
bonorum quibus Salomon clarus fuit, genera 628.45
Boozi alã super Ruthã expandi quid sit, & mystica eius expositio 289.8
Boozi & propinqui alterius mystica significatio 290.28
Boozum Abesanem fuisse 292.12
boũ calcitrãtiũ mystica explicatio. 485.19
buccinarum clangor quo Hiericho uicta, quid figurarit 26.46
βηγονῆς apes 240.5

C

CAbul regio 99.45
cæcos & claudos quos Messias in sua Sione non toleret 479.35
calamitates non esse documento, eos qui uexantur, à Deo non amari 32.43
calcatio regum Chananæorum quid præfigurarit 57.13

calceamẽtorum exuitio quid significet. 25.28
calceorum exuitio cessionis de iure cere monia 293.28 (573.28
caligo sub pedibus Dñi quid significet.
caluicium ut in uituperio sit 815.32
Candaces reginæ 687.27 (42
canes unde tam contẽpti habeãtur. 468.
Capernaum 98.11
capilli à Dalila Samsoni detonsi, quid significarint 749.1 (783.5
caprarum gregi sponsa Christi cõparata.
captio qua usus est Satan ad decipiendũ Ieroboamum in nouo Dei cultu excogitando 717.10
Carmel 80.38. Carmeli duo 99.38
Carmeli montes 419.6 (152.10
carminis triumphalis Deborę explicatio
carnem Christi per spiritũ suum prodesse pijs, ut intelligendum 177.38
carne & sanguine Christi ut uescãtur fideles 177.11
casus humanæ uitæ 499.51
cataractæ 858.30
Cedimoth 67.43
cedrorum mystica explicatio 638.40
cella locus 79.45
celebrationẽ Dei una fide confici 492.30
ceremoniarum legem necessitati cedere.
Cabul terra 684.34 (404.40
Chamus, qui Chamesęs appellatus, uina in Ægyptum importauit 132.25
Chananæa terra ut sorte diuisa sit Israelitis 92.23
Chananææ hæreditas typus cœlestis hæreditatis 37 (75.22
Chananæa quot annis fuerit subiugata.
Chananææ gentes ut seruituti & exitio intelligantur destinatæ 48.5
charitas finis legis 376.8
charitas, quam fides de capite Christo nobis communicat, non humana, sed diuina iusticia est 415.2
charitatis spiritus fide in iustificando tribuitur 536.18
charitatem qua homines diliguntur, charitate qua Deus diligitur, regi. 668.44
Cherub qualis forma 573.46
Cherubim cur affingantur alæ 573.52
Cherubim cur insidere Dominus dicatur 573.43
Cherubim ex olea fabricati quos adumbrarint 652.3
Christus admirabilis Deus in carne mundo declaratus 492 (8
Christ⁹ angularis lapis cur uocetur. 266.
Christus cum in crucis statu uiueret, iudicis personam non gesit, qui ipse iudicio peccãti luendi per mortẽ subiectus esset 610.38
Christ⁹ cur apertũ habeat uultũ. 774.51
Christus cur apparuerit Iosuæ specie uiri stantis 24.23
Christus cur dicat se non ueniisse ad iudicandum 774.18
Christus Dei, Iesus filius Dei est 317.31
Christi familia, ex qua natus est, ut improbos habuerit, & qua causa 37.24
Christi status sub figura Dauidis depingitur 398.30
ad Christum, confirmans signũ apud patrem, reuocari in omnibus afflictionibus piorum animos 167.43
Christum diuersa ratione prẽsentẽ esse in sacra cœna pijs & impijs 179.28
Christum ex improbis nasci nõ puduit. 879.31 (493.1
Christũ Iehoua ab uniuersitate adorari.
Christum in suis & fugę & standi in acie artem tenere 43.12 (44.8
Christum maledictum esse factum quid.
Chrysippi dictum de magistratu 197.8
Cinei qui 127.16
cingulum Eliæ 802.25
Ciriathiarim urbs 77.19
Cison torrens quib⁹ rebus clarus. 149.21
ciuitas cur mater appelletur 560.3
ciuitatem duæ res commendant. 559.52
claudi & cæci quos auferri ex Sione iussit Dauid, ut explicandi sint 478.48
claudicare in duas partes 761.31
clementiæ diuinæ omnia accepta referẽda, nihil dignitati naturæ & meritis. 324.28
cocci rubor quid significet 12.12
cœlestes quadrigæ & equi 849.4
cœlum armari aduersus impios 341.16
cœlum diuinitatis 317.21
cœlũ quo exaudiuntur pij, quale sit. 572.1
cœlũ inaspectabile quas pluuias, quem rorem & quam lucem fundat 670.38
cœlum in quo Deus nos exaudit, quod sit 668.14
cœlum in quo regnat Christus, & eius solium ut accipienda sint 168.28
cœli nomine bonus sanctorum status accipitur, ut inferni malus 577.29
cœli, sedis Dei, qualis spiritus, qualesq; quæ & lux sit 168.38 (939.44
cœli quot 667.10 an sint etiam animati
cœlorum fundamentum terra 572.25
cœlis materiatis Christus sublimior factus 317.18
cœna Domini ad Christum regnantẽ apud patrem nos reuocari 169.35
cœna credentibus instituta 179.41

cœna Domini ſacramẽtũ præſentis Chriſti, nos carne & ſanguine ſuo nutrientis ad uitam 69.16
cœnæ Domini uerbis tria nobis declarantur 176.81
cœnæ Domini uſus in celebrandis publicè beneficijs mortis Chriſti cernitur. 178.29
ex Cœnæ Domini uſu quæ cõſolatio accipiatur 179.50
cœnæ ſacræ uerbis amorem mutuum declarari 178.13
in Cœna Domini præſens Chriſtus accipitur 176.19 (853.38
columbarũ ſtercus quem uſum præbeat.
columnarum Salomonis myſtica explicatio 656.28 (654.27
columnarum duarum ærearũ extructio.
concubinas regias conſtuprare, aut ducere uxores, affectati regni ſuſpicionem habere 468.36
confeſsio delictorũ quoties fiat 431.44
confeſsio peccati diuerſa in pijs et impijs 38.32
confeſsionis piorum & impiorum diſcrimen quod ſit 511.14
conſcientia arbitra iudicij diuini metus, graues cruciatus & morbos afferre. 863.14
conſcientiæ uis quanta 417.15
conſolatio ſumma ſanctorũ quæ. 710.28
Conſtantino regnante quo in ſtatu eccleſia cœperit eſſe 718.18
conſolandi Dominum genera 436.43
contingentia quatenus cernatur in rebꝰ, quatenus non item 851.15
Cornelij Taciti error de Iudæa 77.49
cornu exaltatum Chriſti quibus in reb. cernatur 317.1
cornu quid notetur 306.33
corpus Domini dijudicare quid 179.17
corporis in terram inclinatio, quorũ nos admoneat 768.38
corpora ſanctorum cum ab hoſtibus infeſtantur, umbram infeſtari 400.7
corui qui Eliam aluerunt, quid præfigurarint 749.10
crabronum translatio qualis 119.32
creaturas ut diuinæ iuſticiæ uindices armari in hominẽ Deo rebellantẽ. 723.40
in Criminibus duo ſpectari 106.30
crux quem uſum habeat 507.5
crucis uſus 672.8
cubitus qualis menſura fuerit 643.42
cultri lapidei quibus præputia præciſa ſunt, quid ſignificent 22.15 (330.8
in Cultu Dei interiore quę conſiderẽtur
cupiditas uitioſa hoſpes peregrinus appellatur 509.16

D

DAbir 69.41
Dagon idolum Palæſtinorum unde ſic appellatum 334.42
Damaſcus 496.40
Dania trib. quas olim celebres urbes habuerit 104.10
Daniæ tribus loca apud Ioſuam non memorata 104.51 (556.18
Dauid crucis ſtatũ Meſsię ut pręfiguraric
Dauid cur de Ioabo ſuppliciũ nõ ſumpſerit 610.24.
Dauid cur Saulo pepercerit, nõ item Nabal 421.16
Dauid eos fratres appellans, quos hoſtes habuit, quem Dauidẽ referat 553.27
Dauid figura Meſsię 462.48. & 475.25
Dauid laſſum reficiens, quem Dauidem referat 449.14.
Dauid peccarit ne orans pro infante ex adultera nato 513.11
Dauid peccarit ne, quòd Amnonem ob ſtuprũ ſorori illatũ non puniuit 517.38
Dauid undique infeſtatus à ſuis & extẽris, typus Meſsiæ 532.35
Dauid ut deſertus fuerit à Deo 504.48
Dauid ut patientia per amorem, retulerit Meſsiam 477.10
Dauidis carmen myſticum de Meſsia explicatur 588.46
Dauidis ad Achis fugæ myſtica explicatio 434.5
Dauidis cithara myſticè explicatur. 388. 97
Dauidis ex caſu quæ cognoſcenda ſibi proponant pij homines 506.34
Dauid ut ſe geſſerit aduerſus eos qui Iboſethũ interfecerunt, & quas ſententias expenderit 476.8
Dauid ut uictus ſit ab interno hoſte concupiſcentia 503.18
Dauidis ex caſu quã conſolationem capere pij debeant 507.10
Dauidis fuga ad Palæſtinos an uitio caruerit 445.27
Dauidis fugæ ad Palæſtinos myſtica explicatio 445.44
Dauidis hortatio qua Salomonem hortatur, ut diuinam inſtitutionẽ ſeruet. 609.10
Dauidis laus à corporis & animi uirtutibus 386.24
Dauidis libera expoſtulatio cum Saulo 415.11
Dauidis nomine Meſsias accipitur. 923.9
Dauidis patientia, typus Meſsiæ Dauidis 555.50

Dauidis regnũ, figura regni Meſsiæ. 472
7 (463.8
Dauidis uxores figurã prętuliſſe Eccleſię
Dauidem cum gigantibus cõgreſſum, & eius congreſſus myſtica tractatio 566.
45
Dauidem inter ut umbrã, & Dauidẽ Meſſiã ut rẽ & corpus, quantũ interſit. 506.
28
Dauidici & Saulini imperij diſcrimen quod 452.7
Debir urbs cur Hebraicè ciuitas literarũ appellata 78.27 (160.14
Debora ut myſticè Eccleſiam repręſentet
Deborę carminis triumphalis explicatio 152.10
Decem tribuũ regnum ut placuerit Domino 713.8
decretorum Dei neceſsitas an culpa liberet improbos 540.14 (317.2
delictorũ magnitudo à quibus æſtimetur
deſperatio unde naſcatur 912.15
Deus amor cur dicatur 233.36
Deus conſuetudinẽ quam teneat in præſtandis promiſsis 34.33
Deus cur condonatis peccatis res aduerſas, quibus ſui uexentur, nõ tollit. 40.5
Deus cur νέμεσις appellatus, & quæ in iudicio Dei ſpectentur 15.26
Deus & Satã ut diſsimiliter tentẽt. 135.40
Deus, Gůt cur à Germanis appelletur, & filij eius Gůtter 233.30 (780.18
Deus in præſtãda ope quem morẽ ſeruet
Deum obliuiſci noſtrûm quid ſit, quid item recordari 302.34
Dei beneuolentiam, nullum rerũ externarum reſpectum habere 673.10 (34
Dei cognitiõem unde gẽtes habeãt. 444.
Dei imperio omnia ſubiecta 749.2
Dei natura 499.48
Dei proprium opus quod 273.4
Deo neminem eſſe ſimilem, neq; creationis neq; gubernationis neq; redemptionis opere 492.44
Deo omnia in hoc mundo ſeruire, ad ſeruandos iuſtos 16.6
Deum ad remuneranda benefacta propẽſiorem eſſe, quàm ad punienda malefacta, in ſuis 800.20
in Deum autorem fides omnia ſiue bona ſiue mala reijcit 9.3
Deum fauore ſuo antecedere noſtram uoluntatem 164.20
Deum in amando non habere rationẽ perſonarum 28.20
Deum ſe cuiq; talem exhibere, ut quiſq; cõpoſitus ſit: hoc eſt, integris integrũ, peruerſis peruerſum 580.3
Deum ſpiritu & ueritate adorare quid ſit 167.43.48
Deum tantum uerſari inter Iſraelitas, ut intelligendum ſit 840.48
Deum uitia ſui populi conuertere in bonum exitum 342.33
Deum ut aliter pij, aliter impij cõfiteantur 10.13 (35.37
à Deo qui exaudiantur, & qui non item
deorum multitudo 782.39
deos alienos colentiũ quantus in pios furor 182.33
dextra Dei in omnia pertinere 317.23
dextra & ſiniſtra manu quid ſignificetur 114.43
dilatatio oris & cordis quid 307.1
diuina æquitas inter peccata diſcrimẽ obſeruat 106.10
diuinæ naturæ participes ſanctos fieri ui regenerationis 582.42
diuinam beneuolentiam reſpectũ ad perſonam & elementa mundi non habere 832.40
diuina bonitate etiã quæ mala uidentur, conuerti in bonum 279.47
diuinationis ſuperſtitioſæ quàm uaria genera 437.49
diuitiæ in quibus rebus uerſentur. 629.12
diuitiarum ueteris fœderis & noui quantum diſcrimen ſit 934. 47
dolum Gibeonitarũ prouidentia Dei gubernatum 461.40
doli mali qui 50.4
dolor ut tribuatur Deo: & quam ſignificationẽ beneuolentiæ diuinæ habeat, cũ dicitur Deus dolere ꝓpter ſuos 214.52
dominatus unius duplex 344.22
dominatũ & ſeruitutem nõ parem in hoſtibus & Iſraelitis cerni 149.35
Domino ut auxilium feratur 159.7
Dominum relinquere, eſt uitã relinquere 132.22
domus Dei tripartita 664.39
donorum Dei partitio 634.2
Dor ciuitas 87.45
dormientes perire impios 430.4
dotes impijs ablatę, quando profint pijs, & quomodo 38.45
Dothaim locus 847.46
durę ceruicis Iſraelitica gens cur appellata 717.45

E

EBrietatis dæmonium ut pellatur. 270.
E 43
Eccleſia cœleſtis arca, cur Iehoua appelletur 484.19
eccleſia ſterilis ſponſa Chriſti ut præfigurata in lege 227.50

ecclesię ſtatus qualis cœperit eſſe Cõſtantino regnante 145.1
Eccleſiaſtę Salomon ſenex ſcripſit. 698.4
Edrai 70.39
Egla uxor Dauidis 468.8
Elcanæ genus 300.31
Electos non credere euangelio ut eligantur, ſed eligi ut credant 835.42
electos qui dicunt deleri poſſe ex libro uitæ, ſuper arenam ædificant 304.19
electos ſemper charos eſſe Deo, etiam ante patefactum Euangelium 835.23
elephantis circa dentes ſumma cura. 692.
Eli crimen 322.5 (20
in Eli liberorũ uitijs quæ cernantur. 318.8
in Eli, ſeueritatis iudicij diuini exemplũ. 323.8
Elias an ne cum corpore uiuus trãslatus ſit in Paradiſum 807.48 (770.43
Elias mortem petens, quæ conſiderarit.
Eliæ aduerſus falſos prophetas concertatio quantam laudem habuerit 762.30
Eliæ cingulum 802.25 (30
Eliæ duplex ſpiritus ut accipiendus. 806.
Eliæ & Moſę in Sina monte cur apparuerint uentus, terręmotus & ignis. 773.18
Elię oratio ad Dominũ explicatur. 766.50
Eliæ timor, quo ſibi à Iezabele timuit, qualis fuerit 770.10
Eliæ translationi in cœlum cur adhibitus turbo & ignis 39
eligi in Chriſto, & in cœlo atq; libro uitę ſcribi, eſſe idem 304.16
Eliſæus an mendacium dixerit 863.37
Eliſæus cur arca pro ſigno debellandorũ Syrorum uſus 885.19
Eliſæus cur flerit, miſſus ad Hazaelem ungendum in regem 864.88
Eliſæus cur munus recuſarit à Naamane accipere 840.41 (885.4
Eliſæus quot annos pauerit Iſraelitas.
Eliſæus ut hoſtibus Syris cæcitatem imprecatus ſit 850.35
Eliſæi incubitus ſuper mortuum puerũ myſtica explicatio 829.38
Eliſæi pſaltes explicatur 818.52
Eliſæi ſignũ de fame, olla, foco, pulmento, myſticè explicatur 831.18
Eliſæi ſignum de ſecuri & ferro eius explicatur 844.30
Eliſæi ſignũ de ſobole mulieri ſterili impetrata, deq; eius ad uitam reſtitutione, explicatur 824.32
Eliſæi ſignum de uidua & oleo perpetuato explicatur 821.20
Eliſæi nouorum uaſorũ explicatio. 814.8
in Eliſæo precante Dominũ ut filius mortuus uitæ reſtituatur, quæ conſideranda 828.28
Eliſæo precante ut fugati ſint Syri, & annonæ uilitas reſtituta 857.50
Eloth 686.44
Engaddi loci ſitus, & quibus rebus clarus ſit 81.16
Ephod Gedeonis 197.46
Ephodi duo genera 317.34
Ephraimitarũ expoſtulatio cum Gedeone 193.3
Ephraimitarum ſuperbia 224.8
epitheta diuina duo neceſſaria ad cognoſcendam diuini fœderis uim 120.29
equi Amorræorum cur à Ioſua ſubneruati ſint 61.20
Eſtaol locus 79.27
Ethan Ezraita 632.48
Euangelium Chriſti contemnendi aduerſarijs ab improbis occaſionem præberi 512.20
euangelium iudicis Chriſti liber aperiendus ante extremum iudicium, omni naturæ ratione præditæ 316.20
euangelij adminiſtratio, neceſſaria procuratio eſt ad ſaluté comparãdam. 170.33
euangelij miniſterium quam utilitatem ſi adſit, & quam cladem ſi abſit, afferat. 130.24
euangelij prædicationi Deus in largiendo ſpiritu an alligetur 170.30
εὐλογία pro munere 425.24
Euripidis uerſus 405.45 & 550.29 & 552.17 & 787.49 & 790.39 de amore patriæ 280.22 de morbo quem ſcelerum conſcientia inducat 388.3 de odio inter ſe fratrum 161.19 de patria 8.5 de paupertate 397.52 de peregrinis 284.33 de regnandi cupiditate 202.12 de ſeruitute 331.27
exempla inductionis uim habere 9.7
exemplorum duo genera 520.1 (24.43
exercitus Dñi quot ſint, & quis dux eorũ
exercituũ Dominus ut Chriſtus dicatur. 300.7
exilij Sunamitis mulieris tempore Eliſęi myſtica explicatio 861.11 item 52
expoſtulatio piorũ cũ Deo qualis. 165.17
exultare in Domino 306.16 (26
Ezechiæ deiectio myſticè exponitur. 914.
Ezechiæ precatio 917.8 (31
Ezechiæ probitatis quę cauſa fuerit. 907.
Ezechiæ uitæ anni quindecim ut additi intelligantur 931.3 (26
Ezechielis myſticus locus explicatus. 701

F

FAmes quibus ex rebus oboriatur 670.50
fames quotuplex 310.33
famis horrendæ exemplum 854.33
famis trium annorũ & ſex menſium myſtica explicatio 751.34
faſcis uiuentium ut accipiatur 426.14
fatum, fatale & confatale qua ſignificatione rectè utamur 210.14
fœminarum laus à quibus rebus petatur 419.28
feſtinatio in tranſitu Iordanis quid ſignificarit 19.12
fides hominum fluxa 411.23
fides quæ purificet corda 579.42
fides quæ uincat mundum 399.18
fides rudior, & eius iuſticia rudior quę ſit 836.37
fides ſanctorum aliter calamitates interpretatur, aliter ſapientia humana. 562.3
fides ſanctorum nullam uitæ conditio nẽ aſpernatur 546.39
fides unicum uinculum eſt, quo ſe Chriſtus ſuis alligat 173.9
fides ut accipiatur in illo Apoſtoli loco: Concluſi in eam fidem, &c. 680.39
fidei gradus ut ſint 872.7
fidei in nouo fœdere cur toties mentio fiat, in uetere factorum 680.30
fidei lumen creatum lumen non eſſe. 369.14
fidei luce non ſecus calorem amoris Dei contineri, atq; luce ſolis in terra omnia uiuificantem calorem 764.10
in Fidei lucta quæ cernantur 165.5
fidei materiam cui incumbat, ſolum Dominum eſſe, nullam creatam naturam. 569.18
fidei ſanctorum omnia ſubijci 54.41
fidei uis quid præſtet 305.96
fide cuius ſpiritus promiſsio accipiatur. 681.13
fide in promiſsionem diuinam armari filios Dei 124.52
fidem cum diffidentia luctari 413.48
fidelis Deus cur dicatur 213.48
fidentes & ſecuros quæ præſidia efficiant 6.4
fiduciam excuſſo metu quæ creent. 415.14
finis uniuerſæ ſacræ Scripturæ quis ſit. 172.9
fletus piorum potentior ad ſalutem cõparandam, quàm hoſtium arma ad uincendum 530.15
flumina creſcere niuibus in montibus liqueſcentibus 16.24
fœdus cum Gibeonitis initum à Ioſua, an pugnarit cum lege Dei 501.17
fœdus diuinum à Deo nõ rumpi, ſi à ſuis rumpatur 144.15
fœderis ueteris & noui populi quàm diuerſa uox 950.44
fœderis ueteris & noui collatio 494.32
fœderi electionis diuinæ omnia accepta referenda, quæ ad ſalutem pertinent. 272.50
fœdere uetere cur apertior mentio Chriſti non facta in ſacris & publicis concionibus 213.7
in Fœdere uetere ut ſe patefecerit Deus. 229.52
fœdera improborum diuturna non eſſe. 208.18
fontis noxiarum aquarum myſtica explicatio 814.41
fortis Dominus ut dicatur 308.5
fortium uirorum cogitatio in rebus aduerſis quæ 779.36
fortium uirorum commemoratio. 591.11
fortitudinis ueræ exemplũ in Gedeone. 196.36
Fugæ artes etiam bellica prudentia coniuncta 42.28
fulmina cur ſagittæ uocentur 575.18
fundamentum templi Salomonij quod fundamentũ nobis adumbrarit. 639.28
furari pectora quid ſit 527.18
Furię tenebrarum filię ἀφανοντώδεις appellatæ 388.12
Furias ueteres uates cur fœminarum, nõ marium nomine deſcribant 874.3
furor à malo ſpiritu immiſſus, quouſq; progrediatur 402.19

G

GAbaa locus 484.48
Gadinorum bellica laus 19.24
Gaditarum loca alia à Ioſua non memorata, quæ ſint 69.50
Galaad mons 67.4
Galgala locus 20.40
Garizim mons 202.43
Gath urbs 65.31
Gaza urbs 65.8
Gazer 685.13
Gedeon ut adumbrarit Chriſtum 183.32
Gedeonis ex militibus nullũ interiiſſe, Madianitas uerò cæſos cum ducibus, quæ eius rei myſtica ratio ſit 194.25
Gedeonis figura, qua Chriſtum repræſentat, explicatur 184.14

Gedeonis milites ad aquas probantur. 187.50
Gedeonis ſtratagema & uictoria explicatur 186.2
Gedeoniæ buccinæ figura 184.25
gehenna cur inferni ignis ſit appellatus. 76.45 (674.36
genu flexio ut in cultu Dei contineatur.
genuum ſignificatio 768.46
gentes habuiſſe partē in tēplo Dei. 672.8
gentium cōfluentium ad Salomonē myſtica explicatio 634.42
gentium ſtudium in ędificando Salomonis templo adhibitū, & myſtica illius explicatio 638.8
gentium uocatio præfigurata in Rutha. 282.25
gentibus cū quibus lex Moſæa uetet affinitatē contrahendam nō eſſe. 617.40
gentiles ſi qui Deum Iſraelitarū amplificarunt, id nō naturæ, ſed ſpiritui ſacro tribuendum 445.14
Geſſuri 67.19
Gethæi 860.17
Giezi ſerui Eliſæi delictum explicatur. 843.5.20. & deinceps
gigātes ut depingāt gentiles uates. 62.45
Gion fons, qui & Siloe appellatus 607.21
Goliathus gladio ſuo perijt 394.1
caput & frontem Goliathi petitū quid ſignificet 393.27
grando armatur in hoſtes Iſraelitarum à Deo, cui tota creatura ſeruit ad impios perdendos 54.20
grati homines ut cōparati ſint erga mortuorum amicorū ſuperſtites liberos. 500.18

H

HAereditas Dei cur Iſraelitæ dicantur. 351.28
hæreditatem acceleratā in fine carere benedictione 465.11
Hai urbs 32.50
Hamatha 102.16
Hanna & Phenenna nōminum explicatio 301.34
Hannę & Phenennæ myſtica explicatio 301.7. item 31.31
Hannæ fœcundi uteri myſtica expoſitio 311.2
Hannæ liberi ex promiſsione donati, quos liberos adumbrarint 304.39
Hannæ opprobrij myſtica explicatio. 310.10
Hazor urbs 102.36
Hebræorum ueterum dictum 432.12
Hebron urbs cur Ciriath arba ſit appellata 74.37. & 126.44
Hebron quibus clara ſit, & quæ eius antiquitas 78.2. & 246.43
Helias uates ubi cum Eliſæo uerſatus ſit 76.35
Hermon mons trinominis 64.2
Hermonis montes ubi ſiti 98.46
Heroes qui cernantur in regno Chriſti. 591.28
Heroici ſpiritus exēpla in Moſe, Phinees, & Ehudo, quos imitari conueniat 142.10
Heſebon urbs 63.30
Hiericho cuius Hierichuntis figurā prę tulerit 26.20
Hiericho inſtaurata ab Ahiele 747.12
Hiericho palmarum ciuitas appellata. 127.42 (94.5
Hiericho quoties deſtructa & inſtaurata
Hierichontis ſitus 7.20
Hieroſolyma cur regni & ſacerdotij ſedes fuerit 880.4
Hieroſolyma & templum quoties infeſtatum 960.28
Hieroſolyma quam conſideratione habeat 94.40 (478.30
Hieroſolyma unde inclyta iudicetur.
Hieroſolymā tetrapolim uocari 127.8
Hinnom uallis quæ, & ubi ſita 76.40
Hirami regis Tyri cōfeſsio de Deo Iſrael 636.36 (728.52
Homerus cur reges διοτρεφεῖς appellet.
Homeri uerſus 46. & 160.24. & 217. 10 & 415.4.6 & 419.30 & 424.2 & 450.33 & 461.23 & 462.25 & 467. 26 & 468.4.8 & 471.17 & 507.24 & 520.36 & 513.8 & 554.38 & 566.9 & 566.39 & 590.20 & 794.4 & 799. 17 & 870.17 de Achille doloré ſuū cithara mitigante 387.41 de ducis munere, quē noctu uigilantem deſcribit. 42.34 de fœminarum officio 6.43. de furore regum 413.37 de giganti bus in montibus uerſantibus 63.4 de hoſpitali munere 690.44 de hoſpitalitatis iure 11.18 & 263 47 & 264.48 de imperio unius 200.48. de iureiurando 12.5 de more aſperſi pulueremcapiti in luctu 34.13. de mulierum officio 147.21 de muſicis 387.11 de periculis uicinis 9.31 de regia formæ dignitate 346.30 Similiter Latini uatis.
Homeri uerſus de regum poteſtate, ut à Deo ſit 19.52
Homeri uerſus de timidis 187.21 de uino 205.30

homo sæuissima belua, suæ libidini permissus 264.31 (562.30
hominem qui lædit, uniuersitatem lędit.
hominem tribus præsidijs se tueri. 830.17
homines cum duo sint, uetus & nouus, uter horum aspectum angelorum & Dei non ferat 234.40
homines duo, uetus & nouus 512.23
homines in electis 88.52
homines sancti instrumenta Diuinæ bonitatis 233.28
honor quid 233.21 & 690.14
honoris partes 395.33
hospitalitatis, qua sancti Dei legati excipiuntur, remuneratio 862.29
hostilium gentium relictarum tres causę 135.12
hostem uictum non esse acerbius tractandum 466.35
hostes cõsopitos à sanctis exarmari. 431.11
hostes Dei prouidẽtia ijs quos ipse amat reconciliari 469.30 (28
hostes Israelitarũ externi & interni. 145.
hostes piorum hominum Dei hostes esse 315.29
hostes sanctorum & Deum dissimili consilio esse in puniendo 209.12
hostes sanctorum suis ipsorũ gladijs perire 192.17
hostes unde fit ut hostium misereantur. 784.16
hostes nostros nobis duplici causa prodesse 130.20
hostes unà cum imperio solere etiã in uictos falsum Dei cultũ importare. 140.45
hostiũ in Chananæa retentorũ quæ causæ fuerint 130.7
hostium Israelis cogitatio quæ sit in puniendo 140.3
hostium Israelitarum consilia & conatũ in Dei manu positum esse 149.15
hostium Israelitarum spolia mysticè explicantur 497.47
hostium prophetarũ miser exitus. 883.8
hostium uis torrenti comparatur 571.7
hostib° cõsilia sua esse pernicioſa, & pijs salutaria 851.34.
hostibus quomodo & maledicendũ sit, & benedicendum 158.40
humanum iudicium falli in æstimando fauore Dei ex rebus secundis 353.22
humanorum corporum prędstãtia in quo cernatur 231.40
humiliatio animorum legalis quæ præmia habeat 792.23
hypocrisis natura 397.30
hypocrisis sæua belua 401.31
hypocrisim homines & Deũ inimicè persequi 409.37
hypocritæ sua consilia Deum latêre putant 438.29
hypocritarum arma humi esse, sanctorũ in cœlo 430.8
hypocritarum ingenium quale sit. 379.15 & 507.50
hypocritarum mos quem tenent in defendendis suis criminibus 410.48
hypocritis ut infestus sit Deus 475.13
hypocritas omnia simulatè agere 726.18
hypocritas studere legem implere, sed sine lege 563.26
hypocritas uera dicere, sed nõ uerè. 613.7
hyssopus quid significet 729.42

I

Iaaser 69.19
Iacob cur Israel appellatus 54.45
Iair uici 70.25
Ianum urbs unde appellationem suã habeat 80.31
Iasa 67.39
Idumeæ duplex descriptio 816.45
Iebusæus cur uictoriæ Dauidis reseruatus 82.39 (15
Iehu ut iussus sit ab Elisęo rex ungi. 867.
ieiunium uerum quod sit, quod item falsum 789.19
ieiunij usus 270.6
Iephthæ descriptio, & eius mystica tractatio 215.19
Ieroboami consiliũ de retinendo regno. 712.34
Ieroboami descriptio 703.5
Ieroboami manum exaruisse, quid significet 721.25
Ieroboami miser interitus 725.38
in Ieroboami nouo Dei cultu quæ considerentur 715.9
Ieroboamũ cum præsciret Dominus malum futurum, cur eum admonuerit ut rectè se gereret 705.44
Iesaias cur à Manasse trucidatus 945.31
Iesaiæ mysticus locus explicatus. 701.38
Iezabel uxor Achab, quam Iezabelẽ præfigurarit 761.20
Iezabelis fucatus ornatus mysticè explicatur 869.38
ignauia degeneris metus mater 469.39
ignis ab Elia petitus cur sit, qui Ochoziæ regis seruos deuoraret 802.46
ignis cuius Christus dicatur dispẽsator, non Moses 533.12
ignis de cœlo cadens, probator sacrificiorum 678.40
ignis innocentiæ explorandæ elementum

mentum 431.38
ignis quæ contineat 763.48
ignis ut intelligatur apud Apostolũ cuiusq; opus probare 763.45
igni quo holocausta probentur 763.7
ignem cum peterent discipuli Christi, ut descenderet ad cõficiendos improbos, cur à Christo reprehensi 803.4
igneus spiritus quo holocausta uera probentur, qualis spiritus sit 763.38
ignei currus, quo Elias in cœlum translatus est, mystica explicatio 807.12
imperatori quatuor res inesse oportere. 547.42
imperio homines digni qui 418.10
impij cum iuuantur cõtra impios à Deo, quid ab eo spectetur 782.7
impij Deum fatentur esse, sed non suum Deum 721.3
impij quo animo præditi sint 726.30
impij ut sint comparati & affecti 714.34
impiorum hominum consilijs euentum non respondere 769.50
impiorum reliquias nõ cõseruari. 273.40
impios admonitione sanctorum hominum deteriores reddi 792.41
impios in media securitate perire 59.51
impios in terra suã opem quærere, pios in cœlo 56.26
impios neq; clemẽtia neq; ira diuina adduci ut resipiscant 769.35
impijs Deum Israelitarum quoque notũ esse 335.27
impijs sua præsidia conuerti in exitia. 56.24
improbi cur æqua admonentibus nõ obtemperent 889.20
improbi qui deuitandi sint 722.44
improborum hominum ut uitia Deo displiceãt, non semper personæ 946.19
improbis primò conatus suos prosperos esse 268.35
incitatum Dauidem à Domino ad numerandũ populũ, ut intelligatur. 592.50
increpatio Dei quid 575.43
indurationis impiorum quę causæ. 62.15
infantes etiam à Deo iussos trucidari. 28.50
infernus & eius ignis ut considerandus. 952.30
infernus quoties accipiatur 311.48
inferni cruciatũ sensisse Christũ. 571.45
ingratitudo quantum uitium 422.49
inimici ut diligendi & odio persequẽdi sint 584.5
inimicis ut male & benè precari conueniat 815.45
iniuria quoties fiat 570.7
iniurijs inferendis quod hominum genꝰ procliue 501.18
iniurijs quibus Messias cœlestis Dauid affectus sit 570.24.
ad Iniuriandum quæ res magnos uiros excitent 471.30
ad Iniurias ferendas patiẽter quid prosit. 553.40
iniuria affecti quando metuendi. 429.27
innocentiam qualem agnouerit contra Saulum Dauid 401.20
impiorum exitus qualis 209.44
insidiæ bellicæ iustæ ne sint 41.50
insons nemo in oculis Domini 512.48
integritas & innocentia duplex consideratur in sacris literis 578.35
intentionem nullam bonam, & zelum placere Deo, in religione statuẽda, nõ confirmatum uerbo Dei 198.14
Interim idolum 140.49
interrogationes Dei quales 773.22
inuidia quæ uitia habeat 396.10
inuidiam ambitiosam, sæuam beluã esse. 558.34
inuocari Deum aliter à pijs, aliter ab impijs 585.2
in Inuocatione Domini quæ sint expendenda 162.33
in Inuocatione quæ cernantur 570.44
de Ioabo cur Dauid pœnas ob trucidatũ Abnerem non sumpserit 472.43
Ioabo Dauid quæ mala ob cædem Abneris imprecatus sit 472.14
Ioadæ sacerdotis & Ioas regis mystica explicatio 875.19
Ioánis locus de resurrectione prima explicatus 830.46
Ionathanis & Dauidis mutuus amor. 394.29
Ionathanis heroicus spiritus 366.37
Ioppe 104.2
Iordanis alueum exiccatum, quid significet 17.27
in Iordanis transitu quæ considerandа. 13.6
Iordanis traiectus quæ mystica significatio 3.5
Iosephi filij Manasses & Ephraim ut duas partes hereditatis possederint. 71.27
Iosephi posteri cur superbierint 83.34
Iosephi sententia de gemmis rationalis, quo tempore clarius desierint lucere. 272.4
Iosiæ liberi ut explicantur 954.8
Iosua Christum adumbrauit 1.40
Iosua Christum agnoscit Dñm suũ. 25.14

Iosuà cur minister Mosæ 2.43
Iosuæ deliberatio ac hortatio, qua ad cultum Dei hortatur Israelitas, qualibus locis instructa sit 116.24
Iosuæ & Christi collatio 14.39
Iosuæ expostulatio cum Deo qualis fuerit, & quibus locis instructa 34.46
in Iosuæ libro quæ considerandæ sint. 2.3
Iosuæ oratio ad Israelitas 114.3
ira cum stultitia coniuncta 705.43
ira & inuidia ex quibus rebus excitetur 193.18
ira ex quarum rerum cõtemptione nascatur 787.41 (787.20
ira tristitiam, animũ mordentem, creat.
iræ diuinæ in Israelitas, mystica explicatio 884.16
iræ sedandæ & inuidiæ minuendæ medicina 193.40
iram nasci ex contemptu 469.3
iræ fratrum acerbiores 518.7
irascitur Deus suis ritu patris, non hostis 673.32
Isacharis tribus quæ loca habeat à Iosua non memorata 98.51
Isbosethus Sauli filius 464.36
Isocratis scitum dictum 523.46 & 461.13
Israel nomen explicatur 766.13
Israelitarum bella, Domini bella 426.2
Israelitarum & hostium illorum, contrarios exitus esse 495.48
Israelitarum exilium quam utilitate exteris gentibus attulerit 834.48
Israelitarum firmam sedem fore, ut sit accipiendum 489.35
Israelitarum laus, in quibus rebus spectetur 493.8
Israelitarum secundum carnem & Ecclesiæ collatio 855.5
in Israelitas Dei ira qualis sit 884.4
inter Israelitas & gentes quid interfuerit, quantum ad Dei cognitionem pertinet 445.2
Israelitis tempore periculorum neque suum metum obesse, neque hostibus illorum suum militum robur & potẽtiam prodesse 59.34
Israelitas omnes traiecisse Iordanẽ, quid figurarit 17.33
Israelitas prohibitos ab accessu ad arcam oracularem quid sit 13.52
Israelitas reconciliandos cum Deo maiorum suorum 493.50
Israelitici imperij triplex usq; ad Christũ ratio 121.33
Iuda cur laborarit magna inuidia apud familiam Iosephi 83.32
Iudææ termini qui 74.48
Iudas primò Chananæos hostes aggressus 124.44
iudicandi potestas Christo regi data à patre 316.34
iudicis Dei & terrenorum iudicum collatio 29.2
iudicium humanum & diuinum ut differant 384.21
iudex Deus quomodo et quot modis puniat sceleratos 32.1
iuniperi mystica explicatio 770.43
iuniperi oleum 77.10 (283.4
iuramentũ cur à נשׁא uocetur ab Hebræis.
iuramenti uiolatio quantũ delictũ. 563.7
iuramentorum & fœderum uiolationes quæ mala in terrarum orbem importent 564.44
iuris gentium & fœderũ uiolatores impunè non habere 501.52
iusiurandum fregerit ne Dauid, cum mãdaret Salomoni ut pœnas de Semei peteret 612.17
iusiurandũ Sauli iustum ne fuerit. 370.15
ius qui tuentur, in eo defendendo delinquere posse 263.39 (526.29
iustificare uerbum quoties accipiatur.
iustificare ut accipiatur in sacris literis. 669.6 (681.16
ad Iustificationẽ impij q̃ necessaria sint.
iusticia Dauid cum oraret, Tribuã mihi secundum iusticiam meam, qualis iusticia fuerit 577.32
iusticia fidei ut intelligenda sit 682.6
iusticia inchoata in sanctis omnia uinci & superari 579.13 (417.45
iusticia quę Phariseorũ antecellit, qualis
iusticia satisfaciens quæ sit, quæ item cõformans nostros animos cũ Dei uolũtate 681.38
iusticiæ fidei duplex munus 577.42
iusticiæ sanctorum & Christi quod discrimen 578.9
iustus fundamentum mundi 314.20

L

De Lacedæmone oraculum 342.17
Lachis urbs quibus rebus clara. 79.38
lachrymarum ex pœnitentia dimanantium quæ uis 131.3
lachrymarum uis ad cõciliandam gratiã Dei 930.43
Lais urbs 257.40
lapides cur in testimonium delecti 121.13
lapides ex alueo Iordanis extracti, quid & quos significent 17.43 (18.31
lapides in humeris portati qd figurarint.
lapides in humorem solui posse 33.36

lapi-

lapides ueri templi, qui 638.35
Latini uatis de Deo confessio 10.7
Latini uatis uersus de torrida zona. 79.6
in Latitudinem educi quid sit 577.1
lauacrorũ Salomoniorum mystica enodatio 661.21 (462.20
laudari ab hoste, magnam laudem esse.
laude uera uirtutis stimulos contineri. 115.16
legati Dei quid respicere debeant. 166.24
leonis dilacerati à Gedeone mystica explicatio 238.39
leones Salomonij mysticè explicantur. 694.10
leprosorum annunciantium Samariæ salutem mystica explicatio 859.16
leprosorum obsessa à Syris Samaria deliberatio explicatur 859.41
Lesem urbs 104.30
Leuitæ armis Dauidis armati cur sint, & quæ mystica ratio 876.28
Leuitarum constantia 719.15
Leuiticæ tribus in reliquas dispersionis causa, & usus 108.1
Leuiticæ tribus tres familię 109.1
lex cur cõmẽdetur à sacerdote regi. 877.1
lex cur testimonium uocetur 876.52
lex de rectè agendo, quæ nobis proponat ad considerandum 680.48
lex Dei cur cum igni & fulguribus tradita legatur, & ignea dicatur 573.4
lex noui fœderis quæ sit, & quid inter eam & Mosæam intersit 950.8
legis custodiendæ finis quis 5.36
legis diuinę studio res prosperè succedũt. 4.44 (50
legis & Euangelij munera coniũgi. 508.
Libanus ab albore niuium, ut alpes Latinis 3.48
Libanus ditionis Israeliticæ 685.46
libera uolũtas an ne cum ineuitabili præscientia Dei pugnet 709.11
liber instorum quis 55.31
libri qui Hebræorum interierint. 459.17. & 706.20
liberos malè educatos parentibus afferre luctum 519.28 (398.45
liberos non semper respondere parentib. de Liberis Michol nodus soluitur 565.8
libertas uera quæ sit 133.5
libertatis ius seruari cultu Dei 133.4
Lobna urbs 866.14
loca quę in Iudæa tribu inueniantur à Iosua non memorata 81.29
item quæ in Ephraimẽsi & Manassensi tribu 89.25
locus is, Filius nõ feret iniquitatem patris, ut intelligendus sit 512.35
locustæ quos significent 189.19
loqui sublimia cur non deceat hominem 308.34
loqui sublimia qui soleant 308.42
lucerna pro spendore regni, interprete Chaldæo 865.41
lumborum cinctus quid significet. 769.3
lumen philosophiæ quid differat à lumine in sacris literis lucente 829.16
lux Deus cur dicatur 581.17
lux naturalis animorum meræ tenebræ, si conferatur cum luce fidei sanctorũ 581.34
luce & tenebris quæ notentur 314.39

M

MAdianitæ cur Ismaelitæ appellentur. 199.25
Madianitæ ex Cethura nati quos adumbrent 161.38 (186.8
Madianitarum castra mysticè explicãtur.
Madianitarum principum nomina. 68.7
Maecha uxor Dauidis 467.43
Mageddo, Iezael & Ibleam urbes. 969.18
magistratus ciuilis consilia quæ modò pro oraculis habeantur 540.48
magistratus pius quæ agnoscere debeat se à Deo habere 621.42
magistratus officium 5.26
magistratus officium quod 359.5
magistratum colendum esse naturalis lex ostendit 430.22
magistratum commendat ipsa sapientia Dei 430.24
magnitudinem corporum humanorum portentosam à diluuio conspectam. 566.51
Mahanaim 69.26 & 464.51
maledictio quomodo accipienda & quotuplex sit 51.48
mali spiritus signa in corporib. & animis apparent 388.6
malos parentes cum malis liberis perire. 327.47
Manasses pœnitentia 945.48
mãdatum Dei interdum esse diuinę ordinationis instinctum 752.28
maniam musicis modis leniri 387.4
Manna quando defierit deplui 6.19
Manoa ut dicatur Deum uidisse 235.34
manus præ cæteris animantibus cur homini datæ 125.21
manus cõfirmari quãdo dicantur. 412.10
manus imponere capiti tempore luctus, ueterem morem esse 517.20

maris fusilis Salomonij mystica explicatio 658.26
maris solitudinis uaria nomina 16.43
Maspha 69.31
matrimonium fœdi amoris medicina. 515.48
matrimonia qualia optentur pijs à pijs. 281.17
maxillæ asini mystica explicatio. 244.14 & 245.23
Medaba 67.1
Medemena ciuitas 79.9
Melchom idolum 699.27
mellis reperti in cadauere leonis mystica tractatio 239.39
mello 480.3 & 703.45
Menander historicus siccitatis quæ tempore Eliæ fuit, meminit 750.46
mendacium, quod in uitio sit 8.12
mẽdacio ut omnis homo obnoxius. 418.31
mensium nomina Hebraica 641.43
mensura hominis, quæ sit angeli, ut accipiatur in Apocalypsi Ioannis 644.7
meretricum mulierũ de liberis suis apud Salomonem altercantium mystica explicatio 627.12
meritorum an ne aliqua ratio habeatur apud Deum 433.17
Meroe 687.18
Merom palus 159.26
Messias æternum uerbum Dei 907.4
Messias ara est, in qua uerè litatur Deo. 111.26
Messias brachium Dei 448.30
Messias ex quib. aquis liberatus 576.28
Messias sapientia, quam Salomon in Prouerbijs celebrat 632.43
Messias signum Ionæ prophetæ ut dicatur 168.13
Messias suos Saulos habet 429.50
Messias ut pro suo templo precetur. 667.28
Messiæ imperatori quæ uirtutes insint. 547.48
Messię natura confirmatorio signo omnes promissiones accommodantur. 168.19
Messiæ regnum solum uanitate liberum esse 705.31
ad Messiam signũ omnes promissiones referuntur 167.38
de Messia mysticus locus 464.48
messis, messorum & spicilegij Ruthę mystica explicatio 286.38
meticulosis ut locus in militia spirituali nullus sit 187.22 (20.30
metuere Deum, pro colere & reuereri.
metus causæ quæ 392.11
metus Dei duplex 330.52
metus Dei qualis diuini spiritus uis sit. 636.40
metus malus custos diuturnitatis. 708.38
metu periculorum non carere sanctos. 383.7
metus quanta uis 9.38
in Metu qui soleant esse 486.10
Michæ historia ad quæ tempora referenda 253.2
Michol quando in maledictionem sterilis uteri inciderit 487.44
militia & arma sanctorum quibus mundus uincitur, quæ sint 26.30
ministri qui uerbi Dei, placeãt Domino. 485.48
ministris sacrorum & religionis iure diuino deberi uictum 108.22
miserationem ex similibus casibus nasci 264.14
misericordes erga quos simus 413.8
misericordes qui homines maximè sint. 382.24 (27
misericordia ut diuinus sit affectus. 462.
misericordiæ diuinæ duas res aduersas esse, superbiam & desperationem. 166.47
Mitzpa locus clarus comitijs Israeliticis. 59.2
Moab cur dicatur cum Israelitis dimicasse, qui nullum bellum gesserit 119.19
Moabitarum superbia 817.38
moderationis in Gedeone exemplum. 182.2
modiorum sex hordei à Boozo Ruthæ tributarum mystica significatio. 291.20
Molochi cultus ut explicetur à nõnullis interpretibus 952.43
monomachiæ Dauidis & Goliathi descriptio, & eius mystica expositio 388.22
Moria mons quibus rebus fuerit clarus. 642.2 (178.44
mortis Domini beneficia præcipua quæ
mortis genus tripartitum 512.1
mortis piorum precia unde æstimanda. 455.3
mortis tria genera 430.51 quibus nominibus nominentur 454.17
pro Mortuis sanctos non orare 513.43
mortificare Dominum ut intelligendum 311.19
Moses cur in Chananæam Israelitas non duxerit 1.12

Moſes & Elias cur contexerint uultum 774.48
Moſes quando obierit 20.26
Moſe duce Ægyptios contra Æthiopes uſos 687.34
Moſe mortuo Iſraelitæ in Chananæā introducti 2.4
Moſæę legis ſpiritus quid differat à ſpiritu adoptionis 168.13
mulieris prudentis exemplum 559.16
mulieris ſedentis ſupra ſeptē colles, quæ uitia 183.36
mulierem ne conueniat ad gubernacula reip. ſedere 146.6
mulierum ſcelera in maritos redundare. 791.21
mulierum Salomonis & concubinarum myſtica explicatio. 696.20 item 29
mundus qui ſint 770.36
mundus duabus rebus tentat pios, minis & blandicijs 722.28
munus Dei quæ ſubleuans, et quę deprimens 133.27
munera hoſtium ſuſpecta 933.48
muneribus Dei per ipſorum uſum nihil decedere 754.43
Muſcarum Deus 800.20
muſicorum ſonorum ueteris fœderis figura explicatur 485.3
myſterium regenerationis ut indicetur in commemoratione myſticæ redemptionis ex Ægypto 120.16
myſtica explicatio Apologi Ioathami. 204.10
myſtica hoſtiarū Iſraeliticarum explicatio 136.40
myſtica ratio quæ ſit, non prius cœpiſſe Peſah ueſci Iſraelitas, quàm circumciſi denuò eſſent 23.36
myſtica ratio quæ ſit, quòd aliter humana & pecorum corpora, aliter argentū & aurum igni tentantur 40.43
myſtica ratio quæ ſit, quòd Ioſua duce quies parta dicatur, nō Moſe duce. 113.37
myſtica ratio quæ ſit, quòd uiri militares in deſerto obierint 22.50
myſticę probationis ad aquas explicatio. 188.47
myſticam ſcripturam quæ ſit commoda interpretandi ratio 568.3
myſticus ad Hieroſolymā aſcēſus. 126.13
myſticus Baraci deſcenſus 150.6
myſticus de Meſsia locus 482.34

N

NAamanis Syri hiſtoria explicatur. 833.35
Naamanis confeſsione ad Eliſæū quæ conſiderentur 840.37
Naamanis ſimulatio de cultu deorum Syrię an culpa caruerit 842.35. item 45
Naamanem etiam ab animi lepra ſanatū 842.15
Nabal mariti Abigail deſcriptio 419.15
Naioth locus ſchola doctrinę legis diuinæ clarus 400.22
Napthalianæ tribus quę loca apud Ioſuā non memorata 103.48
nares cur attribuantur Deo 576.11
naſus irriſioni dicatus 765.2
Nathan uates quibus locis uſus ſit in accuſando Dauide 509
Nazareth oppidum patria Chriſti. 97.51
in Nebula habitare Dominum quid ſit. 664.8
Nilus cur apud Hebræos שיחור appelletur 64.42
Ninus nepos Nimbroti idololatriæ defenſor 117.50
Ninus patrem Belum pro Deo coli curauit 118.1 Baal aūt Belus eſt 118.3
Noa Ogyges appellatus 246.46
nomen Dei quādo uanè adhibeatur. 438.38
nominis diuini dehoneſtatio quantum crimen 786.12
nomina piorum ſcribi in cœlo quid ſit. 577.27
nouiſsimorum temporum ſub prædicatione Euangelij afflictiones quantæ ſint 855.1
nox deſtinata exitio hoſtiū Iſraelitarum 53.40
nox quibus rebus deputata ſit 182.16
nubes tenebras Ægyptijs & lucem Iſraelitis afferens, quid ſignificarit 118.52
numerorum ſummam, ſinum deſit, non mutari 202.31
nuncij læti Samariam de fugatis Syris allati myſtica explicatio 860.34

O

OBededom 486.18
obedientia ut prę ferat uictimis. 379.39
obdormitio ſanctorum ut intelligenda ſit 490.7 (42
occaſionem ſolum deeſſe improbis. 557.
ocium libidinis matrem eſſe 502.6
octonarij & ſeptenarij myſtica ratio. 931.12
oculi Domini aperti quid ſignificent. 667.20

oculi Domini ut probos & improbos ſpeculentur 699.48
oculi Domini quales 921.38
oculos Dei aliter pios, aliter impios ferre 580.51
oculos alios noui hominis, alios ueteris eſſe 502.20
oculos cõcupiſcentiæ nuncios eſſe. 502.13
odium & inuidia affectus quales ſint. 407.8
odium inueterata ira 398.15
odij exitialis exemplum in Saulo 397.22
oleum diuinitatis ſymbolum 775.38
oleum quo Iehu unctus eſt, unde deprõptum ſit 867.1
oleum ſacerdotij & regni idem 877.38
olei unctorij quo reges Iſraelitarũ uncti ſunt, duo genera 350.30
onus prophetia durior 869.3
opera Dei magna quæ ſint 130.45
Ophir 686.47
opulenti homines quales ferè 419.37
orantum uerè, & per hypocriſim, quod diſcrimen 303.3
oratio à quibus generibus argumentorum commendetur 427.6
oſcula cur amoris ſignificationem habeãt 776.48
oſculari pro colere & adorare 776.43
oſtentatio opum periculoſa 934.26
Oſyrim filiũ Chami ceruiſiæ cõficiendæ rationem inueniſſe 228.33

P

PAllij Eliæ ſignificatio myſtica quæ 728.1
palmarum uictricum ſignificatio quæ fuerit 652.20
Palmyra 685.28
panis Domini ut dicatur communicatio corporis Chriſti: & ut Eſt uerbũ in myſticis ſermonibus ſit exponendum 176.50
panẽ Domini qui dignè edãt, & qui indignè 179.15
panis ſubcinericius qualem panem referat 771.40 & 190.30
parabola Nathanis ad Dauidem 509.1
parabola uatis Michææ ad Achabũ. 789.6
parabolarum duo genera 520.8
paſtor ſtultus à quibus ſit euertendus. 475.33.
paſtores reges cur dicantur 478.5
patibuli ſupplicium quàm probroſum fuerit 44.5
patris & filij nomina quàm latè pateant 863.24
paupertatis & diuitiarum genera 313.11
pax & rerum affluentia quę mala apportet 144.42
pax Gedeoni oblata qualis fuerit 181.10
pax ut cernatur in Salomonis Meſsiæ regno 631.8
peccare aliter Iſraelitas & uinci, aliter hoſtes peccare & uincere 36.15
peccare hominem in hominem quid ſit 318.42
peccare in Deum 319.3
peccata peccatis à Deo puniri. 208. 40 & 503.42
peccatum præuiſum à Deo, ut peccati rationem non amittat 510.38
peccata bifariam conſiderari 539.16
peccata hominum non latêre oculos Dei omnia ſpeculantes 511.3
peccata ſua qui celant, qua gloria ſpoliẽt Deum 37.39
peccatorum æqualitas uel inæqualitas unde æſtimanda 508.20
in Peccatis quæ conſideranda ſint. 407 28
pedes qui laudentur 769.10
pedum nomine affectus notari 314.30
perditio ut à Domino ſit 857.26
perfectionis partitio 698.50
Periãdri parabola de tollendis ſummis uiris 201.41
ex Peripateticorũ philoſophia quæ probari nequeant 829.28 (955.50
pernicies ut ex nobis, & non à Deo ſit
petra cur Chriſtus dicatur 568.38
petra Gedeonis quam petram adumbrarit 181.40
Petræ urbis ſitus 128.38
Petri locus de timore Dei 9.49
Phanuel urbs 712.29
Pharaones Ægytiorum reges, ut Romani imperatores Cæſares appellati 685.7
Phaſga. 67. 48. iugum montium Abarim 63. 40
Philoſophi cuiuſdam ſcitum de adulatoribus dictum. 527.12 Item de inuidis 396.40
Phinehas aliter ſacerdotium promiſſum, aliter Eli familiæ 123.37
Phinees orator quali oratiõe uſus ad eos qui trans Iordanem hæreditatem acceperant 110.50
Phocionis Atheniẽſis conſtantia in reſpuendis muneribus Alexãdri magni. 342. 50
Phocionis philoſophi de uulgo dictum 539.34
pinguiũ nomine qui ſignificẽtur 144.14
pij ut deſerantur à Domino, malo´ne ſuo an bo-

an bono 936.17
piorum & impiorũ casus ut diuersi 41.20
piorum qui in medijs periculis seruati sunt, exempla 28.8
cum pijs & impijs Deus contraria ratione agit 728.17
pœna, ne culpa remittatur 518.22
pœna talionis ut à tyrannis orbis terrarũ considerãda sit 510.20
pœnæ, quibus Dauid punitus fuit ob adulterium & homicidium 515.2
pœnitentia non naturæ ueteris opus, sed gratiæ diuinæ promissionis 272.46
pœnitentia quas res contineat 946.30
pœnitentia Sauli qualis fuerit 380.46
pœnitentia ut tribuatur Deo 376.40
quę Pœnitentia & scelerũ confessio Deo grata sit 669.44
pœnitentiæ doctores qualis uestitus deceat 802.10
pœnitentię quanta uis sit ad reconciliandum Deum 626.32
pœnitentiæ usus 214.24
pœnitudo deo ut tribuatur ἀνθρωποπαθῶς 133.41
pollices amputati Adoni Bezeco quid significent 125.16
populo uitioso uitiosum contingere magistratum 452.50
portarum templi ob Athaliam bene custoditarum mystica explicatio 876.8
prȩmijs fortium uirorum animos ad res magnas accendi 479.27
prȩputium cur opprobrium appellatum 23.28
præscientia Dei quam necessitatem imponat 705.18
à Præsciẽtia diuina res futuras pendẽre, non contrà 924.29
de Præscientia diuina error 710.4
precatio in noui fœderis administratione templum Messiam respicit 920.46
precatio quæ exaudiatur 678.680
precationis diuinæ usus quis 921.46
precationis sanctorum uis quanta 55.43
preces piorum in cœlũ penetrare 572.13
primogeniti secundum carnem ut affecti sint 515.28
probi hominis natura 417.28
promissa sua qua ratione & modo seruet Deus 873.18
promissis diuinis omnia quæ ad salutem pertinent, contineri 323.51
promissio hęc, Ego ero tecum, quæ indicet 107.8
à Promissione diuina uera piorum salus pendet 674.677.29
promissiones diuinæ quomodo & quando impleantur 477.22
promissionum Dei duo genera 648.2
Prophetæ nomine quæ contineãtur 162.48
prophetæ cur æreus murus appellentur 727.21
prophetarum dignitas quæ 866.48
prophetarum & legatorum Dei sors quę 568.16
prophetarum falsorum beneficiũ quod sit 119.32
prophetarum conditio quàm molesta et periculorum plena sit 383.20
prophetarum munus tribus in rebus uersari 720.9
prophetis afflari spiritum sanctum ad ùsum electorum 827.12
prophetas & sermone & aspectabilibus signis prophetare 794.18
prophetas prȩstantes etiam apud decem tribus uixisse 747.40
prophetare pro celebrare 400.40
propheticę reprehensionis usus quis 511.10
propitiatorium & Cherubim quas res âdumbrarint 483.28
propitiatorij Mosæi, cũ propitiario Christo collatio 13.44.
prosperæ res an argumento sint, eos qui illis utuntur, in fauore Dei esse. 728.6 & 32.45
prouerbiũ: Ex impijs egreditur impietas, ut exponendum 416.28
prouerbium Grœcum de tollẽdis liberis occiso parente 702.20
prouidentia Dei fieri multa, quę casu fieri homini uidentur 348.40
prouidentia diuina omnia fieri, nihil fortuitò 11.36 & 238.23
prouidentiam Dei agnoscere, non naturæ, sed fidei opus esse 280.35
in Prouidentiã Dei pariter finem et media cadere 709.3
in Prouidentiam diuinam cadere & exitum, & res ad exitũ conferentes 46.4
in Prouidentia diuina omnia boni ratione habere, siue bona siue mala. 469.20
promissioni diuinæ omnia quę ad salutem pertinent, tribuenda 495.7
prudentia humana à diuina in quo differat 541.12

prudentię exemplum in Dauide 433.42
Psalmi XVIII explicatio 567.39
in Psalmis explicandis qui error, præsertim ab Hebræis, committatur 567.46
pseudoprophetæ laborant ambitione & auaritia 260.45
ψυχαγωγίαι 438.4
pulchritudine animorũ natiua abuntur impij 502.48
pulchritudinẽ corporũ animorum pulchritudini non respondere 523.44
puluis dij alieni sunt 871.28
puluerem aspergendi mos capiti in luctu 34.8 & 450.30
purgatoriũ uas piorum duplex 674.22
purpura piscis 461.32
in Puteo seruatos amicos Dauidis quid significet 544.36
Pythonem Saulus consulit 437.33

Q

QVadragenarius pœnitẽtiæ & afflictionis numerus 772.8
Quadraginta anni, post quos Absalomus legitur regnum affectasse, ut supputandi 527.33
quadrigarum & equitatus cœlestis munus & usus 849.21
quinarius ut intelligatur centrũ sphæræ esse 655.5

R

RAaba meretrix quarum rerum nos admoneat 7.7
Raabæ cõfessio de Deo 9. 46 quæ continuerit 10.26
Rabba Ammonitarum 69.23
Rabsaces uocis etymum explicatur mysticè 914.1
Rabsacis captiosa conclusio 911.8
Rabsacis oratio ad legatos Ezechiæ explicatur 909.37
Ramath 69.27
Reblatha 102.27
rebellionis decem tribuum aduersus regnum Dauid quę caussa fuerit. 707.35
Rechabitæ & Cinæi unde originẽ duxerint 871.1 & 127.31
rectus hominis status quis 620.35
regij imperij antiquitas 343.4
Regina Saba quæ confessa sit 689.48
regnandi gratia honestatis omnem rationem negligi 201.48
regnare quando Deus dicatur, quando item homo 197.18 item.28
regnum in rebus expetendis maximè continetur 349.52
regnum à sanguine inchoandũ non esse 555.30
regnũ Dauidis in Israelitas, figura regni Messiæ in cœlestes Israelitas 477.36
regni Salomonis diuisio quam diuisionem præfigurarit 701.16
regnis mundi cur sacræ literæ sæuas feras affingant 397.30
religione uera neglecta in omnia scelera patêre aditum 952.8
reliquiæ in sacro populo conseruatę omnibus temporibus quàm gratæ sint Deo 273.35
reliquiarum quæ tempore Manassę defecerunt à patrio Dei cultu, mystica explicatio 946.1
reliquiarum tempore Ezechię seruatarũ mystica explicatio 927.2
reliquias gentium etiam primo Euangelij lumine fuisse illustratas 464.16
reliquias sacri populi arbori spoliatæ ramis et folijs radices in terra agẽti similes esse 926.32 (670.5
remissio peccatorum qua ex re constet.
Rephaim uallis situs 77.5
reprehensio regum grauissima 705.48
reprehensionem magnorũ uirorum magna cum cautione instituendam esse 469.11
reprehensionũ quibus scelera reprehenduntur, usus quis 130.47
responsionis prudentis in Gedeone exemplum 193.30
respublicas luxu & ocio corrumpi, si desint hostes 136.20
resp. nimis diuites & potentes, nõ laudari 934.28
respub. periclitari, etiam paucorum sceleribus non punitis 267.18
restium recentium ipsius Gedeonis mystica explicatio 247.49
resurrectio duplex ut exponenda 830.37
resurrectio prima quæ sit 755.23 (20
regis metũ diuinitùs subditis injici 357.
regis primi Israelitarum Sauli descriptio 346.1
regi quæ uirtutes necessaria sint ad bene regnandum 523.10
regem bonum quid oporteat facere, scitè dictum 555.34
in Rege duo cerni 877.24
reges cur διοτρεφεῖς appellentur 19.48
reges cur grauiter ferant se cõtemni, duę caussæ 787.33
reges gentiles Deus uult scire, se regnare nutu suo, non deorũ alienorũ 864.51
reges oraculum in labijs habere 557.7

regum aures longę, & oculi multi 706.7
regum terrę opera Deum uti ad caſtigandos ſuos Iſraelitas 864.45 (47
regum dignitas à Deo confirmatur 19.
regum filij formoſi 196.28 (25
regum ira quãta ſit, uerſus Homeri 787.
regum Iſraeliticorum dignitas æſtimatur à Meſsia 430.26
in Regum libros præfatio 297
Rubenitarum loca omiſsa à Ioſua, quæ 68.28
Ruthæ ad pedes Boozi iacentis, myſtica notatio 288.34
Rutha Meſsię regis regum mater. 284.37
Rutha mulier fortis eſſe ut intelligatur, & ſponſa Meſsiæ illa adũbretur 290.7
Ruthæ & Noemi myſtica explicatio 283.34
Ruthæ hiſtoria cur memorabilis 279.16
Ruthæ hiſtoria in quæ tempora incidat 278.6 (48
in Ruthę hiſtoria quę conſideranda 279.
Ruthæ myſtica ſignificatio. 281.32
Ruthę requies in matrimonio Boozi cuius quietis myſticam ſignificationem habeat 287.34
in Rutha tria cõmendari, & quæ ſit eius commendationis myſtica ratio 285.7

S

SAba 687.9 (45
Saba regina typus eccleſiæ gentiũ 687.
ſacerdotis munus quod ſit 875.9
ſacerdos ſummus cur Vrim & Thumim in pectore geſſerit 879.50
ſacerdotis ſummi caput cur corona exornatum 877.8
ſacerdotale munus 318.20
ſacerdotium & regnum in Chriſto coniuncta cernuntur 325.47
Sacramenti corporis & ſanguinis Chriſti uerba ut exponenda ſint 175.20
Sacramento uti, aliud: aliud, re ſacramenti 177.40
Sacramentis nos ad Chriſtum ſedentem ad dextram patris reuocari 168.47
ſacrarum rerum genera 403.41
ſacri populi quæ inſignis nota 124.24
ſacrificia impiorum qualia 328.28 (17
ſacrificia quæ, & quorũ, grata Deo 703.
ſacrificulorum in regno Antichriſti auaritia taxatur 881.18
ſal quotuplex 814.20
ſalis natura 210.48
Salomon deliquerit ne, ſibi equorum, argenti, auri & mulierũ tantam copiam comparans 695.20
Salomon cum Ægypti rege affinitatem contrahit, & eius affinitatis myſtica explicatio 617.26
Salomon quot annos habuerit, cum regnare inciperet 621.7
Salomon quot annos uixerit 626.10
Salomon typus Meſsiæ 688.29
Salomonis caſus 49.6
Salomonis crimen unde amplificetur 700.33
Salomonis dictum, Velociũ non eſſe curſum, exponitur 466.17
Salomonis ditio uicina Aſſyrijs & Chaldæis 685.38
Salomonis duo nomina 514.1
Salomonis, & eius regni myſtica explicatio 490.16
Salomonis libri qui interierint 633.17
Salomonis regni termini qui fuerint 631.47
Salomonis regno ut Meſsiæ regnum adumbretur 607.9
Salomonis ſapientiæ, gloriæ et diuitiarũ myſtica explicatio 629.20
Salomoni priori cur ſua uitia fuerint 697.38
Salomoni quomodo intelligatur regum nullus ſimilis eſſe 623.10
ſalus in ſupernis quęritur 11.44. quibus armis comparetur 269.34
ſalutaris explicatio 307.24
Samariæ ſitus 852.40
Samſonis cum meretrice commercij myſtica explicatio 245.50
Samſonis hiſtoria et myſtica eius tractatio 227.4
Samſonis glorioſus obitus, myſtica explicatio 252.3
Samuelis deſcriptio 300
Samuelis filij degeneres 342.3
Samuelis manes an uerè apparuerint 418.52
Samuelis oratio ad Iſraelitas 358.1
ſanctus pater & filius & ſpiritus natura, cæteri ſancti gratia 509.6
ſancti homines propter ſtudiũ bene merendi de altero, uiua Dei in terra dicũtur ſimulacra 499.39
ſancti inſtrumẽta gratiæ diuinæ 272.40
ſancti ut commendandi ſint 117.24
ſanctorum ſors quæ ſit 51.6
ſanctorum ſors in hoc mundo 280.11
ſanctos etiam uiros hallucinari 198.1
ſanctos homines ſecum benedictionem diuinam in eorum domum, in qua hoſpites accipiuntur, importare 754.38

ſanctos uiros & uiuentes & mortuos charos eſſe Deo 122.12
ſanguis Chriſti cur noui fœderis ſanguis appelletur 177.28
ſapientis Græcorum dictum 407.12
ſapientes Orientales qui fuerint, à Salomone ſapientia ſuperati 632.3
ſapientes uiri cur ſibi diſſimiles liberos generent 708.44
ſapientiæ diuinæ ordo qualis in rerum procuratione ſeruetur 796.40
ſapientiæ donum bipartitum eſſe 623.14
ſapientiæ Salomonis & Chriſti collatio 627.8
ſapientiæ Salomonis partes 628.47
Sarepta Sidoniorum 750.48
Sareptanæ uiduæ lignatio, ignis, farina, & oleum, quid adumbrarint 753.14
Satan omnis diuinæ ordinationis hoſtis & inimicus 850.2
Satan ut aſsiſtat Deo 795.20
Satanæ ingeniũ in citandis teſtimonijs ſacrarum literarum 912.41
Saulus an' ne in ſaluandis numeretur. 442.23
Saul an' ne peccarit quòd ſibi mortẽ conſciuit 452.16
Saul unius anni quomodo dicatur fuiſſe 363.17
Saulus ut conſuluerit Dominũ 436.36
Saulus ut intelligatur duobus annis regnaſſe 363.29
Saul ut intelligatur in alium uirum mutatus 352.50
Sauli caſum miſerum cur Dauid luxerit 457.24
Sauli commendatio à corporis ſpecie. 346.90
Sauli miſerabilis exitus 452.1
Sauli reprehenſio qua à Samuele reprehenſus eſt 365.31
Sauli uirtutes quales commendarit Dauid in funebri carmine 462.5
Saulo cur, ne eum occideret, pepercerit Dauid 414.35
Saulum, cum occideret Abimelechum, iuſtam Dei ſentẽtiam executum, ſed iniuſtè 409.23
Saulum hypocritã ut referant hypocritæ in regno Antichriſti 408.40
Saulum Ziphæorum perfidiam pro fide interpretantẽ, qui in regno Antichriſti imitentur 413.3
Saulini generis ne unum quidem ſuperfuiſſe 564.27
ſaxorum, quibus regum Chananæorũ corpora obruta ſunt, quę myſtica ſignificatio fuerit 56.34
Scholæ apud Hebræos 108.8 publicæ apud Iſraelitas 805.42
Scipionis dictum 466.26
ſcriptura ſacra ut ad conſolationem & ſalutem inſpirata dicatur 171.36
ſcripturæ ſacræ laus 172.21
Sebæ funeſti exitus myſtica explicatio 560.20
Sebæ hiſtoria 557.28
ſeculũ duplex, præſens & futurũ 505.50
de utroq; Seculo, & uario in utroq; ſtatu 39.37
ſecundas res periculoſiores eſſe quàm aduerſas 933.30
ſecuritas carnalis unde naſcatur 503.28
ſecuritas duplex 259.11
ſecuritatis mũdanæ qualis exitus 261.23
ſeditioſos homines impunitos non relinqui 560.14
Semei ut præceperit Dominus, qui malediceret Dauidi 536.35
ſemidimetientis proportio ad circumferentiam quæ 654.46
Semiramidis patria Aſcalon, quam fingunt è ſtupro Veneris Aſcaloniæ natam, & Dircen uocatam 128.14
Senecæ dictum de Claudio 196.30
Sennacheribi aſcenſus contra Hieroſolymam myſtica explicatio 908.18
ſeptem millia Iſraelitarum tempore Elię ſeruata, quas reliquias præfigurarint 776.14
ſeptimus dies, inclinationis morbi dies 513.20
ſepulturæ dignitas 566.2
ſepulturæ Idumæorum myſtica explicatio 702.31
ſepulturę ius naturali iure probari 868.4
ſeruatorum iudicum Iſraelitarũ & Chriſti ſeruatoris collatio 139.44
ſeruituti addici, ſi quis ad tyrannos uenerit 432.8
Sethim locus 7.4
Seyr porta 875.52
Siba Chananæum ſeruum fuiſſe Sauli 500.3
Sibæ hiſtoria 533.20
Sicelag 97.19. & 434.47
Sichem quibus clara 86.36
Sidon urbs 100.13
ſigna myſtica ueteris Teſtamenti quæ contineant 167.10
ſigna ueteris fœderis quam conſiderationem habeant 167.45

ſilere pro perire apud Hebræos 314.46
Silo 91.21
Simeonis & Leui maledictio conuerſa in benedictionem 97.7
Simeonis tribus diſperſa per Iudæam 96.34
ſinapi ut fides comparetur 919.44
ſoboles numeroſa, Dei donum 227.40
ſocietas humani generis triplex 347.10
Sol & luna quæ lumina figurent 55.17
ſolium clementiæ diuinæ animis noſtris præſens 168.48
ſolium Dei ut accipiatur 795.5
ſolij in quo Chriſtus rex ſedet, ſublimitas unde æſtimanda 168.42
ſolij ſublimitas in quo Chriſtus rex ſedet, non ex loco æſtimanda 448.35
ſolio Domini pariter pios & impios aſsiſtere, ſed non pari propoſito 748.8
ſolitudo, palæſtra exercendi ſanctorum fidem 411.38
Sophene 496.37
Sophoclis uerſus de Dei oculis omnia intuentibus 37.50
ſors quid ſit 128.8
ſors cur uſurpata in diuidenda terra ſacra 128.6
ſortem non iaci temerè 92.36
de Sorte Salomonis locus 354.10
ſpinis comparari profanas gentes 115.49
ſpiritus adoptionis noui fœderis ſpiritus 177.33
ſpiritus Dei bipartitus 442.2
ſpiritus Dei quoties accipiatur 352.39
ſpiritus diuinus in quo cernatur 467.2
ſpiritus diuinus quid efficiat in ſanctis interpellando 922.18
ſpiritus diuini uis quæ antecedat in electis Euangelij prædicationem 10.16
ſpiritus Dei triplex munus 768.20
ſpiritus malus ſatan ut & quo modo dicatur mitti à Deo 207.34
ſpiritus mali & boni poteſtas ut à Deo proficiſcatur, non una ratione 385.30
ſpiritui interpellatori in ſanctis omnia ſubijci 817.22
ſpiritum malum & bonum proficiſci à Deo 385.20
per Spiritũ ſanctum nobis ſalutaris Chriſtus ponitur 177.19
ſtandum ut ſit, & non ſtandum 56.44
ſtercoris columbarum myſtica explicatio 853.52
ſtercora dij alieni appellantur 871.38
Stoicam ἀπάθειαν ſaxis congruere, non hominibus 447.23
ſtratagematis diuini quo Syri obſidẽtes Samariam fugati ſunt, exemplum 860.6
ſtultos ſceleratos uerè eſſe & dici 473.8
Succothenſium crimen ingratitudinis & perfidiæ, ut à Gedeone punitum 195.28
Succoth 69.45
ſuperſtitionis quanta uis 725.28
ſupplicium ſceleratorum uictimam eſſe piacularem 564.1
Syra locus 471.41
Syrorum uariæ nationes 501.25

T

TAbernaculorum in uetere fœdere cur toties mentio fiat 489.4.
Tabor mons 97.33
talionis lege cum Salomone actum. 701.1
talionis uindictæ diuinę lex in omnium pectore ſcripta 125.50
tecta plana Syrorum fuiſſe 502.11
templum Salomonium quid differat à templo ſpirituali: à materia, figura, loco, ab ædificatore, & à rebus contentis 640.1
in Templi Salomonij ædificatione quæ conſideranda 642.38
templum uerſus precari ſolitos Iſraelitas, etiam peregrè degentes 674.8
in Templo Salomonio neque malleorum, neque ferramentorum, neque ſe curis ſonus aſperior auditus eſt, eiusque rei myſtica explicatio 646.45
in Templo Salomonio ut commoratus ſit Deus 664.20
tenebræ pro rebus aduerſis 573.35
tenebris cur circunſeſſus dicatur Dominus 574.33
tentare ſancti ut dicantur Deum 185.29
tentari aliter à Satana, aliter à Deo 936.38
tentationis diuinæ uſus quot in rebus uerſetur 137.20
in Tentatione quæ conſideranda 135.44.
termini quales aſsignati ſint gentibus 4.3
terra cur ſcabellum pedum Domini, & cœlum ſedes dicatur 573.31
terra, pro potentibus in terra hominibus 572.20
terram impiorum luſtrationem non ferre, Iſraelitarum ferre 278.20
terreni puluerís ex quo corpora humana efficta ſunt, conſideratio, quam uti

litatem afferat 771.28
Thabor mons 148.50
Thamarem an licuerit Amnoni ducere uxorem 516.18
Tharsis 694.29
Theraphim 258.19
Thesbon ciuitas 747.32
Thimnas 77.39
thronus Christi nulla creata natura concluditur 317.24
throni duæ manus mysticè explicantur 693.38
throni ex ebore mystica explicatio 692.32
throni Salomonij descriptio 692.9
throni Salomonij sex gradus quid significent 693.9
θυμὸς 485.37
Timnata urbs 103.44
Timonis dictum 534.48
timor piorum & impiorum quod discrimen habeat 770.13
timoris Dei spiritus ut antecedat patefactum Euangelium in electis 835.19
timore Dei futuræ patefactioni euangelij uiam præparari 835.51
tonare de cœlo Dominum quid 315.49
tonitrui & pluuiæ significatio quæ 361.39
toparchiæ decem 104.7
tragici uersus 432.8. de uoluptate quæ ex uictoria capitur 372.11
triadis sacræ cur mentio fiat in baptismo regenerationis 120.27
tubarum, lagenarum & lampadum Gedeoniarum explicatio 191.7
Tyberias 98.13
Tyberiadis lacus 98.17
tyrannis orbis terrarum ut utatur Dominus 867.20
tyrannidem in nulla parte uniuersitatis esse diuturnam 318.47
tyranni à ueris rectoribus quo differant 212.10
tyranni ut affecti sint 788.52
tyrannorum consilia & conatus in Dei manu positos esse 432.22
tyrannorum furor leonum fremitui cõparatur 413.36
tyrannorum metus 207.6
tyrannorum præsidia qualia 201.34
tyrannos plenos metu esse 405.39
tyrannos occidere ne liceat 430.28
de Tyrannis dictum elegans 207.23
Tyrus urbs 100.33

V

VAccarũ, quibus arca reducta est, significatio 337.47
uana censeri etiam præstantissima in mũdo 569.23
uates sanctos etiam in iudicando errare 383.38
uates ueros falli etiam ut homines posse 723.35
uatum uerorum munus 760.41
uelleris Gedeonij mystica explicatio 184.52
uelocitas pedum qualis uirtus 461.20
uendi sub peccatum quid 791.36
uerbum Dei ad salutem necessarium. 711.47
uerbum Dei Messias benedictus 480.7
uerbi Dei administrationis quæ dignitas 162.51
uerbi Dei ministerium ad cõseruandum Dei cultum communi lege necessariũ 130.17
uestium discriminis antiquitas 517.14
uincendi ratio omnia, etiam Deũ ipsum, quæ sit in sanctis 25.26
ueterum dictum de terra Israel 282.48
uia bona quæ 670.32
uia in sacris literis quid notet 109.43
uia terræ quam se Dauid ingressurum dicit, qualis & quæ 608.34
uia uera colendi patrem, Messias 730.28
uias peruertere Dei quid sit, et quoties id contingat 580.14
uictoria Christi in quo mirabilis cernatur 937.18
uictoria in populo sacro quibus rebus constet 272.10
uictus donum Dei 280.38
uidere Deum quoties dicamur 235.41
uidere Dominum ut dicantur prophetæ 794.48
uidua Sareptana adumbrari uocationem gentium 751.28
uiduę Sareptanę filij mortui, & ad uitam suscitati mystica explicatio 755.20
uim ui repellere quando liceat 856.50
uerbi Dei ministris ecclesiam carere, pernicioſa res 255.40
uineæ Nabothi explicatio 786.48
uinum cur exhilarare dicatur cor hominis 205.26
uinum ut dicatur lætificare Deũ 205.24
uirgo adolescentula Dauidi iam seni in amplexum tradita 601.11 (515.51
uirgines עלמות cur dicantur ab Hebręis uirtu-

uirtutis præmia quem usum habeãt 78. 39
uitia, à præscientia diuina talia esse 407. 43
uituli aurei à Ieroboamo instituti, ut in dijs habiti 715.32. item 716.18
uitulos aureos qui in Antichristi regno cum Ieroboamo colant 716.32
umbræ reuocatio tempore Ezechiæ facta, mysticè explicatur 931.18
unctorio oleo quo Salomõ unctus 607. 46.
ungi quę hominum genera solita 775.35
uniuersitas rerũ aduersus improbos armatur 854.45
uoluntatis & facultatis locus quid concludat 416.8
uoluntatem impiorum, in potestate sua exitum consiliorum non habere, ut Deus habet 721.30
uoluntates in Deo duæ non sunt, quod alios punit, & alios seruat 870.28
uoluptates abeũtes, non uenientes, contemplandas esse 516.47
uotum Iephthæ quale fuerit 221.7
uotum in nouo fœdere quod probetur Deo 172.48
uoti perpetuæ uirginitatis an ullum exemplum inueniatur in uetere fœdere 222.40
Vrias an natus Israelita fuerit 503.8
Vrias uates 77.20
uulgi ingenium quale sit 539.28
uulgi ingrati & inconstantis exemplum 199.50
uulpium quas cæpit Gedeon, mystica explicatio 242.1
de Vxorum multitudine cauenda, lata lex Mosæ, ut sit explicanda 480.44.

Z

Zabulonia tribus ut dicatur pertinere ad Iudæam 102.2
Zacharias binominis 883.14.
zelus quid sit, & quotuplex 871.14.
zelum & bonam intentionem nihil ualere sine uerbo Dei 563.18
Zipheorum origo 412.37
Zonea urbs cur צורח appellata 79.31

FINIS.

Errata.

In Præfatione pag. 7.8 ex eo 176.14 corporis
941.29 monstrat 952.7 Thopheth

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS OPORINI, ANNO SALVTIS HVMANÆ M.D.LVII. Mense Septembri.

